NATIONALE
13
11 D
10

13-20, g, 13

Digitized by Google

PRIVILEGIORUM
IN PERSONA
SANCTI PETRI
ROMANO PONTIFICI
A CHRISTO
DOMINO
COLLATORUM
VINDICIÆ

In duas Partes, & quinque Tomos distributæ

A F. HIEREMIA A BENNETTIS
CAPPUCCINO.

PARS II. TOMUS IV.



BIBLIOTECA R.I.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ROMÆ MDCCLVIII.
TYPIS HÆREDUM JO: LAURENTII BARBIELLINI

SUPERIORUM FACULTATE.

EX JURISDICTIONE

Romani Pontificis in Epiſcopos.

ARTICULUS VII.

De Provinciarum Eccleſiaſticarum partitione, deque Patriarcharum, Exarchorum, Primatum, Metropolitarum, & Epiſcoporum origine.

PROLEGOMENON.

REm Lectori haud ingratam, quæque huic, quod ſtatim aggredior, graviſſimo argumento lucem non modicam affundet, præſtaturum me puto, ſi brevem hoc loci Eccleſiaſticæ Hierarchiæ imaginem deſcribam, ſtrictamque de Eccleſiaſticarum Dignitatum nominibus, gradibus, originibuſque notitiam exhibeam, ex qua perinde poſſit ad ſuſpiciendam Pontificiam loco poſitam longe ſuperiori, ceteriſque præcellentiorem animus facilius aſſurgere: quod ut rite peragam, Eccleſiaſticarum Provinciarum notionem præmittere operæ pretium erit. Quandoquidem vero Provinciarum Eccleſiaſticarum diviſiones a diviſionibus Præfecturarum Romani Imperii valde quam pendent, ejuſdem Imperii partitionem in Præfecturas, ac

Provincias compendio tradere, earumque frequens mutatæ formæ brevem narrationem texere, nec injucundum, opinor, nec inutile obtinget. Atque ut a jactis Imperii fundamentis auſpicium faciam, principio Romanum Imperium aliam, aliamque Regiminis formam ſubiit, prout aliarum, aliarumque Provinciarum fiebat acceſſio. Ante Auguſti Principatum forma Provinciarum informis, rudiſque admodum fuerat conſtituta, iſque primus ex Provinciis alias Senatui adminiſtrandas attribuit, alias ſibi reſervavit. Quas Senatui reſignavit, quaſque ſibi retinuit, indicat Dio Caſſius hiſt. Rom. lib. 53. Senatui Africa cum Numidia, Aſia cum Epiro, Græcia, Dalmatia, Macedonia, Creta, Cyrenaica, Bithynia, Sicilia, Sardinia, & Hiſpania Bœtica ſcriptæ ſunt; quibus deinde adjunctæ Cyprus, & Gallia Narbonenſis. Sibi vero adſcripſit ex Hiſpaniis Tarraconenſem, & Luſitanam; ex Galliis Narbonenſem, Aquitanicam, & Celticam: Germaniam ſuperiorem, quæ Rheni fontibus propior eſt, & inferiorem, quæ abhinc uſque ad Oceanum Britannicum ſe effundit: præterea Celeſyriam, Phœniciam, Ciliciam, Ægyptum, ac demum Dalmatiam: quam quidem partitionem contigiſſe anno Urbis conditæ 727, Auguſto 7, & M. Agrippa 5. Conſulibus autumat Onuphrius Panvinius. Poſt Auguſti obitum aliarum Provinciarum acceſſione Romanum Imperium auctum eſt, amplificatumque: nam ſub Tiberio adjunctæ ſunt Pannonia, Armenia, & Cappadocia: ſub Cajo duo Mauritaniæ Tingitana, & Cæſareenſis: ſub Claudio Britannia, & Orcades: ſub Nerone Pontus Polemoniacus: ſub Veſpaſiano Palæſtina, Achaja, Thracia, Lycia, Samus, Rhodus, aliæque Inſulæ conterminæ, Cilicia, & Comagena: ſub Trajano Dacia trans Danubium, & trans Euphratem Armenia de Parthis recepta, Perſides, Meſopotamia, Aſſyria, & Arabia. Ita Sextus Rufus in Breviario, ubi terminum Imperii Romani in Oriente ad ripam Tigridis conſtitutum tradit: qui terminus deinde ſub Hadriano retractus eſt ad ripam Euphratis, tribus nempe Provinciis Armenia, Meſopotamia, & Aſſyria Perſarum Regi dimiſſis: quæ rurſus ſub Antonino Pio recuperatæ priſtinos Imperii fines protenderunt.

Juxta hæc itaque ſub Hadriano Imperium alteram ſubiiſſe diviſio-

visi onem insinuat Appianus Alexandrinus Scriptor suppar in præfat. ad libros hist. Rom., partitas tradens Italiam in duas Provincias, ultra, & cis Padum, & a Piceno usque ad Siciliam: Africam in tres, Proconsularem, Numidiam, & Mauritaniam: Hispaniam in tres, Tarraconensem, Bœticam, & Lusitaniam: Gallias in quatuor, Belgicam, Lugdunensem, Aquitanicam, & Narbonensem: Britanniam in duas, superiorem, & inferiorem: Illyricum in 17.; Norici 2; Pannoniæ 2; Valeriam; Saviam; Dalmatiam; Mœsiam 1, sive superiorem; Daciæ 2; Macedoniam; Thessaliam; Achajam; Epirum 1, & 2; Prævalitanam, & Cretam Insulam: Ægyptum in 4, Ægyptum; Thebaidem; Libyam; & Pentapolim: Orientem in 12, Palæstinam; Phœniciam; Phœniciam Libani; Cœlesyriam; Syriam; Cilicias 2; Isauriam; Cyprum; Mesopotamiam; Arabiam; & Syriam Comagenam, sive Euphratensem: Thraciam in 6, Thraciam; Hæmimontium; Mœsiam 2, seu inferiorem; Scythiam; Rhodopem; & Europam, cujus caput Byzantium, eoque expugnato per Severum, Perinthus, sive Heraclea caput est constitutum: Pontum in 8, Galatiam; Bithyniam; Hellenopontum; Pontum Polemoniacum; Cappadocias 2; Paphlagoniam, & Armeniam: Asiam in 11, Proconsularem; Pamphyliam; Hellespontum; Lydiam; Pisidiam, Lycaoniam; Phrygias 2; Lyciam; Cariam; & Insulas, quibus Rhodus instituta Metropolis. Immutata est deinde sub Gallieno, & deinceps isthæc Imperii divisio, prout Imperium Provinciis diminui cœpit, Illyricum, Ægyptum, & Africam occupantibus Tyrannis; Germanis Hispaniam, & Alemannis Italiam invadentibus; Græciam, Macedoniam, Pontum, & Asiam Gothis devastantibus; in Pannonias erumpentibus Parthis, Daciamque Sarmatis depopulantibus: quas omnes subinde factas divisiones persequi, nec vacat, nec præstat. Jam vero Imperium Romanum a principio sub suprema Imperatoris potestate a Senatu in partem adscito ab Augusto, ut dixi, administrabatur: postea vero ab uno solo Præfecto Prætorio administrari cœpit, penes quem jus erat integrum belli, & pacis. Sub Commodo perinde, ex quo insidias Perennii Prætorio Præfecti eidem Imperatori evadere licuit, inter duos eam potestatem fuisse divisam, sibi a duobus non ita

deinceps timendum rato, auctor eſt Herodianus lib. 1. hiſt., cui magis, utpote coævo adhibenda fides, quam Lampridio tres Præfectos ab eo inſtitutos tradenti. Quamquam ſub Domitiano jam pridem duos fuiſſe Præfectos refert Xiphilinus in *Domitiano*. Sub Severo perinde, & Caracalla non amplius quam a duobus Præfectis Imperii Provincias adminiſtratas produnt idem Herodianus lib. 3, & 4, & Zoſimus lib. 2. A Conſtantino M. poſtmodum rerum ſumma potito Præfecti dignitatem, poteſtatemque inter quatuor, ſingulis attributis ſeorſim Diœceſibus, non ex æquo tamen, partitam fuiſſe perhibet, etſi ipſi parum æquus, Zoſimus lib. 2. hiſt. pag. 687: Imperium vero diſpertitum in 11. Diœceſes, quarum 5. Præfecto Prætorio Orientis, nempe Orientem, Ægyptum, Aſiam, Pontum, & Thraciam: Præfecto Illyrici 2, Macedoniam, & Daciam: Præfecto Italiæ 3, Italiam, Illyricum Occidentale, & Africam: Præfecto Galliarum 3, Hiſpanias, Gallias, & Britannias. Ad hæc ex Provinciis 10. Italiæ Præfecto obnoxiis quatuor per viros Conſulares regebantur, Campania, Thuſcia cum Umbria, Picenum Suburbicarium, & Sicilia: totidem per Præſides, Samnium, Sardinia, Corſica, & Valeria: duæ reliquæ per Correctores Apulia cum Calabria, & cum Brutiis Lucania.

Explicatiſſima ea eſt diviſio Imperii in Diœceſes, & Diœceſum in Provincias ſub quatuor Prætorio Præfectis comprehenſas, quam exhibet Notitia Imperii ultra Arcadii, Honoriique tempora, ut indicat inſcriptio, exarata, de qua adeundi, ſi placet, Petrus de Marca Concor. lib. 1, 4, & 6; Scheleſtratius Antiq. illuſt. par. 1. diſſert. 1, & par. 2. diſſert. 4, & 5; Pagius in Crit. ad an. 37. Cabaſſutius diſſert. 14. de Provinc. Eccleſ., Natalis hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. IV. cap. 5; Lequiennius, Gothofredus, Fabricius &c. Juxta hanc igitur Romano in Imperio univerſo quatuor audiebant Præfecti, Præfectus Prætorio Orientis, Præfectus Prætorio Illyrici, Præfectus Prætorio Italiæ, & Præfectus Prætorio Galliarum. Diœceſes vero, in quas dividebatur Imperium, erant omnino tredecim, quinque Orientis, & Occidentis octo, quæ complectebantur omnes ſexdecim ſupra centum Provincias, ſcilicet Orientis 47, & Occidentis 69. Præfecto igitur Prætorio Orien-

Orientis ſubjectæ erant Diœceſes quinque, I. Orientis, ſub qua 15. Provinciæ: II. Ægypti, ſub qua 6. Provinciæ: III. Aſiæ, ſub qua 10. Provinciæ: IV. Ponti, ſub qua 10. Provinciæ: V. Thraciæ, ſub qua Provinciæ 6. Præfecto Prætorio Illyrici Diœceſes tres parebant: I. Macedoniæ, quæ Provincias 6. complectebatur: II. Illyrici, in qua Provinciæ 6. recenſebantur: III. Daciæ, quæ Provincias 5. comprehendebat. Atqui Illyrici Provincias 6. pertinuiſſe ad Præfectum Italiæ plerique alii putant, ideoque Præfectum Illyrici Diœceſi una diminutum, eadem adaugent Præfectum Italiæ. Præfecto Prætorio Italiæ, (præſcindendo nunc a Diœceſi Illyrici), Diœceſes omnino duæ erant obnoxiæ: I. Italiæ, ſub qua Provinciæ 17. enumerabantur: II. Africæ, ſub qua Provinciæ 6. erant concluſæ. Præfecto demum Prætorio Galliarum Diœceſes tres ſuberant; quarum I. Hiſpaniarum, & ſub ipſa 7. Provinciæ: II. Galliarum, & ſub ipſa Provinciæ 17: III. Britanniæ, & ſub ipſa 6. Provinciæ conſtitutæ. Diviſo poſthinc inter Filios Conſtantini Imperio Romano, Illyricum totum Occidentis Imperio abſque ulla diviſione ceſſerat, ejuſque caput erat Sirmium; unde totum Illyricum ad Occidentis Patriarcham, Romanum ſcilicet Pontificem, pertinebat. Diviſo vero dein in duas partes Illyrico, in Orientale ſcilicet, & Occidentale; (quam quidem diviſionem peractam ſub Valente putavit Valeſius in Notis ad Socratem lib. 5. cap. 11; ſub Gratiano, & Theodoſio autumant Jacobus Gothofredus Comment. ad leg. 8. Cod. Theodoſ. de *Metallis*; Franciſcus Hallier de Eccleſ. hierarch. lib. 4. art. 3, & Pagius ad annum 380. n. 4, & ſeqq; ſub Arcadio, & Honorio arbitrantur Pancirolus Comm. ſuper Notit. dignit. utriuſque Imperii p. 2. cap. 62; Petrus de Marca in diſſert. de Prim. Lugdun. num. 33; & Baluzius auctor cap. 20. lib. 5. de Concordia); diviſo, inquam, Illyrico, ſex dinumeratæ ſunt Orientalis Imperii Diœceſes, quarum 1. Orientis; 2. Ægypti; 3. Aſiæ; 4. Ponti; 5. Thraciæ; 6. Illyrici Orientalis. Priores quinque uni Præfecto Prætorio Orientis obnoxiæ erant: 6, ſcilicet Illyrici Orientalis, ſingulari Præfecto parebat; cujus Sedes conſtituta eſt Theſſalonica: Vicarius autem Præfecti Prætorio Illyrici Occidentalis Præfecto Italiæ ſubjecti Sirmii morabatur. Immutatio iſta civilis Illyrici

rici non immutavit jura Patriarchatus: nam totum Illyricum manſit juris Pontificis Romani, cujus proinde Vicarius Apoſtolicus Theſſalonicæ Urbis Principis Illyrici Orientalis demorabatur. Poſt annos 58. Illyricum denuo ad unius Imperium redactum eſt; videlicet a Valentiniano III. an. 437. tranſcriptum integrum in jus Theodoſii, uti tradunt Jornandes lib. de ſucceſſ. Regnor. cap. 97, & Caſſidorus lib. 11. epiſt. 1. Illyrici vero Provincias tum 15. Zoſimus lib. 4, ſed rectius 17. Sextus Rufus in Brev. enumeravit. Solidi Illyrici ante diviſionem Metropolim Civilem fuiſſe Sirmium, antequam ab Attila everteretur, teſtantur Herodianus, Ammianus Marcellinus lib. 21, & 26, Zoſimus lib. 4, Anemius in Synodo Aquilejenſi, & Juſtinianus Novel. 11, affirmans imo Metropolim fuiſſe Eccleſiaſticam: ſed fallitur, nam Eccleſiaſtico ordine Metropolis erat conſtituta a tempore SS. Damaſi, Siricii, Innocentii, & deinceps Theſſalonica, ubi Sedis Apoſtolicæ Vicarii degebant: eademque etiam poſt diviſionum Illyrici Metropolis manſit, ſicuti totum Illyricum manſit obnoxium juri Patriarchico Romani Pontificis. Donec a Leone Iſaurico Sæculo VIII. Illyricum univerſum una cum Calabria, & Sicilia a Romano Patriarchatu per ſummum nefas diſtractum juri Patriarchæ Conſtantinopolitani adjectum eſt: cujus reſtitutionem Hadrianus I, & S. Nicolaus I. fruſtra urſerunt, obtinuit tamen Johannes VIII, ſed paullo poſt amiſit, recuperavit denique Innocentius III, uti refert in ejus vita Illuſt. Franciſcus Boſquetus.

Jam vero Diœceſis Orientis Metropolis erat Anthiochia; ut conſtat ex Zozimo lib. 1; S. Hieronymo in epiſt. ad Pamach.; & S. Chryſoſtomo hom. 1. ad popul. Antioch. Diœceſis Ægypti Metropolis erat Alexandria, ut conſtat ex Theodoreto lib. 1. hiſt. Eccl. Diœceſis Aſiæ Metropolis Epheſus, teſte S. Chryſoſtomo in epiſt. ad Epheſios; & conſtat ex ſyngrapha Theodori Epheſini act. 18. Synodi VI. Diœceſis Ponti Metropolis Cæſarea, velut refert S. Gregorius Nazianz. orat. de S. Baſilio; & teſtatur ſubſcriptio Philalethis Cæſareenſis in Synodo VI. Diœceſis Thraciæ Metropolis olim Heraclea: a tempore vero Conſtantini eſſe cœpit Conſtantinopolis. Poſtremo hæ tres Diœceſes Aſiana, Pontica, & Thracica fraude Græcorum in Concilio I. Conſtantinopolitano primum, ac po-

poſtea in Chalcedonenſi diſtractæ ſunt, Aſiatica, & Pontica quidem ab Antiocheno Patriarchatu; Thracica vero a Patriarchatu Romano. Diœceſis Illyrici, ut dixi, Metropolis erat Sirmium ordine Civili, ſed Eccleſiaſtico mox Sardica, uti conſtat ex ſubſcriptione Protogenis in Concilio Nicæno; mox Theſſalonica, teſte Theodoreto lib. 5. hiſt. cap. 17. Illyrico vero duas in partes ſecto, Theſſalonica Illyrici Orientalis civilis Metropolis evaſit: Occidentalis Sirmium caput eſt conſtitutum: utriuſque vero in Eccleſiaſtica diſpoſitione Theſſalonica manſit. Quamquam Juſtinianus Sedem Præfecti Prætorio Illyrici, atque Sedem Vicarii Apoſtolici, Vigilio P. M. aſſenſum præbente, e Theſſalonica poſtmodum tranſtulit Acridam Dardaniæ oppidum, ejuſdem Imperatoris natale Solum, quod de ſuo nomine Juſtinianam primam dici voluit Novella 11. Quod ad Occidentis Diœceſes ſpectat, Diœceſis Italiæ Metropolis Roma dubio procul erat, Vicariæ autem Italiæ Metropolis evaſit Mediolanum, uti colligitur ex S. Athanaſio in epiſt. ad Solitar. Diœceſis Africæ Carthago, velut adparet ex Conciliis Africæ, & epiſt. S. Cypriani. Porro Juſtinianus, poſtquam ex Africa Wandalos expuliſſet, quintum ceteris adjecit præcedentibus Præfectum Prætorio: cujus Sedem Carthagine, quam de ſuo quoque nomine Juſtinianam tertiam nuncupari juſſit, conſtituit Leg. 1. Cod. *de Off. Præfecti Prætorio Africæ*.

Diœceſi Hiſpaniæ in duas Provincias diviſa Citeriorem, & Ulteriorem, Citerioris Tarraco, & Ulterioris Hiſpalis Metropoles evaſerant. Tarracone vice Auguſti Proprætor, Hiſpali Senatus vice Proconſul agebant: quam utramque Provinciam ante Auguſtum unus adminiſtrabat Prætor Tarracone degens; quade re adeundus Livius decad. 5. lib. 5. A Bœtica ſubinde diſtracta Luſitania, atque hujuſce Provinciæ conſtituto Præſide, ſive Procuratore, Emerita perinde Metropolis evaſit. Tarraconenſi præterea trifariam partita, ac Tarracone poſtpoſita, tres novæ Magiſtratuum Sedes conſtitutæ ſunt Bracara, Cæſarauguſta, & Carthago. Poſtquam viciſſim in Provincias ſex Hiſpania univerſa, diſtincta eſt, Diœceſi univerſæ ſub Prætorio Galliarum Præfecto admotus eſt Vicarius, ejuſque Sedes Hiſpali conſtituta, velut ex *L. 5. De Sponſalibus* Cod. Theod. obſervat Gothofredus, eique pare-

parebant quinque Præſides totidem Provinciis ſub eo adminiſtran-dis præpoſiti. Juxta hæc itaque decurſu temporis in diſpoſitione Eccleſiaſtica in Metropoles aſsurrexiſſe omnium primæ videntur Hiſpalis, Tarraco, & Emerita, quibus deinde ſuccrevere Bracara, Lucus, Cæſarauguſta, & Carthago; cujus demum Eccleſiaſticam dignitatem, non ſecus ac aliarum Civilem, occupavit Toletum. Diœceſis Galliarum Metropolis Auguſta Trevirorum olim erat, qua a Francis everſa, circa annum 402, quo pariter Mediolano Imperii Sedes Ravennam translata eſt, non Valentinianus, ut voluit Queſnellus, ſed Honorius, ut cenſet verius Pagius ad an. 401. n. 45, Prætorio Præfecti Sedem tranſtulit Arelatem. Hinc Urbem hanc celebrandi argumentum ſumpſere Provinciæ Arelat. Epiſcopi in litteris ad S. Leonem M. ſcribentes: *Hanc Civitatem ſublimiſſima Præfectura, hanc reliquæ Poteſtates velut communem omnibus Patriam ſemper inhabitant.* Teſtis accedit locuples S. Gregorius Turon. lib. 2. hiſt. Franc. cap. 7. referens, quod Attilæ Hunnorum Regi ad obſidionem Aureliæ ſe paranti ut occurreret Anianus Aurelianenſis Antiſtes, Arelatem ſe contulit auxilium poſtulatum ab Aetio Galliarum Præfecto. Facit huc demum, abundeque confirmat hæc vetus inſcriptio Auxiliaris Præfecti, quæ Arelate adhuc ſupereſt. Diœceſis Britanniæ denique Metropolis devexiori etſi ſub ætate in diſpoſitione Eccleſiaſtica Cantuaria evaſerit, Civili tamen ordine Civitas Vicaria longe ante fuerat Eboracum, ubi Conſtantius Chlorus Conſtantini M. Pater Sedem conſtituerat, diemque poſtremum obiit, teſtibus Euſebio, Lactantio, Oroſio, aliiſque. Igitur in Occidente univerſo, tres uti dicebam, rem Civilem adminiſtrabant Præfecti Prætorio Illyrici, Italiæ, & Galliarum, quibus Africæ Præfectus adjunctus eſt poſtmodum; ſub quibus ſex erant Vicarii, quorum tres Sirmii, Mediolani, & Carthagine, ſub Italiæ Præfecto, totidemque ſub Præfecto Galliarum Treviris, Hiſpali, & Eboraci moram trahebant. Adeundi præ aliis Pancirolus in Comment. Notit. Imperii; Gutherus de Offic. Domus Aug. lib. 1, & Sirmondus in Not. ad lib. 1. epiſt. 3. Sidonii Apollinaris.

His generatim circa Civilem ordinem obſervatis, jam referendo pedem ad Eccleſiaſticarum Provinciarum diſpoſitionem, quæ perinde obtinuit, atque quidem ab Oriente longius a notitia,

Lecto-

Lectorum ſemoto exordium capiens juxta quatuor Patriarchalium Eccleſ ;um ordinem, brevem, quoad fieri poterit, ſed dilucidum, Provinciarum, quæ ſingulis quibuſque Patriarchis eſſent obnoxiæ, elenchum exhibebo, obſervare ſtatis locis non omittens in diverſas, quæ invectæ interea fuerint, diſpoſitiones: ut qui hujuſmodi Eccleſiaſticarum Diœceſum cum veterum, tum novarum haud contemnenda notitia delectatur, eaſdem compendio veluti comprehenſas ſub oculos habeat, unoque intuitu valeat perluſtrare. Poſtquam itaque Patriarchæ nomine, ac jure potitus Conſtantinopolit. Præſul eſt, tres ei adjectæ Diœceſes fuerunt, Aſiana, Pontica, & Thracica. Provinciarum Aſianæ, Ponticæ, atque Ciliciæ meminit Conſtantinus Imper. in epiſt. Encyclica ad Eccleſias de Paſchate eadem die ab omnibus celebrando apud Euſebium lib. 4. ejus vitæ cap. 19, ex qua doctiſſ. Michael Lequiennius tom. 1. Orient. Chriſt. de Diœceſi Pontica conjicit tum temporis necdum Orientale Imperium nova Provinciarum diſtributione ordinatum. Aſianæ Diœceſis caput Epheſus ſemper eſt habita, ejuſque Epiſcopus quintus habebatur a Romano, Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano: adparet id ex Can. 31. Nicæno-Arabico; ex Codice Canonum Rom. Eccleſiæ a Queſnello adornato, qui ſub Gelaſii tempora conſarcinatus videtur; ex Codice Regio vitæ S. Silveſtri edito a Combefiſio, quique Gelaſii Papæ ætatem facile ſuperat; & ex epiſtola Epiſcoporum Ægypti ad Leonem Imper. de nece S. Proterio Alexandrino inlata. Præerat vero Epheſinus Epiſcopus Provinciis Aſiæ, Lydiæ, Phrygiæ, Cariæ &c., de quibus mox. Diviſa eſt deinde a Conſtantio in Provincias 10; a Theodoſio Seniore in 11; & a Theodoſio Juniore in 12, teſte Theodoreto lib. 5. cap. 28. eas enumerante, nempe Aſiam, Lydiam, Cariam, Helleſpontum, Phrygiam Pacatianam, Phrygiam Salutarem, Pamphyliam 1., & 2., Piſidiam, Lycaoniam, Lyciam, & Inſulas Cyclades: quas omnes etiam poſt Chalcedonenſem Synodum Epheſino Exarchæ paruiſſe, nec niſi Juſtiniani juſſu Aſianam Diœceſim integram in jus Conſtantinop. Epiſcopi tranſcriptam, liquet ex Novell. tit. *De ſacroſanctis Eccleſiis* cap. 16, ubi confirmato Canone 28. Chalcedon., Conſtantinopolit. Epiſcopi Juriſdictioni Ponticam, Aſianam, & Thracicam Diœceſes ſubjicit. Poſt ea fa-

ta tamen Epheſino nomen Exarchæ adhuc adhæſit, eoque nomine audivit in Synodo VII, exinde dictus Exarcha non ſecus, atque Cæſareenſis, & Heracleenſis, non quod Autocephalus eſſet, ſed quod Patriarchæ Conſtantinopolit. nomine ceteris Aſianæ Diœceſis Epiſcopis jus adminiſtraret. Ab Epheſina diſſecta eſt deinde Provincia Helleſponti ſub id temporis, quo Aſiana Diœceſis in jus Conſtantinopolit. Patriarchæ tranſivit. Sub Juſtiniano II, ut liquet ex Can. 36. Trullano, Cyzicenus Metropolita ſubjectus eſt Metropolitæ Conſtantiæ in Cypro, Juſtinianopoli dictæ ex nomine ſuo a Juſtiniano: ſed ut obſervavit Zonaras ad cit. Canon. Trullanum, Cyzicenus ad ſuum deinde jus regreſſus eſt.

Phrygia una dumtaxat Provincia diu cenſita poſt Conſtantini M. tempora in duas Capatianam, ſeu melius Pacatianam, & Salutarem diſtincta, diviſaque fuit. Pacatianæ Metropolis Laodicea; Salutaris vero Synnada Metropolis Eccleſiaſtica: nam Civilis erat Eucarpia in Notitia Hieroclis. Sed & ordine civili Phrygiæ Pacatianæ Metropolis altera eſt Hierapolis in Notitia Leonis Sapientis, & in Notitia Nili Doxopatrii. Lydiæ Metropolis Sardis, quam Sart hodie vocant Turcæ: ſed Sardi diruta, jura ejus Eccleſiaſtico-Metropolitica ad Philadelphium tranſmiſſa ſunt: quæ Urbs Metropolis Eccleſiaſtica Sæculo IX. evaſit, ut ex Nicephori Conſtantinopolit. ad Nicolaum III. epiſtola deducitur. Cariæ Metropolis in Notitia Hieroclis eſt Aphrodiſias, quæ ſequiori ætate ſub Principibus chriſtianis Stauropolis vocitata eſt: quin etiam in notitia Hieroclis Miletus prima Cariæ Civitas eſt, quæ nonniſi multo poſt, ideſt circa Synodi VII. tempus, in Eccleſiaſticam Metropolim aſſurrexit. Cyclades Inſulæ caput habuere Rhodum: Rhodo an. 1309. capta a Latinis, ſive Hieroſolymitanis S. Johannis Hoſpitalariis militibus, qui Saracenis eam eripuerunt, Latinus Archiepiſcopus Coloſſenſis a ſtatua illa Solis ænea Coloſſi nomine, ac in portus introitu ſtante celeberrimæ Urbis dictus deinceps eſt. Devectiori ætate Chius etiam in mari Ægeo Inſula Metropolitico-Eccleſiaſtica dignitate adaucta eſt. Ita etiam Coos Archiepiſcopalem in Eccleſiam fuit erecta. Item Naxus, ſeu Naxia altera in mari Ægeo Inſula, nec non Mitylene, Methymna, Lemnos, non ſecus ac pleræque aliæ in Cycladibus Urbes ſimili digni-

dignitate amplificatæ ſunt, præſertim a Conſtantinopolit. Patriarchis. Lyciam a Lycaonia avulſam Provinciam factam, eique Myram Metropolim, quæ nunc Strumica dicitur, conſtitutam a Theodoſio Juniore, auctor eſt Johannes Malalas in Chronico pag. 69, cui cohæret Hierocles in Notitia ſub eodem Theodoſio in vivis agens. In Notitia Imperii Orientalis apud Honuphrium Panvinium Provincia Lyciæ diverſa prorſus eſt a Lycaonia: quod indicium eſt non unius genus ordine Civili fuiſſe olim haſce Provincias.

Pamphylia una quondam Provincia in duas poſtmodum ſub Theodoſio Juniore Sæculo V. diviſa eſt, ita ut primæ Metropolis eſſet Sida, ſecundæ vero Perge: atque ita ut Perge, quæ ſola pridem Metropolis Pamphyliæ totius fuerat, uti liquet ex Concilii Nicæni ſubſcriptionibus, poſtea ſecundum a Sida locum haberet, ut liquet ex Concilio Chalc., ubi Amphilochius Sides Metropolita præit Epiphanio Perges, qui Amphilochius Epheſina in Synodo poſt Berenianum Pergen ſubſcriptus legitur: Sides vero antea Iconii Metropolitæ erat ſubjecta, uti patet ex Synodo Iconienſi apud Photium Cod. 52, & Theodoretum lib. 4 hiſt. Eccleſ. cap. 11, cui S. Amphilochius præfuit. Præterea Pamphylia ſecunda in duas ſubinde diviſa eſt, quarum alterius Syllæum Metropolis creata eſt: paullo poſt vero in unam iterum ambæ iſtæ coaluerunt, Metropoliticis juribus, neſcio quo fato, Syllæo ſoli tributis, ut idem eſſet, ac Perges Metropolita: idque factum Synodi VII. tempore, Conſtantini Copronymi opera, in gratiam Conſtantini Syllæi Iconomachorum partes conſectantis, ac promoventis. Piſidiæ in Hieroclis Notitia Metropolis Antiochia, Urbs diſcreta ab aliis 11. ejuſdem cognominis apud Stephanum Byzantinum, dictaque Antiochia Piſidiæ, ſive ut in actis Concilii Calcedon., Antiochia Salutaris. Olim tamen ordine Eccleſiaſtico Piſidiæ Metropolim fuiſſe Iconium, atque Iconienſi Metropolitæ obnoxiam Piſidiam ex epiſt. 393. S. Baſilii ad Amphilochium eruitur. Lycaoniæ, quæ olim Piſidiæ pars erat, Iconium Metropolis fuit: & quidem ſub Valente Iconienſis Metropolita in Pamphyliam, Piſidiam, & Lycaoniam jura exercebat; unde in Indice latino PP. Nicænorum Eulalius Iconienſis primus Epiſcoporum Piſidiæ, & Lycaoniæ

legitur : ſed & in Iſauriam jura extendiſſe patet ex epiſt. 406. S. Baſilii , qua Amphilochius Iconienſis laudibus celebratur , quod Iſaurienſis Eccleſiæ curam gereret , remque ſacram curaret: quamquam id potius juris ſibi ceu Metropolitæ Cæſareenſi idem S. Baſilius attribuat. Eidem vero Iconienſi Metropolitæ obnoxiam Pamphyliam liquet ex Photio Cod. 52. referente ab Amphilochio Sidæ in Pamphylia coactam Synodum ad coercendam,comprimendamque hæreſim Meſſalianorum . Quamquam Iconienſem ipſum Cæſareenſi fuiſſe obnoxium exinde inferre eſt , quod Firmilianus Synodo Iconienſi præfuit : e contra poſthac S. Baſilius electioni Johannis Iconienſis Epiſcopi , etſi invitatus , intereſſe noluit , utpote peregrinæ , quæ ſui juris non eſſet . Quæ argumento ſunt jam tum immutata fuiſſe Metropolitica jura .

Diœceſis Pontica , poſtquam Imperium a Conſtantio Conſtantini filio fuiſſet diviſum , ſub ſe ordine Civili Provincias comprehendere cœpit Galatiam , Bithyniam , Cappadociam , Armeniam minorem , Pontum utramque , & Paphlagoniam . Secta ſubinde in Provincias duas Cappadocia fuit : Armenia quoque minor : poſthæc etiam Honorias a Paphlagonia : quin inſuper in duas Galatia : perindeque demum Bithynia, prout Imperatoribus allubebat . Ad quam Civilem partitionem Eccleſiaſtica pariter compoſita ferme fuit, quamquam non omnino , ut ex ſequentibus planum fiet . Cappadocia ſub Auguſto duplex habebatur, Strabone teſte lib. 11 , majoris Cappadociæ caput Cæſarea: ſed tum temporis ab Auguſto ad Conſtantinum , aut Valentem Cilicia , & Iſauria non ad Ponticam Diœceſim pertinebant, ſed magis Antiochenæ Diœceſi erant obnoxiæ ; quæ tamen ordine Eccleſiaſtico Cæſareenſi Metropolitæ ſubjacebant . Rurſus ſub Hadriano Imper. in 11. Diœceſis Ponticæ Civiles Provincias Cappadocia quinto dumtaxat loco veniebat; & ſub Conſtantino Cappadocia tertio dumtaxat loco numerabatur . Ordine tamen Eccleſiaſtico cunctis præerat Cæſarea , ut liquet ex Firmiliano in epiſt. ad S. Cyprianum , qua de Synodo Iconii celebrata agit, cui ipſe præfuit ; & ex S. Baſilio epiſt. 291. ad Epiſcopos Ponticæ Diœceſis , qua eos ad Concilium vocat : quamquam nec antea , nec poſt eadem ſemper fuerit diſpoſitio Eccleſiaſtica in Diœceſi Pontica . Non ante, nam

Sæcu-

Sæculo II. Synodo Ponticæ circa Paſchatis celebrationem Palmas Amaſtridis in Paphlagonia Epiſcopus præfuit, apud Euſebium lib. 5. cap. 23; & in Neocæſareenſi Synodo ſubſcriptus primus Vitalis Antiochenus legitur, ſeptimo loco Leontius Cæſareenſis, qui rurſus in Synodo Ancyrana legitur ſubſcriptus quartodecimo loco. Poſt etiam: nam ſub Theodoſio M., vel Arcadio Piſidia in duas Provincias ſecta, Iconium ſecundæ, ideſt Lycaoniæ, quæ nondum inter Provincias cenſita fuerat, caput eſt factum. Cæterum legendæ S. Baſilii epiſt. 67, 187, 269, 272, 321, & 364, quibus innuit ab ſe in Ponti Provincias juriſdictionem exertam. A Valente Imper. Cappadocia in Provincias duas ſecta fuit, primam, & ſecundam: primæ remanſit Metropolis Cæſarea; ſecundæ in gratiam Anthimi Epiſcopi inducta eſt caput Tyana. S. Baſilio id grave accidit, quod Tyana olim ſui juris in Metropolim evaſiſſet, de quo legendus S. Gregorius Nazianz. orat. 20, & epiſt. 31, 32, & 33. Cappadociam tertiam inſtituit Juſtinianus Imper., ſecundam in duas ſecans, cujus deinceps Metropolis eſſet Moceſum, Juſtinianopolis deinde dicta: cujus diviſionis mentio occurrit in Synodo V. collat. 5. Armenia minor cis Euphratem ſita, Dejotaro Rege defuncto, in jus Imperii a Romanis tranſcripta, in duas Provincias Civiles ſecta fuit, ac prima quidem Ponto, ſeu Cappadociæ Ponticæ attributa, cujus caput Sebaſte eſſet, quæ dein Armeniæ primæ Metropolis facta eſt. Secundæ vero caput conſtituta eſt Melitene, quæ deinde tertiæ Metropolis eſt ſancita. A Juſtiniano Novel. 31. ex duabus Armeniis quatuor factæ ſunt: prima interior, cui caput datum Bazanis, ſive Leontopolis; ſecundæ, quæ antea prima dicebatur, Sebaſte caput aſſignatum, ut mox innui; tertiæ Metropolis conſtituta Melitene, quæ antea ad ſecundam pertinebat; & quartæ Martyropolis. Cæterum eo loci Juſtinianus expreſſe cautum juſſit, ne nova hac Civili diſpoſitione Eccleſiaſticarum Provinciarum ordo perturbaretur, quod etiam de Cappadocia quarta cautum voluit.

Galatiam, dictam etiam Gallo-Græciam, quatuor prius Tetrarchiis conſtantem, in Provincias duas diviſit Theodoſius I, teſte Jo: Malala in Chron. in Theod., nam antea unam dumtaxat fuiſſe conſtat ex Indice Conc. Nic. I; & Conſtantinop. I; quarum prima a Pro-

con-

conſule, ſecunda a Præſide adminiſtraretur : ac primæ quidem Metropolis Ancyra fuit , quæ ante hac Galatiæ totius fuerat caput: Galatiæ ſecundæ Peſſinus , ſive Peſſinuntis Urbs Metropolis facta eſt. Neocæſaream ante Concilii Conſtantinopolit. I. epocham Metropolim non fuiſſe Ponti Polemoniaci conjicere eſt ex S. Baſilio epiſt. 61 , ubi ait Ponti Epiſcopos Muſonio Neocæſareenſi in Conventibus primas ob ſapientiæ præſtantiam ſupra aliis detuliſſe. Trapezus, unde anno 1261. Imperii Trapezuntii nomen ex Alexio Comneno acceſſit , in notitiæ Hieroclis, aliiſque duabus antiquioribus apud Lequiennium Ponti Polemoniaci Urbs erat olim. In Notitia deinde Leonis Sapientis , quæ habetur lib. 11. Juris Græco-Romani , Lazicæ Metropolis legitur. Ponto nondum in duas Provincias Hellenopontum , & Pontum Polemoniacam diviſa , quam diviſionem factam a Conſtantino M., ſed ab eodem demum utramque Pontum iterum in unam fuiſſe contractam indicat Juſtinianus Novel. 28 , Amaſea Ponti Metropolis erat , eique obnoxia Neocæſarea . Deinceps ad Hellenoponti Metropolim Amaſea eſt contracta in notitia Hieroclis . Amaſeæ primum a S. Petro datus S. Nicetius legitur apud Bolland. in vita S. Baſilei Amaſeni Epiſcopi ad diem 16. Aprilis . Paphlagoniæ Metropolis Gangra erat ordine Civili : Eccleſiaſtico Gangrenſis Epiſcopus Ancyrano ſubjectus erat, ex Concil. Chalced. act. ultima . A Bithynia avulſam Provinciam Honoriadem, de Honorii Patrui nomine appellatam, inſtituit Theodoſius Junior , teſte Johanne Malala in Chron. par. 2. pag. 69 , cujus Metropolis facta Claudiopolis legitur in notitia Hieroclis . Juſtinianus vero Novel. 29. ex Honoriade , & Paphlagonia unam dumtaxat Provinciam conflavit: integra tamen jura ſua Metropolitica Gangrenſi , & Claudiopolitano Epiſcopis reliquit , nec quidquam voluit minui , vel mutari . Ex epiſtola Synodi Provinciæ Honoriadis ad Leonem I. Imperat. certum fit Claudiopolitanam Eccleſiam ipſo Concilii Chalcedonenſis ævo Metropolitica dignitate Eccleſiaſtica potitam fuiſſe . Bithynia ſub Valente , & Valentiniano in duas Civiles Provincias diſciſſa eſt , quarum primæ , ut olim Nicomedia , ſecundæ Nicæa Metropolis eſſet . Poſthæc tamen , ac diu Nicomedienſi in rebus Eccleſiaſticis obnoxia manſit Nicæa ; id imo cautum fuit a Concilio Chalcedo-

cedonenſi act. 23 ; idipſum impoſterum valere volente, ubi Metropolis nova ab Imperatoribus inſtitueretur. Nicomediæ primum Epiſcopum S. Prochorum, unum e ſeptem Diaconis, a S. Petro conſtitutum Menologia, & Martyrologia ferunt.

In Diœceſi Thracica, quæ ſub Auguſto Civili adminiſtratione in Provinciæ 7. cum Mœſia, Dardania, & Dacia partem veniebat, ſub Hadriano ex 6. Provinciis conflata eſt, ut habetur in Notitia Hieroclis ſub Arcadio, & Honorio, imo ſub Theodoſio Juniore concinnata, in Diœceſi, inquam, Thracica Metropolis erat Heraclea, ſive Perinthus ordine Eccleſiaſtico aduſque Concilii Conſtantinopolit. I, & Chalcedonenſis imo tempora; unde ab Heracleenſi ordinabatur Conſtantinopolitanus, & Synodis præerat, uti Synodo ad Quercum præfuit Paulus Heracleenſis, apud Photium Cod. 59. Ordine tamen civili uſque ad Conſtantinum M., a quo Byzantium, ſive Conſtantinopolis caput eſt conſtituta Imperii, Thracicæ Metropolis erat Philoppopolis, quum Heraclea, ſive Perinthuſ eſſet unius dumtaxat, ſive ſextae, atque ultimæ Provinciæ, Europæ ſcilicet caput: neque caput conſtituta, niſi a Severo Auguſto, qui jure metropolitico Byzantium ideo exſpoliavit, quod Peſcennii Nigri partibus ſtuduiſſet, juſque illud a Byzantio in Heracleam tranſtulit, Herodiano teſte. Diœceſi Thracicæ adnumerata olim eſt Gothia, ut ex Can. 28. Chalced. adnotarunt Zonaras, & Balſamon: item Scythia, teſte Theodoreto lib. 5. capp. 30, & 31. Poſthac Hraclea Provinciæ Europæ caput; Thracicæ vero Provinciæ Metropolis facta Philoppopolis. Hæmimontii Provinciam ab Hæmomonte dictam, diſſecta Ponto factam a Theodoſio Seniore refert Johannes Malalas Chron. part. 2. pag. 39, caputque ei attributam Hadrianopolim, dictam ab Hadriano Auguſto ipſius inſtauratore: ejus tamen Epiſcopus inter Metropolitas cenſitus non videtur ante an. 394, cujus mentio fit in Synodo Conſtantinopolit. eodem an. celebrata, & a Palladio in dialogo, quo Ammonem Hadrianopolitanum vocat Metropolitam Thraciæ. Rhodopes Provinciæ a Rhodope monte nuncupatæ Metropolis Civilis in notitia Hieroclis Urbs eſt Ænos: Trajanopolis, quæ ea in notitia tertio loco Urbs recenſetur, in diſpoſitione Eccleſiarum Metropolis habita eſt, ut legitur in Notitiis,

titiis, & habet Palladius in dialog. de vita S. Chryſoſtomi, nec non in Tragædia Irenæi cap. 7, & ſeq. Scythiæ Europeæ Metropolis Civilis apud Plinium lib. 4. cap. 11. Tomos habebatur, quæ tamen in Notitiis Eccleſiaſticis vetuſtioribus inter Metropoles non erat cenſita. In cauſſa Monachorum Scytharum Paternus Tomitanus Epiſcopus iis adverſus ab iiſdem ad S. Hormiſdam eſt delatus: ſed & idem Paternus Conſtantinopoli agens relationi a Synodo Conſtantinopolit. de electione Epiphanii Patriarchæ ad S. Hormiſdam miſſæ ſubſcriptus legitur: cujuſmodi ſubſcriptio indicio eſt illum unum totius Scythiæ Provinciæ Epiſcopum egiſſe: *Paternus*, inquit, *miſericordia Dei Epiſcopus Provinciæ Scythiæ*. Mœſiæ inferioris Metropolis Marcianopolis. Mœſia inferiori a Bulgaris occupata, exindeque dicta Bulgaria, ejus jura Metropolitica ad Urbem Debeltum translata ſunt, ſed a Debelto ſubinde ad Ternobium, ſive Ternovium ſub Innocentio III. tranſcripta, Trinovitanus inde Metropolita Innocentii III. juſſu audivit. Antiquitus Mœſiæ inferioris pars ad Illyricum pertinebat; & inter Nicænos Patres legitur Piſtus Marcianopolitanus de Provincia Daciæ. Bulgariæ caput a Juſtiniano Acrida, ſive Juſtiniana vetus fuerat conſtituta, cujus loco poſtea Baſilius Bulgarorum Imper. Ternobum conſtituit, utque pariter eſſet Metropolis Eccleſiarum Bulgariæ ab Innocentio III. Johannicius, ſeu Calo-Johannes Bulgariæ Rex impetravit, ea lege adjecta, ut fidei ſponſione Metropolita deinceps Romano Pontifici ſe obſtringeret, ſemperque obnoxium profiteretur; quod ultro citroque præſtitum a Baſilio eſt.

Inter Provincias, quæ Barbaricæ dictæ ſunt Can. 28. Concilii Chalcedonenſis, ac Patriarchæ Conſtantinopolit. ſubmiſſæ, Gothia eſt, quæ olim Romanis erat Getis. Hujus gentis pars magna ſub Conſtantino M. circa an. 323, ut conjicit Pagius, ad ſacra Chriſtianorum tranſivit, teſte Socrate lib. 1. cap. 18. Sub Valente ad Arianam hæreſim deflexit, multoque plures rapuit Ulphilas eorumdem Epiſcopus, idemque Gothicorum characterum inventor, in Conſtantinopolit. Synodo ab Eudoxio, & Acacio Cæſareenſi ad Arianorum caſtra traductus. Sub Arcadio S. Johannis Chryſoſtomi opera ingentem multitudinem ab Ariana hæreſi

hæreſi expurgatam, gentique ordinatum Epiſcopum Unilam tradunt Theodoretus lib. 5. cap. 22, ipſequemet S. Chryſoſtomus in epiſt. 14. ad Olympiadem. In Indice latino Nicænorum Patrum locum habet Theophilus Gothiæ, qui Eruditis non alius videtur ab Ulphila primo gentis Epiſcopo. Gothiæ Metropolis hodie eſt Capha Civitas in Boſphoro, olim Gothia a gente nomine derivato. Præfatis Barbaricis Provinciis adnumeranda Blachia, ſeu Valachia, quæ in duas dein diviſa Provincias, altera, quæ Hungariæ affinis, Hungaro-Blachia, ſeu Valachia, altera a Moldo fluvio, qui eam interfluit, Moldo-Blachia, ſeu Moldavia appellatur. Valachiæ, quam Græco ſchiſmate infectam ad unitatem cum Romana redintegrandam Ladislaus ad Urbanum VI. litteris nuncupatis, fruſtrato tamen conatu, adducere fuerat enixus, Metropolis eſt Tergovitzium: quem honorem non ante obtinuit, quam idem honor Trinovitano Archiepiſcopo, cui antea Blachia univerſa erat obnoxia, fuiſſet ademptus. Moldaviæ autem, quam una cum Gregorio Metropolita optimum ad unionem inſtaurandam animum præferente, a Græcanico ſchiſmate ad Romanæ Eccleſiæ communionem amplexandam Eugenius IV. pertrahere conatus eſt, apud Raynaldum ad an. 1436. num. 27; quam imo jampridem Romano Pontifici tum temporis Urbano V. anno 1370, ut refert Raynaldus ad eum an. n. 7, reconciliare Latako Moldaviæ Princeps fategit, perfecitque, (quamquam paullo poſt ad Græcorum ſchiſma prolapſi Moldavi iterum fuerint), Moldaviæ, inquam, Metropolis poſt occupatam a Blachis Provinciam eſſe cœpit Sotzaba, uti dicitur in actis Synodi Jaſii habitæ anno 1642. a Parthenio Conſtantinopolit. Patriarcha adverſus Cyrilli Lucaris errores cum Calviniſtis communes, hodie Jaſium eſt. Porro a Conſtantinopolitanis Patriarchis duo iſti Metropolitæ tum Valachiæ, tum Moldaviæ conſtituti ſunt, pro nimia, qua ferebantur facilitate dignitates ſibi obnoxiorum Epiſcoporum amplificandi, translatis imo ad ipſos titulis Metropolitarum Nicomedienſis, & Amaſeni, nempe in duos Metropolitas Valachiæ, ut habet Notitia Codini Curopalatæ, nec non Metropolitæ Sebaſteni, ut legitur in actis Concilii Florent., & Synodi Conſtantinopolit. anno 1440, de quibus videndi Syropulus

pulus hiſt. Concil. Florent. ſect. 3. cap. 18, & Allatius in addit. ad lib. de Conſen. pag. 1387.

In Barbaricarum pariter Eccleſiarum cenſum venit Ruſſia, utraque Auſtralis, quæ & Minor, & Nigra nuncupatur, quæque Polonicæ ditionis facta eſt; & Septentrionalis, quæ & Major, & Alba, atque Moſchovia hodie audit. In Ruſſia, ſicut in Scythia Concilii Nicæni tempore Epiſcopum unum extitiſſe tradit Nicetas Choniates lib. 5. Theſauri fidei cap. 5. Amplificatam ſæculo X. ad exitum vergente apud Ruſſos rem Chriſtianam a Michaele Syro Epiſcopo Ruſſorum illuc a Nicolao Chryſoberge Conſtantinopolit. Patriarcha miſſo, atque Michaelem Wolodimerum, Ruſſorum Regem ſacris Chriſtianis initiatum, ex Anſelmo Bandurio in annotat. ad librum Conſtantini Porphyrog. de adminiſtrando Imperio, Elmacino in Saracenica hiſtoria ad annum Hegiræ 377, & D. Delisle in epiſt. ad eum Petroburgo miſſa, oſtendit Lequiennius Orient. Chriſt. tom. 1. in Provin. Ruſſiæ; ideoque deceptum Baronium, ſive dum Antipatrum Rhoſſi in Cilicia Epiſcopum ſub Joviniano Imper. agentem Ruſſicæ gentis Epiſcopum exiſtimavit; ſive dum in Martyrologio Rom. ad diem 19. Junii Bonifacium S. Bonifacii Martyris diſcipulum in Ruſſia prædicaſſe Evangelium putavit, quum in Pruſſia, ſive Boruſſia id ab eo præſtitum ſit; errorique locum præbuiſſe Librarium, qui pro Pruſſia apud S. Petrum Damiani, ex quo id Baronius tranſumpſit, Ruſſiam poſuit. Jam vero utriuſque Ruſſiæ Metropolis uſque ad Florentinam Synodum Kiovia manſit; ex quo nempe Iſidorus Kioviæ Metropolita unionis in Florentina Synodo ſancitæ tenaciſſimus a ſchiſmaticis Ruſſiæ Epiſcopis gradu Epiſcopali dejectus eſt, quove tempore Kiovia in Lithuaniæ Ducis ditionem eſt tranſcripta: ſed & ſubinde Vilnam tranlatus eſt Kiovienſis Metropolita. Tum enim temporis a Patriarchis Conſtantinopolit. ſchiſmatis patronis Metropolita alter Moſchuæ, quæ magni Moſchoviæ Ducis ſedes erat, conſtitutus eſt: antea tamen aliquando Metropolita Kiovienſis ob Tartarorum incurſiones Volodomeriam magni Ducis Moſchoviæ tum ſedem, ſuam etiam ſedem tranſtulerat; ſed & ſubinde ſuo Archiepiſcopi nomine audiverunt in Moſchovia, ſive Ruſſia Alba, ſive Majore, nempe Novogardienſis, & Roſto-

ſtovienſis: tametſi ii non erant Metropolitæ, ſed uno Archiepiſcopi, ſicuti Græcis factum eſt frequens, titulo inſigniti. Novogardienſis tamen ab Hieremia II. Conſtantinopolit. Patriarcha tandem ad Metropoliticam dignitatem eſt evectus. Sæculo X. denique labente ab eodem Hieremia corrogandis pecuniis in Moſchoviam profecto Moſchuæ Patriarcha Jobius anno 1589. inauguratus eſt, noviique Patriarchatus in Moſchovia inſtitutio in Synodo Conſtantinopolit. anno 1593. confirmata, ut refert Chryſanthus Patriarcha Hieroſolymit. lib. de ſacris officiis Tergoviſti in Valachia anno 1715. evulgato. Poſtremo anno 1703. a Petro Imperatore Ruſſiæ Patriarchæ hujus dignitate ſuppreſſa, ejus in locum Eccleſiæ adminiſtrandæ, Eccleſiaſticiſque negotiis expediendis ſuffecta eſt Synodus, ex undecim viris ab Imperatore deligendis, & deſignandis conflata, quæ Moſchuæ jugiter conſederet.

Altera Barbaricis adjicitur Zicchia trans Tanaim, adeoque Aſiæ a Veteribus adcenſita, ſive Sarmatiæ Aſiaticæ: huicce & Provinciæ, & Metropolis idem nomen inditum. Adjungenda etiam Iberia, nunc Georgia; Cholchis, nunc Mingrelia; & Albania Aſiatica ad Mare Caſpium poſita. In Iberia, & Colchide hodie duo ſacris præſident Catholici, ſive Patriarchæ; atque ab eo, qui Iberiæ præeſt, ac Tiphlis demoratur, ſacræ pariter res in Albania curantur: qui Colchidi, ſive Mingreliæ eſt præfectus, idem olim Phaſidis Epiſcopus audiebat: qualis celebris ille Cyrus Monothelitarum Parens, quem poſtea Alexandriæ Patriarcham Heraclius Imperator renuntiavit. Adſtipulatur Alania Mingreliæ contermina, cujus Metropolis Soteriopolis; & Abaſgia ad oram Ponti Euxini, cujus princeps Urbs Sebaſtopolis. De Georgianis ad ſacra noſtra e Græcanico ſchiſmate perductis abunde dictum eſt alibi anno 1754. a Cappuccinis Miſſiones in Georgia agentibus. Georgiæ Catholicus Jeſſe gentis olim Principis filius ad rectam fidem pertractus miſſa ad BENEDICTUM XIV. Pontificem M. profeſſione fidei, Romanæ Eccleſiæ ſe conjunxit, cujus paullo poſt Primatum palam eſt profeſſus. Cujus rei cauſſa a Georgiæ Principe Taimoras nomine, ejuſque filio Kachetorum Principe Heraclio coacta Tiphlis ex duobus Georgiæ, & Kachetis Archiepiſcopis, atque 20. ex Epiſcopis,

& Abbatibus die 16, ſive juxta correctionem Gregorianam die 27. Decembr. 1755. Synodo, e gradu deturbatus eſt, inque exilium ejectus: qua pariter exilii pœna ejus converſionis auctores Miſſionarii Cappuccini magno Catholicorum non modo, ſed vel ſchiſmaticorum dolore mulctati ſunt, ut habent relationis litteræ Romam decurrenti anno 1756. illinc miſſæ.

Atmenia Major olim Cæſareenſi Exarchæ obnoxia erat: Armenis enim primus Antiſtes præfectus S. Gregorius, Illuminator inde dictus a doctrinæ chriſtianæ lumine, quo gentem imbuit, a Leontio Cæſareenſi legitur in narratione de rebus Armeniæ a Combefiſio edita tom. 2. Auct. Bibl. PP., cujus auctor videtur Iſaacus Catholicus, idem auctor Invectivarum duarum adverſus gentiles ſuos, quas pariter edidit Combefiſius, quique ſub Juſtiniano Juniore in vivis agebat. Propterea quod Cæſareenſis Primatis nomine Eccleſiam omnem Armenam S. Gregorius, ejuſque ſucceſſores adminiſtrarent, Catholici, ideſt Procuratores generales appellati ſunt. Armeniæ Metropolis antiquitus erat Artaxata, ſive Civilis, ſive Eccleſiaſtica; deinde Metropolis evaſit Tiben, ſive Thevin: ac demum Catholici ſedes cœpit eſſe, & nunc eſt Cœnobium Eſchmiazin tribus Eccleſiis conſtans, in quo a gente fertur Chriſtus D. S. Gregorio Illuminatori ſe videndum præbuiſſe. Pridem Armenos orthodoxorum dogmatum tenaciſſimos fuiſſe adparet ex Synodo Hiſpahani anno 437. celebrata, cujus meminerunt Liberatus in Breviario, & Iſaac Catholicus in narratione de rebus Armen., in qua Synodo Acacius Melitenus, & Rabulas Edeſſenus Armenis fuerant auctores, ne Diodori Tarſenſis, & Theodori Mopſveſteni libros ad illos in Neſtorianorum errores alliciendos miſſos, admitterent. Exinde vero ſcripta eſt ſynodica ad Proclum Conſtantinopolit., quæ extat collat. 5. Synodi V, interrogantes de Diodori, ac Theodori doctrina: Proclus autem cum ſua Synodo Diodori, & Theodori damnatis libris ſynodica ad Armenos reſcripta de cavendis illorum erroribus admonuit. Poſthac tamen in Synodo Thevin habita anno Chriſti 552, ex quo inchoandam Armenorum Æram oſtendunt Scaliger, Calviſius, Petavius, aliique Chronologi, erroribus Incorrupticolarum, ſive Aphtartodocetarum, nec non Monophy-

phyſitarum ſtabilitis ab Eccleſia deſciverunt. Hinc effectum, ut pariter ſe ab Cæſareenſi Primate divellerent, ſuique juris eſſe, Catholici ipſorum cœperint. Diviſa ſunt identidem Catholici jura in multos, idque multas ob cauſſas. Quum enim Armeniæ pars in Romanorum eſſet ſub Mauritio Imperat. poteſtate, in Perſarum ſub Choſroe poteſtate altera, Catholici perinde duo præerant diſtinctis partibus. Ex quo vero ſubinde Armeni Regiones Aſiæ multas verſus Occidentem Saracenis eripuerunt, Cappadociam inſuper, & Ciliciam, inde factum perinde, ut Siſici in Cilicia novum Catholicum crearent. Rurſus qui in Inſula Lacus ingentis Aghtamar habitabat Epiſcopus, ſe ſe in Catholicum erexit. Itaque veteri Eſchmiazinenſi duo Siſenſis, ſive Siſicenſis, & Aghtamarenſis Catholici adjuncti ſunt, quorum mentio occurrit in libello a Benedicto XII. ad Catholicum Armenorum directo, in quo varii illorum errores in 117. artic. digeſti ſunt.

Ad hæc qui Hieroſolymis, Conſtantinopoli, & Cameneciæ in Polonia Armenis ibidem agentibus conſtituti erant Epiſcopi, ſucceſſu temporis Patriarchæ, ſive Catholici pariter nomen ſibi arrogarunt, adeo ut hodie ſex omnino inter Armenos Catholici nomine audiant; jureque, quod apud Orientales Patriarchas dumtaxat eſt peculiare, conficiendi ſacrum Chriſma, perque ditionis Eccleſias diſtribuendi, a ſæculo quinto ſupra decimum potiri cœperint; de quo adeundus doctiſs. Lequiennius Oriental. Chriſt. tom. 1. de Diœceſ. major. Armen., ex quo pleraque hauſiſſe me fateor. Præter eos, quos cum Romana Eccleſia reconciliationis percupidos alibi diximus, adnumerandi ſunt Gregorius III, qui a S. Gregorio VII. Papa de regenda Eccleſia inſtrui petiit, de quo videndus Baronius ad an. 1081 n. 73, & 74: Gregorius VII, & Johannes VII, qui Innocentio III. fidem deſponderunt ſuam, apud Raynaldum ad an. 1201, & 1205; & Galanum de conſenſ. Eccl. Armenæ cum Rom. pag. 346: Johannes VIII, ad quem litteras Honorius III. dedit: Conſtantinus I, qui Gregorio IX. Pontifici faſces ſubmiſit, apud Raynaldum ad an. 1239: Gregorius VIII, quem Bonifacii VIII, & Clementis V. communionem deſideraſſe patet ex Wadingo ad an. 1306, & Galano: Johanni XXII. Papæ Conſtantinum II. obtemperaſſe liquet ex litteris a Johanne ann. 1323.

1323. ad eum datis: Jacobus II, ſive Conſolator ſacramento fidem ſuam obſtrinxit Benedicto XII, ad quem miſit Pontifex libellum una cum epiſtola, admonens ut errores eo in libello digeſtos art. 117. emendaret, apud Raynaldum ad an. 1341: Michael etiam Pio IV, ad quem litteras obſequii refertiſſimas ad an. 1564 deſcribit Raynaldus: David, qui ad Paulum V. litteris, Nuntiiſque miſſis ſe Romanæ Eccleſiæ clientem eſt profeſſus: Moyſes II., a quo Urbano VIII. fidei ſuæ ratio fuit reddita: Jacobus III, qui Conſtantinopoli, quo Romam proficiſci animo propoſuerat, fatis præventus, antequam fini ſuo concederet, coram Latini ritus Archiepiſcopo catholicam fidem eſt profeſſus, ut habetur in libro gallice inſcripto *Etat preſent del Armenie* pag. 241: Azarias Armeniæ minoris Catholicus Gregorio XIII, & Sixto V. fidei ſuæ profeſſionem nuncupavit, de quo Galanus tom. 3. pag. 396. Conſenſ. Eccleſ. Armen. cum Romana: Zacharias denique Conſtantinopoli Armenorum Catholicus Romam profectus Urbano VIII. fidei formulam exhibuit.

De Illyrici Diæceſi jam differendum. Ea Notitia Imperii, quod diviſum ab Hadriano Imperat. Panvinius autumat, quamque ex Sexto Rufo Feſto in Breviario ſub Valente, & Valentinano Imperatoribus in vivis agente deſcripſit, ſeptem ſupra decem Provincias ſub Illyriciana Dioeceſi comprehendit: Noricorum duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Saviam, Dalmatiam, Mœſiam, Daciarum duas, Macedoniam, Theſſaliam, Achajam, Epiros duas, Prævalim, & Cretam Inſulam: quibus adjungenda Thracia, ut eſt apud Valerianum Imperat. in epiſt. ad Ablavium, quam refert Trebellius Pollio in ipſius vita. Tum temporis vero Civili ordine Dioeceſes habebantur inter alias Achaja, & Macedonia: Corinthus in Achaja Theſſalonicæ in Theſſalia anteponebatur; quum ordine Eccleſiaſtico Corinthius Epiſcopus Theſſalonicenſis ordinationi eſſet obnoxius. Sub Gratiano, & Theodoſio, aut ſub Arcadio, & Honorio diviſo iterum in duas partes Imperio, Illyricum in Orientale, & Occidentale diſſectum perinde eſt; atque ita ut poſthac Orientali præeſſet ſuus Prætorio Præfectus, Occidentale vero Prætorio Italiæ Præfecto pareret. Igitur in Illyrici Orientalis Præfecti jus tranſcriptæ ſunt Macedonia, & Dacia, in

iiſque

iisque Provinciæ omnino 11; ideſt Provinciæ Macedoniæ 6, Achaja, Macedonia, Creta, Theſſalia, Epirus vetus, & Epirus nova, cum parte Macedoniæ Salutaris; Provinciæ Daciæ 5, Dacia Mediterranea, Dacia Ripenſis, Mœſia prima, Dardania, Pævalitana, & pars Macedoniæ Salutaris. Totius Illyrici, quum adhuc indiviſum erat, Metropolis Sirmium fuit, ſicuti paullo ſuperius jam innui: quo diviſo, Orientalis Illyrici caput ordine quidem Civili Theſſalonica eſſe cœpit, quæ in Eccleſiaſtica diſpoſitione caput erat, manſitque totius Illyrici: donec Theſſalonicenſis Epiſcopi jura, viceſque Apoſtolicæ Sedis ad Juſtiniani Imperatoris preces in Acridam patriam ipſius nomine Juſtinianopolim, ſeu Juſtinianam primam nuncupatam Vigilius tranſtulit, uti liquet ex Novel. 131; & S. Gregorius in epiſt. ad Johannem primæ Juſtinianæ Epiſcopum 23. lib. 2. indict. x, & in epiſt. 22. ad Illyrici Epiſcopos confirmavit. Quæ quidem jura primæ Juſtinianæ Præſuli integra manſerunt uſque ad ſæculi VII. exitum, quo Illyrico a Bulgaris, tum Barbaris, Ethniciſque occupato, Theſſalonicenſis Eccleſia everſa, extinctaque eſt, habita poſthac, quum nempe illi Chriſto nomen dediſſent, ſuo aliquando loco, proque Metropoli Acrida, ſed ejus ſubinde in prærogativas ſuffecta Eccleſia Trinovitana eſt, ſicuti ſuperius eſt dictum. Ab initio Illyricum Romanæ Eccleſiæ Patriarchali jure obnoxium fuiſſe non obſcure indicant Egeſippus apud Euſebium lib. 4. cap. 22, perhibens ſe Romam navigantem ſocium habuiſſe Primum Corinthiorum Præſulem, virum rectæ fidei retinentiſſimum, qui illuc ob negotia Eccleſiæ ſuæ urgentiſſima contendebat; & S. Dionyſius Corinthius apud Euſebium lib. 4. cap. 23. ſcribens in Eccleſia ſua epiſtolas, ſive S. Clementis, ſive S. Soteris legi ob reverentiam conſueviſſe. Hinc Occidentales inter Epiſcopos, qui nempe ceu Patriarchæ Romano Pontifici erant obnoxii, recenſentur a S. Athanaſio in apolog. Heremmius Theſſalon., in Concilio Conſtantinopolit. I. Aſcholius Theſſalon., & Anemius Sirmienſis; & a S. Baſilio in epiſt. ad Occid. nonnulli Illyrici Epiſcopi. De intentatis a Conſtantinopolit. Epiſcopis in Illyrici Diœceſim, præſertim ab Acacio, Johanne Jejunatore, & Epiphanio; deque tandem per vim tranſcripto Illyrico in jus Conſtantinopol. Epiſcopi a Leone Iſau-

rico

rico, vindicato vero a S. Nicolao I, Hadriano II, Johanne VIII, & Innocentio III. abunde dictum eſtalibi. De Vicariis vero Apoſtolicæ Sedis conſtitutis Theſſalonicenſibus Antiſtitibus paullo poſt inſtituetur ſermo.

Jam ad Provinciarum Illyrici Metropoles excurrendo, Macedoniæ primæ Theſſalonica Metropolis, cui ordine Eccleſiaſtico, uti diximus, totum Illyricum erat obnoxium. Macedoniæ ſecundæ, ſive ſalutaris a prima diviſæ ſub Theodoſio Juniore, ut fert Notitia Hieroclis eo tempore florentis, ordine civili Philippis nondum erat Metropolis, imo ordine Eccleſiaſtico Theſſalonicenſi ſubjacebat, quæ demum, quum diſſectum in Orientale, & Occidentale Illyricum eſt, in Metropolim evaſit. Theſſaliæ ordine civili primaria Urbs a priſca ætate Lariſſa, olim Argos dicta, erat, quæ longo poſt tempore in Metropolim Eccleſiaſticam aſſurrexit, ut legere eſt apud Chryſanthum Patriarcham Hieroſolymit. in ſua Eccleſiæ Orientis notitia, ejuſque Metropolita in epiſt. S. Gregorii M. ad Epiſcopos Illyrici infimum poſt Theſſalonicenſem, Dyrrachinum, Nicopolitanum, ac primæ Juſtinianæ locum occupat. Epiri, quæ olim una Provincia erat, Metropolis erat Nicopolis, cujus Metropolitica jura ſæculo IX. Naupactum, hodie Lepantum, ſunt translata, ut habetur in Notitia Philippi Cyprii Metropolitæ, apud Lequiennium Orient. Chriſt. tom. 2. Diviſa Epiro in veterem, & novam, veteris aliquandiu caput manſit Nicopolis, cujus jura, ut mox innuimus, Metropolitica in Naupactum ſunt tranſcripta. Obſervatu dignum, quod de Soterico Nicopolitano ſcripſit Honorius I. ad Epiſcopos Epiri veteris: nempe illum nonnullorum criminum incuſatum Romam veniſſe, ſeque ab impacta calumnia apud S. Petrum expurgaſſe. Ab ſe perinde Pallium Hippatio in Nicopolitanum Metropolitam, loco Soterici neci traditi, electo minime dandum, donec Hippatius Romam adveniens ſacramento jurisjurandi ſe ab illius cæde immunem exhiberet. Helladis Provinciæ caput Corinthus erat, tandiuque manſit, quandiu Illyricum Patriarchatui Romano ſubjacuit: quum vero a Conſtantinopolit. Patriarchis invaſum Illyricum eſt, Corinthii Metropolitæ jura coarctata valde ſunt, ut liquet ex Notitia Chryſanthi, & Thomæ Smith in lib. de Eccleſ. Orient.

Orient. hodierno ſtatu. Ad hæc in Hellade Atticæ Regionis Metropolis Athenæ erant, ſed quod civiles dumtaxat ad res ſpectaret, nam quod divinas attinebat, Corinthius Metropolita Athenis jura exercebat; ut habetur in Notitia Hieroclis. Circa Photii tempus tandem Athenæ Metropolitica dignitate adauctæ ſunt, ut habetur in Notitiis Leonis Sapientis, Martini Cruſii lib. 4. Turco-Græciæ, & Thomæ Smith de ſtatu hodierno Eccleſ. Orient. Obiter obſervandum a Nicolao Comneno Papadopoli in prænotionibus myſtagog. reſp. 6. lect. 7. Nicolaum Athenienſem Metropolitam circa Sæculi XII. medium commendari ab ejus divini Officii expoſitione, in qua inter alia declarat loca, in quibus olim Confeſſiones excipiebantur, dicta fuiſſe *Martyria*. Quod obſervaſſe juvat ad dignoſcenda antiqua monumenta, ex quibus invictum pro dogmate confeſſionis auricularis contra Novatores deduci argumentum poteſt.

Denique pleræque in Hellade Urbes ad Metropolim evectæ ab Imperatoribus Græcis leguntur in Notitiis mox memoratis; cujuſmodi Patræ, Nauplium, Lacedæmon, antiquitus Sparta, Thebæ, quæ Sidæ Metropolis jura obtinuere. Monembaſia etiam, quam a Mauritio Imperat. ab Corinthiacæ Eccleſiæ jure exemptam Metropolitica dignitate decoratam refert Gregorius Phranza, lib. 3. cap. 24; eamdemque dignitatem ei confirmatam ab Alexio Comneno, & Andronico Palæologo ſubdens: quem tamen in eo falli oſtendit Lequiennius, quod a Mauritio Imperatore refert Monembaſiæ Eccleſiam ad Metropolim evectam ex Notitia Leonis Sapientis, in qua hoc Metropolis nomine Monembaſia minime audit. Epiri novæ a Theodoſio M. Provinciam inſtitutam perhibet Johannes Malalas in Chron. pag. 43 Metropolim vero conſtitutam Epidamnum, nunc Dyrrachium. Ita etiam habet Notitia Hieroclis. Paulum Angelum Dyrrachinum Metropolitam, ob egregium, quo erga Romanam Eccleſiam, erat affectus, animum a Pio II. Collegio Cardinalium aggregatum refert Ciaconius in hiſt. Cardinalium. Cretæ Inſulæ caput Gortyna eſt in Notitia Hieroclis. Extat apud Raynaldum ad an. 1439. n. 11. epiſt. ab Eugenio IV. exarata ad Cretenſes, qua ſignificat ſe Legatum, qui ipſos ad unionem Florentiæ ſancitam amplexandam, fovendamque ad-

hortaretur, mittere, quem Phantinum legit Raynaldus, ſed legendum Paiſium ex Gregorio Scholario in epiſt. 15. ad Marcum Epheſinum veriſimilius conjicit Lequiennius. Prævalitanæ Provinciæ Metropolis Scodra, hodie Scutari præcipua Albaniæ Urbs aliquando fuit: antea in Notitia Leonis Sapientis ſub Dyrrachino Metropolita erat, idque etiam liquet ex S. Gregorio epiſt. 5. lib. 8. indict. 1. ad Illyrici Metropolitas. Poſthæc Scodra vaſtata, Metropolis in locum ſucceſſit Dioclea, cui ſubmiſſa Eccleſia Scodrenſis: nunc autem Scodra Antibarenſi Archiepiſcopo ſubeſt. Raguſino a Benedicto V. ad Metropolicam dignitatem evecto Epiſcopo Scodrenſis Eccleſia ſubjecta eſt. Sed & Dioclenſem, & Antibarenſem Eccleſias in unam colaniſſe Sæculo XI. patet ex Alexandri II. epiſtola ad Petrum Archiepiſcopum Diocleenſis, & Antibarenſis Eccleſiæ, cui Pallium mittit, juraque impertit exercenda per Sclavoniam, & Dalmatiam, apud Baronium ad ann. 1062. n. 114. eam ex fragmentis Antonii Auguſtini referentem.

Daciæ Mediterraneæ Metropolis Sardica, quæ nunc Turcis Sophia eſt, ac Bulgaricæ Diœceſis caput. Bonoſum Sardicenſem Helvidianæ hæreſis patronum a S. Damaſo P. M., ut quidam putant, ſed verius a S. Siricio, ejuſque juſſu a Capuenſi Synodo damnatum alibi diximus. Felici Sardicenſi imperaſſe, ut Johanni primæ Juſtinianæ Epiſcopo Apoſtolicæ Sedis Vicario obtemperaret, legitur S. Gregorius M. in epiſt. ad ipſum exarata. In Dardania antea, & poſtquam fuiſset a Bulgaris occupata, Metropolis habita eſt Scupis, ut habet Notitia Hieroclis. Poſtea a Bulgaris Regni Metropoli deſignata Acrida, Acridenſi Metropolitæ ſubjectus ivit Scopenſis, hodie in Servia Epiſcopus. Serviæ vero, quæ & Raſcia nuncupata aliquando eſt, caput Pecium, cujus quidem Antiſtites ab eo ferme tempore, quo gens Chriſto nomen dedit, excuſoque Græcorum jugo ſeſe in libertatem aſſerens, ſui cœpit juris eſſe, ſe quoque a Conſtantinopolit. Patriarchæ juriſdictione fecit immunem. Poſthinc magis ad Romani Pontificis obedientiam acceſſere, exemplo ſuo præuntibus Serviæ Principibus, ſive Deſpotis, uti ſolent dici: nam Stephanus Deſpota litteris ad Innocentium III. nuncupatis Romanam Eccleſiam impenſe colendam ſuſcepit; & in litteris ad Honorium III, quas

recitat

recitat Raynaldus ad an. 1220. n. 37, fidem illi ſuam omnem obſtrinxit. Exinde factum, ut invidia percitus Conſtantinopolit. Patriarcha Arſenius, recuperata a Græcis Conſtantinopoli anno 1261, Serviæ Diœceſim a Romana averteret, utque non ſecus ac Acridenſem in Bulgaria, ita Pacienſem in Servia Archiepiſcopos impoſterum ſui juris eſſe indulgeret. Quin imo antea Nicolaus Patriarcha Conſtantinopolit. ritus latini Sabbæ Stephani Deſpotæ filio Pecienſi Metropolitæ ſuas in Illyricum univerſum vices concrediderat. Anno 1308. Uroſcus Serviæ Rex, (Reges Serviæ Deſpotas dici conceſſerat an. 1187. Fridericus Imperator), Clementi V. litteris inſcriptis ſe fidei ipſius permiſit: finxit hæc, perque fraudem fecit, nam Pontifici infenſum hoſtem ſe præbuit. Sincerius egit Stephanus item Rex Serviæ, nam gentem ad Romanæ Eccleſiæ fidem reducere pro virili parte, fategit: quam ut procuraret pariter, Johannicio Serviæ Metropolitæ littetas dedit Innocentius VI, quas refert ad annum 1354. Wadingus.

Poſthæc ad Patriarchatus Alexandrini Diœceſes me conferens, obſervo olim ordine Civili Provinciam Ægypti poſt Aſianam Proconſularem, & Orientis Diœceſim, cujus caput Antiochia, tertium obtinuiſſe locum, cujus Præfectus Auguſtalis, utpote, qui Auguſtorum, non Romani Senatus, nomine eam curaret, denominatus, Præfectos alios poſtibat. Præterea Libyam Cyrenaicam in Provinciam redactam Cretæ Inſulæ adminiſtratori Auguſtus adjecit, ideoque Cyrenes Præſes Ægypti Prætorio Præfecto non erat ſubjectus, ita teſtantur Strabo lib. 17, Dio lib. 51, & Ammianus Marcellinus lib. 22. cap. 16. Rurſus Tanneos Ægypti totius caput, & Pharaonum, ſive Regum Metropolis fuerat. Poſt celebris habebatur Memphis, cujus perinde in Scripturis eſt clarum nomen. Thebe etiam priſcis Ægypti Regibus Sedes erat, quæ poſtea Dioſpolis dicta, atque Ptolemaidi Metropolitæ obnoxia: at ordine Eccleſiaſtico Alexandria olim Orienti anteibat, atque Alexandrino Patriarchæ ab ævo Cyrenes erat obnoxia. Tres ſubinde in Provincias Ægyptus diſſecta eſt; Ægyptum, Thebaidem, & Libyam: duæ acceſſere deinde Auguſtamnica, & Pentapolis, ab Ægypto illa, iſta a Libya diſcretæ. Ad novenarium perinde numerum excrevit partitio, ut exinde denominari cœperint

rint Ægyptus prima, & ſecunda; Auguſtamnica prima, & ſecunda; Arcadia, Thebais inferior, & ſuperior; Libya ſuperior, & inferior: atque tum demum Cyrenes in Præfecti Ægypti poteſtatem tranſcripta eſt, ſicut habet Hieroclis Notitia. Acceſſit deinde Æthiopia, ſive Abyſſinia, non quidem Aſiatica illa media inter Orientalem Indiam, & Parthiam, uti perperam nonnulli putarunt, ſed Africana, quæ Ægypto ad Auſtrum exiſtit. Nimirum Abyſſinis, ſive Æthiopibus a S. Athanaſio ordinatus Epiſcopus S. Frumentius Regionem equidem ad ſacra Chriſtianorum perduxit, ipſe vero, ſucceſſoreſque Patriarchæ Alexandrino ſubinde eſſe ſubjecti cœperunt. Adeundi Rufinus lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 9, Socrates lib. 1. cap. 19, & Sozomenus lib. 2. cap. 24. Porro Æthiopum genti adnumerandi Axumitæ, qui aliis Exumitæ, nec non Homeritæ, ſive Indi Aſiatici ſinus Arabici maritimas oras incolentes, quos miſſus illò a Demetrio Alexandrino Panthænus ſacris noſtris initiatos Alexandrinæ Eccleſiæ ſubjecit. Legendi Theophanes ad annum 16. Juſtiniani I. Imperat., S. Hieronymus in Catalog., & Dionyſius Patriarcha Jacobitar. in Chronic. apud Aſſemanum Bibl. Oriental. tom. 1. pag. 381. Eumdem in cenſum venit Eccleſia Nubiæ, ſive Nigritiæ, ſive inferioris Æthiopiæ, unde Cophti auditi ſunt, jampridem Jacobitæ ad unum omnes, de quibus agunt Eutychius Alexandr. in Originib. tom. 2. pag. 386, & Michael Vanslebius in hiſt. Eccleſ. Alexandr. Ante hos vero Chriſto nomen dederant Iſmaelitæ ſubMavia Regina in Arabia circa annum 377, a qua Moyſes quidam in finibus Ægypti, & Palæſtinæ Monachum agens poſtulatus in Epiſcopum, a Lucio quidem viro Ariano tum Alexandrinæ Eccleſiæ incubante ordinari renuit, bene vero a S. Petro Alexandrino, poſtquam hunc Roma regreſſum a S. Damaſo Papa communionis litteras, quibus & ipſius Moyſis fides, & Petri ordinatio confirmabatur, retuliſſe intellexit. Agunt de his Socrates lib. 4. cap. 36, Sozomenus lib. 6. cap. 38, & Theodoretus lib. 4. cap. 23: ex nuperis vero Renaudotius in diſſert. de Patriarch. Alexandr., & Lequiennius Orient. Chriſt. tom. 2. de Patriarch. Alexandr. num. 55. Ex quo Ægyptus in Arabum poteſtatem venit, quod contigit circa annum Chriſti 633, per annos 97. circi-

circiter Alexandrinum Patriarcham orthodoxum fuiſſe omnino neminem, ſed ad unum omnes Jacobitas: primum vero, qui ex Melchitis Catholicis Alexandriæ Patriarcha inauguratus fuerit, fuiſſe Coſmam an. 730. creatum, qui vixit ad annum 767, cujuſque celebris eſt ad S. Paulum I. P. M. Synodica, cujus meminit Hadrianus I. in apolog. pro Nicæna II. Synodo ad Carolum M., ex Eutychio, & Elmacino arguit Renaudotius in hiſt. Patriarch. Alexandr. a pag. 205. Verumtamen viri doctiſſ. conjecturam elevatam a Kirchero, Papebrochio, & Sollerio alio in loco indicavimus. Immutata nonnihil eſt tamen ſæculo VIII. Alexandrinæ Diœceſis Eccleſiaſtica diſpoſitio: nam hos habet Eutychius in Origin. apud Beveregium Metropolitas, Mareotidis, Miſræ, ſeu Cahiræ, Barcæ, Pentapolis Africanæ, Sindiæ, Indiæ, Habeſſiæ, ſive Abyſſiniæ, Almaris, Nubiæ, Pharmæ, Tinnis, Libyæ, & Damiatæ. Nilus vero Doxopatrius in Notitia præter Abyſſiniam, Indiam, & Nubiam, numerat Peluſium, Leontopolim, Oxyrinchum, Ptolemaidem, Darium, Maricum, & Tonæſim.

Quibus præmiſſis jam compendio ſubjungendæ, indicandæque Alexandrino Patriarchæ obnoxiæ Metropoles, quæ nonniſi multa poſt tempora obtinuerunt: quandoquidem antiquitus in tota Diœceſi Alexandrina unus Metropoliticis juribus utebatur Alexandr. Patriarcha. In his igitur Ægypti primæ Provinciæ, ſive inferioris Metropolis eſt Hermopolis, Liberato teſte Brev. cap. 8: commendata ex eo evaſit Civitas, quod exinde Monaſticus Ordo in Nitria propagatus ortum ſuum protraxerit: de quo legendi Palladius in hiſt. Lauſiaca, Socrates lib. 4. cap. 23, & Sozomenus lib. 1. cap. 14. de S. Ammone Nitriæ Monachorum inſtitutore agentes. Auguſtamnicæ primæ caput Peluſium ad Orientale Nili oſtium poſitum, quæ nunc Damiata dicitur. Auguſtamnicæ ſecundæ primaria Urbs Leontopolis, cui præ aliis obnoxia Babylon Ægyptiaca eſt, quæ Cahira poſtea Soldanorum Ægypti ſedes appellata, hodie Miſra audit. Non confundendum cum hac caput Bab-el-Mandel in ſinu Arabico: nam lingua Arabica non Urbs, ſed ventus teterrimus venit. Arcadiæ, ſive Heptanomis caput Oxyrinchum in Thebaide, Urbs Monachorum incolatu celeberrima, teſte Rufino in vitis Patrum cap. 5. Thebaidis

pri-

primæ ad Orientalem Nili partem Urbs princeps Antinoes, quæ nunc Insfine, Vanslebio teſte, vocatur: quamquam Ammiano Marcellino lib. 22. Metropolis Thebaidis hodie Aſchumin habita olim ſit: quinimo apud S. Epiphanium hæreſ. 68. Lycopolis primum poſt Alexandrinum locum habuerit. Thebaidis ſecundæ caput Thinis, poſtea dicta Ptolemaides, cui inter alias obnoxia eſt Coptos Nilo proxima Civitas, unde Cophtorum celebre nomen exortum nonnemo exiſtimat. Libyæ Pentapolis caput Sozyſæ, quibus obnoxia Cyrenes celebris alioquin in Act. Apoſtolor. Urbs: Berenices etiam Heſperidis nomine vulgatiſſima Civitas. Libyæ ſecundæ, ſeu Marmaricæ, ideſt ad maris oram poſitæ, Metropolis eſt Darnis, ſive Dardanides, quam tamen olim pertinuiſſe ad Pentapolim, ſive Libyam primam ex epiſt. 67. Sineſii ad Theophilum Alexand. adparet. Æthiopiæ Africanæ, ſive Abyſſiniæ Metropolis Axuma, unde Æthiopes, ſeu Abyſſini etiam Axumitæ nuncupati ſunt, cujus Metropolitam Alexandrino obnoxium omnino voluit Canon 42. Nicæno-Arabicus; ideoque nonniſi Alexandrini Patriarchæ vice, & nomine Axumita Epiſcopus, Catholicus exinde dictus, Æthiopicam Eccleſiam adminiſtraret, ut obſervavit vir clariſſ. Renaudotius in Diatrib. de Patriarch. Alexandr. Gondari hodie Æthiopiæ primaria habetur Civitas. In Nubia Metropolis eſt Dunkala, quæ Patriarchæ Alexandrino pariter paret, perinde atque morem gerunt Homeritæ, olim Sabæi Arabiæ felicis meridianam oram circa Erytrei fauces inhabitantes, quorum quidem Metropolis Civilis Nagra, Eccleſiaſtica vero Tiphar. Sequiori ætate Homeritæ abdicata Alexandrino obedientia, ac ab Jacobitis abſcedentes, Neſtorianis adhæſerunt, ſeque ipſorum Catholico Seleucienſi ſubmiſerunt. Sæculo VII. Presbyter quidam Nagranenſis Neſtorianus a Catholico Seleucienſi ad Chriſtianorum res in Sinis curandas miſſus legitur. Videſis Bibl. Orient. tom. 2. pag. 418. clariſſ. Joſephi Simonii Aſſemani. Sed & eidem Seleucienſi Catholico primas ſupra Catholicum Æthiopiæ defert Canon 42. Arabicus, de quo paullo ſuperius: a Seleucienſi autem illo Patriarcha res Neſtorianorum in Perſide, & Indiis, quæ Orientem verſus exporriguntur, hodiedum procurantur.

Pa-

Patriarchatum Antiochenum quod pertinet, caput in eo erigit Antiochia in Syria, quæ totius Orientis principatum ea potiori ratione obtinuit, quod S. Petrus perſemet eam inſtituerit, & aliquando primus adminiſtrarit, quam ob civicam ſuam amplitudinem, & magnificentiam, veluti ſcripſit ad Alexandrum Antioch. S. Innocentius I. Quod ad ejus Diœceſis amplitudinem attinet, olim ſicuti Syriam omnem, & Phœniciam, ita etiam Ciliciam ſibi ſubjectam unus Patriarcha Antiochenus curabat, ut liquet ex Act. Apoſt. in epiſt. Synod. Concilii Hieroſolymit.; non jam quod Cilicia Præfecto Civili Syriæ pareret, ſed quod Paulus Antiochiæ degens Ciliciæ rebus curandis Apoſtolicos viros dederit. Præter has Provincias, alias Patriarchæ Antiocheno obnoxias enarrat Johannes Antiochenus in ſua ſynodica, Phœniciam maritimam, Phœniciam mediterraneam, cujus civilis Metropolis Emeſa in notitia Hieroclis, Eccleſiaſtica vero Damaſcus; Ciliciam utramque, Arabiam, Meſopotamiam, Oſroenam, Euphrateſiam, & Iſauriam. Perſidem præterea ſub Antiocheni Patriarchæ poteſtate degiſſe innuunt Canones Nicæno-Arabici 33, & 35; & Johannes Antiochenus in conteſtatione ſua ad Theodoſium Juniorem adv. S. Cyrillum. Verum ſæculo X. ineunte jam nulla erat Perſarum ab Antiocheno dependentia, ſed Archiepiſcopus Seleuciæ, & Cteſiphontis pleno jure potiebatur. Videſis Aſſemanum tom. 2. Bibl. Orient.. Perinde Meſopotamienſis Provincia eodem forme tempore ab Antiocheno ſe in libertatem aſſeruit, ut conjicere eſt ex ſerie Metropolitanorum ad calcem de Ordinat. a Johanne Morino adjecta. Ad hæc, quum Syro-Phœnices, ſive Montis Libani incolæ Maronitæ hæreſi Monophyſitarum infecti Patriarcham ſibi ab Antiocheno immunem inauguraſſent, ſe ſeque poſtea Romanæ Eccleſiæ dedidiſſent, a Romanis Pontificibus de eorum integra fide certioribus factis impoſterum Patriarchæ ſibi proprio ſubdi impetrarunt. Præterea qui Jacobitarum erroribus ejuratis Romanæ Eccleſiæ adjuncti Syri deinde ſunt, a Patriarcha Damaſceno ſejuncti, Aleppum ſe recipientes peculiarem ſibi Patriarcham a Romanis Pontificibus præfici obtinuerunt: exinde factum, ut alter Damaſci, alter Aleppi Patriarcha audire cœperit. Agunt de his copioſe Martinus

nus Cruſius Turco-Græciæ lib. 4, & Michael Lequiennius Orient. Chriſt. tom. 2. de Patriarch. Antiochen., nec non Eduardus Bernardus, Humphredus Hodius Anglus in proleg. ad Chronicon Johannis Malalæ, & Aſſemanus in bibl. Oriental. In his Euthymius Damaſcenus Patriarcha Romanæ Eccleſiæ communioni addictus, Aleppum declinandæ Turcarum tyrannidis cauſſa ſecedens, Damaſci ſuo loco Eutychium Patriarcham conſtituit. Anno 1627. ad Urbanum VIII. Pontificem M. litteris exaratis obſequio cumulatiſſimis ſignificavit Melchior Aleppienſis Metropolita ſe, ſuoſque a P. Pacifico a Provinio Cappuccino Miſſionario, ejuſque ſociis eo adductos, ut vehementer cum Romana Eccleſia in fidei unitatem coaleſcere deſiderarent: legere has litteras eſt tom. 7. Bullarii Cappuccinorum pag. 298. In Theatro Turciæ art. 10. §. 1. habetur item Andream Jacobitarum Aleppi commorantium Archiepiſcopum Pontifici Alexandro VII. fidei ſuæ profeſſionem apprime catholicam nuncupaſſe. Athanaſium præterea, qui anno 1724. Antiochenæ præerat Eccleſiæ, Sedemque habuit mox Aleppi, mox Damaſci, erga Romanam Eccleſiam animo optime affectum perhibet Cl. Joſephus Aſſemanus in epiſt. Bibl. Orient. ad Clementem XI. nuncupatoria. Denique, qui circa an. 1725. Damaſci Patriarcha Antiochenus agebat, Cyrillus Romani Pontificis communionem confovit, locuſque illi confirmatus eſt, ideoque apud ſchiſmaticos invidia laborans excedere, ac Libanum petere coactus fuit.

Diœceſis Orientis in decem Provincias diviſa, deinde in 15. fuit: utramque vero diviſionem Conſtantino M. tribuunt nonnulli, ſed perperam: nam prima illa diviſio in 10. Provincias, quæ habetur in Notitia Imperii ex antiquiſſimo Codice a Schleſtratio tom. 2. antiq. Eccleſ. illuſtr. in append. ad opus Geograph. §. 10. deſcripta, & a Noriſio diſſert. 4. de Epochis Syro-Maced. cap. 1. commemorata, longe Conſtantini Imper. ætate poſterior eſt, neque tempus aut Theodoſii M., ut cenſet idem Noriſius, aut potius Honorii Imperat., ut vult Pagius ad annum 401. n. 32, & ſeq., ſuperat: ſiquidem ea in Notitia numerantur 7. Provinciæ Galliarum, quæ antea 5. dumtaxat erant, quibus 2. a Petronio Præfecto Galliarum adjectæ circa annum 418, quo Conſtitutione edita

e dita Honorius harum 7. Provinciarum veteris Galliæ Narbonenſis meminit. Igitur ſub Theodoſio, vel potius Honorio Orientis Diœceſes 10. audiri cœperunt, 1. Syria Ciliciæ, 2. Syria Palæſtinæ, 3. Syria Phœniciæ, 4. Iſauria, 5. Cilicia juxta Taurum, 6. Cyprus, 7. Meſopotamia inter Tigrim, & Euphratem, 8. Euphrateſia, 9. Oſdroene, & 10. Sophene. Deinde Syria diviſa in Maritimam, cujus Metropolis Antiochia, & Salutarem, cujus Metropolis Apamea. Phœnicia diviſa in primam ad Mare, cujus princeps Tyrus; & ſecundam ad Libanum, cujus caput Damaſcus. Cilicia diviſa in Ciliciam primam, ſive Aſperam, in qua Tarſus, & Ciliciam ſecundam, ſive Campeſtrem, in qua Anazarbus. Palæſtina tandem in 3. Provincias, Maritimam primam, in qua Cæſarea, Salutarem ſecundam, in qua Elia, ſive Jeruſalem, & Palæſtinam tertiam, in qua Scythopolis, locum 15. Provinciis Orientis Diœceſis dederunt. Hæc diviſio 15. Provinciarum Noriſio differt. 2. de Epoch. Syro-Maced. cap. 3. ſub Arcadio contigiſſe videtur; Pagio loc. cit., & Blanco tom. 4. lib. 2. cap. 1. §. 6. verius ſub Theodoſio Juniori: ſiquidem ex Notitia Imperii liquet ſub Arcadio in Orientis Diœceſi nonniſi 10. Provincias deſcriptas fuiſſe, nuncupataſque.

Jam vero Orientis Diœceſis, ſive Antiochenæ prima Provincia eſt Syria prima, cujus Metropolis Seleucia Pieria, denominata a Monte Pierio, cui cohæret, ſive Seleucia ad Mare, cui eſt contermina, ſive etiam Seleucia Syriæ, cujus ſæpe in actis Conciliorum occurrit mentio, ut in Synodo anno 359. Seleuciæ in Iſauria, & in Synodo Chalced. act. 6. Ei obnoxia olim erat Berrhæa, quæ nunc Metropolitæ, qui imo Patriarcha modo inſcribitur, dignitate illuſtrata eſt, nomineque celebri Aleppi degit. Obnoxia etiam Laodicea, quamvis jam ſub Septimio Severo in Civilium Metropolum cenſum veniſſet, & poſtea a Juſtiniano circa ſæculi VI. medium Provinciæ Theodoriadis, a Theodoro Auguſto nuncupatæ, Metropolis dignitate fuerit adaucta, ut auctor eſt Johannes Malalas in Chron. in Juſtiniano pag. 183. Non negaverim tamen eam ſubinde in Metropolim Eccleſiaſticam ſimiliter evaſiſſe, ut conjicere eſt ex litteris Leonis Imperat. ad Orientis Metropolitas de nece S. Proterii Alexand., apud Harduinum

tom. 2. pag. 690, inter quos Laodicænus locum habet. Phœniciæ primæ Metropolis Tyrus celeberrima in S. Scripturis Civitas: Metropolim effectam ab Hadriano Imperat. refert Suidas in *Paulo Tyrio*: Merropolim Ecclesiasticam, ac primo quidem post Antiochenam loco in Ecclesiis habitam, iccirco quod a S. Petro dum Antiochiam properaret, fuerit institnta, fert Auctor gestorum S. Petri sub nomine S. Clementis. Tyro subjecta erat Berytus: Beryti Episcopus, dum esset Eustarhius, a Theodosio Juniore impetrarat, ut Metropolis efficeretur; quocirca Episcopos, quos Photius Tyri Metropolira ordinaverat in Ecclesiis ab Imperatore Beryto submissis, gradu dejici, ac ad Presbyterorum ordinem redigi in Synodo Constanrinopolit. sub Anatolio Eustathius curaverat. Verum re ad Concilium Chalcedonense a Photio revocata, decreta in Synodo Constantinopolit. rescissa sunt, atque Can. 12. Tyri Metropolitæ in Phœniciam omnem prima jura integra manere jussa. Phœniciæ secundæ primaria Urbs Damascus, quæ priscis Syriæ Regibus sedes fuit, quam postea Antiochiam rranstulerunt, quæque post Tyrum tertium ab Antiocheno Patriarcha locum habuisse legitur in epist. Johannis Antioch. ad Proclum Constantinopolir. inserra Tragœdiæ Irenæi cap. 197. Porro jure Civili anriquissimo Metropolis fuit Damascus sub Commodo, Caracalla, & Gordiano Imperatoribus, ut liquet ex ipsorum Numismatibus: sed eadem Civili dispositione Metropoles fuerunt Emesa, & Laodicæa ad Libanum, ut habent Hieroclis Notitia, & Chronicon Johannis Malalæ in *Theodosio Seniore* pag. 31, imo veteres Nummi Eleogabali: nihilosecius Ecclesiæ Damascenæ ex obnoxiæ erant. Sed & Damasco subjecta erat Palmyra Urbs cæreroqui Palmyreni Regni in confinio deserti Arabiæ Metropolis celeberrima. Arabiæ Metropolis Bostra legitur in Notitiis Hieroclis, & Leonis Sapientis. Arabiam deinde a Justiniano Imperat., Vigilii Papæ accedente consensu, ab Antiocheno Patriarcharu avulsam Palæstinæ adjectam fuisse refert Guillelmus Tyrius lib. 14. de bello sacro cap. 14. Id certe ex actis Synodi Later. sub S. Martino I. confirmatur; nam Johannes Philadelphiensis, quæ plane Arabiæ Urbs est, a Pontifice vices procurandas in Ecclesiis Antiochena, & Palæstina accepit.

Cili-

Ciliciæ primæ Metropolis Tarſus privilegiis Romanorum Civium propriis a Julio, & Octaviano Imperat. adaucta, ut Dio teſtatur lib. 47, ut exinde Civem Romanum, qui eadem ortum traxerat S. Paulus ſe nuncuparit. Ciliciæ ſecundæ Metropolis conſtituta a Theodoſio Juniore eſt Anazarbus, teſte Johanne Malala in Chron., quæ pariter in Eccleſiaſticam poſtea Metropolim evaſit. Syriæ ſecundæ, ſeu Salutaris caput Apamea ab eodem Theodoſio Imperat. Metropolitica dignitate illuſtrata, quæ perinde in Eccleſiaſticarum Metropolum cenſum adnumerata eſt, ut ex act. 5. Synodi Conſtantinopolit. ſub Menna adparet. Euphratenſis Provinciæ ab Euphrate, quo terminatur, appellatæ, quæque olim Comagena a Romanis nuncupata eſt, teſte Ammiano Marcellino lib. 14. cap. 26, nec non Euphrarenſis Auguſta de Auguſti Cæſar s nomine in geſtis Concilior. cognominata, Metropolis erat Hierapolis, cui ſequiori ætate ſubjecta eſt Samoſata, quæ cæteroqui Plinio, & Straboni Comagenæ Provinciæ caput erat. Oſroenæ Metropolis Edeſſa, olim Arach dicta apud Aſſemanum tom. 2. Bibl. Orient. in Arabia conſita. Celebre eſt in actis Concilii Epheſini Rabulæ Edeſſeni nomen: ejuſque adverſus Theodorum Mopſveſtenum, nec non Acacii Melitenenſis litteræ ad Armenos exrant. Meſopotamiæ, quam a Trajano Imperatore ab Oſroena ſejunctam tradit Johannes Malalas in Chron., ab eodem Metropolim conſtitutam Antidam aſſerit. Nihilominus in diſpoſitione Eccleſiaſtica antiquitus Metropolis Amida non erat, ut ex actis Concilii Nicæni conſtat: ex Theophane in Chron. ad annum 4. Conſtantii Imperatoris, & Theodoreto epiſt. 3, nec non ex act. 6. Concil. Chalcedon. conjicere eſt jam tum Amidam Metropoles adcenſitam inter Eccleſiaſticas. Subinde in Amida ſedem defixere ab ſæculo IX, quo Monophyſitæ in Oriente maxime invaluerunt, ad ſæcul. XII. Patriarchæ Jacobitarum: donec Michael eorumdem Patriarcha *Magnus* dictus anno 1176. Marden migravit. Iſauriæ Metropolis Seleucia. Iſauria ſub Nicænæ Synodi tempus ſingularis a Pamphylia Provincia non erat, nam in Indice permixtim leguntur Iſauriæ, & Licaoniæ Epiſcopi. Subinde a Pamphylia diviſa Iſauria, eique adjecta ex parte Cilicia, Provinciæ caput evaſit Seleucia, quæ Ciliciæ jampridem Metro-

polis erat. Demum a Leone Iſaurico Iconomacho Iſauria ab Antiochenæ ſubjectione ſubducta, Conſtantinopolitanæ adjecta eſt; non ſecus, atque Siciliæ, & Illyrici Eccleſiæ a Romana abſtractæ Conſtantinopolitanæ ab eodem fuerant adſtipulatæ.

Cypri Inſula ab Hadriani Imperatoris ætate, & deinceps in Notitiis Imperii Orientis Diœceſis, Civilis, ſcilicet, cenſita legitur: id cauſſæ fuit, cur ſemel, atque iterum ſæculo V. Cypri Eccleſiam in jus ſuum tranſcribere Antiocheni Patriarchæ tentaverint: actum de eo jure in Concilio Epheſino, in eoque penes Cyprios victoria ſtetit, ut patet ex act. 7. Inſtaurata lis fuit a Petro Fullone Antiochenæ Sedis pervaſore apud Zenonem Imperat., ſed Anthemius Salaminenſis, ſive Conſtantienſis in Cypro Metropolita Imperatori perſuaſit Cypriam Eccleſiam jugiter ſuo potitam jure. Itaque deinceps Cypriæ Eccleſiæ integra ſua ſtetere jura. Cypri porro primaria Civitas Salamina, ſive Conſtantia, qua demum a Saracenis devaſtata, ac deleta Archiepiſcopi Sedes in vicinam Urbem Arſinoem, Græcis Hammachortum, Latinis Famaguſtam, translata eſt, ſervata tamen impoſterum Conſtantienſis Præſulis nuncupatione. Tandem anno 1191. capta a Latinis Cypro, Regni Caput eſt conſtituta Leucoſia, ſive Nicoſia, olim Ledra; ibique perinde Latinus Archiepiſcopus inauguratus, dum interea Græcis ſuus Famaguſtæ Metropolita non deſiit: exinde ortis inter Metropolitam utrumque de juriſdictione jurgiis, Græcus Latino morem gerere juſſus eſt a Cæleſtino III, & Innocentio III, ac tandem Græci ritus Archiepiſcopus ſublatus ab Alexandro IV. eſt: donec anno 1570. a Turcis occupata Cypro, Græci iterum, qui Cypri manſerant oppido multi, Græcum ſibi Archiepiſcopum, ceu Autocephalum alteri nullo obnoxium, inſtituerunt.

Antiocheno Patriarchæ antiquitus obnoxiæ erant Chaldæa, ac Perſides, cui deinde, ut nimium remotæ, indultum, ut Antiocheni nomine, ac vice tractum illum Orientalem Seleucienſis Archiepiſcopus, dictus propterea Catholicus, adminiſtraret. Conſtat id ex Can. 38, 39, 40, & 42. Nicæno-Arabicis in verſione Echellenſis, qui etſi revera Nicænis non ſint adcenſendi, antiquos tamen eſſe alibi demonſtravimus. Eos a S. Marutha Martyro-

tyropolitano Epiſcopo, qui ſæculo V. florebat, Syriace redditos autumat Aſſemanus, recentius tamen Syriace exaratos, nec ante annum 685. cenſet Renaudotius. Quum vero longe, lateque per Chaldæam, ac Perſidem Neſtoriana hæreſis, præſertim ſub Choſroe Amſcirano, & Choſroe altero cognomento Abruizo, propagata fuiſſet, tum abdicato penitus Antiocheno, proprium ſibi hæretici homines Seleuciæ, ſive Modainæ, deinde Bagdat, conſidentem Patriarcham impoſuerunt. Qui vero ab utraque labe ſive Neſtoriana, ſive Eutychiana integram fidem, immunemque ſervarunt Melchitæ, dicti de Marciani Imper. nomine, a quo Concilium Chalcedon. amplecti fuerant juſſi, ſub Antiocheno Patriarcha degerunt, a quo, qui rem eorum ſacram curaret vice ſua, Catholicus dirigebatur. Duos imo dirigi Catholicos nomine Romagyrim, ſive Choraſaniam, ſive Ariam alterum, qui Orientis catholici tractum a Mari Caſpio uſque Tartariam, Cathajam, & Sinas procuraret; alterum Irenopolim, ſive Babylonem, ſive Bagdat, qui Perſidem, Meſopotamiam, Aſſyriam, Mediam, Babyloniam, & Parthiam adminiſtraret, indicant Petrus Antiochenus in epiſt. circa annum 1050. ad Dominicum Gradenſem exarata, Nilus Doxopatrius ſæculi XII. ſcriptor lib. de Thronis Patriarchal., & Guillelmus Tyrius lib. 4. de bello ſacro cap. 9. Circa medium ſæculum XVI. Chaldæorum Neſtorianorum Diœceſis etiam in duas diſſecta eſt, ea nempe occaſione, qua Siud, ſive Sulacha, Simeon etiam nominatus, Patriarcha Romam ad Julium III. Pontificem M. profectus, ejuratis erroribus, fideique orthodoxæ profeſſione emiſſa, in Patriarcham inaugurari promeruit. Obſervatu vero ſunt digna verba inter alia, quibus Clerici, Monachi, ac Magnates Chaldæorum, qui una convenientes Siud elegerant, ad Julium Papam ſcripſerunt, videlicet priſcis temporibus e Roma, quæ Principis Apoſtolorum eſt Sedes, ad ipſos Sacerdotium derivaſſe: trecentis retro annis Romæ Catholicum ſibi ordinatum Marabam: ab eo tempore intercepto ab Arabibus, ſive Saracenis itinere, Romam adeundi ſibi locum ademptum. Tametſi, ut verum fatear, nonnihil falſo laboret narratio, ſiquidem non a Romano, ſed ab Antiocheno ordinatos, inque Chaldæam miſſos Catholicos certo certior res ſit. Verius narratione illa al-

la alludere videntur ad Canonem Nicæno Arabicum 39, quo in Patriarchas omnes Romani Pontificis aperte poteſtas adſtruitur. Sed & Sulachæ datus ſucceſſor Ebedjeſu Romæ etiam emiſſa profeſſione, apud Raynaldum ad ann. 1562, a Pio IV. conſecratus, non ſecus ac Sulacha in Chaldæam redux in Charamit, ſive Amida, ſive Seert ſedem defixit Romanæ Eccleſiæ deditiſſimus, dum interim Bagdat *Catholicus* alter Neſtorianorum nomine ſedebat. Ab hoc, qui hodie in S. Hermetis Monaſterio prope Durbetam, vulgo Moſulim reſidet, juriſdictio per Chaldæam, Babyloniam, Meſopotamiam, Parthiam, Mediam, Cathajam, & Malabariam uſque ad Indiam extenditur. Alter vero Neſtorianorum Catholicus Ormi in Perſidis montibus ad Armeniæ majoris confinia degens per Aſſyriam tantum auctoritatem exercet. A V. Innocentio XI. Amidæ, ſeu Caramit, ſive Diarbechir Patriarcha orthodoxus conſtitutus eſt, qui rem chriſtianam in Oriente procuraret. Legendi Petrus Strozza de Chaldæor. natione, & eorum Patriarcha, Fauſtus Naironus in Evoplia fidei, & Joſephus Simonius Aſſemanus in præfat. ad Bibliot. Orient.

Raynaldus ad annum 1247. n. 32. refert Makikæ Neſtorianorum Bagdati degentium Catholici litteras a Rabbanara Vicario exaratas, ſubſcriptaſque ab aliis earum partium Epiſcopis, miſſas ad Innocentium IV: num. 43. recitat fidei profeſſionem a Jeſviab Neſtorianorum Niſibis Metropolita, cuique duo Archiepiſcopi, & Epiſcopi tres ſyngraphum adjecerant, ad eumdem Pontificem directam. Ad an. 1228, & 1303. exhibet rurſus epiſtolam una cum profeſſione fidei, quam Jaballaha Bagdati Neſtorianis præfectus Catholicus Nicolao IV, & Benedicto XI. inſcripſit. Petrus Strozza in præfat. ad diſputat. de Chaldæor. dogmat. refert Synodicam, nempe e Synodo Amidæ habita an. 1616, præſente Cuſtode FF. Min. Aleppienſium, ad Paulum V. miſſam ab Elia Bagdati Patriarcha, ſubſcriptamque ab aliis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Gabriele Heſno, Elia Seert, Joſepho Geziræ, Timotheo Jeruſalem, & Amed, Abrahamo Vehdonfores & Ananjeſu Van, qua profeſſione fidei emiſſa Neſtorii errores Romanæ Eccleſiæ adverſos deteſtantur. Michael Lequiennius tom. 2. Orient. Chriſt. de Catholicis Chaldæorum, eorum, qui Simeoni Sulachæ ſucceſſerunt, Catho-

Catholicorum Romanæ Eccleſiæ communione conjunctorum ſeriem, catalogumque texit, ex Aſſemano præſertim, eorum profeſſiones fidei exhibet, atque Provincias enarrat, in quas eorum poteſtas extenditur. In his Simeon Sulacha, Ebedjeſus, de quibus ſuperius. Athalla; Simeon VII, qui Gregorio XIII. obedientiam profeſsus eſt, atque Ormi in montanis Perſidis Urbe Sedem defixit, & a quo Simeonis nomine in hanc diem ſucceſsores dicti ſunt, teſte Aſsemano tom. 3. Bibl. Orient. pag. 622; Simeon VIII, qui an. 1619. ad Paulum V. miſſa profeſſione fidei, paratus ipſe Romam proficiſci una cum P. Thoma Novarienſi Ord. Min. Amidæ Miſſionario; Simeon IX, a quo ann. 1653. ad Innocentium X. epiſtola obſequii refertiſſima exarata legitur apud clariſ. Aſsemanum tom. 3. pag. 622. Ex Catholicis aliis Chaldæis Romanæ Eccleſiæ addictis, Amidæ, ſive Diarbechir conſedentibus, quique non Neſtorianos, ſed Chaldæos ſe nuncupant, eodem loci a viro doctiſſimo adnumerantur Joſeph I, a quo eodem nomine ſucceſſores deinceps auditi ſunt, qui Romæ an. 1706. obiit, poſtquam ann. 1681. ab V. Innocentio XI. Chaldæorum Patriarcha conſtitutus, Pallioque fuiſſet exornatus, tom. 3. Bibliot. Orient. pag. 623; Joſeph II. ab Innocentio XII, & Joſeph III. a Clemente XI. Patriarchæ confirmati, & Pallio adaucti.

Jam vero innuam verbo præcipuas Chaldææ Diœceſis Provincias, in hiſque Urbes potiſſimas, quæ loco Metropolum ſunt. Sunt igitur Caſcara in Meſopotamia: Gondiſapor in Arac ultra Tigrim, ſive in Elamitide: Niſibis in Meſopotamia: Baſsora in Chuſitan, atque ad eum locum conſita, ubi Tigris, & Euphrates junguntur: Durbeta, ſive Moſul, in Meſopotamia ad Occidentalem Tigris ripam non longe a loco, ubi vetus Ninives ad Orientale Tigris latus olim ſtructa; nec etiam longe ab antiqua Aſsur, & Arbella: Arbella, ſive Hazza, ſive Adiab in Adiabene, quæ Plinio Aſsyria vetus eſt, quæque hodie Irbil audit: Gatme, ſive Beth-Gatme, ſeu verius Beth-Seleucia in Regione Garmæorum inter Armeniam, & Suſianam: Holvana, ſive Halac in confinio Mediæ, & Aſsyriæ, ſive Montibus Bagdati collimitanea: Hamadana, in quam Holvanæ Metropolitica jura translata teſtatur Aſsemanus: Sciraz, aut Ravatdſciti in Perſide, nunc Pharſiſtan, cui

cui obnoxia Eccleſia in inſula Socotorra ſinus Arabici oſtio objecta : Maru in Choraſania Perſici Regni Provincia : Hara, olim Aria in Bactriana, ac Choraſaniæ contermina : Catarba, ſeu Katraba, quæ Herbelloto in Bibl. Orient., & Aſſemano tom. 3. pag. 603, & 740. in Inſula maris Æthiopici, ſive Aman ad Auſtrum Arabiæ Felicis, inter Æthiopicum littus, & Inſulam Socotorram, priſcamve Dioſcoridem poſita eſt: Calliana, ſive Coulan in India Orientali, ſive Malabaria : eó anno 880. a Catholico Chaldæorum, ſive Bagdati Patriarcha miſſi leguntur duo Chaldæi Mar-Xabio, ſive Sabra, & Mar-Proud Neſtorianæ hæreſi addicti, qui in Malabariam rem Chriſtianam multis erroribus aſperſam diſſeminarent. Paullo poſt ab Neſtorianis extenſæ curæ in Inſulam Socotorram, & in Chatajam. Sub Calliſto II. Pontifice M., ut habetur in magno Chronico Belgico, nec non in Chronico Alberici ad an. 1122, Patriarcha Indorum nomine Johannes, Conſtantinopolim profectus ad Pallium obtinendum a Legatis Pontificiis Conſtantinopolim ad concordiam Romani, & Græci Regis redintegrandam miſſis, intelligens Romanum Pontificem totius Eccleſiæ Primatem, Romam profectus eſt. A Paulo IV. an. 1555. Mar-Joſephus, poſtquam rectam fidem Romæ fuiſſet profeſſus, in Indiam, Metropolita miſsus fuit, qui paullo poſt tamen poſthabita fidei profeſſione Romæ emiſsa, Neſtorianos errores iterum eſt amplexus. Poſthæc a Patriarcha Durbetano expetere Metropolitas cœperunt Malabari. Mar. Abraham, quoad vixit, Neſtorianæ hæreſi hæſit, prope moriturus anno 1595. Pontificis Romani Primatum, orthodoxamque fidem, ejuratis Neſtorii erroribus, profeſſus eſt, uti refert Petrus Jaric Soc. Jeſu in hiſt. Indiar. Orient. lib. 2. pag. 532. Circa Sæculi XIV. medium Malabarenſes ab Alexandrino Cophtorum Patriarcha Metropolitam ſibi mitti rogarunt : ita in fide variarunt pro opportunitate temporis, donec ſæculo XVI. ineunte, ac deinceps Malabaris præfici orthodoxi, Latinique Epiſcopi a Pontificibus ſummis eſt procuratum : quorum omnium primus a Clemente VIII. præfectus fuit Franciſcus Rooz Soc. Jeſu, dein Hieronymus Xavier, poſt Stephanus de Britto, ac Franciſcus Garcias, & poſt hunc Joſephus a S. Maria Carmelita Excalceatus ab Alexandro VII. ordinatus Cranganoræ tres annos

ad

ad uſque an. 1663, quo a Batavis Urbs expugnata eſt, ſedem tenuit. Præ Latinis tamen Præſulibus, Jacobitis adhærere Malabarenſes maluerunt, ideoque ab Alexandrino, ut mox innui, ſibi Jacobitam præfici Athallam impetrarunt, qui tamen a Luſitanis, dum Indiam pergeret, captus, igni paullo poſt eſt devotus.

Veniunt in eumdem cenſum Tauriſium, olim Ecbatana in Adorbigana, ſive Media veteri. Ibidem, ſicuti & Bardæ, & Salmaſæ, in Urbibus inſignibus, ſuos Metropolitas Neſtoriani conſtituerant: qui ſæculo XVII. ineunte Metropolita Adorbiganæ Gabriel nomine audiebat, Malabariam appulſus Romano Pontifici fidei profeſſione ſe devinxit, apud Aſſemanum tom. 3. Bibl. Orient. pag. 300. Ray, ſive Raja, quæ putatur antiqua Rages Medorum, Provinciæ Tabaſiſtaniæ in Perſidis finibus poſitæ, quæ Mediæ pars olim computabatur: ſequiori ævo Metropolitæ Holvaniæ, de qua ſuperius, conjuncta fuit. Raidebar Civili quidem ordine, Eccleſiaſtico vero Mukar, Metropolis Dailam, ſeu veteris Hircaniæ juxta mare Caſpium, de qua adeundus doctiſſ. Aſſemanus tom. 3. Bibl. Orient. pag. 489. Samarcandia in Sogdiana, ſive Tranſoxana, ſive Usbechia Tartarorum regione. Caſgara in Turqueſtania, ſeu Tocariſtan in magna Tartaria Provincia. Caſgaræ Metropolitam exercuiſſe etiam in Segeſtaniam Perſidis Provinciam in ejus meditullio poſitam, nec non in Choraſaniam, & Chatajam, habetur apud Aſſemanum pag. 735. differt. de Neſtorianis. Pekinum, quæ olim Cambale, in Regno Cathai, ſive Cathajæ, in qua a Sæculo XIII. Magni Chami Tartarorum, ac nunc Sinarum etiam Imperatoris, Sedes defixa fuit. Pekini Metropolitæ, ſeu Cambalienſi obnoxia Sæculo XIII. reddita eſt Eccleſia Tangut Sinarum Imperio affinis Civitas; quæ olim Metropolis Provinciæ in Turqueſtania poſitæ erat. Ex Latinis catholicis primus Cambalienſis Archiepiſcopus a Clemente V. an. 1307. Johannes de Montecorvino, a quo innumeri in Tartaria Infideles, ac Schiſmatici Eccleſiæ Catholicæ aggregati ſunt, eique ſocii adjecti, Epiſcopali caractere adaucti, ſeptem alii Minoritæ, ac ſubinde alii tres ejuſdem Ordinis, de quibus agunt fuſius Wadingus ad an. 1307, & 1311, atque Raynaldus tom. 15. ad an. 1311. n. 74. Johanni ſucceſſores deinceps in Cambalienſi Sede datos ex Ordine Min. a Johanne XXII, Urba-

no V, Bonifacio IX, Nicolao V, Calliſto III, & Pio II. refert Wadingus ad annos 1333, 1370, 1448, 1456, & 1462. Sighanfù Provinciæ Xemſi in Sinis, in qua celeberrimum ſæculo elapſo monumentum, ſive ampla tabula marmorea adinventa, litteriſque Sinicis exarata anno 636, in eaque fidei Chriſtianæ, Neſtorianis tamen erroribus coinquinatæ, ſumma capita deſcripta, ad Cippi lapidei calcem Syriacis litteris, quæ Strongylæ, vel Chaldaicæ, videlicet quadratæ nuncupantur: hæc de amplificata a Neſtorianis Religione in Sinis, deque anno, quo monumentum illud conſtitutum eſt, adnotantur. *Diebus Patris Patrum Mar-Ananjeſu Catholici Patriarchæ* (Bagdati inhabitantis) *Adam Presbyter, & Chorepiſcopus, & Papas Sinarum anno Græcorum* 1092. (Chriſti 780.) *Mar-Jazedbuzzid Presbyter, & Chorepiſcopus Chumdanæ Urbis regiæ* (hodie Nanquin) *filius Milesii Presbyteri, ex Balac Urbe Adathuriſtan, erexit hoc monumentum lapideum, in quo deſcripta eſt diſpenſatio Salvatoris noſtri, & prædicatio Patrum noſtrorum apud Regem Sinarum*. Tum erat Rex nomine Tai-cumven-uu: primus vero, qui Neſtorianiſmum intulit in Sinas, ut ibidem legitur, nomine erat *Lo-puen*, ſive *Olopuen*. Adeundi Kircherus, Cupletus, Semedus, Brunius, Aſsemanus, Lequiennius, aliique de hoc monumento fuſius agentes.

De Diœceſi, Provinciis, ac Metropolibus Patriarchæ Neſtorianorum obnoxiis dictum eſt ſatis, ſuperque. Jam ad Diœceſim, Provincias, & Metropoles Patriarchæ Jacobitarum ſubjectas excurrendum nobis eſt. Ex quo per Orientem Monophyſitarum hæreſis a Jacobo Syro, a quo Jacobitæ deinceps denominati ſunt, propagata eſt, una pariter conſtituti partium Epiſcopi, quinimo inauguratus, qui Patriarchæ inſigne, juriſdictionemque arrogaret. Is igitur Regiones ad Occidentem vergentes proxime procurandas aſsumpſit, quæ vero verſus Orientem poſitæ erant, cuidam Primati, quem *Maphrianum* appellare conſueverunt, quique aliquando Catholici, & Patriarchæ nomen affectavit, curandas concredidit. Porro Patriarchæ Jacobitarum per Orientem diffuſorum ſedes olim Amidæ, quæ Caramit, ſeu Diarbechir dicitur, defixa eſt, nunc vero in Monaſterio Sapharenſi, ſive S. Ananiæ haud procul ab Urbe Marde, ut plurimum manent. Primatis vero, ſive Maphri-

phriani locus Tacriti, quæ Meſopotamiæ Aſsyriam verſus poſtrema eſt Urbs, cis Tigrim poſita, circa an. 630. conſtitutus fuit: qua de re adeundus doctiſs. Aſsemanus tom. 2. Bibl. Orient. pagg. 240, & 444. Quemadmodum vero, ut ſuperius inſinuatum eſt, apud Neſtorianos Episcopos conſuetudo aſsumendi nomina alia, quum cuipiam præficerentur Eccleſiæ, invaluit, eadem pariter apud Jacobitas obtinuit. Quocirca Fauſtus Naironus in Evoplia nomina propria, quæ cuilibet Eccleſiæ addicta eſsent, quæque Neſtoriani illis præfecti aſsumere tenebantur, memoriæ prodere curavit. *Metropolita*, inquiens, *Amidenſis commutato Dionyſii nomine, quo olim vocabatur, nunc illo Timothei inſignitur. Metropolita Moſulanus illo Baſilii; Madanenſis Cyrilli; Aleppenſis Dionyſii; & Hieroſolymitanus Gregorii. Epiſcopus Mardinenſis, & Niſibenſis nuncupatur Athanaſius. Edeſſenus Severus; Gezirenſis Julius; Gargarenſis Ignatius; Damaſcenus Grgorius, & ſic fere de aliis.*

Obſervare heic abs re non erit 1. ex Patriarchis Jacobitarum Syris non defuiſse, qui ſupernæ gratiæ affulgente lumine neceſſitatem communicandi cum Romana Eccleſia, obtemperandique Romano Pontifici agnoſcentes, litteras Romam cum profeſſione fidei, etſi frequens Monophyſitarum erroribus aſperſas, mitterent. In his Ignatius II, a quo tum ad Gregorium IX, tum ad Innocentium IV. litteræ, quas ad an. 1237. n. 88, & 1247. n. 36, & 40. deſcribit Raynaldus, obſequii plenæ directæ fuerunt. Johannes Primas, ſeu Maphrianus, cujus profeſſio fidei, ſed Monophyſitarum hæreſi coinquinata, non ſecus ac miſsa ab Ignatio, ac Romæ propterea rejecta, extat apud Raynaldum n. 41. Ignatius IV, quem ut ipſe ſpem fecerat, ad frugem perducere Nicolaus IV. litteris datis, quas Raynaldus refert ad an. 1289. n. 56, conatus eſt. Ignatius V., qui Abdalla Eccleſiæ Edeſsenæ Metropolita miſſo in Concilio Florentino an. 1439. Eugenio IV. fidem ſuam obſtrinxit. Ignatius X, a quo Moyſes Mardenus Metropolita Romam miſsus an. 1552. Julio III. fidei profeſſionem emiſit, quam Andreas Maſius Latine reddidit, adjecitque ad calcem comment. Moyſis Barcephæ de Paradiſo. Idem Ignatius, dictus etiam Nehemet-Alla, litteras acceperat a Pio IV, quas ad an.

1562. n. 31. recitat Raynaldus, quibus de obedientia Pontifici impendenda admonebatur: ac tandem ipſe Romam profectus, Romanæ Eccleſiæ fidem profeſsus mortem ibidem adſpexit. Ignatius XI., David cognominatus, cui, comperta ejus fide, Pallio conceſso locum confirmavit Gregorius XIII, teſte Petro Strozza in diſput. de dogmat. Chaldæor. apud Aſsemanum tom. 1. Bibl. Orient. pag. 536. E Patriarchis vero Jacobitarum Aleppi degentibus, qui noſtri Cappuccinorum Ordinis hominum opera præſertim ad Romanæ Eccleſiæ unitatem, fidemque perducti fuerunt, recenſentur Andreas Achigian, qui poſtea Patriarchæ nomine Syris præfectus fuit. Macharius Antiochenus Patriarcha; & Cachadaurus Armenorum Catholicus, a quibus anno 1646. Romam miſsa ſincera fidei orthodoxæ confeſſio apud Naironum in ſæpe laudata diſsert., & Lequiennium Orient. Chriſt. tom. 2. in Diœceſi Jacobit. pag. 1408. Gregorius, Petrus etiam dictus, a quo litteris ab Epiſcopis 8, Maronita uno, Græcis duobus, Armenis duobus, Surianis tribus ſubſcriptis, quas legere eſt in Theatro Turcico, Romam miſſis fidei ſuæ rationem Pontifici reddidit. Ignatius Petrus, qui in litteris ad Ludovicum XIV. Galliar. Regem, quas gallice deſcribit auctor cit. Theatri Turcici pag. 554, anno 1678. de ſua ad Romanæ Eccleſiæ communionem acceſſione eum. dem certiorem fecit. Stephanus Patriarcha item Jacobitarum Aleppi, unaque tres alii Epiſcopi ob Romanæ fidei profeſſionem a Jacobitis in hæreſi obfirmatis an. 1706. carceri mancipati, in eo Confeſsores occubuerunt, uti refert Paulus Lucas in relatione itiner. in Aſia minori tom. 2. pag. 348.

Obſervare eſt 2, uti moris eorum eſt, qui a Romanæ Eccleſiæ doctrina deſciverunt, non ſemel Jacobitas inter circa dogmata exorta gravia diſſidia. Ita Jacobitas inter Orientales, ſeu Syros, & Ægyptios, ſeu Cophtos ſæculo XI. controverſia exarſit circa ritus in Euchariſtia. Apud Jacobitas Syros mos invaluerat, ut ad uſum non modo communem, ſed imo ad Euchariſtiam panes fermento non ſolum, ſed ſale quoque, & oleo admixti adhiberentur. Ægyptiis ritus hujuſmodi improbatus eſt, quem ut vindicaret Johannes Bar-Suſan, qui Syris anno 1112. præerat, libro elucubrato uſum ſalis, & olei ad Euchariſtiam myſtica interpretatione

tione defendit, de quo libro legendus Renaudotius tom. 2. Liturg. Orientalium pag. 64, & ſeqq. Anno vero 1047. Johannem Syrorum inter, & Chriſtodulum Cophtorum Patriarchas inſtaurata pugna: quæ brevi tamen compoſita eſt, de qua agit loc. ind. laudatus mox Renaudotius. Alteri diſſidio locum fecit hæreſis Tritheitarum, ſive Sabellianiſmus, quem in Jacobitarum ſectam invexit, aliiſque erroribus accumulavit ſæculo VI. Damianus Alexandrinus Patriarcha. Adverſa contra hunc fronte pugnam inſtruxit Petrus Junior dictus, qui in Patriarchatu Syrorum Jacobo Zanzalo Jacobitarum parenti anno 578. ſuffectus fuerat, cujus contra Damianum diſputationem, ex Dionyſii Barſalibis, & Barhebræi, ſive Gregorii Abulfaragii Annalibus deſcripſit doctiſſ. Aſſemanus tom.2. Bibl.Orient. pag.332. Tertia circa annum 760. quæſtio emerſit circa verba illa Syriacæ Liturgiæ, quæ in fractione hoſtiæ pronunciantur: *Panem cæleſtem frangimus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: quæ Jacobitarum alii omittenda iccirco contendebant, ne panem cœleſtem a Chriſto Domino alium eſſe innuerent; aliis ceu priſco uſu recepta, ac frequentata omnino retinenda affirmantibus. Georgius Patriarcha hac ratione litem compoſuit, parti utrique permittendo, ut pro libitu ea verba vel pronunciarent, vel prætermitterent. Eadem poſtea verba in Liturgia abrogare CyriacusPatriarcha an.792.in Synodo habita in Urbe Beth-Boten Haranicæ Provinciæ adnixus eſt: ſed illi obluctati ſunt Epiſcopi in Synodo coadunati. Eadem præterea verba paullo poſt in Liturgia tollere molitus eſt Abraham Patriarcha circa annum 836:ſed eapropter a Jacobitis aliis peſſime audivit. Videſis doct.Lequiennium Orient.Chriſt.to.2.de Patriarch.Jacobitis pag.1372. Gravius interÆgypti Jacobitas circa ann.1193. diſſidium exarſit de Confeſſionis ſacramento: ſcilicet Doctor Jacobita quidam Marcus nomine Confeſſionem peccatorum commendare quidem cœpit, ſed juxta Meſſalianorum errores, ſive juxta Lemophtii, ſive Lampetii, Meſsalianorum in Ægypto Coryphæi, a quo Lampetiani dicti illi dein ſunt, ſuperſtitionis plenam opinionem, qua qui peccata confiterentur, incorporeos, ac impaſſibiles evaſuros jactabat. Ut errorem hunc eliminaret, peccatorum Confeſſionem prohibuit Marcus Patriarcha Alexandrinus.

Quam-

Quamobrem inter Jacobitas excitatum incendium, conflatumque ſchiſma, aliis Marco doctori, aliis Marco Patriarchæ adhærentibus. Ab utraque parte conſultus, deque ſententia poſtulatus Michael Antiochenus Patriarcha Jacobitarum in Syria, Meſſalianorum hæreſim improbavit quidem, at non propterea improbandam peccatorum Confeſſionem edito libello reſcripſit. Iſta ex Bar-hebræo, ſeu Gregorio Abulfaragio in Chronico deſcripſit Aſſemanus tom. 2. pag. 367. Videndus etiam Renaudotius in hiſt. Patriarch. Alexandr. pag. 550, & tom. 2. Liturg. Orient. pag. 50, & 448, ubi tractatum Michaelis *De Præparat. ad Communionem* laudibus celebrat, atque ex tractatu Dionyſii Barſalibis *De ſuſcipiendis Pœnitentibus* obſervat Confeſſionis Sacramentalis uſum Orientales apud omnes indiſtinctim obtinuiſſe.

Paucis modo Patriarchæ Jacobitarum in Syria Metropoles, Provinciaſque obnoxias complectamur. In his ſunt igitur celebriores Aleppus in Syria, quæ olim Berhœa, in qua ad hanc uſque diem degit, qui Jacobitas, quos & Surianos ibidem vocant, præeſt, reſque eorum ſacras procurat. Amida, olim Conſtantia, in Meſopotamia, hodie Diar-bechir, unde etiam nomen obtinuit. Ibi Jacobitarum Patriarchæ olim ſedem defixerant, quam ab anno 1166. Mardin tranſtulere. Anazarbus in Cilicia ſecunda. Apamea, quæ olim Hemat, in Syria ſecunda, quæ poſtea Damaſco ſubjecta eſt. Cæſarea in Cappadocia. Cyprus Inſula. Damaſcus in Phœnicia Libani. Dara in Meſopotamia, quæ poſtea Mardenſi obnoxia facta eſt. Edeſſa in Oſroena. Emeſa in Phœnicia, quæ poſtea Damaſceno Patriarchæ ſubmiſſa fuit. Euphemia, ſive, Abulfeda in Meſopotamia. Jeruſalem, ubi non ſecus ac Neſtoriani, Jacobitæ proprium conſtituerant Metropolitam, qui poſthac Patriarchæ quoque nomen aſſumpſit. Mabug, quæ olim Hierapolis, in Syria Euphrateſia. Maipheracta, olim Martyropolis in Meſopotamia. Melitena, hodie Malatia, in Armenia minori. Mardin in Meſopotamia, ubi poſtea ſedes Patriarchæ defixa eſt. Samoſata in Syria Comagena. Synnada in Phrygia. Tarſus in Cilicia prima; de quibus, quemadmodum de Aſiana Provincia Jacobitarum, adeundus Cl. Aſſemanus in diſſert. de Monophyſitis tom. 2. Bibl. Orient. præfixa. Quod autem ad Maphrianos, ſive Primates Jacobitarum

atti-

attinet præfectos Orienti, ideſt Arabiæ, Chaldææ, Aſſyriæ, necnon extremis Meſopotamiæ Regionibus, hi Tagriti ſedem defixerant ſuam, non ſecus atque Neſtorianorum Primates ſuam Modain, aut Bagdati habebant. Maphriano vero Tigritenſi Jacobitæ duodecim attributæ Diœceſes apud Aſſemanum tom. 2. pag. 418, & ſeqq. leguntur, nimirum Arabiæ; Singaræ; Maaltæ; Arzuni; Gumal; Bet-Raman, quæ & Bet-Bazich; Charmæ; Gozartæ; Carduce; Nuhadræ; Pheroz-Sapor; Schiarzul; & Taalaba Scenita: ad quas poſtea Ninives acceſſit, quæ Derbeta, ſive Moſul hodie nuncupatur: in qua Monaſterium S. Matthæi celebre, ubi tranſlatus Maphrianus, S. Matthæi Metropolita dici etiam cœpit; exindeque Moſul prima ſub Maphriano Jacobitarum Metropolis evaſit.

Præſtat impræſentiarum pauca de Maronitis, eorumque Patriarchis, Metropolitis, ac Provinciis differere. Maronitis, qui Syriam mari Mediterraneo conterminam incolunt, nomen ex S. Marone Abbate coævo S. Johanni Chryſoſtomo, cujus celebre Monaſterium Apameam inter, & Emeſam ad Orontem fluvium extabat, e quo exaratæ epiſtolæ ad Juſtinianum Imper., & Mennam act. 1. Synodi ſub eodem habitæ, & ad S. Hormiſdam apud Harduinum tom. 2. pag. 1031; cujuſque mentio apud Theodoretum hiſt. Relig. capp. 16, 21, 24, & 30. occurrit, adhæſiſſe Eruditi autumant. Maronem iſtum Monophyſitarum, ac Monothelitarum hæreſi ortum dediſſe Mauritii Imperat. tempore, exindeque ea hæreſi maculatos extitiſſe Maronitas, auctores ſunt Eutychius Alexandrinus in Annalib. Eccleſ. Alexandr. pag. 191., ejuſque fidei adſtipulatores ex Orientalibus Gregorius Bar-hebræus, ſive Abulfaragius apud Aſſemanum tom. 2. pag. 291, & ſeqq., Elmacinus, & Ebnaſſalus apud Renaudotium: ex Occidentalibus vero Willelmus Tyrius lib. 22. belli ſacri cap. 8, Jacobus de Vitriaco, Breidenbergius, Volaterranus, Bernardus Lutzemburgius, Gabriel Prateolus, Jacobus Gualterius in tabul. Chronolog., Thomas a Jeſu lib. de procurand. ſalute omnium gent. cap. 22, Cardinalis Bona, Franciſcus Ballarinus, Petavius Theolog. dogm. lib. 5. de Incarnat. cap. 4, Renaudotius hiſt. Patriarch. Alex. pag. 149, aliique. Contra nec S. Maronem, nec ex eo dictos Maronitas hæreſi Monophyſitarum unquam coinquinatos

fuiſſe

fuiſſe pugnant ex Maronitis Georgius Edenenſis, Johannes Ezronita, Gabriel Sionita lib. de moribus Orient., Abraham Ecchellenſis, Fauſtus Naironus in Evoplia fidei, ac diſſert. de origine, nomine, ac religione Maronitarum, & Aſſemanus tom. 1. Bibl. Orient.; ex Latinis vero Pagius ad annum 635, Lequiennius Orient. Chriſt. tom. 3. præfat. de Eccleſia Maronitarum, aliique.

Enim vero Eutychio Alexandrino ſicuti in multis, ita in hac narratione nullam adhibendam eſſe fidem fatetur nedum Renaudotius in hiſt. Patriarch. Alexandr., ſed etiam Eduardus Pocokius in præfat. ad Annales Eutychii, quos ex Arabica lingua latine vertit. In his falſi coarguit Renaudotius Eutychii narrationem de 12. Presbyteris a S. Marco inſtitutis, deque uno ex ipſis in Patriarcham Alexand. omnino ordinando: licet heic de electione, non de ordinatione ſermonem eſſe contendat; exinde Seldenum arguens, quod ex ea Eutychii relatione occaſionem arripuiſſet confirmandi Presbyterianorum ſuorum errorem de pari cum Epiſcopis Presbyterorum gradu. Quod idem argumentum poſtea vexans doctiſſ. Mazochius in Comment. ad vetus Marmor. Eccleſ. Neapol. Kalend. in Not. ad acta Henſchen. S. Marci cap. 4. obſervat ab Auctore vetuſtiſſimo ejuſdem vitæ liquido tradi a S. Marco ordinatos Epiſcopum Anianum, ac tres Presbyteros. In his fabulis deputat præterea Renaudotius, quæ de numero Patrum Concilii Nicæni I. Eutychius regerit, nempe bis mille, & amplius adfuiſſe, ac tot diverſas in ſententias abiiſſe, ut ex iis trecenti decem, & octo dumtaxat vera de Chriſti Divinitate aſſeruerint. Quam quidem fabulam ex Muhamedanorum ſcriptis ab illo hauſtam arbitratur. In his falſi arguit præterea, quæ de Origene, Theodoro Mopſveſteno, Theodoreto, & Iba Eutychius enarrat: ſcilicet eos tempore Juſtiniani Imperatoris vixiſſe; Origenem Epiſcopum Hierapolitanum egiſſe: eoſque omnes Chriſto D. verum corpus adimentes Conſtantinopoli in Synodo ab Eutychio Conſtantinopolit. condemnatos: ſiquidem longe ante Eutychium, ac Juſtinianum ii fini ſuo conceſſerant, nec Theodoretus, & Ibas unquam ejuſmodi erroris fuerunt inſimulati. In his proxime mendacii apertiſſimi redarguitur Eutychius, quod Monothelitarum, & Monophyſitarum auctorem Maronem agit, quum hæc hæreſis a Ser-

a Sergio Conſtantinopolit., & Cyro Alexandr. ejus anteſignanis invecta fuerit, quos ducentis amplius annis S. Maro anteceſſit. Neque minus falſum hanc hæreſim ſub Mauritio Imperat. emerſiſſe, ut narrat Eutychius, quæ nonniſi ſub Heraclio circa annum 628. a Sergio, ut mox innui, Cyro, & Theodoro Pharanitano exortam tradunt Patres Concilii VI. generalis, Epiſcopi Synodi Later. ſub S. Martino I, SS. Sophronius Hieroſol., Maximus Abbas, Johannes Damaſcen., nec non Theophanes, Cedrenus, Zonaras, aliique, apud quos ne vola quidem Maronis, aut Maronitarum occurrit. Falſi proinde arguit Fauſtus Naironus Eutychii narrationem, qua refert Johannem IV. Pontificem M. in epiſt. ad Heraclium, & Conſtantinum Imper. affirmaſſe a Cyro Alexandrino Maronis errorem amplexatum: ſiquidem in Codicibus omnibus ſive Arabicis, ſive Latinis ea in epiſtola Johannis IV. ne verbum quidem de Marone adparet.

Ad hæc autem S. Maronem fide omnino integrum, virtutibuſque inſignem tradit Theodoretus loco ſupralaudato. Maronitas vero egregios fidei orthodoxæ vindices fuiſſe liquet ex libello ab his ad S. Hormiſdam miſſo apud Baronium, Pagium ad annum 517, & Harduinum loco cit., ex libello ſupplici ad Johannem Conſtantinopolit., ac Synodum Conſtantinopoli ab eo congregatam contra Severum, apud præl. Harduinum; & ex libello altero Mennæ Patriarchæ Conſtantinop. act. 5. Synodi ſub eo habitæ inſerto. Ad hæc ipſe Eutychius de Heraclio refert, quod anno 9. Imperii, anno ſcilicet Chriſti 618, aut 619. (quo anno plane nondum hæreſis Monothelitarum prodierat e ſinu Monophyſitarum), Hieroſolymam proficiſcens, ut primum Emeſam pervenit, ab Urbis incolis, (qui plane Acephalorum, ac Monophyſitarum hæreſi infecti erant), repulſam eſt paſſus, iccirco quia Heraclius Maronita eſſet, ac Civium religioni infenſus. Quod ſane apertum indicium eſt orthodoxiæ Maronitarum. Igitur concludunt, cum Eutychio, a quo omnes de hæreſi Maronitarum narrationem ſumpſerunt, ad unum omnes erraſſe ſcriptores, qui eamdem Maronitis erroris notam affricuerunt. Quamquam fuiſſe ex Maronitis pleroſque, (quorum multam partem, erroribus ejuratis, Romanæ Eccleſiæ fidem amplexatam poſtea fuiſſe perhibet Willel-

mus Tyrius loco laudato), qui aliquando Monothelitis adhæſerint, fatetur Fauſtus Naironus: in his præcipue Thomam Haranitam Merropolitam Kfartab in Provincia Aleppenſi viribus, quibus potuit, ac mendaciis, inter quæ præcipua de probata una in Chriſto voluntate tum S. Maroni, tum S. Leoni Papæ in epiſt. ad Heraclium, (ſub cujus tamen Imperio nullus Pontifex Leonis nomine audivit), Monotheliſmum inter Maronitas invehere, fuiſſe adnixum; ex Maronitis tamen valide ei obſtitiſſe Joſephum Patriarcham, & Arſenium Metropolitam Accurenſem. Qui vero hæreſi fuerant infecti, opera Haymerici Latinorum Patriarchæ Antiocheni paullo poſt, ideſt anno 1182. ad rectam fidem perductos fuiſſe. Hæc ex Gabriele Qlai, ſive Barclajo ex Ord. Min. Epiſcopo Nicoſienſi, inter Maronitas doctrina, ac ſanctitate illuſtri in poemate de hæreticis ex Maronitis apud Ecchellenſem refert Naironus. Addit a Maronitis pleriſque, qui Monotheliſmum amplexi fuerant, in Cyprum Inſulam hæreſim aſportatam fuiſſe, ibique perſeveraſſe utque ad Eugenii IV. ætatem, ſub quo Elias Epiſcopus Maronitarum in Cypro coram Andrea Coloſſenſi Archiep. illuc a Pontifice miſſo errores ejuravit: id omne tamen omnino nihil officere communi, rectæque Maronitarum orthodoxiæ. Ex Davide Archiep. Maronitarum circa annum 1059. in vivis agente in collectione Conſtitutionum Eccleſiaſt. Orient. Syrorum rurſus referens cap. 1. apud Aſſemanum tom. 1. pag. 629. Græcis in confeſſione duarum in Chriſto voluntatum, & operationum Maronitas concordare. Amplius. Obſervat Cl. Aſſemanus tom. 2. pag. 293. in antiquiſſimis Maronitarum Kalendariis nullum omnino ex illis recoli non modo, qui Monotheliſmo nomen dederint, ſed imo recoli cum Synodi VI, a qua illi damnati ſunt, memoriam, tum illorum, qui contra Monothelitas acerrime decertarunt, nomina, uti Sophronii Hieroſolym. 13. Martii; Andreæ Canonographi 4. Julii; Maximi Confeſſ. 13. Auguſti, & Martini 3. Aprilis.

Porro Patriarcha Maronitarum primus fertur Johannes Maro vir doctrina, ac ſanctitate celeberrimus circa an. Chriſti 700. apud Gabrielem Barclajum in lib. adver. Jacobitas cap. 10; Naironum in præcit. diſſert., & Aſſemanum tom. 1. Bibl. Orient. pag. 496,

pag. 496, & ſeqq. Qui poſt ipſum Maronitis præfici conſuevit, ſedere antea ſolebat in Monaſterio S. Mariæ in Abel: hodie in Monaſterio Canobienſi ad radices Montis Libani ſedem defixit. Ab Epiſcopis ſibi ſubjectis eligitur: electus a Sede Apoſtolica confirmatur, & Patriarchæ Antiocheni titulo inſignitur, proprioque nomini ſuperaddit Petri nomen in honorem Principis Apoſtolorum, qui primus Antiochiæ ſedit. Quinque ei morem gerunt Metropolitæ Tyrienſis, Damaſcenus, Tripolitanus, Aleppenſis, & Nicoſienſis in Cypro: Epiſcopi vero Sidonienſis, Berytenſis, Byblienſis, Botryenſis, Edenenſis, Accurenſis, Sareptenſis, Heſronenſis, Arcenſis, Bſciarrajenſis, Hadetenſis, Sciadrenſis, Biſrajenſis, aliique incerti loci, de quibus agunt præfati ſcriptores cæteroquin accurati. Qui vero ex Patriarchis Maronitarum ſpeciali ratione Romanis Pontificibus de integra fide, moribus, ac ritibus erudiendos ſe ſe permiſerunt, adnumerantur Joſeph Giargeſæus cognominatus, qui ad Paſchalem II. apud Naironum in Evoplia fidei, obedientiæ, fideique ſuæ locupletes teſtes litteras direxit, cuique anno 1100. baculus, ac mitra Pontificalis dignitatis inſignia a Pontifice miſſa ſunt. Is eſt, qui contra Thomam Haranitam Syrum Metropolitam Kfartah in Diœceſi Aleppenſi Monotheliſmum apud Maronitas inferre conantem fortiter decertavit. Petrus I. Patriarcha, qui referente Gabriele Barclajo lib. *Confirmationis veritatis* apud Naironum in Evoplia, Gelaſio II. litteras obedientiæ refertiſſimas exaravit. Gregorius III. Alathenſis, a quo anno 1130. ad Innocentium II. Legatum, litteraſque ſuæ fidei, obedientiæque ſequeſtres miſſas regerit prælaudat. Barclajus in epiſt. ad Simeonem Hadethenſem apud Naironum. Johannes VII. Lephedienſis dictus, qui in crimen vocatus Romam circa annum 1152. ſe contulit, ut coram Pontifice ſe purgaret, a quo Synodo in Byblidi Urbe cogendæ ejus cauſſa dirimenda eſt dimiſſa, de qua agit præfat. Barclajus in epiſt. ad Georgium de Angelis. Hieremias II. dictus, qui Romam ad Innocentium III. anno 1216. profectus ei fidem ſuam omnem nuncupavit, ut refert Stephanus Edenenſis in Breviculo, ſeu Chron. Patriarch. Maronit. apud Naironum in præcit. diſſert. Simeon IV, qui teſte eodem Stephano tum de ſua, tum gentis to-

tius de integra fide, obſequioque erga ipſum, Alexandrum IV. certiorem fecit. Gabriel II. de Hagula dictus, qui ab Urbano V. dignitatem ſibi confirmari, Palliumque dignitatis inſigne conferri impetravit, teſte Stephano Edenenſi loc. indicato apud Aſſemanum tom. 1. pag. 577. Johannes X. Algigæus nuncupatus, cujus fidei, ac obedientiæ ſequeſter Romam ad Eugenium IV. acceſſit Johannes Ord. Min. Beryti ſuperior. Is omnium primus in Monaſterio Canubin ſedem Patriarchalem defixit. Jacobus II. de Hadeth denominatus a Nicolao V, & Calliſto III. Pallio ob egregiam fidem donatus. Petrus II. cognomento Aſſanus, qui P. Griffonem Ord. Min. Legatum ad Paulum II. obedientiam pro ſe nuncupatum, ac Pallium petitum miſit. Pontificis reſcripta refert P. Quareſmius Ord. Min. tom. 2. Elucid. Terræ Sanctæ. Simeon VI. Hadethenſis, a quo bis Romam, ideſt anno 1492. ad Alexandrum VI, dein anno 1515. ad Leonem X. litteræ, in Concil. Later. V. lectæ, directæ ſunt, quibus fidem, rituſque Maronitarum Apoſtolicæ Sedi probari poſtulabat; ei vero locum confirmavit Leo X, Pallioque adauxit, apud Labbæum tom. 14. pag. 349, & ſeqq. Moyſes, ad quem apud Aſſemanum tom. 1. Bibl. Orient. pag. 523. extant litteræ a Clemente VII, a Paulo III, a Paulo IV, & Pio IV. miſſæ. Michael Riſius, cui dignitate confirmata, Pallium conceſſum a Gregorio XIII, procurante P. Eliano Soc. J., legitur apud Aſſemanum. Is idem eſt, qui in epiſt. ad Cardinalem Antonium Caraſam die 25. Auguſti 1578, apud Naironum ſæpe cit. diſſert., graviter conqueſtus eſt de impactis ab invidis, ac præſertim fraude a Jacobitis genti Maronitarum erroribus, eorumque libris inſertis, unde Maronitæ apud Romanos in fidei ſuſpicionem venerint. Obſervavit id etiam P. Thomas a Jeſu in lib. de procur. omnium gent. ſalute cap. 22. Cæterum antiquos Maronitarum libros ab omni penitus errore puros adſtruit Stephanus Edenenſis in epiſt. anno 1674. die 1. Januar. ad Naironum exarata, quam iſte in citat. diſſert. exhibet. Sergius Riſius Michaelis frater, qui Romam P. Bromo Soc. J. miſſo a Gregorio XIII. Pallium obtinuit. Is perinde eſt, qui apud P. Dandinum Soc. J. a Clemente VIII. miſſum ad Montem Libanum, ipſo teſte in hiſt. ſuorum itiner., in querelas effuſus

eſt,

est, quod multi a malevolis per invidiam, vel ab imperitis per inscitiam impacti Maronitis errores fuissent: factumque id præsertim Jacobitarum odio, & dolo. Denique, ut verbo dicam, Romanis Pontificibus more Majorum se integre permittere officii loco habuere, & quidem Paulo V. Johannes dictus Macluphius: Urbano VIII. Georgius Amira: Innocentio X. Joseph Accurensis, qui Blasio Terzi lib. 1. de Syria sacra pag. 53. teste tractatum de Primatu Summi Pontificis edidit: Alexandro VII. Gregorius II. Besbeelenus: Clementi X. Stephanus II. Edenensis, vir inter Maronitas doctissimus, cujus præ aliis celebrantur Liturgiarum Orient. cum Latinis conciliatio, Vindiciæ Maronitarum, & Chronicon ab anno Christi 1095. ad 1699. de rebus in Syria gestis: Clementi XI. Gabriel II. de Blausa dictus, de quibus adeundi sæpius laudati Gabriel Barclajus, Stephanus Edenensis, Faustus Naironus, Joseph Simonius Assemanus, & Michael Lequiennius.

Pretium operæ est postremo dicere paucis, quoad fieri poterit, de Patriarcha Hierosolymitano. Principio Ecclesiam Hierosolymitanam hoc nomine usque ad annum 18. Ælii Hadriani, ideſt Christi annum 134, quo excitata rursus a Barchohabo, seu Barcochebah Judæo, ac Judæis se Messiam venditante, seditio, quingentis Judæorum millibus trucidatis, compressa est, ac deleto Hierosolymæ nomine, ex ejus ruderibus Urbs alia, ejus de nomine Ælia nuncupata, extructa est, ad id, inquam, usque temporis a S. Jacobo ducto initio Episcopi 15. ex una Judæorum gente, quæ Christo nomen dedisset, delecti administrarunt: de quibus adeundi Eusebius in Chronico, & lib. 4. hist. Eccles. cap. 5; Thomas de Pinedo in observat. ad Stephanum Byzantin. de Urbibus, & populis pag. 42; Tillemontius tom 2. hist. Imperat. pag. 589; & Papebrochius tom. 3. Maj in tract. prælimin., ubi de Episcopis, & Patriarchis Hierosolym. Ab Hadriani anno 19, Christi 135. ab Episcopis ex Gentilibus ad fidem conversis, quorum primus fuit Marcus, designati Ælienſis Ecclesia administrari cœpit. Quamquam S. Epiphanius hæres. 66. non obscure indicare videtur eodemmet tempore, quo Hierosolymit. Ecclesia ex Judæis congregata, dum Ducum Romanorum jussu ab

Urbe

Urbe Judæi, quo nomine comprehendebantur perinde Chriſtifideles ex Judæis converſi, excluſi erant, ab ejus gentis Epiſcopis adminiſtrabatur, Eccleſiam eamdem ſub Ælienſis nomine ex Gentibus ad ſacra noſtra perductis coadunatam ab Epiſcopis pariter Gentilibus origine fuiſſe adminiſtratam. Quæ demum ab uno ex Gentilibus derivato Epiſcopo deinceps adminiſtrata eſt. Ex quo vero Hieroſolyma ſubverſa, Cæſarea totius Palæſtinæ caput, ac Præſidis ſedes eſſe, atque Cæſareenſi Eccleſia tam ex Judæis, quam ex Gentilibus converſis conflata in dies creſcere, ampliſicarique cœpit, ejus Epiſcopus perinde in adjacentem Palæſtinam ita curam extendit, ut eidem pariter obnoxia fuerit, atque per quatuor ferme ſæcula manſerit ſubmiſſa ipſamet Ælienſis, ſive Hieroſolymit. Eccleſia. Quamvis interea ob Urbis veteris reverentiam nonnullis prærogativis, eidem a Patribus Nicænis poſtea confirmatis, frui Præſul Ælienſis non deſtiterit. Quoadusque nempe Juvenalis Hieroſolymorum Antiſtes, (quod jam S. Cyrillus ejus deceſſor contra Acacium Cæſareenſem, teſte Theodoreto lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 26, tentaverat), perfecit, excuſoque Cæſareenſis Metropolitæ jugo, Patriarchæ imo jura ſibi arrogavit, quæ in Concilio Epheſino exercere cœpit, (contradicente tamen S. Cyrillo Alex., a Concilio impetrare nequivit, uti contra Holſtenium obſervavit Contantius in Monito prævio ad epiſt. 10. S. Xiſti III.), atque a Chalcedonenſi ſibi confirmari demum obtinuit, tribus Palæſtinis juri ſuo Patriarchico adſignatis: quod jus paullo ante Juvenalis in Phœniciam ſecundam etiam, ac perinde in Arabiam extendere fuerat enixus.

Jam vero, quod ad Palæſtinam pertinet, ea antequam ab Auguſto in Provinciam unam fuiſſet conflata, unique Præſidi aſſignata, poſtea in Regnum a Cajo Caligula Herodi Agrippæ adſerta, ac poſtremo rurſus in Provinciam redacta, a veteribus in tres præcipuas Regiones diviſa fuit, Judæam, cujus Metropolis Hieroſolyma; Samariam, cujus Caput Samaria, unde in Regionem univerſam nomen, dicta etiam Sebaſta; & Gallilæam, quæ iterum in duas diſſecta eſt, inferiorem, & ſuperiorem, apud Joſephum lib. 3. belli Judaici cap. 4, quæ ſuperior dicta etiam Gallilæa Gentium apud S. Hieronymum in cap. 9. Iſai. 1, & 4. Matth. 15. Poſthac,

ſed

ſed tamen ante Theodoſii M. tempus, quinimo ſub Trajano, ut indicare videtur Jo. Malalas in Chronog., in duas Provincias diviſa fuit Palæſtina apud Carolum a S. Paulo in Geograph. ſacra, pag. 307. In tres poſtmodum diſtributa eſt, primam, cui pro Metropoli conſtituta eſt Cæſarea; ſecundam, cui Scythopolis; ac tertiam, cui Petra Urbs primaria in Arabia attributa. Obſervavit autem pridem idem Carolus a S. Paulo pag. 310. tres Palæſtinas, quibus præeſt Hieroſolym. Patriarcha, aliam a Civili Eccleſiaſticam diſpoſitionem habuiſſe: liquet enim ex Notitia veteri Eccleſ. Cod. Mſs. tum Vaticanæ Bibl., tum Bibl. Regiæ partem Arabiæ Petreæ, quæ proprio Præſidi in Civilibus erat obnoxia, ad Palæſtinam tertiam in Eccleſiaſticis pertinuiſſe; ac Hieroſolymitano Patriarchæ fuiſſe ſubjectam: cui poſtremo, ex quo Latini Palæſtina, ac Syria potiti ſunt, ſubjectæ fuerunt perinde, id concedente Paſchali II, & confirmante Innocentio II, Tyrus, atque aliæ ſex, aut ſeptem Urbes ab Antiocheno Patriarchatu diſtractæ, quas armis Latini ſubjugaverant. Videſis Hadrianum Relandum tom. 1. Palæſtinæ illuſtratæ edit. Traject. anni 1714.

Præ ceteris vero Patriarchis Hieroſolym., qui Romani Pontificis obedientiæ ſtuduerint, celeberrimi habentur Amos, ad quem extat S. Gregorii M. epiſtola 6. lib. 8. indict. 1, qua Petrum Romanæ Eccleſiæ Acolythum profugum a communione expelli, comprehenſumque Romam mitti jubet. Iſaacius, quem Baronius ad annum 601. num. 14. Heſychium vocat, qui ad prælaudatum S. Gregorium ſynodica de ſua ordinatione miſſa, ſuæ perinde fidei Pontificem certiorem fecit, cui reſcribens Pontifex epiſt. 4. lib. 9. præclare differit de de neceſſitate, quæ cunctis incumbit cum Romana Eccleſia communicandi. S. Sophronius, de quo abunde dictum eſt alibi. Theodorus, qui ſynodica miſſa, S. Paulo I. fidem ſuam expoſuit, cujus epiſtolæ meminere Conſtantinus pſeudo-Pontifex in epiſt. ad Pippinum Francorum Regem, apud Ducheſnium tom. 3. hiſt. Francor. pag. 826, & Hadrianus I. in apolog. ad Carolum M., apud Labbæum tom. 7. Concil. pag. 924. Thomas, ſub quo circa initium ſæculi IX. commota eſt controverſia Monachos Græcos Montis Oliveti inter, & Monachos Gallos

los ibidem commorantes circa additionem particulæ *Filioque* factam Symbolo, de qua ſuo loco egimus. Porro Thomas Patriarcha Monachos illos, eorumque cauſſam ad Leonem III. remiſit, unaque ipſa ad Pontificem epiſtolam dedit, cujus meminit idem Pontifex in epiſt. ad Carolum M., qua ſignificat acceptis an. 809. litteris tum a Monachis Montis Oliveti, tum a Patriarcha Thoma directis reſcripſiſſe ſe illis orthodoxæ fidei ſymbolum. Deſcripſit epiſtolas iſtas, necnon ſymbolum Leonis III. ad illos miſſum Baluzius tom. 7. Miſcellan. Theodoſius, ad quem extat Johannis VIII. Pontificis M. epiſtola apud Papebrochium hiſt. Chronolog. n. 73. Lazarus, quem non ſecus, atque Philotheum Conſtantinopolit., & Niphonem Alexandr. Patriarchas animum non alienum a redintegranda unione cum Romana Eccleſia, obedientiaque Romano Pontifici impendenda prætuliſſe, liquet ex litteris Urbani V. ad ipſos inſcriptis apud Raynaldum ad annum 1367. n. 11. Abraham, qui una cum Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno ad Pium II. Pontificem M. Moyſe Archidiacono Antiocheno miſſo ſignificavit ab ſe admiſſa decreta Concilii Florentini, ſeque omnino Pontificis Romani commiſiſſe fidei, ut ex Gobelino refert ad annum 1460. num. 55. Raynaldus. Mitto alios, de quibus alibi dictum.

Quæ demum in tribus Palæſtinæ Provinciis Hieroſolym. Patriarchæ obnoxiæ Metropoles factæ ſunt, has paucis accipe. Cæſarea, olim Turris Stratonis a Stratone ejus conditore dicta, ac dein de Auguſti Cæſaris nomine ab Herode nuncupata, teſte Joſepho Antiq. Judaic. lib. 15. cap. 13, quæ olim totius Palæſtinæ Urbs præcipua habebatur, ac poſtmodum Palæſtinæ primæ Metropolis effecta. Palæſtinæ ſecundæ Metropolis Scythopolis, quæ olim Bethſan appellabatur Jud. 1, 27; aut etiam Socoth Geneſ. 33, 17, de qua videndus Relandus tom. 2. Palæſt. illuſtr., a Scythis dein eam depopulantibus Scythopolis denominata, cujus demum jura Metropolitica ſæculo XI, ex quo a Latinis Palæſtina occupata fuit, in Urbem Nazareth Chriſti D. patriam, tranſlata ſunt. Palæſtinæ tertiæ præcipua Urbs Petra, quæ quamvis a nonnullis, ut a Carolo a S. Paulo, fuerit Urbs diſtincta a Petra in Arabia Metropoli, ac in Palæſtina prima repoſita, veriſimilius tamen hanc ipſam eſſe Petram Arabiæ Petreæ exinde dictæ,

æ, ac Palæſtinæ tertiæ Metropolim, effectam oſtendit Relandus tom. 2. Palæſt. illuſtr. pag. 926, & ſeqq.

De Patriarchis Latinis, qui poſt expugnatas Orientis plagas, ereptaſque e Turcarum tyrannide, e gente ſua creati deinceps ſunt, id unum dixiſſe juvat, eodemque ordine, quo res ſucceſſit Latinis. Nempe anno 1098. Antiochia, cui tum præerat Johannes III. Græci ritus, ac paullo poſt Conſtantinopolim ſeceſſit, capta, ei præfectum fuiſſe Bernardum genere Gallum, alioſque novem uſque ad annum 1268, quo a Soldano Babyloniæ Chriſtianis Antiochia erepta eſt: quamquam in hodiernum diem creari a Pontificibus Antiocheni Patriarchæ non deſinant. Hieroſolymorum Urbe perinde anno 1099. potitis, quo tempore Simeon Patriarcha in Cypro Inſula, quó ob Muhamedanorum metum ſe receperat, fini ſuo conceſſerat, Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Patriarcha inauguratus eſt Daimbertus, primitus Archiepiſcopus Piſanus, aliique octo uſque ad annum 1187, quo a Saladino Ægypti Soldano Hieroſolyma capta eſt: etſi deinceps non deſtiterint alii, qui Acone uſque ad annum 1291, quo Acon Chriſtianis erepta eſt, ſedem defixerant: qui imo etiam num titulares Hieroſolymitani Patriarchæ renuntiari a Rom. Pontificibus non deſinunt. Quum vero anno 1204. Conſtantinopolis in Cruceſignatorum poteſtatem devenit, ſubque eorum poteſtate manſit uſque ad annum 1261, ſuperſtite licet adhuc Johanne Camatero Patriarcha Græco, ac inde ſecedente, præfectus primus eſt Thomas Maurocenus, aliique quinque poſt ipſum, quorum poſtremus Pantaleo Juſtinianus: quamvis ad hunc uſque diem creari Conſtantinopolitani Patriarchæ titulares nec deſierint. De Patriarcha Latino Alexandriæ præfecto gravior difficultas. Nam Alexandria potiti ante annum 1365, quo eam Petrus Rex Cypri cœpit, non ſunt Latini. Sæculi vero XIII. initio Alexandrinus Patriarcha audiebat Nicolaus a communione Romanæ Eccleſiæ haud alienus, ut liquet ex ipſius epiſtola ad Honorium III., quam refert Raynaldus ad annum 1223. num. 9; & Innocentii III. ad ipſum epiſtolis 146, 147, & 148. lib. 14, ac 34. lib. 16. Damiatam equidem maritimam Ægypti Urbem cœperant Latini anno 1219, ſed paullo poſt Saracenis dimittere compulſi ſunt. Eam-

dem rursum recuperaverat S. Ludovicus Galliarum Rex an. 1249, sed brevi pariter restituere coactus fuit. Tum primum Alexandriæ præfectos fuisse Patriarchas Latinos, cum Orientem armis occuparunt, affirmat Echardus Commanvillæus in Tab. Geog. Alphab. Gallic. Episcopatuum totius Orbis pag. 10. At quis, quandoque præfuerit, liquido non constat. Richardus Simonius equidem in Lexico Biblico, postquam Patriarchas duos supra quinquaginta, (qui Sollerio quinquaginta dumtaxat sunt), ex Nicephoro descripsisset, alios duodeviginti, qui post Alexandrinæ præfuerunt Ecclesiæ, subjungit, in quibus primum locum obtinet S. Athanasius genere Claromontanus anno 1219; post quem alii Latini eloquii duodecim usque ad annum 1647. eamdem præfecturam gessisse ibidem referuntur. At hoc Simonii additamentum, ut Sollerius vocat, nullam meretur fidem: siquidem cum aliorum Patriarcharum serie certioribus ex monumentis deducta a Solletio nec connecti possit, ipso teste, nec conciliari.

Observare interea obiter est immutata tum jura Patriarchalia fuisse, neque eadem apud Latinos mansisse integra, quæ apud Græcos vigebant, neque easdem Provincias sub iis Patriarchis: nam cujuslibet jurisdictioni assignatæ tum Regiones sunt, quæ eorumdem armis subjugabantur. Earum jura igitur sancivit, suisque circumscripsit legibus, ac limitibus Innocentius III., ut refertur in tract. de ipsius gestis tom. 1. epist. ejusdem edit. Baluzii. Posthac Bonifacius VIII. anno 1301. electionem quatuor Patriarcharum Orientis Apostolicæ Sedi reservare cœpit Constit. incip. *Sancta Romana Ecclesia* in 6. de Elect. cap. 3, qui antea a Capitulo Patriarchali eligebantur, sive postulabantur. Neque tamen ab eo tempore destiterunt Græci, quin Patriarchalibus Ecclesiis ex gente sua homines præficerent, qui tamen, ut diximus, aliis in locis Sedem defixerant. Postremo sub Patriarcha Constantinop. Latini ritus Provincias omnino 32. describit doctiss. Michael Lequiennius tom. 3. Orient. Christ.; sub Antiocheno Provincias ad minus 7; sub Hierosolymitano Provincias non pauciores 6; sub Alexandrino Diœcesim vix unam, Damiatam. Episcopales Cathedras, quod attinet, non idem semper earumdem numerus. Nilus Doxopatrius lib. 5. de Thronis Patriarchal., quem omnium primus

mus juris publici fecit Stephanus Moynius e grege Proteſtantium vir linguarum Orientalium peritus, ſæculo XI. dinumeravit ſub Conſtantinop. 664; & ſub Antiocheno 157. Alexandrino 114. ad minus; & Hieroſolymitano haud pauciores 100. paruiſſe leguntur paſſim in Actis Concil. Atque hactenus de Hierarchia Eccleſiæ Orientalis.

Ad Occidentalem Eccleſiam reflectendo nunc gradum, primus ſe offert Romanus Pontifex, in quo præter Primatis prærogativam, qua Eccleſiæ univerſæ præeſt, duplex peculiaris dignitas probe diſtinguenda eſt, Patriarchæ, qua Eccleſiæ Occidentali, & Exarchæ, qua Eccleſiæ Romanæ præſidet: quam quidem trinam Pontificis poteſtatem, neque pro ſua impudentia ſumma inficiari Salmaſius auſus eſt, Euchar. lib. 2. cap. ult. ſcribens: *Nec Primatem enim Italiæ ſpecialem, nec Occidentis fuiſſe Patriarcham; ſed eamdem omnino & in Oriente poteſtatem habuiſſe olim, quam in Occidente, eamdem porro & in qualibet Occidentis Provincia, quam in Italia.* Porro in omnes Provincias Occidentis longe, lateque diffuſam Patriarchicam Romani Pontificis poteſtatem dilucide probat ſynodica Concilii Arelatenſis anno 314. S. Silveſtrum ita alloquens: *Placuit a Te, qui majores Diœceſes tenes* &c. Diœceſum profecto nomine intelligens eas Provincias, a quibus Præſules illi ad Concilium venerant, Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, Africam &c. Pleraque alia, quæ ex Conciliis Patriarchalibus ſuppeterent, documenta non perſequar, ſiquidem hoc me officio defunctum jam memini par. 1. tom. 1. art. 3. in proleg. Comprobant id præterea epiſtola 10. S. Baſilii ad Euſebium, qua Romanum Pontificem *Occidentalium Coryphæum* vocat: nec in vituperium ſane, uti peſſime interpretatur Dupinius, utpote qui in epiſt. 77. S. Damaſum *Caput univerſalis Eccleſiæ* denominat: & epiſtola S. Hieronymi ad Marcum, ubi habet: *Hæreticum me cum Occidente; hæreticum me cum Ægypto; hoc eſt cum Damaſo, Petroque condemnent*: quibus S. Doctorem ſignificare voluiſſe, quod ſicuti Petri Alexandrini Ægyptus, ſic S. Damaſi Occidens Diœceſis eſſet, ſcire adnotavit Sirmondus. Significavit idipſum in lib. adverſus Vigilantium ſcribens: *Quid facient Orientis Eccleſiæ, quid Ægypti, quid Sedis Apoſtolicæ &c.* ita enim tres

Patriarchas Orientis Antiochenum, Ægypti Alexandrinum, & Occidentis Romanum deſignatos nemo non intelligit. Eodem ſenſu, intelligentiaque ſcripſerat ad Johannem Antiochen. S. Cyrillus Alex. oportere eos, qui *Occidentis totius* ad communionem adſpirant, S Cæleſtini P. M. ſententiam amplecti: innuens nempe Pontificis Diœceſim eſſe totum Occidentem. Quo vero jure, quam Patriarchico Occidentali *Eccleſiæ Præſidentem B. Innocentium* appellavit S. Auguſtinus lib. 1. contra Julianum cap. 2? Quid vero, quod idem S. Innocentius in epiſt. ad Decentium ea peculiari ratione Pontifici Occidentem eſſe obnoxium oſtendit, quod in Italia, Galliis, Hiſpaniis, Africa, Sicilia, Inſuliſque adjacentibus Eccleſiæ omnes a S. Petro, aut ab ejudem ſucceſſoribus Pontificibus fuerint inſtitutæ, & Epiſcopi conſtituti? Peculiari quin etiam ratione Pontifici Romano ſubjectum Illyricum docet in epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ: qua de ſubjectione præclarum etiam ſuppetit argumentum ex Actis Romanæ Synodi ſub Bonifacio II. Sub hoc itaque reſpectu Patriarchæ nomine Romani Pontifices inſigniti paſſim leguntur, S. Leo M. a Synodo Chalced. act. 3; & S. Hormiſdas a Juſtino Imperatore. Quin Juſtinianus Novel. 109. eumdem Pontificem denominat Patriarcham *Totius Orbis Terrarum, ſcilicet Heſperiæ, & Romæ*. Ubi Heſperiæ nomine, non Italiam ſolam, ſed totum Occidentem, qui Græcis Heſperia eſt, ideſt ad Occaſum vergens, deſignatum probe monet Petrus de Marca lib. 1. Conc. cap. 5. §. 4. Atque quidem ſub hac ipſa Heſperiæ acceptione Occidentem pariter omnem comprehendit Johannes VIII. in epiſt. ad Paulum Anconit. Apoſtolicas vices agentem in Germania, & Pannonia: *Non ſolum*, inquiens, *intra Italiam, ac ceteras Heſperiæ* Provincias, verum etiam intra totius Illyrici fines conſecrationes, ordinationes, & diſpoſitiones Apoſtolicæ Sedis patrare antiquitus conſuevit. Ita nempe Illyricum ad jus Patriarchicum Romani Pontificis etiam pertinuiſſe confirmans. Inſita, & inteſta perſuaſio eadem erat Patribus Græcis, unde S. Theodorus Studites in epiſt. ad Leonem Conſtantinopolit. Eccl. Cancell. Pontificem nuncupare *Occidentalem* Patriarcham non ambigit: nec imo S. Johannes Damaſcenus in orat. adv. Conſtantinum Imp. Patriarcharum *Primum* inſcri-

inſcribere: adeoque ut id inficiari nec auſi ſint Nilus lib. 2. de Prim., Zonaras, & Balſamon in Can. 6. Nicænum. Confer Baronium ad annum. 325. num. 135; Perronium contra Regem Angliæ cap. 33; & Coeſetellum adv. Spalat. par. 2. lib. 4. cap. 2.

Patriarchatum Romanum non in totum Occidentem ſe effudiſſe, ſed intra Regiones Suburbicarias, de quibus Rufinus lib. 1. cap. 6. Canonem 6. Nicænum interpretatus eſt hiſce verbis: *Ut apud Alexandriam, & in Urbe Roma, vetuſta conſuetudo conſervetur, ut ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Eccleſiarum curam gerat*, illum coarctatum fuiſſe; per has vero Eccleſias Suburbicarias juxta Rufinum intelligendum fore Territorium Præfecti Urbis intra centeſimum ab Urbe lapidem, quod in veteribus Epiſcopatuum Notitiis Ἐπαρχία Οὐρβικαρία denominatur, inque Imperatorum Reſcriptis nomine venit *Regionum Suburbicariarum*, contendunt Eduardus Stillingfleetus Decan. Lond. lib. de Orig. Britan.; Jacobus Gothofredus in diſſert. de Præfectura, & Epiſcopi Rom. Diœceſi, in Vindic., & in Notis ad Cod. Theod. lib. 11. tit. 1. L. 9; Claudius Salmaſius in epiſt. de Region., & Eccleſ. Suburbic., & in Comment. ad Trebellii Pollionis 30. Tyrannos tom. 2. pag. 315, & ſeqq.; M. Antonius de Dominis de Repub. Eccl. lib. 4. cap. 2; Samuel Petitus lib. 3. Miſcell. cap. 23; Guillelmus Beveregius ad Can. 6. Nicæn.; Petrus Molinæus in novitate Papatus lib. 4. cap. 8; Daniel Chamierus Panſtratiæ Cathol. lib. 14. cap. 1; Johannes Worſtius de Primariis Sedibus Epiſcop., præcipue de Rom.; Guillelmus Cavæus de veteri Polit. Eccleſ. cap. 3.; Fridericus Spanhemius diſſert. 1. de æqualitate veter. Metropol. cum Romana; Georgius Dorſchæus in vindiciis ad Exodum par. 2. pag. 109, & ſeq.; Samuel Baſnagius ad annum. 325. num. 52., & ſeq.; Jacobus Baſnagius hiſt. Eccleſ. tom. 1. pag. 352, & ſeq.; Chriſtianus Kortholtus diſſert. in Can. 6. Nicæn.; Proteſtanteſque alii, ad quos accedere non deputuit Launojum in diſſert. de Nicæni Can. 6. intelligentia, & defenſ. adverſus Valeſium; & Dupinium de antiq. Eccl. diſcipl. diſſert. 1. §. ult.: quibus ex parte adhæſit Bacchinius de Eccleſ. Hierarch. orig. p. 2. §. 13. Romano Pontifici equidem longe ampliorem juriſdictionem tribuens, quam tamen ſubinde intra ſolas

Pro-

Provincias Vicario Urbis obnoxias illam conſtringit: quo modo in partes Salmaſii, aliorumque Proteſtantium relabitur, contendentium Romani Pontificis jus Metropoliticum circa annum 400. definitum fuiſſe hiſce Provinciis, Piceno, Tuſcia, Latio, & Valeria, quæ Suburbicariæ dicebantur, ideo quod a juriſdictione Præfecti Urbis penderent, & ad centeſimum ab Urbe lapidem porrigebantur.

Rufini interpretationem velut intruſam rejicit, itaque difficultatis nodum non tam diſſolvit, quam præcidit Leo Allatius lib. 1. de Conſ. cap. 12. Quæ etenim eo loci de Suburbicariis Regionibus obtrudit Rufinus, ne volam quidem habent Nicæni 6. Canonis verſiones Vulgata, Dionyſiana, Iſidoriana, & Gratianæa: etſi vero mentio occurrat in uno Codice Juſtelli pag. 284. Bibliot. Canon. ; attamen ne ψευ, leveque veſtigium extat aut in exemplaribus Legatorum S. Zoſimi ad Concilium Carthag. VI; S. Leonis ad Concilium Chalcedon.; S. Gelaſii &c; aut in antiquiſſimis Codic. Mſs. Colbertino, Thuanæo, Pithæano, Foſſatenſi &c. apud Harduinum tom. 1. pag. 325: nec ulla de Suburbicariis hiſce Regionibus ſuſpicio inceſſit Socratem, Sozomenum, Alexium Ariſtenum, Simeonem Logothetam, Balſamonem &c., ut obſervavit Lupus in Scholio ad Can. 6. Nicæn. Accedit & illud incommodum, quod ſi vera eſſet iſta Rufini interpretatio, longe amplior fuiſſet juriſdictio Antiocheni, utpote in totum Orientem; & Alexandrini, ſiquidem in Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, quam Pontificis in Suburbicarias: quod putare nefas eſt, quum Patres Nicæni exemplar ex Romano acceptum Parriarchis aliis propoſuerint. Rufinum alii benigne, æqueque interpretari maluerunt: ſed in interpreratione nec inter ſe conveniunt, Can. Nicæno 6, juncta Rufini interpretatione, contendenribus aliis comparari ad illos Patriarchas jus Romani Pontificis Metropoliticum cum in decem Provincias Italiæ ſub Urbis Vicario, tum etiam in ſeptem Provincias alias pariter Italiæ ſub Vicario Italiæ: aliis componi inter ſe illos tres Patriarchas quoad jus Patriarchicum, quod a Romano Pontifice in Occidentem omnem diffunditur: aliis quin imo Romani Pontificis adſtrui Primatis jus in Orbem univerſum, ſub quo Patriarchis aliis certis limitibus deſignata fuerit poteſtas.

Ita,

Itaque Suburbicariarum nomine intelligendas decem Provincias, in quibus Pontifex peculiarem jurisdictionem exercet, Ordinationes celebrando, Synodos cogendo, causas definiendo, cujusmodi juris partes in ceteris Provinciis Occidentis aut Vicariis suis, aut Metropolitis, aut Synodis exercendas permittit, ad cujus juris proinde similitudinem Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno proprium in Provincias suas fuerit præscriptum, autumant Baronius ad an. 325. n. 135; Petrus de Marca lib. 1. Conc. c. 7; & Justus Fontaninus de amplit. Provinc. Summi Pontif., ut Romani Metropolitæ: neque hinc abludunt Leo Allatius, & Lupus locis indic., ac Pagius ad an. 325. n. 28. Probat subinde Petrus de Marca omnium Regionum Suburbicariarum Episcopos ad Romani Episcopi jurisdictionem speciatim, ordinationemque pertinuisse: & quidem Episcopos Apuliæ, & Calabriæ ex epist. S. Cœlestini I. ad eosdem; Campaniæ, & Brutii ex S. Athanasio in epist. ad Solitar.; Sardiniæ, & Siciliæ ex S. Gregorio M. in epist. sæpius ad eosdem scriptis. Rectius Canone illo 6. Nicæno, ac juxta Rufini interpretationem componi inter se Patriarchas quoad jus Patriarchicum existimant Valesius lib. 3. observat. Eccles. in Socratem, & Sozomenum pag. 188, & seq.; Sirmondus in Censura tum Gothofredi, cum Salmasii; Scheleſtratius Antiq. illust. par. 1. dissert. 2, & par. 2. dissert. 6; Natalis hist. Eccles. ad sæcul. IV. dissert. 19, & Pagius ad cit. annum n. 41., & seq.: ad quos proxime accedunt Hieronymus Aleander in refut. Gothofredi; Jacobus Gutherius in specula ad Leschasserii observat. de Eccles. Suburb.; Johannes Dartis de Regionibus, & Eccles. Urbic., & Suburbic.; aliique. Jam vero Salmasii, & Gothofredi conjecturas de Suburbicariis Regionibus elidit Sirmondus, errare eos definiendo Diœcesim Præfecto Urbis commissam intra centesimum ab Urbe lapidem ostendens: quandoquidem ex Diœcesibus 13. Imperii sub quatuor Præfectis a Constantino M. constitutis, nulla adparet Præfecto Urbis adsignata; & alioqui Diœcesis quum plures sub se Provincias complectatur, plures certe Provinciæ intra centum mille passuum tractum comprehendi nequibant. Suburbicariæ vero Regiones ad Vicarium Urbis spectabant, in quibus 10. erant, Campania, Tuscia, & Umbria, Picenum Suburbicarium, Sicilia, Apulia, & Calabria

labria, Brutii, & Lucania, Samnium, Sardinia, Corſica, & Valeria, ut habet Notitia Imperii; reliquis 7. Italiæ Provinciis, Venetiis, cum Iſtria, Æmilia, Liguria, Flaminia cum Piceno Annonario, Rhætia 1, & 2, Vicario Italiæ Mediolani commoranti ſubjectis. Peſſime igitur Provincias iſtas Salmaſius ad quatuor contraxit, nempe Tuſciam ſuburbicariam, Picenum ſuburbicarium, Latium vetus, & Latium novum; atque intra 100. Lapidem conſtrinxit. Altero argumento contra Salmaſium pugnat etiam Petrus de Marca lib. 1. cap. 3. deducto ex Notitia veteri Vaticana, apud Baronium ad an. 1057, quæ *69.* Epiſcopatus in Provincia Romana comprehenſos exhibet, quæque conflata erat ex Campania, Valeria, Piceno, Tuſcia ſuburbicaria, Tuſcia Annonaria, Umbria & Piceno Annonario: ex qua concludit Salmaſium Rufini interpretationem non eſſe aſſequutum. Ad comprobandum denique Canone *6.* Nicæno deſignatum jus Patriarchicum alia documenta adfert Valeſius, ac præſertim depromptum ex act. 4. Concilii Chalced., quæ apud ipſum, & Pagium videri poſſunt.

Intra hæc haud concluduntur Rufini interpretationes, ſed eumdem interpretandi alii aliam rationem ineunt. Davidius Peronius obſervat Urbis nomen antonomaſtice frequenter accipi pro Romana Urbe a ceteris diſcreta: qua ratione S. Cyprianus epiſt. 4. Clericos Romanos *Urbicos*; Concilium Arelatenſe Can. 18. Diaconos Romanæ Eccleſiæ *Urbicos*, & S. Optatus lib. 1. S. Zephyrinum Epiſcopum *Urbicum* appellarunt: quem in locum Albaſpinæus *Urbicus*, inquit, *in antiquis Auctoribus pro Romanis accipitur*. Hinc ſub hac antonomaſtica acceptione Suburbicariæ dicebantur Regiones, quæ Romanæ Præfecturæ ſuberant: quæ Urbica Præfectura ultra centeſimum ab Urbe lapidem non porrigebatur. Præterea ſicut Urbis nomen reſpectum habebat ad Territorium Imperiale, & ad Territorium Municipale, ita Suburbicariæ Regiones aut referebantur ad Urbes in Territorio Imperiali comprehenſas, aut reſpiciebant Urbes dumtaxat concluſas in Territorio Municipali. Juxta hanc igitur diſtinctionem intelligendum Rufinum jubet primo modo, non ſecundo, ideſt per Suburbicarias Regiones deſignare voluiſſe Urbes nedum in Territorio Urbis Romæ, ſed etiam in Territorio Imperiali contentas: quo modo

modo Territorium Imperiale dictum olim eſt *Romania*; & a S. Athanaſio in epiſt. ad Solit. Sedes Apoſtolica *Totius Romaniæ Metropolis* appellata legitur. Verum huic interpretationi id valdequam obeſt, quod Territorium Imperiale præter Occidentis Urbes ferme omnes, pleraſque oppido complecteretur in Oriente: ac propterea comparatio facta Nicæno Can. 6. Pontificis Romani cum Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno, Rufini ſententia, non fuiſſet quoad jus Patriarchicum. Tenebit vero in eorum opinione, qui de jure Primatis, quo in Orbem univerſum potitur Romanus Pontifex, Canonem illum volunt intelligi. A qua opinione quidem neque plurimum abhorrent Valeſius obſervat. lib. 3. cap. 7; Morinus lib. 1. Exercit. Eccleſ. exercit. 30; Lupus in Schol. ad Can. 6. Nicæn., Sirmondus diſſert. 2. de Suburbic. cap. 4; aliique. Obſervant enim olim ab Auguſto Cæſare uſque ad Conſtantinum M. totum Orbem Suburbicarium fuiſſe, videlicet Urbi Romæ ſubmiſſum: poſtquam vero a Conſtantino Imperii Sedes Conſtantinopoli defixa eſt, multoque magis poſtquam diviſum inter Imperatores fuit Imperium, Orientem Suburbicarium eſse deſiiſſe, & ſolum ſub hoc nomine, ac ſubjectione manſiſſe Occidentem. Hoc itaque ſenſu a Rufino dictas Suburbicarias Regiones omnes Occidentales: atque iſto ſenſu Canone 6. Nicæno inſtitutam comparationem Patriarcharum ad Romanum Pontificem quoad jura Patriarchalia: quo pacto eumdem utique Canonem accepiſſe videntur S. Innocentius I. in epiſt. 18. ad Alexandrum Antioch.; S. Hieronymus in epiſt. ad Pammachium; S. Leo M. in epiſt. 35. ad Anatolium, & 55. ad Pulcheriam; Patres Concilii Chalced. act. 16; & Synodi VIII. act. 17: quibus conſone interpretati Canonem eumdem ſunt Johannes Scholaſticus, Zonaras, & Balſamon, ut adnotavit Valeſius cap. 3. Quid tamen prohibet, quominus putentur Nicæni Patres minime reſpexiſſe ad Provinciarum diviſiones juxta partitionem Imperii poſtea factarum, quin imo Rufinum per Suburbicarias indiſcriminatim deſignaſſe Regiones omnes Imperio Romano obnoxias? Quomodo enim in Cod. Theod. Canon Frumentarius, quo a Provinciis Suburbicariis, quæ in Italia nedum, ſed in Africa, & Ægypto comprehendebantur, certa ſingulis annis annona Romam comportanda indicebatur,

Canon *Urbicarius* denominabatur, ita recte dici a Rufino potuerunt Regiones Suburbicariæ omnes, quæ ſub Romani Pontificis juriſdictione ubique gentium degerent. Quo ſenſu plane ſequeretur Canone 6. Nicæno Pontificis Romani Primatum ſignificatum: ideoque factum fuiſſe, ut in nonnullis veteribus Collectionibus, uti Colbertina, Pariſienſi Soc. J., Foſſatenſi, Hardii, Juſtelli, Pithæi, aliiſque, ut obſervarunt Harduinus, & Valeſius, hic Canon 6. inſcriptus ſit: *De Primatu Romanæ Eccleſiæ*: atque ita accipiendum reapſe voluerunt S.Bonifacius I.in epiſt. ad Epiſcopos Theſſal., S. Leonis Legati in Concilio Chalced. act. 16; S. Felix III. in epiſt. ad Clericos, & Monachos Orient., S. Gelaſius in epiſt. ad Orient., & S. Nicolaus I. in epiſt. 41. ad Galliar. Epiſcopos.

Deveniendo nunc ad Diœceſes, ac Provincias Romano Patriarchatui obnoxias, prima ordine occurrit Diœceſis Italica una cum Provinciis 17, e quibus 10. ab Urbis Vicario, reliquæ 7. ab Vicario Italiæ adminiſtrabantur, veluti videre eſt apud Scheleſtratium Antiq. illuſt. diſſert. 4. Hanc Provinciarum Italiæ partitionem Civilem in duos Vicarios factam ſub Honorio duplex altera præceſſerat prima ſub Auguſto, & ſecunda ſub Hadriano. Antehac Italia comprehendebatur intra Rubiconem, & Arnum: ab Arno, & Rubicone uſque ad Alpes Gallia nuncupabatur, quæ a Pado per medium diſſecta, quæ ad Alpes vergebat, Tranſpadana, quæ ſe exporrigebat ad Rubiconem Ciſpadana denominabatur. Jure Latii, ſive jure electionis in Comitiis initio potiebantur ſoli Itali; quo jure tandem potiti Galli quoque, ſive Ciſpadani, ſive Tranſpadani ſunt: exindeque in unam Italiæ Provinciam Gallia coaluit. In 11. Regiones deinde Italiam partitus Auguſtus legitur apud Plinium lib. 3. cap. 5., quarum 1. comprehendebat Latium vetus, ac novum cum Campania: 2. Placentinos: 3. Lucanos, Aprutios, Salentinos & Apulos: 4. Ferentanos, Maruncios, Pelignos, Marſios, Veſtinos, Samnitas, & Sabinos: 5. Picenum: 6. Umbriam: 7.Hetruriam: 8.Galliam Ciſpadanam: 9. Liguriam: 10. Venetos, Carnios, Japigos, & Iſtrios, & 11. Galliam Tranſpandanam.Inſulæ adjacentes extra cenſum Italiæ veniebant. Alteram diviſionem Italia ſubiit ſub Hadriano, a quo duas in-

partes

partes diſſecta univerſa fertur, quarum ſub prima comprehendebantur Regiones a Piceno uſque ad Siciliam, in ſecunda vero Regiones cis, & ultra Padum, necnon Alpes uſque ad Appenninos: quarum nomine veniunt Maritimæ a Nicæa ad Barcinonem, & Montem Veſuvium; Cottiæ a Monte Ceniſio; & Grajæ a Monte S. Bernardi parvi: Apenninæ vero a Monte Jovis, ſive a Monte S. Bernardi Majoris ad Montem S. Gothardi protenduntur; de quibus plura loqui non præſtat.

Quod ad Eccleſiaſticam diviſionem pertinet, quæ propius ad me attingit, principio Romano Pontifici tanquam Patriarchæ obnoxiæ erant, ſuntque etiamnum, in Urbe quinque Patriarchales Sedes, ſive Baſilicæ S. Salvatoris, S. Mariæ Majoris, S. Petri, S. Pauli, & S. Laurentii: in quarum prima Cardinales Epiſcopi 7, nunc 6, erant affixi, teſte S. Petro Damiani lib. 2. epiſt. 1, in reliquis quatuor Baſilicis totidem Cardinales Presbyteri, qui præterea aliarum in Urbe Eccleſiarum titulis erant inſigniti: quos Titul. a S. Evariſto 25. inſtitutos vulgo fertur, de quo tamen numero dubitat doctiſſ. Antonellus in differt. de Titul. Cardinal. pag. 4, qui numerus poſtea a S. Hygino, ſive aliis ad 28. adauctus manſit ita uſque ad annum circiter 1455, ideſt uſque ad Calliſtum III, a quo unus adjectus, alter deinde a Sixto IV; 11. a Leone X; 3. a Julio III; 1. a Paulo IV; 1. a Pio IV; & 3. a S. Pio V, adeoque ut uno ſupra viginti numerus ille vetus ſit adauctus. Sed de his adiſis Pagium in Alexandro V, Cl. Antonellum loco indic., & Hieronymum Platum in tract. de Cardin. dignitate, & officio additionibus, notis, & diſſert. aucto, & illuſtrato a doctiſſ. Johanne Andrea Tria cap. 2. §. 2. Epiſcopi, qui extra Urbem Pontifici ceu Exarchæ, ſive Metropolitæ erant obnoxii, 69. recenſebantur olim in Notitia ex Mſs. Cod. Vatic. a Baronio deſcripta, de qua paullo ſuperius: quem numerum ſub tempus S. Petri Damiani ad 61. contractum eodem loci ad annum 1057. exhibet: uterque vero numerus intelligi utique debet de Epiſcopis 10. Provinciarum, quæ Urbis Vicario parebant, non etiam de eis, qui in 7. Provinciis Vicario Italiæ obnoxiis degebant: ex utriſque vero ad devexiorem uſque ætatem Epiſcopi 71. enumerati ſunt ab aliis Metropolitis exempti, ac Pontifici ullo abſque medio ſubjecti. Poſt

modum Romano Pontifici, tanquam Metropolitæ, obnoxii ſeguntur Epiſcopi in Sabina 2; in Latio, & Campania 10; in Tuſcia, ſive Patrimonio S. Petri 13; in Umbria inferiori 9; in Umbria ſuperiori 3; & in Piceno, ſive Marchia Antonitana 4. De Italiæ Epiſcopis confer Ferdinandum Ughellum in Ital. Sac. tom. 9, cum animad. & ſupplem. Nicolai Coleti tom. 10; Ambroſium Lucentium in Italia Sac. tom. 2; Auguſtinum Lubinum in Ital. Eccleſ. in 20. Provinc.; Joſephum Cantelium in Metropolit. Urb. hiſt. Civil., & Eccleſ.; Petrum Marcellinum Corradinum in veteri Latio ſacro, & profano tom. 2, addito 3. a Joſepho Rocho Vulpio Soc. J.; Dominicum Georgium de antiq. Ital. Metropolibus; Gaſparem Barettam in Comm. ad tabulam Italiæ Græco- Langobardico-Francicam tom. 10. Script. Ital. Muratorii, alioſque ſupra, ac infra laudandos.

In Italia, viciniſque Inſulis temporis decurſu Provinciæ Eccleſiaſticæ, ideoque Metropolitæ ad 36. excreverunt; quos juxta ordinem Geographicum, & ſeriem Notitiæ Vatic. obiter indico. In Campania Metropolis evaſiſſe fertur anno 962. Neapolis, de cujus SS. Epiſcoporum cultu adeundus doctiſſ. Mazochius in vol. 2. edit. Neap. 1753; cui hoc tum præfuiſſe nomine Nicetas refertur; eique ſubjugati Epiſcopi 4. ſunt. Præterea inſtituti Archiepiſcopatus 5. alii, Capuanus anno 966. ad hunc honoris gradum ſublimatus a Johanne XIII, teſte Ughello tom. 6, adſignatis ſuffraganeis 9; Compſanus, cui ſuffraganei 5; Surretinus, cui 3; Teatinus a Clemente VII. erectus, cui ſuffraganei 4. olim, nunc 15; & Anxanenſis a Pio IV. inſtitutus abſque ſuffraganeis. In Valeria Latio contermina verſus Campaniam, ſive Marſis in Notitia Vatic. olim. Epiſcopi 6. enumerabantur. In Samnio ex parte nunc Aprutii citerioris Beneventum Metropolitica dignitate adauxit anno 969. Johannes XIII. apud Ughellum tom. 8; de quo vide Georgii Dominici diſſert. epiſtolic. ad Cardin. Imperialem; eidemque dein ſubmiſſi Epiſcopi 20. leguntur. In Lucania Metropolis circa medium ſæculum XI. conſtituta a Nicolao II. eſt Acheruntia, ſubjectis 5. Epiſcopis. Amalphis etiam circa exitum ſæculi X, ſive anno 982. a Sergio III. cum ſuffraganeis 4. Salernum item anno 984. a Benedicto VII. Archiepiſcopali dignitate exornatum eſt, adjectis 8. ſuffraganeis. In Apulia Barium circa annum 530.

Feli-

Felicis IV. auctoritate ab Epiphanio Conſtantinopolit. Patriarcha ad Metropolim evectum fertur, apud Ughellum tom. 7; de quo conſule etiam Antonium Beatillum in append. ad vitam S. Sabini; eique Epiſcopi olim 12. obediebant, nunc 9. dumtaxat. Tranum Archiepiſcopatus inſignibus illuſtravit Innocentius II, eidem 2. Epiſcopis ſubjectis. In Tranenſi Diœceſi Barulum ſedes aſſignata eſt Archiepiſcopo Nazaræno, poſtquam anno 1290. e Palæſtina Turcarum armis ſubacta profugus eó ſe recepit. Manfredonia, alias Sipontum, Archiepiſcopatus honore exornata unum habet ſuffraganeum: non ſecus ac unus ſubjacet Brunduſino dignitate eadem adaucto circa medium ſæculum XI. Circa idem tempus Hydruntinus, de quo Franciſcus Maria de Aſte in Epitome memor. Hydr. Eccleſ., inter Metropolitas locum obtinuit, eique 5. ſuffraganei parent. Tarentinus eodem honore, circa idem tempus cumulatus, 3. Epiſcopis præeſt. In Calabria, quæ olim in Brutios, & magnam Græciam diſtinguebatur, nunc autem in Citeriorem, & Ulteriorem, unus olim audiebat Metropolita Rhegienſis, ut habent Diatypoſis Leonis Sapientis, & Nilus Doxopatrius in tract. de 5. Thron. Patriarch. anno 1043. ad Rogerium Siciliæ Regem ſcripto. Ex quo vero tempore Leo Iſauricus Siciliam, & Calabriam a Patriarchatu Romano abſtraxit, Syracuſæ, & Rhegium inter Metropoles Conſtantinopolitano adjunctas leguntur in laudata Leonis Notitia, ac Rhegio obnoxiæ 12. Epiſcopales ſedes. Poſt id temporis a Græcis in Archiepiſcopatus erectæ in Apulia Hydruntina, & in Calabria S. Severinæ Eccleſiæ, ut habet cit. mox Notitia; dum interea Barenſis, & Brunduſina cum aliis inferioribus in Apulia a Patriarchatu Conſtantinopolitano divulſæ fuerant a Ludovico II. Imp. Calabriæ citeriori acceſſere deinde aliæ duæ Metropoles Conſentia, ad hanc dignitatem evecta ſæculo XI, quæ unicum habet ſuffraganeum, & Roſcianum ſuffraganeis omnino carens. In Calabria vero ulteriori Rhegium, quæ Metropolis fertur antiquior, nunc 10. Epiſcopis præeſt: altera Metropolis S. Severina, olim Syberena, hoc honore a Græcis cohoneſtata videtur, cui olim 7, nunc 6. Epiſcopi obtemperant, apud Ughellum tom. 9. Porro ex Archiepiſcopatibus 22; & Epiſcopatibus 114. Regni Neapolitani, ad Regiam præ-

præſentationem Archiepiſcopatus 8, & Epiſcopatus 18. attinere obſervant Marinus Freccia de Subfeud., & Proſper Auguſtinus in Notis ad Stephani Quarantæ Bullarium. Aliæ præterea Epiſcopales Cathedræ 20. circiter in Regno Neapolitano olim enumerabantur, plurimæque etiamnum, quæ inter exemptas erant, aut aliis dein adjunctæ ſunt.

In Hetruria quatuor Archiepiſcopales Cathedræ conſtitutæ ſubinde ſunt: Florentina, quam hacce dignitate a Martino V, poſt Concilii Conſtantienſis exitum, exornatam refert Ægidius Cardin. in hiſt. 20. ſæcul., eique ſubjectas 5. Epiſcopales ſedes, de qua legendus Lucas Joſephus Cerrachinus in Chronolog. Archiep. Florent., cum Diario Ital. tom. 27. pag. 431. Piſana, quæ ad Metropolim evecta anno 1077. a S. Gregorio VII. videtur, dum eidem obnoxiam dixit Corſicam: expreſſius vero a Gelaſio II. anno 1118, a quo Corſicæ Epiſcopi ejus ſuffraganei dicti ſunt. Quinimo Piſano Antiſtiti nedum in Corſicam, ſed & in Sardiniam Legationem Apoſtolicam impoſitam ab Urbano II. auctor eſt Innocentius II. in Diplomate apud Ughellum tom. 3, quo Piſano eumdem Primatum confirmavit anno 1138. Quin inſuper Innocentius III. eumdem Primatum, quem Piſano a ſuis deceſſoribus Hadriano, Alexandro, Clemente, & Cæleſtino collatum aſſerit, confirmaſſe legitur apud Oldoinum in addit. ad Ciaconium. Videſis Thomaſſinum vet., & novæ diſcipl. par. 1. lib. 1. capp. 37, & 45. Piſano ſuffraganei olim omnes Epiſcopi Corſicæ erant, nunc tres dumtaxat: Sardiniæ duo, nunc nullus: Tuſciæ duo, nullus nunc. Senenſis Eccleſia tertium in Hetruria Metropoleon locum occupat, hac dignitate adaucta a Pio II. anno 1459; eidem ſubmiſſis 4. Epiſcopis. Luccenſem denique Eccleſiam dignitate Archiepiſcopali adauxit Benedictus XIII. Conſtit. 167. In Umbria nulla olim Metropolis obtinebat, ſed uni Romano Pontifici ceu Metropolitæ erat obnoxia. In parte Umbriæ deinde, quæ antiquitus ad Senonenſem, & Galliam Togatam attinebat, Urbinas Antiſtes a Pio IV. anno 1563. ad Metropoliticam dignitatem fuit exaltatus, præfectuſque 6. Epiſcopis. Confer Em. Card. Annibalis Albani Memorias Urbinat. tom. 3. In Piceno utroque pariter cum Suburbicario ſub jure Urbis

bis Vicarii, tum Annonario ſub jure Vicarii Italiæ, jampridem Metropolitica jura unus Pontifex exercebat: donec a Sixto V. P. M. anno 1589. Firmum in Metropolim erectum eſt, ſubjugatis eidem 5. ſuffraganeis.

De Inſulis Italiæ adjacentibus, quæque in cenſum decem Provinciarum Urbis Vicario ſubmiſſarum ingrediebantur, paucis, quoad ejus fieri poteſt, differere nunc præſtat. In Sicilia, alias denominata Sicania, Sicelia, Trinacria, & Triquetra, Caput olim in ordine Civili Syracuſæ, teſtibus Livio lib. 2. decad. 3, & Cicerone lib. 4. in Verrem orat. 9; ordine etiam Eccleſiaſtico Urbs inſignis, cujus Epiſcopus Chreſtus Concilio Arelatenſi I. anno 314. a Conſtantino M. invitatus interfuit: ex quo Petrus de Marca lib. 1. cap. 7. §. 4. conjecit Syracuſanum Antiſtitem tum temporis totius Inſulæ Metropolitam egiſſe; conjecturam ſuam confirmans ex verbis Conſtantini apud Euſebium lib. 10. hiſt. Eccl. cap. 5. juxta verſionem Chriſtophorſoni, quibus vocatus legitur cum duobus aliis Epiſcopis *ex ſecunda Sede*: in Græco etiam legi *cum duobus ſecundi Throni* vocatus Chreſtus obſervavit Scheleſtratius diſſert. 4. cap. 5. Verum Valeſius in Notis ad cit. locum Euſebii legendum rectius cum duobus *ſecundi Ordinis*, quo nomine commode deſignati a Conſtantino duo ſimplices Presbyteri intelligi poſſint, adnotavit. In Notitia Leonis Sapientis, & Nili Doxopatrii Syracuſanus ſane inter Metropolitas locum habet, eique ſuffraganei 21. olim adſignati ibidem leguntur. Nihilominus nonniſi ſub tempus S. Gregorii M., hujuſque beneficio Syracuſanum ad Metropoliticam dignitatem conſcendiſſe arguunt Thomaſſinus vet., & nov. diſcipl. par. 2. lib. 3. cap. 40. n. 9., & Franciſcus Orlendius Orbis ſacri, & profani par. 1. lib. 4. cap. 5, ex S. Gregorio ipſo lib. 5. ind. 14. epiſt. 18, nunc 118; quo loci Johannem Syracuſanum Pallio inſignit, quin alios ejus deceſſores eodem honore decoratos commemorat; & lib. 7. ind. 1. epiſt. 28. ind. 2. epiſt. 62, & ind. 11. epiſt. 93. E contra Cantelius in hiſt. Metropolit. Urb. par. 3. diſſert. 5. cap. 4, Noriſius in Synod. V. cap. 10, & Pagius ad annum 892. n. 12. tardius, ideſt poſtquam Siciliam a Saracenis circa hoc tempus invaſam Patriarcha Conſtantinopolit. in proprium jus tranſcripſiſſet, ad Siculos ſibi magis.

gis devinciendos, Metropolitica dignitate ab eodem adauctos Syracuſanum, & Catanenſem, Archiepiſcopali etiam Meſſanenſem, & Tauromenitanum exornatos fuiſſe exiſtimant: quo de argumento pro, & contra agunt fuſius Antonius ab Amico in diſſert. hiſt. Chronolog. de Metrop. Syrac., & Rochus Pirrus tom. 2. Siciliæ ſacræ, & tom. 3. Theſauri Siculi. Ut ut enim ſit, Syracuſanus hodie Metropolitica dignitate expers eſt, ea tranſfuſa in Meſſanenſem, cujus ſuffraganei 3; in Panormitanum, cui ſuffraganeos 3. ſubjecit Hadrianus IV; de cujuſque Primatu videndus Rochus Pirrus tom. 1. Sicil. ſacr., Franciſcus Baronius, & Manfredius lib. 4. cap. 5. de Majeſt. Panorm., & tom. 13. Theſ. Siciliæ; atque in Montem Regalem a Lucio III. ad preces Willelmi II. Regis ad Metropolim elevatum, cui duo ſubmiſſi Syracuſanus, & Catanenſis, de quo confer Pagium ad annum 1183. n. 3, & ſeq.

In Sardinia Calarim S. Athanaſius, cui ſuppar erat celebris Lucifer Calaritanus, Metropolim appellat in epiſt. ad Solit., neque ipſa Metropolim jam tum fuiſſe etiam ordine Eccleſiaſtico, ac Luciferum Sardiniæ, & Corſicæ Primatem egiſſe pugnat Ambroſius Machin in defenſ. Sanctit. Luciferi Sard., & Corſ. Primatis. At S. Athanaſium loquutum de Metropoli Civili dumtaxat contendunt Valeſius, Pagius, & Thomaſſinus loco ind. Calarim demum a S. Gregorio M. in Metropolim erectam autumans. Atque quidem S. Gregorius lib. 7. epiſt. 11., nunc lib. 8. epiſt. 5. Januarium Calaritanum inter alios 11. Metropolitas nominat, qui tum degebant in ea Patriarchatus Romani parte, quæ Mauritii Imperio parebat, dum aliis Principibus obnoxiæ erant Africa, Hiſpaniæ, & Galliæ. Duæ aliæ deinde Metropoles ſuperadjectæ ſunt, Saſſaris, olim dicta Turris Libyſſonis, ſive Turris Biſſonis, unde etiam Turritanus Antiſtes eſt denominatus; & Arborea, de quibus legendus Salvator Vitalis in Annal. Sardiniæ tom. 15. Theſauri Siciliæ. Calaritano ſubſunt ſuffraganei 3; Saſſeritano 8; & Arborenſi 5. in Notitia Milonis, & Catharenſis in Dalmatia Epiſcopi: ſed nunc Turritano 7. dumtaxat, & Arborenſi 3. Agit copioſe duobus Tomis de Archiep., & Epiſcopat. Sardiniæ lingua Hiſpan. adornatis Franciſcus de Vico edit. Barcin.

cin. 1639; ac Tomo 2. pag. 15. Diploma Ludovici Imper. refert, in quo inter Provincias anno 817. Romano Pontifici ab eo donatas locum habet Sardinia. In Corſica, olim Cyrno dicta maxime a Græcis, teſte Strabone lib. 5, nulla unquam Metropolis Eccleſiaſtica, ſed qua Piſano Adjacenſis, Alerienſis, & Sagonenſis; qua Genuenſi Accienſis, & Nebienſis Epiſcopi obnoxii erant: quin Genuenſi 5. ſuffraganeos referunt Notitiæ Catharenſis Epiſcopi, & Milonis Abbatis: e quibus poſtea Accienſi adjuncta a Pio IV. Marianenſis Eccleſia eſt. Sagonæ vero nunc vix conſpiciuntur veſtigia; de quibus videndus Ughellus tom. 3. Italiæ ſacræ: atque hactenus de Metropolibus Eccleſiaſticis decem Provinciarum, quæ Urbis Vicario parebant.

Referendo nunc pedem ad reliquas 7. Provincias, quæ Italiæ Vicario ſuberant, in Provincia Venetiarum, & Iſtriæ ordine Civili Metropolis jam ſub Hadriano Imp. habebatur Aquileja: quo vero tempore hoc ipſo Eccleſiaſtico honore haberi cœperit, in obſcuro latet. A S. Marco, aut S. Petri diſcipulo Hermagora inſtituta fertur; ſed hinc nequit inferri jam tum eo loco dignitatis habitam, quo poſtmodum fuit: de ejuſdem Patriarchatu dicam poſtea. Effuſam olim ipſius juriſdictionem in Venetias, ſeu ut nunc vocant, in Marcam Tarviſanam uſque ad Brixienſium confinia, Forumjulium, Iſtriam, Noricum utrumque, Ripenſe, & Mediterraneum, ac Rhætiam 2, pugnat Noriſius, repugnat vero Sirmondus, qua de re paullo infra. Aquileja exciſa, Utinum tranſlata eſt Sedes Patriarchica, eique exinde obnoxiæ evaſerunt Urbes Epiſcopales 16. omnino. In duos Patriarchatus diſſectus Aquilejenſis Gradenſi locum fecit circa annum 580, qui poſterior annos 870. poſtquam duraſſet, Venetias anno 1450. translatus quinque non amplius ſub ſe habet ſuffraganeos: alia parte tamen Primatis dignitate adauctus fuit tum anno 1053. in Provincias Venetiæ, & Iſtriæ, tum anno 1157. in Dalmatiam: ſed de hac gemina Gradenſis Antiſtitis dignitate poſtea: vide interea Pagium ad cit. an. n. 8. Denique Aquilejenſem in duos partitus eſt BENEDICTUS XIV, in Utinenſem ſub Veneta, & Gorizienſem in ditione Auſtriaca. Dandus hic locus aliis Metropolibus in ditione Venetorum, aut proxime ad litora Adriatici poſitis: in qui-

bus Spalatenſis Archiepiſcopus, alias Salonitanus, ſuffraganeos 10. dinumerat, quorum 7. ſub Turcarum ditione: Jaderenſis 3: Antibarenſis Regni Serviæ Primas anno 1062. ab Alexandro II. inſtitutus 9, ex quibus 7. ſub tyrannide Turcarum: Raguſinus 6, olim quidem ſub ditione Regis Hungariæ, nunc ſub Turcis: Dyrrachinus 5: Cretenſis 7: Nicoſienſis in Cypro Latini ritus 7; dum Græci ritus Metropolitæ ſuberant alii 4: & Athenienſis 10. ſub V. Innocentio XI. e Turcarum poteſtate erepti. In Æmilia Bononia, quæ modo Hetruſcis, Gallis modo, nunc Romanis, nunc Langobardis, aliquando etiam privatis Civibus ſubmiſſa, ſub Julio II. demum in Pontificiæ ditionis partem venit, demum a Gregorio XIII. anno 1582. a Ravennatis obedientia abſtracta in Æmiliæ totius Metropolim erecta eſt, eidem ſubjugatis 6. aliis: e quibus Cerviani, & Imolam Ravennati Clemens VIII. reſtituit, locoque adjecit Cremam, & Juliam Fidentiam. Flaminiæ Urbs Princeps Ravenna, quæ a Langobardis erepta, Romanæque Eccleſiæ ſubjugata occaſionem præbuit, cur Provinciæ Flaminiæ veteri abolito nomine, Romandiola vocari deinceps a Carolo M. juberetur, quod ei nomen adhuc num adhæret, Ravenna, inquam, ordine tam Civili, quam Eccleſiaſtico Metropolis antiqua fuit; cujus de antiquitate paullo poſt; eique olim obnoxiæ Epiſcopales 11. Sedes erant: e quibus præter Bononiam, de qua mox, poſtmodum Ferraria ſubtracta Metropolitica dignitate a Clemente XII. adaucta fuit. Videndus Ughellus tom. 2, & tom. 10. pag. 264. De Epiſcopalibus Cathedris in Piceno Annonario erectis ſpeciatim dicere non præſtat, ſiquidem in earum circiter 70. cenſum veniant, quæ exemptæ uni Pontifici Romano ceu Metropolitæ ſubjacuere.

Inſubriæ in Gallia Ciſalpina olim computatæ Metropolis antiquiſſima Mediolanum eſt, conditum ante Chriſtianam æram anno 596. Langobardis ablato Regno ejuſdem Archiepiſcopo Carolus M. jus, quod jampridem a S. Gregorio M. tributum fertur, coronandi Reges Italiæ Modoetiæ corona ferrea reſtituiſſe perhibetur, a quo ipſe primus inaugurari voluit. Quum primum Urbs ſui juris eſſet, aut imo Principatum in ea gereret Archiepiſcopus, deinde ſub Friderico Ænobarbo Duces eligi in eadem cœperunt: quibus ſublatis in jus Regum nunc Galliæ, nunc Hiſpaniæ, ac tan-

tandem in Regiæ Domus Auſtriacæ tranſiit. De ejuſdem antiquitate in ordine Eccleſiaſtico diſputabo poſtea, non ſecus atque de juriſdictionis Eccleſiaſticæ extenſione; quæ olim quomodocumque ſe effunderet, ea nunc intra 15. Urbium terminis definitur, conſtringiturque. Ad inſtantiam S. Caroli Borromæi ibidem Gregorius XIII. P. M. ſeptem Principes Eccleſias ad ſimilitudinem illarum 7, quæ inter alias Romæ illuſtriores habentur, privilegiis, indulgentiiſque exornatas conſtituit. Conferri interea poterunt, qui de celeberrima Mediolanenſi Metropoli copioſe diſſerunt Ripamontius in hiſt. Eccleſ. Mediol.; Boſſius in elog. Archiep. Mediol.; Muratorius tom. 1. Anecd. Latin., & Scriptor. Ital. tom. 1. par. 2., & tom. 4. pag. 141, & ſeqq.; Franciſcus Beſozzi in hiſt. Pontifical. Mediol.; Puricellus in Monum. Eccl. Mediol. tom. 4. Theſ. Ital.; Ughellus tom. 4; Carolus Baſcape in Athen. Mediol., aliique plures, quos recenſere non præſtat. In Liguria olim diſtincta in Litoream, & Mediterraneam, ſive in Ciſapenninam, & Tranſapenninam, in Liguria Litorea, quæ nunc in Orientalem, & Occidentalem dividitur, Janua ab Innocentio II. e jugo Mediolanenſis erepta Metropolis inſtituta eſt, ei ſubjectis 6. Epiſcopatibus, e quibus duo in Corſica. Vide Ughellum tom. 4. Pedemontii Galliæ Subalpinæ denominati Urbs Princeps Taurinum, ſive Auguſta Taurinorum, ubi anno 397, aut 401. celebre habitum Concilium eſt, non equidem ab Epiſcopis Galliæ Narbonenſis, ut recte admonet Pagius ad annum 401. num. 30, etſi aliquos interfuiſſe diffitendum non ſit, bene vero ad eorum preces ab Italiæ Epiſcopis, quibus impoſita ſparta componendi controverſiam Epiſcopos Arelatenſem inter, & Viennenſem circa jus Metropoliticum, quæ Can. 2. definita fuit, ex quo arguere licet non ad Narbonenſis, ſed ad Mediolanenſis jus Metropoliticum illud pertinuiſſe, Taurinum, inquam, ſicut a Langobardorum jugo Carolus M., ſic poſtea a Mediolanenſis juriſdictione ſubtraxit Sixtus IV, ac deinde ad Metropoliticam dignitatem evexit Leo X. anno 1515. die 12. Maji: ei ſubjacent 5. Epiſcopi Eporedienſis, Montiſregalenſis ab Urbano VI. inſtitutus, Salutienſis a Julio II, antea exemptus, Foſſanenſis a Clemente VIII, & Pinerolienſis a BENEDICTO XIV. Adeundi Ughellus tom. 4; Pingonius in

antiq. Augustæ Taur. tom. 9. Thes. Ital. par. 6; Augustinus ab Ecclesia in Catalag. Card., Archiep., & Episcop. Pedem.; Emanuel Thesaurus in hist. Taur. &c. In Allobrogibus Tarantasiensis Metropolis audit, de qua paullo post, cui suffraganei adjecti Episcopi Sedunensis, & Augustæ Prætoriæ a Mediolanensis jurisdictione abstractæ: de hac Metropoli agunt San Marthani tom. 1. Galliæ Christ. pag. 663, & seqq., ac Martenius Tom. 2. Anecd. pag. 497, & 538.

Ad Diœcesim Illyrici descendendo, ad illud pertinebant Provinciæ 6, Pannoniæ in duas divisæ primam, sive superiorem, & secundam, sive inferiorem, Savia, dicta etiam Pannonia Ripariensis, Dalmatia, & Noricum discretum in duo, Mediterraneum, & Ripense. Pannonias ab Augusto subactas tradit Svetonius cap. 21. Utriusque Metropolis Sirmium erat, quo ab Attila everso jus Metropoliticum translatum fuisse partim in Laureacensem, partim in Acridanum, & partim in Salonitanum censet Carolus a S. Paulo. At Scheleſtratius autumat partem accessisse ad jus Aquilejensis. Pannoniam secundam transcriptam fuisse in jus Acridani patet ex Novella 11. Justiniani. Pannoniam primam, Noricum Mediterraneum, & Saviam contributas Aquilejensi Patriarchæ ex pseudo-Synodo Aquilejensi sub Elia, in qua ejusdem Suffraganei subscripti leguntur harum Provinciarum Episcopi, conjecturam cepit Norisius in dissertat. de Synodo V. cap. 10. Denique Pannoniam utramque pertinuisse ad jus Metropoliticum Archiepiscopi Mediolanensis contendunt Baronius, & Sirmondus. Ut ut sit, in Pannonia superiori computabatur Hungaria, in qua sub S. Stephano Rege in Metropolim Ecclesiasticam assurrexit Strigonium, eique sub Cœlestino III. an. 1225. subjecti Episcopi 6. recensentur in Notitiis Catharensis Episcopi, & Milonis Abbatis apud Scheleſtratium antiq. illust. tom. 2. in append. Pannoniæ inferioris Metropolis Ecclesiastica Colossæ, sive Colocia, cui obnoxii sunt Episcopi 12, etsi olim in cit. Notit. 6. dumtaxat sint dinumerati. Savia pars erat Pannoniæ superioris, dicta Ripariensis, ideoque pridem idem Metropolita Strigoniensis. Dalmatiæ Metropolis olim Salona, cujus Ordinatio spectabat ad Romanum Pontificem, teste S. Gregorio M. lib. 3. epist. 16; at ea eversa,

jus

jus Metropoliticum ad Spalatenſem tranſiit. In Notitia Milonis Dalmatia dividitur in Dalmatiam proprie dictam, Iſtriam, & Sclavoniam; Metropolitæque adſignantur Dalmatiæ Aquilejenſis, Iſtriæ Gradenſis, & Sclavoniæ Epidaurienſis. Epidauro vero a Gothis exciſa Raguſia loco ſurrexit. In Iſtria præterea alterum Metropolitam ponit Jadrenſem, cui ſuffraganeos attribuit 9; ex quibus tamen 6 Spalatenſi potius obnoxii ſunt. Epidaurenſi, nunc Raguſino, ſuffraganeos 13. tribuit eadem Notitia Milonis, quibus adjungit 3. Scheleſtratius: ſed ex his alii potius ad Antibarenſem pertinent; cui pariter 7. adſignat, quorum nonnullus Raguſino eſt reſtituendus. Norici Mediterranei Metropolis Saltzburgum, cujus juriſdictio in Stiriam, & Carinthiam effundebatur. Norici Ripenſis Metropolis Laureacum, cujus jus ante Juſtinianum extendebatur in utramque Pannoniam, teſtibus S. Symmacho in epiſt. ad Theodorum Laureac., & Agapeto II. in epiſt. ad Gerardum Laur. Laureaco ab Hunnis diruto jus Metropoliticum translatum ad Patavienſem quidam pugnant, quidam ad Saltzburgenſem. Veriſimilius eſt Patavienſi adjunctam Laureacenſem Eccleſiam, quæ poſtea fuerit unita Saltzburgenſi, a qua iterum diviſa ad priſtinum jus redierit, quod paullo poſt iterum Patavienſi adjectum, poſtremo utriuſque facta Saltzburgenſi acceſſio fuerit: uti colligi videtur ex epiſtola Eugenii II. ad Urolphum Laureac., ubi ejus ſuffraganeos 4. enumerat, antea 7. extitiſſe memorans; & ex epiſtolis Leonis VII., & Agapeti II. ad Gerardum Laureac., quibus ei diſtinctum jus, non ſecus atque Saltzburgenſi attribuunt. Saltzburgenſi nunc ſubſunt 10. ſuffraganei, Metropoliticam vero dignitatem ad preces Caroli M. fuiſſe collatam a Leone III. ferunt. De Illyrico conſule inter alios Philippum Riceputum Soc. I. in Illyrico ſacro; quod digno mactat elogio Nicolaus Comnenus Papadopolus to. 2. hiſt. Gymnaſii Patavini pag. 124. Illyrici totius interea Primas a Romanis Pontificibus inſtitutus fuerat Epiſcopus Theſſalonicenſis, præfectuſque etiam Diœceſibus Macedoniæ, & Daciæ, eique propterea ſuberant ex Macedonia Provinciæ 6, Achaja, Macedonia, Creta, Theſſalia, Epirus vetus, & nova: ex Dacia vero Provinciæ 5, Dacia Mediterranea, & Ripenſis, Mœſia prima, Dardania Prævalitana, & pars Macedoniæ Salutaris: quibus omnibus

nibus præerat jure Patriarchico Romanus Pontifex : quo de jure paullo poſt.

Illyrico Occidentali contermini, & adjuncti, etſi ſerius Chriſtianæ Religioni victas manus dederint, æſtimari debent Saxones a Carolo M. ſubacti: cujus cura Mindenſis Epiſcopatus erectus, primuſque regendo admotus Herimbertus: Verdenſis dein, ac S. Svitberti regimini demandatus apud Henſchenium die 1. Martii; præterea Oſnabrugenſis, Paderbonenſis, Halberſtadenſis, Bremenſis, Monaſterienſis, Hildeſimenſis, Hamburgenſis, Schildrenſis, & Magdeburgenſis; de quibus videſis Adamum in hiſtor. Eccleſ., Albertum Crantzium in Metrop., Gaſparem Bruſchium de Germ. Archiep., & Epiſcop., alioſque infra laudandos. Hamburgenſem Eccleſiam Archiepiſcopali deinde dignitate adauxit ad preces Ludovici Pii Gregorius IV, ei præfecto S. Anſchario, Pallio, & legatione Apoſtolica adornato, de quo legendi Mabillonius ſæculo IV. Bened. par. 2.; & Bollandus ad diem 3. Febr. Eidem Eccleſiæ confirmata dein legatio Apoſtolica, & Bremenſis adjuncta eſt a S. Nicolao I. apud Adamum lib. 2. cap. 27, eique obnoxii 4. Epiſcopi habentur apud Anonymum hiſt. Eccl. Germ. edit. Bruxell. 1724. volum. 2., de quibus vide etiam Cointium ad an. 830. n. 7. Magdeburgenſi poſtea ab Ottone I, facultate impetrata a Benedicto VI., ac Synodo Ravennate, ad Metropolim elevato ſubjecti fuerunt Saxones, antea Hamburgenſi obnoxii, ideoque ſub ſe obtinuit ſuffraganeos 7: Hamburgenſi nihiloſecius integra manſit juriſdictio in Slavos, Danos, Suecos, Helſingios, Norvegios, Farrios, Islandos, & Groelandios. Itaque Hamburgenſi Epiſcopales Sedes obnoxiæ evaſerunt in Dania 3. erectæ ab eodem Ottone; in Suecia 3; in Jutia 5; in Norvegia 2; in Islandia 1; adjectique duo alii in Saxonia. Donec Urbani II. auctoritate in Dania Lundenſis Metropolita creatus eſt, ac primas Sueciæ, & Norvegiæ; ſed deinde in Suecia Upſalenſis, & Nidroſienſis in Norvegia ab Eugenio III. Metropolitica dignitate ſunt adaucti: Suffraganei vero olim dinumerati ſunt Lundenſis 8, aliique 3. in Livonia; Upſalenſis 9; & Nidroſienſis 6., de quibus legeſis Aubertum Miræum in Notit. Epiſcopat., & Thomaſſinum vet., & nov. diſcip. par. 1. lib. 1. cap. 45.

Polo-

Polonia olim ad Illyricum Occidentale etiam pertinebat, in qua, poſtquam S. Adalberti prædicatione ad Chriſtiana ſacra fuiſſet perducta, a Johanne XIII. Ægidio Tuſculano Epiſcopo miſſo plures Epiſcopales Cathedræ fuerunt conſtitutæ; atque in Metropoles, operam commodante ſuam Micislao Duce, erectæ Gneſnenſis, & Cracovienſis, uti refert Longinus, ſive Dugloſſus. Quamquam non ante S. Gregorium VII., uti licet conjicere ex ipſius epiſt. 73. lib. 2. ad Boleslaum, nulla certa Metropolitica Sedes videtur conſtituta, quæ demum ipſius auctoritate fuerit erecta Gneſnenſis, ut adnotavit etiam Petrus de Marca lib. 2. cap. 9. Ut ut ſit, hodie in Polonia duo ſunt Metropolitæ, Gneſnenſis in Polonia, cui ſubjacent Epiſcopi 10; & Leopolienſis in Ruſſia Nigra, cui ſunt obnoxii Epiſcopi 4; de quibus adeundus Chriſtophorus Harthnochius de Republ. Polon. lib. 2. cap. 3. Præter hos Latini ritus Epiſcopos, alii 8. Græci, ſive Ruthenici ritus in Polonia recepti a Clemente VIII. an. 1596. referuntur a Baronio ad calcem tom. 7, & a Miræo pag. 213. Quibus adjungendi Rigenſis Archiepiſcopus, cui olim 7. ſuffraganei erant; in Polonia Armenus 1; in Valachia 1. a Clemente VIII. conſtitutus; additque Miræus 1. in Sileſia, 1. in Brandeburgo, & 1. in Pomerania. Pragenſem in Bohemia Archiepiſcopali dignitate exornavit an. 1344. Clemens VI; duoſque ſubjecit Suffraganeos. In Moſchovia, ſive Ruſſia Alba hodie Epiſcopi ſolent 11. enumerari, ſed ſchiſmatici, quibus olim Patriarcha a Conſtantinopolitano pendens Moſchuæ degens præerat, Metropolitæ erant 4, & Archiepiſcopi 8: nunc Patriarchatu abrogato, & a Petro Imp. poſtremo Collegio, ſive Synodo Eccleſiaſtica ſuffecta, Metropolitæ numerantur 6, Archiepiſcopi 5, Epiſcopi vero 15; de quibus agit Fabricius Salut. Luc. Evang. cap. 23. pag. 477, & ſeq.

Africa Diœceſis altera Præfecto Italiæ obnoxia diverſimode a diverſis diviſa in Provincias Civiles fuiſſe traditur. In Romani Imperii Provinciam tum primum Africam ad Occidentalem plagam effuſam fuiſſe redactam, quum a Scipione devicta, ſubjugataque fuit Carthago, refert Sextus Rufus in Brev. Provincia hæc Proconſularis inde dici cœpit, cui deinde adjuncta, poſtquam Jugurta Rex a Mario ſuperatus eſt, Provincia Numidiæ, teſte Pan-

Panvinio par. 2. Comm. de Repub. Rom. Acceſſit Provincia Mauritaniæ ſub Julio Cæſare, quum morte ſublato Juba Rege ad jus Romani Imperii tranſivit: quæ ſubinde vel a Tiberio, vel a Caligula, vel a Claudio, (nam diverſi diverſa dicunt), in duas diſſecta Provincias eſt, Tingitanam, & Cæſareenſem; quæ rurſus ſub Galba in unam coaluerunt: de quibus Strabo lib. ult., Plinius lib. 5, & Dio lib. 6. Africam in Provincias 6. diviſam fuiſſe ſub Hadriano, ut habet Notitia Imp., perperam ex Sexto Ruſo intulit Panvinius: præterquam quod enim S. Cyprianus ſuo tempore tres dumtaxat Provincias in Africa dinumerabat epiſt. 45, Proconſularem, Numidiam, & Mauritaniam, diviſionem in Provincias 6. obtigiſſe ſub Conſtantino M., uti etiam conjicere licet ex Conſtit. ad Ablavium pro indictione Concilii I. Arelat.; aut imo ſub Theodoſio Seniore, verius indicare videtur Sextus Rufus, qui ſub Valentiniano ſcribebat. Hoc vero ordine ſe habebant Provinciæ illæ: Proconſularis, Byzacena, Numidia, Mauritania Sitifenſis, Mauritania Cæſareenſis, & Tripolitana: quibus acceſſit deinde Tingitana Hiſpaniæ pridem tributa, (quæ tamen ordine Eccleſiaſtico ſub Mauritania Cæſareenſi comprehendebatur), ſub Valentiniano III. tum, quum Wandalorum Regi Genſerico tribus dimiſſis Provinciis Proconſulari, Byzacena, & Tripolitana, quatuor ſibi retinuit, Mauritaniam utramque, Numidiam, & Tingitanam, de quibus Victor Viten. lib. 1. cap. 4. Donec a Juſtiniano Beliſarii fortitudine devictis Wandalis, Provinciæ omnes Africæ ad jus Romani Imperii reductæ ſunt, teſte Procopio lib. 2. de bello Vandal.; quas tamen Provincias Africæ hactenus Præfecto Prætorio Italiæ obnoxias, peculiari Præfecto Africæ Carthagine, exinde Juſtiniana tertia denominata, degenti idem Juſtinianus ſubegit, uti adparet ex Leg. 1. *de Officio Præf. Præt. Africæ*, qua Archelaus primo præfectus legitur; quin etiam Sardiniam eidem Præfecto ſubjectam deinceps voluit. Hæc de Civili Africæ diſtributione.

Quod ad Eccleſiaſticam vero attingit, de qua fuſius infra, Carthaginenſi Epiſcopo, ceu Primati, ſemper paruiſſe univerſam Africam liquido adparet ex Conciliis Carthag. an. 348, aut ſeq. ſub Grato; Carthag. II. ſub Aurelio ex Epiſcopis 44. Can. 1, & 2; Carthag. III. ſub eodem ex Epiſcopis 214. Can. 45, & 54; & S. Leone IX. in epiſt. 9. ad Petrum, & Johannem Afric. Videſis Tho-

Thomaſſinum par. 1. lib. 1. cap. 20. Quotus vero, quantuſque in Africa Epiſcoporum numerus Primati Carthaginenſi obnoxius eſſet, is profecto non ſemper idem. In ſola Provincia Proconſulari fuere aliquando fere 200, qui in Collat. Carthag. 175. non exceſſerunt. Sub Donato in Synodo Lambeſitana 90. referuntur a S. Cypriano in epiſt. 59. Sub Agrippino ex Africa, & Numidia 70. recenſuit S. Auguſtinus in lib. de unico Baptiſ.; qui lib. 3. contra Creſc. cap. 3. ſub S. Cypriano in Synodo I, & II. Epiſcopos 70, & in Synodo III. adfuiſſe 87. lib. 1. de Bapt. cap. 18. denarrat. In Collatione Carthag. juſſu Honorii Imp. habita anno 411. ſubſcripti leguntur 286. præſentes; 220. abfuiſſe dicuntur: quibus addendi 64, quorum vacabant Cathedræ, ideoque omnium numerus 560. tum exurgebat; uti conſtat ex S. Auguſtino in Brevic. collat. cap. 14. Præterhos vero Donatiſtæ jactabant pluſquam 400. Epiſcopos partium ſuarum ſe in Africa habere, teſte S. Auguſtino in lib. adv. Donatiſt. poſt collat. cap. 24. Occupata a Genſerico Vandalorum Rege anno 439. Africa, (quam annis 95. tenuerunt), intra annorum 74. ſpatium Epiſcopatus 104. extincti ſunt: quinimo Genſerici edicto, quo anno 455. quempiam ordinari Epiſcopum vetuerat, intra annos 34. in duabus Provinciis Epiſcopi 161. ſublati ſunt. Quamquam alioqui ſub Hunnerico Rege adhuc Epiſcopi in Africa 466. exhibentur in Notitia Provinc. Africæ apud Sirmondum tom. 1. oper., quæque extat apud Victorem lib. 4. de perſecut. Vand., aut ad minus 463. enumerabantur, nempe 52. in Proconſulari; 123. in Numidia; 113. in Byzacena; 126. in Mauritania Cæſareenſi; 44. in Mauritania Sitifenſi; & 5. in Tripolitana. Quinimo univerſim 690. dinumeravit Dupinius in Geographia ſacra; videlicet 136. in Proconſulari; 155. in Numidia; 135. in Byzacena; totidem in Cæſareenſi, & Tingitana; 46. in Sitifenſi; 5. in Tripolitana; & 78. incertæ Provinciæ, omnes 690. Ex Provincia etiam Proconſulari Epiſcopos 164. ex Victore lib. 1. de perſecut. Vand. enumeravit Pagius ad annum 484. n. 18, imo 200. ferme Thomaſſinus. Recuperata anno 533. Africa a Juſtiniano, reſtituti Epiſcopi ſunt: donec anno 691. Africam Saracenis invadentibus, deficere cum Religione Eccleſiaſtica Hierarchia cœpit. Circa annum 891. tamen adhuc numerabantur in Byzacena 14; in

Numidia 15; & in Mauritania 2.17. Videſis Scheleſtratium de Eccleſ. Afric. diſſert. 4. cap. 7. Ex SS. Leone IX. epiſt. 4, & Gregorio VII. lib. 1. epiſt. 23. in deterius collapſa Africana Eccleſia tum temporis adparet; quæ demum ſæculi XII. initio tota exciderat; quo de excidio confer Pagium ad annum 1149. n. 8., de Africæ vero Epiſcopatibus Sirmondum tom. 1. oper., Scheleſtratium de Eccleſ. Afric., & Antiq. illuſt. tom. 2; Baluzium ad Collat. Carthag. tom. 1. Concil.; Dupinium in obſervat. ad S. Optatum de Schiſm. Donat.; Noriſium in animad. ad Garnerii Notas in Inſcript. Synod. epiſt. inter epiſt. Auguſt. 90. tom. 3. oper.; & Ruinartium in obſervat. ad Victorem Vitenſem pag. 123, & 217, & ſeq.

Inter Diœceſes, quæ Præfecto Prætorio Galliarum parebant, primus locus faciendus Galliarum Provinciis, ac imprimis de earumdem diſpoſitione Civili pauca attingenda. Itaque Gallias juxta celebriores in iis Populos Aquitanos, Celtas, & Belgas, tres in Provincias Belgicam, Celticam, & Aquitanicam diſpeſcuit primum Julius Cæſar, ipſomet teſte lib. 1. Comment. Octavianus Auguſtus in 4. eſt deinde partitus, tribus prioribus adjicendo Narbonenſem, ac Celticam denominando Lugdunenſem; uti produnt Dio, Oroſius lib. 1, & Am. Marcellinus lib. 15. Sub Hadriano, aut Conſtantino, aut Theodoſio, aut verius paullatim ſub utriſque Gallia in Provincias 14. diviſa eſt, ac perfecta diviſio ſub Valentiniano Seniore, ut autumat Pagius ad annum 374. n. 9. nempe diviſæ ſunt Narbonenſis in Narbonenſem, Viennenſem, Alpes Maritimas, Grajas, & Penninas: Aquitanica in duas Aquitanias, & Novempopulanam: Lugdunenſis in duas Lugdunenſes, & Maximam Sequanorum: & Belgicam in duas Belgicas, ac duas Germanias, teſte Sexto Rufo in Breviario Valenti dicato anno 369, ex quo falſitatis eorum opinionem arguit, qui eam diviſionem inductam ſub Theodoſio exiſtimant. A Gratiano alia partitio facta legitur in eodem Breviario Rufi, nempe Narbonenſis in duas, 1, & 2; Lugdunenſis in quatuor, 1, 2, 3, & Senoniam, quæ aliis adjunctæ, Provinciarum 17. numerum compleverunt. Non tamen Narbonenſem, ſed Viennenſem in duas diſtractam contendit Petrus de Marca, cui contradicit Pagius ad cit. ann. n. 10, qui ſeq. Notitiam exhibet ampliſſimam Provinciarum, & Civitatum

Gal-

Galliæ. Sub Honorio Imp. altera divisio inducta legitur in ejus Notitia apud Sirmondum tom. 1. Concil. Gall., Scheleſtratium tom. 2. Antiq., & Pagium n. 14, (qui num. ſeqq. Queſnellum haſce Notitias longe poſteriores S. Leonis M. temporibus affirmantem refellit,) nempe in Provincias 7. Viennenſem, Aquitaniam 1, & 2, Novempopulanam, Narbonenſem 1, & 2, & Alpes Maritimas; quæ ideo hoc nomine a reliquis 10. Provinciis Galliarum, nempe Lugdunenſibus quatuor, Belgicis duabus, Germaniis duabus, Maxima Sequanorum, & Alpibus Grajis, & Penninis diſcretæ fuerunt. Alteram Galliarum diviſionem factam in Gallias, & quinque Provincias memorat Pagius n. 18, & ſeqq., qua de partitione digladiantur Eruditi apud ipſum. Priorem illam, cujus meminit S. Zoſimus in Epigraphe epiſtolæ anno 417. ad Galliar. Epiſcop., a Petronio inductam occaſione diſſidii Arelatenſem inter, & Viennenſem Epiſcopos exiſtimat Pagius ad an. 401. n. 33; quam poſteriorem fuiſſe diviſione facta in quinque Provincias conjicere fas eſt ex Synodica Concilii Taurin. ad Galliar. Epiſcopos, in qua harum 5. Provinciarum mentio inſcripta præfertur.

De Diſpoſitione Eccleſiaſtica nunc differendum. In Provincia Lugdunenſi omnium primus Lugdunenſis inſtitutus Metropolita, ac Primas adparet ex Concilio Lugdunenſi S. Victoris Papæ juſſione in cauſsa Paſchatis a S. Irenæo habito, de quo Euſebius lib. 5. capp. 22, & 24. Eodem Metropolitæ, & Primatis jure potitum Fauſtinum Lugd. indicant S. Cyprianus in epiſt. 67. ad S. Stephanum P. M., loquens de Synodo adverſus Martianum Arelat. indicta, nec non S. Athanaſius in epiſt. ad Rufinianum. Hinc Lugdunenſi Eccleſiæ Primatus inter Gallicanas tributus legitur a Lothario Imp. in Edicto apud Dacherium Spicileg. tom. 12. pag. 113, & ſeq., a S. Odilone in vita S. Majoli; a S. Gregorio Turon. lib. 5. cap. 20; a Synodo Matiſconenſi II. an. 585; a Synodo Cabilonenſi II. an. 894; a Stephano Tornacenſi, & a V. Petro Clun. lib. 2. epiſt. 2, & 18, apud Thomaſſinum vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 34: confirmatus quoque a S. Gregorio VII. lib. 6. epiſt. 34, & 35; atque ab Urbano II. in Synodo Claromontana. In quatuor diſſecta Provincia hacce, Rotomagenſis Metropolita evaſit Lugdunenſis 2: quam Metropolim inſtitutam a S. Bonifacio Mogun. tradit Thomaſ-

ſinus par. 1. lib. 1. cap. 31; confirmatam vero fuiſſe Pallii traditione a S. Zacharia, a S. Gregor. VII, ab Innocentio II, a Gregorio IX. in epiſt. ad Ludovicum IX. apud Raynaldum ad an. 1232. n. 26, & Calliſto III, qui eamdem a Primatu Lugdunenſi exemit, liquet ex eodem Annaliſta ad an. 1458. n. 37. Lugdunenſis 3. Metropolita Turonenſis conſtitutus eſt, quo vero tempore incertum. Sub Johanne XIII. hoc honore jam habitum liquet ex ipſius epiſt. ad Epiſcopos Britanniæ, qua hoc nomine inſignitur. Quinimo pridem, quum ſub S. Leone IV. a Nomenojo Britanniæ Duce Eccleſia Dolenſis abſtracta cum tribus aliis a Turonenſis jugo, ac Metropolis dicta fuiſſet, improbatum factum legitur a Synodo Pariſienſi anno 849, a S. Leone IV, & Johanne XIII. Sub Lucio III. inſtaurata lis inter Dolenſem, & Turonenſem indefinita manſit; ſed definivit Innocentius III. anno 1199. apud Spondanum n. 10, Turonenſi jure adjudicato. Lugdunenſis 4. demum, Senoniæ etiam denominatæ, Metropolita evaſit Senonenſis: cujus dignitatis auctor pariter fertur S. Bonifacius Mog., Pallio impetrato a S. Zacharia. Anſegiſo Senonenſi perinde collata fuit Primatis, & Legati dignitas in Galliam, & Germaniam CisRhenanam anno 876. a Johanne VIII. Nuperæ dignitatis collationi adnuiſſe Frotarium Burdigalenſem in confeſſo eſt: an vero etiam alii Pontigonenſis Synodi eodem anno habitæ Epiſcopi, dubium eſt: negant quædam Synodi acta, Annaliſta Bertinianus, & Continuator Aimoini ad cit. annum: e contra affirmant altera ejuſdem Synodi editio cap. 7, & Chronicon Antiſiodorenſe: aſſutam tamen actis Synodi Chartam conſenſionis Epiſcoporum in Primatum Anſegiſi putat doctiſs. Thomaſſinus par. 1. lib. 1. cap. 33, obſervans præterea biennio poſt in Synodo Trecenſi II. præſente, ac præſidente ipſomet Johanne VIII. primum honoris locum ante Anſegiſum tenuiſſe Hincmarum Remenſem. Eamdem tamen dignitatem Seguino Senon. confirmavit poſtea Johannes XV, teſte Chronographo Antiſiod., & Leoterico Silveſter II, teſte Chronographo S. Petrivivi. Hodie Senonenſi non ſupereſt, niſi titulus, ſed & ipſi ſubtracta eſt Pariſienſis Eccleſia in Metropolim a Gregorio XV. erecta.

Notitiæ Provinciarum exhibitæ a Pagio inhærendo, poſt quatuor Lugdunenſes, ſecundo nunc loco ſuccurrunt Belgicæ duæ.

Primæ

Primæ Metropolis Treviris, olim Præfecti Prætorio Galliarum erat Sedes, ut auctor eſt S. Athanaſius in epiſt. ad Solit.; qua a Francis everſa, Arelatem ab Honorio Præfectura translata eſt. Manſit tamen Trevirenſi Eccleſiaſtica dignitas, atque in Belgicam utramque jus ſuum effundebat: donec Remenſis dignitate Metropolitica adauctus a S. Symmacho in Belgicam ſecundam jus obtinuit, imo Primatum in totum Regnum Clodovæi, qui exinde pari cum Trevirenſi in poteſtate, & honore haberi cœpit, veluti Hincmarus dixit in Synodo Metenſi, ſcripſit tom. 1, & refert Flodoardus lib. 3. cap. 20. Ex quo vero Moguntina Eccleſia Metropolis exſurrexit in S. Bonifacio, eique adjuncta eſt Legatio in Gallias, & Germanias, ſupra Trevirenſem aſſurgere Moguntinus tentavit, tum in Synodo Moguntina anno 1071, tum ſub Calliſto II, a quo tamen, Brunoni Trevirenſi ſua ut remaneret integra dignitas, juſſum eſt. Belgicæ 2. Metropolim, ut mox innui, Remenſem in S. Remigio cœpiſſe pronum æſtimare eſt ex epiſtolis S. Symmachi ad eumdem, quas referunt Hincmarus in epiſt. 6. cap. 18, & Flodoardus lib. 1. cap. 15; quibus vices pariter ſuas, ſive Primatum in Regnum Clodovæi, hoc eſt in Belgicas duas, Germanicam 2, Lugdunenſem 2, 4, & 5, ſive Maximam Sequanorum, demandaſſe fertur. Nam quæ ſub Alarico Viſigothorum Rege degebant, ideſt Aquitanicæ tres, & Narbonenſis 1, quæ etiam ſub Gundebardi Regis Burgundionum poteſtate erant, videlicet Lugdunenſis 1, Narbonenſis 2, ac Viennenſis, alterius Primatis juriſdictioni ſuberant. Privilegium illud, cui Primatus erat adnexus, S. Remigio fuiſſe peculiare, neque ad Succeſſores pertranſiiſſe, veriſimilior eſt ſententia, quam tenent Natalis hiſt. Eccl. ad Sæcul. VI. cap. 6. art. 2. §. 4, & Thomaſſinus par. 1. lib. 1. cap. 30, Primatum hunc una cum ſtirpe Clodovæi interiiſſe obſervans ex epiſtolis S. Bonifacii ad S. Zachariam P. M., & Hadriani I. ad Tilpinum: a quo tamen, ejuſque Succeſſoribus S. Leone IV, Benedicto III, S. Nicolao I, Hadriano II, & Marino eidem Remenſi Metropoliticam dignitatem fuiſſe confirmatam animadvertit cap. 43. A Remenſi poſtea Cameracenſis, non ſecus atque a Trevirenſi Ultrajectenſis, & a Colonienſi Mechlinenſis diſtractæ Eccleſiæ, in Metropoles a Paulo IV. ad Philippi II.

pi II. Hiſpaniarum Regis preces erectæ ſunt; eiſdemque ſubmiſſæ Epiſcopales ſedes ex veteribus 2, ex recens vero inſtitutis 13.

In duabus Germanicis Moguntiam primæ Metropolim eſſe juſſit anno 751. S. Zacharias P.M., Sedemque S. Bonifacii, cui vices ſuas delegaverat in Gallias, & Germaniam, uti referunt Othlonus in vita S. Bonif., & Hincmarus epiſt. 6. cap. 19: quin etiam eo in Diplomate apud Sirmondum tom. 1. Concil. Gall. pag. 581. auctor eſt Pontifex eumdem Primatum cum Legatione a Prædeceſſoribus ſuis SS. Gregorio II, & III. fuiſſe S. Bonifacio collatum. Neque veri ſpeciem habet, quod Petrus de Marca in diſſert. de Primat. n. 76, & ſeqq. putat, ideo Moguntiam antea Metropolim ordine Eccleſiaſtico extitiſſe, quod in diſpoſitione Civili Metropolis jampridem eſſet. S. Bonifacio Moguntinæ Eccleſiæ præfecto obnoxiæ factæ leguntur Colonienſis, Tungrenſis, Wormatienſis, Spirenſis, Trajectenſis ad Rhenum, & quotquot ejus prædicatione Evangelii lumen adſpexiſſent Eccleſiæ: quin etiam progreſſu temporis Argentinenſis, Curienſis, Auguſtenſis, & Pragenſis. At Colonienſis jam Metropolitico honore exornata, ſubinde exempta eſt, uti conjicere licet ex epiſt. 11. S. Zachariæ: Tungrenſis etiam eidem Colonienſi ſubmiſſa. Quamdiu vero Pragenſi Moguntinus præfuit jure Metropolitico, tamdiu eidem Moguntino jus incubuit Reges Moguntiæ inaugurandi, cujuſmodi juris argumento ſunt Ottocarus, ipſiuſque filius Wenceslaus apud Raynaldum ad annum 1228. n. 39. ab altero, quam a Moguntino ſe inaugurari non paſſi. Poſtquam vero a Clemente VI. Pragenſis Metropolitica dignitate exornatus fuit, & a Moguntino exemptus, tum ad eumdem Reges Bohemiæ, ſe ab extraneo coronari non ſuſtinentes, coronandi jus eſt devolutum, de quo adeundus cit. Annaliſta ad annum 1344. n. 64, & ſeq. Germanicæ 2, ut innui, Metropolis evaſit Colonia Agrippina: quam Metropolim ſæculo IV. jam fuiſſe teſtatur S. Athanaſius in epiſt. ad Solit., intelligendus tamen de ordine Civili; nam Eccleſiaſtico ad hanc dignitatem ante ſæculum VIII. non aſcendit: atque quidem, ut videtur, ſub Leone III, in quo Anaſtaſius Hildelboldum Colonienſem Metropolitam nuncupat. Equidem jampridem S. Zachariæ Papæ fuiſſe propoſitam a Francorum Principibus Coloniam erigen-

gendam in Metropolim, conferendamque S. Bonifacio, conjicere fas eſt ex præcit. epiſt. 11. ejuſdem Pontificis, ex qua imo ab eodem Pontifice Metropolitica dignitate fuiſſe exornatam arguere eſt: verum poſtea eoſdem Principes conſilii pœnituiſſe, ac potius Moguntiam prætuliſſe, obſervat Pagius ad annum 745. num. 2, & ſeqq., & ad annum 748. n. 3, nec abnuit Thomaſſinus cap. 41. n. 10, tametſi priorem Conſtitutionem, qua Pontifex Colonienſem Metropolitica dignitate cohoneſtarat, tenuiſſe autumat. Colonienſi præterea ſubmiſſam obſervat cap. 45. Hamburgenſem, poſtquam Bremenſi fuit adjuncta, quæ tamen perinde ſub Henrico IV. ſuam a Colonienſi immunitatem recuperavit.

In Maxima Sequanorum Metropolis conſtituta eſt Veſontio, ſed non ante ſæculum VII, velut oſtendit Carolus a S. Paulo. Ut vero obſervat Thomaſſinus par. 1. lib. 1. cap. 41, Veſontio inter Metropoles locum habet in Caroli M. teſtamento, in Capitularium libris, inque inferioribus ea ætate Conciliis: a Johanne VIII. etiam Archiepiſcopus Chryſopolis, ad vernaculam ejus vocis ſignificationem a χρυσὸς aurum, & πόλις urbs, derivatæ vocatus eſt. Alpium Grajarum, & Penninarum Metropolis Civilis Tarantaſia S. Leonis M. juſſione Metropolitæ Arelatenſi ordine Eccleſiaſtico erat obnoxia. Exardeſcente deinde controverſia Arelatenſem inter, & Viennenſem de jure Metropolitico, in Concilio Francofordienſi Can. 8. ſancitum eſt, ut SS. Leonis, Zoſimi, Symmachi, & Gregorii decreta integra manerent, ideoque ex eorumdem Reſcriptis ſuffraganei Arelatenſi 9, & Viennenſi 4. ſubeſſent: quoad vero Tarantaſiam, Ebredunum, & Aquas ſextias præſtolandum fore, quid Pontifici decernendum placeret. Porro quid placuerit, non certo conſtat: Petro de Marca viſum eſt a Pontifice Aquenſem ditioni Arelatenſis Metropolitæ fuiſſe permiſſum, quod idem fuiſſet olim placitum S. Symmachi Papæ: contra quem Thomaſſinus cap. 44. n. 3. regerit Symmachi pariter decreto Tarantaſiam Viennenſi Metropoli fuiſſe ſubjectam, a qua nihilo tamen minus poſt Francofordienſe Concilium abſoluta fuit. Quam vero ob cauſſam a S. Leone M. Tarantaſia Viennenſi fuiſſet ſubjugata, eam vir doctiſſimus exiſtimat, quod unus ei eſſet obnoxius Epiſcopus Octodurenſis, ſive Sedunenſis, quum tres neceſſe eſſet ſaltem Epiſcopos

copos uni Metropolitæ obtemperare, qui & ipſum ordinare quirent. Poſtquam ergo Guntramnus Rex Auguſtam Prætoriam a Langobardis ereptam ſuæ adjecit ditioni, Urbemque S. Johannis Maurianenſis condidit, ac utrobique Epiſcopalem ſedem erexit, inde facile effectum, ut ſiquidem tres ſuffraganei ſuppeterent, Concilio Francofordienſi interpellante, a Romano Pontifice Tarantaſienſi ſua Metropolitica reſtitueretur dignitas, cujus mentionem in Caroli M. teſtamento anno 794. condito occurrere obſervat, (unde Anonymus Mediol. tom. 10. Script. Ital., & Carolus a S. Paulo Tarantaſiam inſtitutam Metropolim ſub ætate Caroli M. cenſent: e contra ante jam inſtitutam, ſub id temporis revocatam ad priſtinum jus contendunt Sirmondus, & Delandius in Not. ad Concil. Francof.), non ſecus atque Ebredunenſis, cui haud abſimilem obtigiſſe ſortem ſuſpicatur poſt fata Concilii Francofordienſis. Denique Aquenſi quoque Metropoliticam dignitatem fuiſſe redintegratam oſtendit tum ex epiſt. 191. Johannis VIII, qua Aquenſis hoc nomine appellatur; tum ex Synodo Nemauſenſi anno 886, cui hoc ipſo nomine interfuiſſe legitur.

De Viennenſi, & Arelatenſi Metropolitis in eadem Viennenſi Provincia, & aliis Provinciis ſeptem ingens lis fuit, in Conciliis Taurinenſi, & Francofordienſi exagitata. Viennam Metropolim Civilem æque, atque Eccleſiaſticam eodem ſemper tempore extitiſſe, quin etiam Metropolitico jure potitam in 7. Provincias, ipſique propterea confirmatum a Calliſto II, opinatus eſt Petrus de Marca in diſſert. ad Concilium Clarom. anno 1095; qui deinde in diſſert. de Prim. Lugd. de priori opinione detrahens ſuæ Provinciæ dumtaxat Metropolim, non etiam 7. Provinciarum Viennam fuiſſe contendit: ex qua deinde jus Metropoliticum fuerit aliquando translatum ad Arelatenſem, ex quo nempe Arelates in Galliarum Metropolim Civilem evaſit. Inde inter utrumque Metropolitam exortum de jure Metropolitico jurgium in Concilio Taurinenſi ita fuiſſe compoſitum, ut is Metropolitico jure potiretur, qui ſuam Civitatem Metropolim, ac Civilem utique, olim fuiſſe probaret. In Petri de Marca opinionem pedibus, manibuſque proſilivit Queſnellus in diſſert. 5. pro S. Hilario par. 1. cap. 5. Atqui Concilium Taurinenſe loquutum de Metropoli non Ci-

Civili, ſed Eccleſiaſtica pugnant doctiſſ. Pagius ad annum 401. n.30, & ſeqq., & Orlendius Orb. ſac., & prof. par.1.lib.5.cap.3, eo quod Viennam Metropolim Civilem jampridem fuiſſe certum apud omnes eſſet, & conſtans: at ſi Arelates pariter jam tum Civilis Metropolis, ac Præfecturæ ſedes fuiſſet, (ad quam tandem dignitatem nonniſi anno ſeq. 402. aſcendiſſe, quum Trevirenſi Urbe a Francis exciſa, Præfecti Prætorii ſedem ab Honorio demum Arelatem fuiſſe translatam perſuaſit ſibi ex L. 50. Cod. Theod. *De Curſu publico*, autumat Pagius), inepte decreviſſent Patres Concilii Taurin. Can. 2. ei Metropoliticum jus competere, qui Urbem ſuam probaret eſſe Metropolim, ſi de Civili loquuti fuiſſent, quum utramque Metropolim eſſe in Civili diſpoſitione, juxta Petri de Marca, & Queſnelli opinionem, cunctis pateret. Præterea Can.1. Proclo Maſſilienſi jus Metropoliticum in Narbonenſem 2. confirmatum eſt, quamvis compertum eſſet Narbonenſis 2. Metropolim Civilem non Maſſiliam, ſed Aquenſem Urbem eſſe: ideo quod Patres Concilii non tam ad politicam Urbium diſpoſitionem reſpicerent, quam ad Procli meritum, ac perſonam: contraria itaque, ac pugnantia decreviſſent Can. 1. Metropoliticum jus Maſſilienſi confirmantes, quod Civili ordine fuiſſet Aquenſi tribuendum; & Can. 2. Metropoliticum jus ei competere affirmantes, qui Civitatem ſuam Metropolim Civili ordine evinceret. Ad hæc ab Arelatenſi contra Viennenſem non alia potior ratio propoſita eſt, quam quæ poſtea SS. Zoſimo, & Leoni, quia nempe S. Trophimus, ex quo fides in Gallias propagata fuerat, Arelatenſi primum fuiſſet præfectus: igitur Patribus Concilii Eccleſiaſtica, non Civilis Urbium dignitas, & diſpoſitio in conſpectu erat. Poſtremo a Concilii Patribus ad litem hanc dirimendam hoc medium arreptum eſt, ut Metropolis utraque eſſet, interque utramque Metropoliticum jus diſcinderetur in Provincias, Urbeſque ſubjectas, quod poſtea S. Leo perfecit anno 450. Provinciam Viennenſem in duas diſpeſcens, ac jura inter Arelatenſem, & Viennenſem diſtribuens: igitur de Eccleſiaſtica, non de Civili Urbium Metropolitica dignitate Canonem 2. Concilii Taur. intelligi debere jubent. Juxta hæc igitur corrigenda foret utique, retractandaque opinio eorum, qui Arela-

tem a Conſtantino M. jam tum dignitate Metropolitica indutam, nequidem dubitant. Verum altera in ſententia verſantur Carolus a S. Paulo, Scheleſtratius Antiq. illuſt. tom. 2. diſſert. 4. cap. 8, & Cennius in Concil. Later. Stephani III. diſsert. cap. 1, antiquiores imo Conſtantiniana diſpoſitione autumantes quatuor præ aliis in Provinciis Galliarum Metropoles, Arelatenſem in Narbonenſi, Trevirenſem in Belgica, Lugdunenſem in Lugdunenſi, & Bituricenſem in Aquitanica: juxta quam proinde ſententiam pronum eſt ſuſpicari Arelatem, quam de ſuo nomine *Conſtantinam* appellari deinceps voluit, Civili etiam dignitate fuiſſe a Conſtantino amplificatam: non ſecus atque a Valentiniano I, aut II. veluti *Matrem omnium Galliarum* habitam fuiſse, honoratamque Arelatem ſcripſere ad S. Leonem M. Galliar. Epiſcopi: unde & illi *Gallulæ Romæ* inditum ab Auſonio nomen legitur. Sed hæc nimis in obſcuro latent, quam multis diſſerere liceat.

Igitur vigente dubio de antiquiore Metropolitico jure Arelatenſi, an Viennenſi adjudicando, S. Zoſimus principio illud Arelatenſi in Provinciam Viennenſem nedum, ſed in Narbonenſem imo utramque attribuit: at de modo, quo demum in Concilio Taurinenſi Can. 2. compoſita fuerat lis, certior deinde factus, utrique jus ex æquo aſſeruit in epiſt. ad Simplicium Vienn. apud Baronium in append. tom. 5. Contentione rurſus excitata ſub SS. Bonifacio I, & Cæleſtino, Narbonenſi jus ſuum eſt reſtitutum, confirmatumque ſubinde a S. Leone M. epiſt. 89, a quo Viennenſi redditum pariter jus priſtinum, diviſumque fuit cum Arelatenſi. Ad juris Metropolitici cumulum, Arelatenſi Primatum, viceſque Apoſtolicas contulit S. Zoſimus, Patroclo nempe; confirmavitque Leontio S. Hilarus epiſt. 8, & 10: non tamen propterea de jure Viennenſi detractum eſt; quod ei integrum etiam juſſit S. Symmachus anno 514; qui nihiloſecius Arelatenſi Primatum in Galliarum Provincias confirmavit non modo, ſed extendit inſuper in Hiſpaniarum Provincias Galliis conterminas, quæ Oſtrogothis parebant: S. Symmachi hac de re litteras deſcribit Baronius ad annum 502. n. 37. Eumdem Primatum, viceſque Apoſtolicas contulerunt etiam Auxanio Vigilius Papa epiſt. 1, & 2, & Aureliano epiſt. 7; Sapaudo Pelagius I; Virgilio S. Gregorius

rius M. lib. 4. epiſt. 50, 52, & 53. Itaque in decus ingens excrevit Arelatenſis Eccleſia, donec ſub SS. Nicolao I, & Gregorio VII. Arelatenſem Primatum defeciſſe, oblitteratumque fuiſſe demum conjicere licet ex S. Nicolai epiſt. 10, & S. Gregorii lib. 6. epiſt. 2: quod exinde paullatim eveniſſe præſumit, auguraturque Thomaſſinus par. 1. lib. 1. cap. 30. n. 8, ideo quia a SS. Gregorio II, & III. præ Arelatenſi Moguntinum elevari tum valdequam curaverint in Bonifacio Francorum Principes Pippinus, & Carolomannus. Viennenſi pariter magna dignitas poſt acceſſit, quam Burgundiæ Regni Metropolis Civilis evaſit: tum enim ordine civili Comes, Regni Cancellarius, & a Friderico II. Archicancellarius eſt renuntiatus: tum a Calliſto II, (antea a S. Anaſtaſio II. reſtituta ei dignitas Eccleſiaſtica fuerat; ſed denuo eamdem detraxerat S. Symmachus), a Calliſto II, inquam, anno 1120. Primatu in 7. Provincias Vienn., Bituric., Burdig., Auſcit., Narbon., Aquen., & Ebred. adauctus, attributis vicibus Apoſtolicis, una cum jure Synodos indicendi apud Baronium ad annum 1120. n. 1. Quin & Viennenſi ſubjugata Tarantaſienſis fuit, extra illarum 7. Provinciarum limites poſita; ideoque etiam Provincia Alpium Penninarum, cui Metropolitico jure Tarantaſienſis præerat: unde evenit, ut Viennenſis Metropolita in Monetis, quas uti Comes Urbis cudi curabat, hanc adjecerit inſcriptionem: *Maxima Sedes Galliarum*. Denique a Concilio Francofordienſi controverſia, quæ tum recaluerat, definita eſt, ſtandumque definitis a SS. Zoſimo, Leone, Symmacho, & Gregorio concluſum, nempe ut Arelatenſi 9, Viennenſi 4. deinceps ſuffraganei ſubeſſent.

Aquitaniæ, ex quo a Carolo M. in gratiam Ludovici filii in Regnum erecta eſt, Metropolita Bituricenſis Antiſtes ſæculo VIII. evaſit. Ab Hadriano I, cujus legenda tamen epiſt. 9. ad Carolum M., acceſſit eidem Primatus honor, quin etiam Patriarchæ nomen affectavit, in Provincias Burdigalenſem, Narbonenſem, & Auſcitanam: donec a S. Nicolao I. relato a Gratiano C. *Conqueſtus* 9. q. 3. prohibitus eſt jus exercere in Narbonenſem. Exinde Narbonenſis Primatus jura in Narbonenſem, olim Septimaniam, nunc Occitaniam, non modo, & Aquenſem exercere cœpit,

pit, ſed imo extendere in Tarraconenſem, tum temporis dominationi Gothorum obnoxiam, enixus eſt. Urbanus II. Narbonenſi jus ſuum integrum manere quidem voluit in Narbonenſem, & Aquenſem; quoad Tarraconenſem tamen ſic temperavit, ut is deinceps Narbonenſi ceu Metropolitæ, ſed Toletano ceu Primati ſubjaceret. Aquiſitum jus in Narbonenſem, & Aquenſem confirmavit perinde Narbonenſi Paſchalis II. epiſt. 48: donec Calliſtus II, ut dixi, Viennenſi Narbonenſem ſubjugavit; ſed ab hoc jugo demum exemit Martinus V. apud Raynaldum ad annum 1418. n. 33. A Narbonenſi jampridem diviſis cum Alpibus Maritimis Merropolitæ nomine præfuiſſe Ebredunenſem jam ab antiquo; tum in Narbonenſem 2. pariter a 1. diſtractam eodem honore potitum Aquenſem elucet ex S. Hilari Papæ epiſt. ad Leontium, Veranum, & Victurum Epiſcopos. Quumque Aquenſis veluti oblitteratus videretur, in Synodo Nemauſenſi anno 886. reſplenduit. Nec modo Narbonenſis, ſed & a Bituricenſi in libertatem ſe aſſeruit Auſcienſis anno 1226, cujus loco antea Civili ordine Metropolis erat Eluſa, qua exciſa, Auxis in Metropolim civilem aſſurrexit, ac dein in Eccleſiaſticam, cui obnoxia Provincia Novempulana evaſit: tum nempe, quum Aquitaniæ Regnum diſſectum eſt, Auſcenſis ad Metropoliticam dignitatem, Bituricenſis excuſſo jugo, advenit. Manſit tamen diu Bituricenſi ſubjectus Burdigalenſis, ita jubentibus Alexandro III, Eugenio III, Lucio II, Urbano III, Clemente III, & Cæleſtino III: ex quo vero Angliæ Reges Aquitaniæ Regnum ſuomet adjecerunt, tum a Bituricenſis juriſdictione Burdigalenſis ſe ſubducere tentavit, manere tamen in ſubjectione juſſus eſt ab Innocentio III. lib. 15. epiſt. 45; ab Honorio III. anno 1223; & Gregorio IX, certa, tametſi conditione adnexa, relato Cap. *Humilis* lib. 1. Decret. tit. 33. *De Majoritate, & Obed.* Clemens V. demum anno 1305. a Bituricenſis ſubjectione Burdigalenſem abſolvit Diplomate legendo tom. 1. Galliæ Chriſtianæ, de quo conferendus etiam Spondanus ad annum 1305, & 1308: exinde ergo Burdigalenſis Aquitanicæ 2. Metropolita evaſit. Carolus VII. Galliarum Rex Bituricenſis Primatum in Burdigalenſem redintegrare voluiſſe viſus eſt litteris datis anno 1461, quas perinde executioni demandan-

mandari imperavit Ludovicus XI, extantque inter Probationes libert. Eccleſ. Gallic. cap. 36: ſed effectu caruere litteræ Caroli Regis; manſitque decretum Clementis Papæ; quin etiam Burdigalenſis Primatum affectare deinde cœpit: de quo interea conſulesis doctiſſ. Thomaſſinum par. 1. lib. 1. cap. 35. Contra Thomaſſinum putat Orlendius par. 1. lib. 5. cap. 3. n. 21. Bituricenſem, Burdigalenſem, Turonenſem, & Rotomagenſem jam ſub initium ſæculi VI. Metropoles in diſpoſitione Eccleſiaſtica extitiſſe, ideo quod in Conciliis Agathenſi anno 506, & Aurelianenſi I. anno 511. earumdem Epiſcopi ſubſcripti ita legantur: *Epiſcopus de Biturica Metropoli, de Burdigala Metropoli* &c. Verum doctiſſ. viri dixerim venia, id exinde non confici, ſed Metropolis nomine ibidem, ſicut in epiſt. S. Athanaſii ad Solitarios, ita venire eas Urbes juxta Civilem diſpoſitionem: nam tum pariter Clarus, & Leontius Epiſcopi Eluſæ ſemet inſcribunt de Eluſa Metropoli, quæ tamen inter Eccleſiaſticas nunquam eſt computata, nec ejuſdem in ſuo meminit teſtamento Carolus M., in quo Metropoles 21. memorantur. Cæterum, uti ſuperius innui, Bituricenſis, Lugdunenſis, Trevirenſis, & Arelatenſis Conſtantini ætate Metropoles Eccleſiaſticas antiquiores a viris aliis doctiſſ. habitæ ſunt.

Galliarum Metropolitis, Provinciarum juxta partitionem, jam quot ſuffraganei ſubeſſent, obiter indicandum eſt: atque quidem tum juxta Notitiam a Sirmondo editam in collect. Concil. Gall., & a Pagio ad annum 374. n. 11; tum juxta Notitiam, quam in Gallia Chriſt. exhibent SanMarthani; tum juxta Notitias duas 17. Provinciarum, quas edidit Scheleſtratius tom. 2. Antiq. illuſt. in append. 8, & 9. deſcriptas ex Cod. 238. Bibl. Reginæ Sueciæ, nec non ex Cod. Mſ. Bibl. Vatic. n. 1338. Igitur in Notitia Sirmondi, & Pagii Provinciæ Lugdunenſis I. Metropolita Lugdunenſis eſt, eique ſuffraganei 4. In Lugdunenſi 2. Metropolita Rotomagenſis, cui obnoxii Epiſcopi 6. In Lugdunenſi 3. primo Metropolitæ loco præeſt Turonenſis, ſub quo ſuffraganei 8; in Notitia SanMarthanorum 11. In Lugdunenſi 4, ſive Senonia Metropolita eſt Senonenſis, infra Epiſcopi 6; in Notit. SanMarthan. 3. In Belgica 1. Trevirenſis, ſub quo 3. In Belgica 2. Remen-

menſis, ſub quo 11; in Notit. SanMarth. 8. In Germanica 1. familiam ducit Moguntinus, eique morem gerunt 3; in Notit. SanMarth. 4; in Notit. Scheleſtratii 5; hodie vero 14. In Germania 2. Agrippinenſis, ſub quo 1; hodie 4. In Maxima Sequanorum Veſontinus priori loco habetur, infra quem 7; in Not. SanMarth. 3; hodie 4. In Alpibus Grajis, & Penninis Tarantaſienſis, ſub quo 1; in Not. SanMarth. 2, alias 3. In Provinciis 7. Viennenſi præeſt Viennenſis, cui parent ſuffraganei 12; in Notit. Scheleſtratii 9; in Not. SanMarth. 6. in Notit. Scheleſtratii Viennenſi 2. præfectus eſt Arelatenſis, eique parent ſuffraganei 3; in Notit. SanMarth. 4. In Aquitania 1. Bituricenſis, eique obnoxii 7; in Not. SanMarth. 5; hodie 9. In Aquitania 2. Burdigalenſis, ſub quo 5; in Not. SanMarth. 9. In Novempopulana Eluſatienſis, hodie Auſcienſis, ſub quo 11; in Not. SanMarth. 10. In Narbonenſi 1. Narbonenſis eſt Metropolita, eidemque ſubjecti Epiſcopi 5; in Notit. Scheleſtratii 7; in Notit. SanMarth. 10. In Narbonenſi 2. Aquenſis, ſub quo 6; in Notit. SanMarth. 5. In Alpibus Maritimis dignitate Metropolitica defungitur Ebredunenſis, cui obtemperant Epiſcopi 7; in Notit. SanMarth. 6; alias 5. Quibus adjungendi Pariſienſis ad Metropoliticam dignitatem exaltatus a Gregorio XV. anno 1622, ſub quo ſuffraganei 3, in Not. SanMarth. 4. Albienſis, eadem dignitate exornatus a V. Innocentio XI; ſub quo ſuffraganeus 1; in Not. SanMarth. 5. Avenionenſis, cui Metropoliticum honorem contulit Urbanus II; ſubjacent vero Epiſcopi 3. Toloſanus, ſub quo 7. Mechlinenſis, ſub quo 6. Cameracenſis, ſub quo 4. Ultrajectinus, ſub quo 5. Salisburgenſis, ſub quo in Notit. Scheleſtratii ſuffraganei 5, deinde 10, hodie 8. Magdeburgenſis, ſub quo 7. Hamburgenſis, deinde Bremenſis, ſub quo 4. Pragenſis, ſub quo 3. Viennenſis in Auſtria ab anno 1718, aliique; de quibus agunt copioſe præter hactenus memoratos, Stephanus Luſignanus in Notit. antiq. Epiſcop. Gall.; Papyrius Maſſonus in Notitia ſimili; Johannes Chanutius in hiſt. Chronolog. Archiep., & Epiſcop. Gall.; Claudius Robertus in Gall. Chriſt.; Robertus Cenalis in Topograph. hierarch. Gall.; Philippus Labbæus in Polyptycho Regio; D. Beaunier in collect. Chronol., hiſt., & topog.

Ar-

Archiep., & Epiſcop. Gall.; Petrus Frizonius in Gallia Purpur.; Cointius, Ducheſnius, Anonymus auctor hiſt. Eccleſ. Germ. edit. Bruxel. 1728; Franciſcus Orlendius in Orb. Sac., & prof.; Jo. Carolus Stadel in comp. Geograph. Eccleſ., aliique, quos perſequi omnes non præſtat.

Jamdiu ad Provincias Hiſpaniarum propero, atque principio de earumdem politica diſpoſitione pauca attingendo, Hiſpaniam, antea duas in partes diviſam, Citeriorem, & Ulteriorem, unde ei nomen adſcitum nonnulli augurantur, poſtquam anno 714. Urbis conditæ, ex quo inducta Æra Hiſpanica duo de quadraginta annis Dionyſianam ſuperans, Romano penitus ſubjugaſſet Imperio, tres in Provincias diſtribuit Auguſtus Bœticam, Luſitanam, & Tarraconenſem, teſte Strabone lib. 3; ex quibus Bœtica Senatus adminiſtrationi dimiſſa, reliquas duas ſibi adminiſtrandas retinuit: in iis vero Metropoles erant Hiſpalis, Emerita, & Tarraco. In Provincias 6. deinde diviſa Hiſpania eſt, hoc eſt Tarraconenſis, cujus Metropolis Civilis evaſit Cæſarauguſta, in Gallæciam, & Carthaginenſem diſtracta, adjectaque Tingitana, ſive Transfretana. Diviſionem iſtam obveniſſe ſub Hadriano putant Panvinius in Notit. Hadriani, & Brietius in Parallelis Geograph. vet., & novæ: non ante Conſtantinum M. contendit, oſtenditque Cl. Cennius de Antiq. Eccleſ. Hiſp. diſſert. 1. cap. 1: poſt Conſtantinum autem ex Sexto Rufo in Brev. veriſimilius conjicit Carolus a S. Paulo. Acceſſere demum circa Arcadii, Honoriique ætatem Inſulæ Baleares, ſummamque Provinciarum 7. complevere; quot habet nempe Notitia Imperii. Poſt hac ſub Arcadio, & Honorio peculiarem in Hiſpaniarum Provinciis deſignatum Prætorio Præfectum, eumque quidem primum fuiſſe, Macrobium arguit Pancirolus ex L. 15. Cod. Theod. *De Paganis* data Ravennæ anno 399. *Macrobio PP. Hiſpaniarum* &c. videlicet duabus litteris illis PP. Prætorio Præfectum deſignatum intelligens: quibus attamen Pro-Præfectum intelligi oportere recte admonent Gothofredus in L. 61. *De Curſu publico*, Valeſius in Amm. Marcellini lib. 14. cap. 5, & Cennius diſſert. 2. cap. 1; oſtendens Hiſpaniarum Diœceſim jugiter Galliarum Prætorio Præfecto manſiſſe obnoxiam. Poſtquam vero a Suevis, Vandalis, & Ala-

Alanis anno Æræ Hiſp. 447, Chriſtianæ 409, Hiſpaniæ occupatæ ſunt, ac poſt annos circiter 7. Alanis, atque annos 18. Vandalis expulſis, in poteſtatem qua Gothorum venerunt, qua in poteſtate Suevorum manſerunt uſque ad annum Æræ Hiſp. 624, Chriſt. 586, quo Reccaredus Gothorum Rex ad Romanæ Eccleſiæ Sacra tranſivit, ſub cujus deceſſore Leovigildo Suevorum Regnum anno 584. oblitteratum fuerat, altera Provinciarum diſpoſitio obtinuit. Nam, ut de Alanis, Vandaliſque nihil dicam, ut obſervavit Mariana lib. 5. hiſt. Hiſp. cap. 5, Gallæcia cum Luſitaniæ parte Suevis parebat; Bœtica, & Catalaunia Gothis; Romano vero Imperio Carthaginenſis tractus, Carpetania, hodie Algaria, aliæque Provinciæ, quas perinde Gothi in poteſtatem ſuam tranſcripſerunt. Itaque Bœtica in duas Provincias, ſive Regna diviſa eſt, Andaluſiam, cui manſit caput Hiſpalis, & Granatam, cui nomen indidit Granata in Metropolim erecta. Luſitaniæ adjecta Gallæcia, ſeu verius ab ea abſciſſa, Emeritæ everſæ loco in Metropolim ſurrexit Bracara; in Gallæcia vero Iria Flavia, ex cujus deinde ruinis extructum Janaſum eſt, hodie Compoſtella Provinciæ caput. A Carthaginenſi, in qua caput nova Carthago fuerat conſtituta, divulſa Carpetania deinde eſt, ac Metropolis in eadem emerſit Toletum, ubi Gothorum Regum ſedem primus defixit Leovigildus anno circiter 577, quam pridem Toloſæ, ſubindeque Narbone tenuerant: etſi eorum nonnulli Hiſpali, aut Cæſarauguſtæ, aut Iriæ, aut Carthagine, aut Barcinone conſediſſe legantur. Incommodis his haud ſubjacuiſſe videntur longius ſemotæ Provincia Tingitana, quæ trans fretum Gaditanum poſita, unde Transfretana etiam dicta, Mauritaniæ partem conficiebat, cujus manſit caput Tingis, ex qua in Provinciam derivatum nomen; & Baleares Inſulæ quatuor, quarum duæ majores Majorica, & Minorica dictæ, duæque minimæ Ebuſus, & Ophiuſa; in quibus Palma Metropolis habita eſt, quæ tamen ex decretis Eccleſiaſticis vindicari eidem nequit. Poſt annos 127. Mauris in Hiſpanias irrumpentibus, ac Roderico Gothorum poſtremo Rege anno 711. cum ſuo exercitu profligato, Hiſpaniæ denuo in plura Regna diſcriminatæ ſunt, novaque indita his nomina, quæ hodie dum manent: ideſt poſtquam Maurorum, quos ingen-

gentem copiam in Africam transfretare compulit, Regno, quod annis 780. occupaverant, penitus delevit, inque jus suum transcripsit Ferdinandus V. Aragoniæ, & Castellæ Rex. Ob rem bene gestam, Mauroſque ab Hiſpaniis depulſos, Ferdinando *Catholici* titulus collatus ab Innocentio VIII; Hiſpaniæque Regibus hæreditarius declaratus ab Alexandro VI, & Julio II. vulgo fertur. Quod tamen ita accipi debere, ut ab his Pontificibus fuerit is titulus potius inſtauratus, quam primo impertitus, admonent Spondanus ad annum 1492. n. 2; & Cennius de antiq. Eccleſ. Hiſp. diſſert. 4. cap. 1: nam *Catholici* nomine cognominatus Chintilla Rex Gothus legitur, ideoquod ad perfidiam Judæorum penitus convellendam, ut nullus deinceps in Regno degeret, qui Catholicæ Religioni nomen non dediſſet, lege lata, quam laudibus extulit meritis Concilium Toletanum VI. cap. 3, ſanxiſſet. Quin ante ipſum annis fere 50. eodem *Catholici* titulo inſignitum Reccaredum, ob reductam ſecum gentem ſuam Gothicam ab Arianiſmo ad Catholicam fidem, cum a S. Gregorio M. lib. 7. epiſt. 126; tum Concilio Toletano III. in præf., obſervant Spondanus loc. cit., Aguirræus Concil. Hiſp. tom. 2. pag. 518, & Cennius in præcit. diſſert. 4. cap. 1. n. 22. Poſt ipſos vero centum ferme quinquaginta annis Alphonſus hujus nominis primus pro cognomine pariter *Catholici* titulum uſurpaſſe legitur.

Retorquendus modo erit ſermo ad Hiſpaniarum Eccleſiaſticas Metropoles, circa quarum originem, primamque inſtitutionem doctiſſimos homines rerum Hiſpanicarum callentiores intueor in diverſas, adverſaſque diſtrahi, abtipique opiniones. Johannes Gerundenſis Epiſcopus in Paralip. Hiſp.; Johannes Vaſſæus in Chron. Hiſp., & Garſias Loaiza in Notis ad decretum Regis Gundemari Æra 648, & in Not. ad Concil. Lucenſe pugnant a Conſtantino M. Hiſpanias fuiſſe partitas in 5. Provincias non tam Civiles, quam Eccleſiaſticas, Tarraconenſem, Bœticam, Luſitanam, Carthaginenſem, & Gallæciam, totidemque iis præfectos Metropolitas: probant id tum ex Notitia e Mſ. Bibl. Toletanæ eruta, in qua fertur Conſtantinus anno 4. Impetii, quum in Hiſpaniis demoraretur, in Concilio Illiberitano anno 338. indicto, ibidem Metropolitas ſex deſignaſſe, 1. Narbonenſem, 2. Tarraconenſem, 3. Bracarenſem, 4. Hiſpalenſem,

ſem, 5. Emeritenſem, & 6. Toletanum: tum ex Notitia altera e Mſ. Eccleſiæ Ovetenſis deſcripta, in qua præterea recenſentur Metropolitis illis ſex attributi ſequentes numero ſuffraganei, Narbonenſi 7, Tarraconenſi 14, Bracarenſi 8, Hiſpalenſi 9, Emeritenſi 12, & Toletano 19. Parum hinc abſunt Emin. Aguirræus tom. 1. Concil. Hiſp. in Comment. ad Concil. Illiber., & doctiſſ. Cennius de Antiq. Eccleſ. Hiſp. diſſert. 2. cap. 3. autumantes principio utique in Hiſpaniis uſque ad initium ſæculi IV. ad finitimæ Africæ formam Eccleſiaſticam Hierarchiam fuiſſe exactam, locoque Metropolitarum habitos, qui ordinatione antiquiores eſſent Epiſcopi. Poſtmodum tamen, atque a Conſtantini M. tempore, obtinuiſſe quinque Metropolitas mox recenſitos, eoſque in epiſt. 1. S. Siricii ad Himerium haud obſcure n. 8. indicari: quos interea hoc nomine neque inſcripſiſſe ſemet, neque innotuiſſe nobis, neque imo hoc ipſo honore habitos, niſi poſt reditum Oſii in Hiſpanias e Concilio Sardicenſi circa dimidium ſæculi IV. augurantur: circa id vero temporis, ac in Concilio Cordubenſi anno 350, aut 360. quinque Metropolitarum numerum fuiſſe abſolutum, tribus, quos jampridem inſtitutos arbitrantur, Tarraconenſi, Hiſpalenſi, & Emeritenſi, duobus aliis adjunctis Bracarenſi, & Toletano. Repugnant Ferdinandus de Mendoza de Concil. Illiber. lib. 1. cap. 1, & lib. 3. cap. 42; & D. Johannes de Segovia in diſſert. Eccleſ. Hiſpanice adornatis contendentes ante Concilium Illiber. nullam in Hiſpania Metropolem Eccleſiaſticam conſtitutam. Atque quidem prælaudatis Notitiis illud obeſt quam maxime, tum quod Conſtantinus anno 4. Imperii, qui notatur in utraque notitia, certe nondum Chriſto dederat nomen, nam etiam in eorum opinione, qui Romæ a S. Silveſtro baptizatum volunt, non ante annum Chriſti 324, & Imperii aut 19. juxta Chronologiam Fabricii, aut 24. juxta calculos Pagii, ideſt nonniſi poſt devictum Licinium, aut ſi velis, non ante annum 312. Chriſti, 7. Imp., hoc eſt niſi poſt ſuperatum Maxentium, Chriſtianis ſacris initiatus eſt: tum quod in præf. Notitiis contributa Hiſpaniis legitur Provincia Narbonenſis, quæ ad Gallias ſemper pertinuit, uti liquet ex Notitiis Imperii ab Auguſto uſque ad Honorium, atque ex epiſtolis SS. Zoſimi, & Leonis M. ad Gal-

Galliar. Epiſcopos: nec niſi ſæculo VI. inclinante ſub Gothorum Regno Hiſpaniæ attributa fuit, unde in Concilio Toletano III. anno Æræ Hiſp. 627, Chriſti 589. Narbonenſis cum aliis 8. Epiſcopis in Gallia Gothica degentibus leguntur ſubſcripti: ex quo patet manifeſte non ante id temporis eas Notitias fuiſſe compoſitas. Atqui Ovetenſis Notitia alteram præterea falſitatis notam præſefert, dum Toloſam Narbonenſi ſubjugat: ſiquidem, ut obſervat Petrus de Marca lib. 1. cap. 15, & lib. 3. cap. 14, quamvis Toloſa ad primam Narbonenſem ſpectaret jampridem, ut habet Notitia Imperii, Gothis tamen a duabus Aquitaniis, & Novempopulania a Clodovæo expulſis, Toloſa quoque iiſdem fuit erepta, contributaque Aquitaniæ 1, ejuſque Epiſcopus ſuffraganeus deinceps Metropolitæ Bituricenſis eſſe cœpit; unde in præmem. Concilio Toletano III. cum ceteris Galliæ Gothicæ Epiſcopis ſubſcriptus minime noſcitur Toloſanus; qui nec Narbonenſi ſubjicitur in altera Notitia Hiſpalenſi, quæ Wambæ Regi vulgo tribuitur. Conjicere igitur eſt in Hiſpaniis Eccleſiaſticas Metropoles initio ſæculi V. inductas ex Concilio Toletano I. anno 400, in quo Provinciarum Tarraconenſis, Bœticæ, Luſitanæ, Carthaginenſis, & Gallæciæ occurrit mentio: quibus deinde acceſſere ſub Suevis Bracarenſis, ac Lucenſis anno 569. in Concilio Lucenſi decreta; atque ſub Gothis Toletana, cujus Metropolita ex decreto Gundemari Regis apud Baronium ad annum 610, & Concilii Toletani eodem anno habiti Carthaginenſis Metropolita dici etiam cœpit: præterea Tarraconenſem Urbanus II, & Bracarenſem Paſchalis II. reſtituerunt: in locum Emeritenſis Compoſtellanam ſuffecit Calliſtus II: Cæſarauguſtanam a Mauris vindicatam redintegravit Johannes XXII: Ulyſſiponenſem inſtituit Bonifacius IX: Valentinam Innocentius VIII. eadem dignitate exornavit: Granatenſem Alexander VI, & Burgenſem Gregorius XIII. pari decore adauxerunt; de quibus Raynaldus, Thomaſſinus, & Pagius ad annum 675. n. 1, & ſeqq.

Hiſpaniarum hiſce Metropolibus qui nam, quotve ſuffraganei olim forent obnoxii, in obſcuro latet. Garſias Loaiza in Notis ad Concil. Lucenſe ex Codic. Mſſ. Eccleſ. Toletanæ, Hiſpalenſis, & Overenſis Notitias nonnullas exhibet, ut innui, ex quibus eruitur

tur olim Metropolitæ Hiſpalenſi in Bœtica paruiſſe ſuffraganeos 8, aut 9: Emeritenſi in Luſitania 6, aut 13, aut 11: Tarraconenſi in Tarraconenſi 14, aut 16, aut 15: Bracarenſi in Gallæcia 13, aut 8: Toletano in Carthaginenſi 13, aut 19: & Narbonenſi in Gallia 9, aut 8. Ut ut ſit de his, hodie in Hiſpania præter Epiſcopos duos Legionenſem, & Ovetenſem, qui ullo abſque medio Pontifici Romano ſubjacent, ſub Primate Toletano ſuffraganei dinumerantur Epiſcopatus 9: ſub Tarraconenſi 8: ſub Hiſpalenſi 3: ſub Compoſtellano 12: ſub Cæſarauguſtano 6: ſub Valentino 3: ſub Granatenſi 2: & ſub Burgenſi 3. In Luſitania Regi Johanni V. Patriarcham Ulyſſiponenſem conceſſit anno 1716. Clemens XI, cui obnoxii ſunt Epiſcopi 4; extra Europam vero Septenſis in ora Barbariæ; Funchalenſis in Inſula Madera; Angrenſis in Inſula Tercera; Congenſis in Regno Congi; Capitis Viridis, ſive Inſularum Heſperidum; Indiæ S. Thomæ; & Braſilienſis in Urbe Omnium Sanctorum: Bracarenſi ſubſunt 5:& Eborenſi 1. in Europa, & Tingitanus in Africa. Præter eos vero, quos memoravi, conſer, ſi placet, qui de Archiepiſcopis, & Epiſcopis Hiſpaniarum, & Luſitaniæ copioſe agunt, Andream Schottum tom. 2. Hiſp. illuſt.; Hieronymum a S. Maria Cardin. Aguirræum in Concil. Illiber. tom. 1; in Lucenſe tom. 2. Concil. Hiſp., & ibid. in Concil. Tolet. III, Tolet. IV, & Tolet. VI; Abbatem de Vairac lib. 4. *De l' Etat preſent d' Eſpagne* edit. Amſtelod. 1719, Europæ Sapient. tom. 11. pag. 298; Atlantis hiſt. tom. 1. n. 32; Raphaelem Bluteau in Vocabul. Portugal., & Lat.; Aubertum Miræum in Notit. Epiſcop.;&Antonium de Souſa in Luſitania Infulata, & Purpurata; quorum Epiſcop. editus perinde eſt anno 1721. Catalogus ab Academia Luſitanica.

Tertia Diœceſis Præfecto Galliarum obnoxia eſt Britannia, olim Albion a Montibus albis, ac deinde a Britone Rege Britannia denominata. In duas pridem dividebatur primam, ſive ſuperiorem ad Auſtrum, nunc Angliam, & ſecundam, ſeu inferiorem ad Septentrionem, hodie Scotiam, olim Caledoniam: inter utramque vero, ideſt inter duos ſinus Clottæ, & Bodotriæ conſtitutum fuiſſe murum ab Hadriano, Antonino Pio, Septimio Severo, & Honorio, ultra quem in Britanniam inferiorem Roma-

manum Imperium non effundebatur, referunt Tacitus in *Agricola*, Capitolinus in *Antonino*, Spartianus in *Severo*, V. Beda hiſt. Angl. lib. 1, & Uſserius in Antiq. Britan. Sub Claudio Britannia ſuperior Provinciæ formam induit, teſte Tacito loc. indic., ſub Severo in duas, Auſtralem, cujus caput Londinum, & Septentrionalem, cujus caput Eboracum, diſpertita fuit. Sub Conſtantino M. in tres diviſam, Britanniam 1, 2, & Maximam Cæſarienſem indicat Sextus Rufus in Brev. Poſt obitum Valentiniani adjectæ duæ aliæ ſunt, Valentia a Valente dici deinceps jubente Theodoſio, teſte Marcellino lib. 28, & Flavia dicta a Flavio Theodoſio Juniore, ut ait Scheleſtratius antiq. illuſt. tom. 2. in diſsert. de diviſ. Imp. Rom. cap. 11. In Civili diſpoſitione Britanniæ 1. Metropolis Londinum erat, teſte V. Beda lib. 2. cap. 7; Britanniæ 2. Metropolis Carleona; Maximæ Cæſarienſis Eboracum; Valentiæ, & Flaviæ Metropoles in obſcuro latent. Britannia utraque occupata ab Anglis, Saxonibus, & Juttis anno 447, fugatis, profligatiſque Scotis, & Pictis, uti referunt Gildas in lib. de Excidio Britann., & V. Beda lib. 1. capp. 14, & 15, qua de re videndus Pagius ad annum 447. n. 9, & ſeqq., & 449. n. 21, & ſeqq., nova Civilis diſpoſitio inducta eſt: nam Britanniæ in 7. Regna diſcriminatæ ſunt: 1. in Cantium, cujus Metropolis conſtituta Dorovernum, ſive Cantuaria: 2. Saxonum Auſtralium, cujus Metropolis Ciceſtria: 3. Saxonum Occidentalium, cujus caput Vintonia: 4. Saxonum Orientalium, cujus caput Londinum, alias Trinobantum: 5. Anglorum Orientalium, cui Metropolis evaſit Elia Inſula: 6. Anglorum Northumbrorum, ſeu Aquilonarium, cui caput inſtitutum Eboracum: & 7. Anglorum Merciorum, ſive Mediterraneorum, ubi celebres Urbes inter alias Oxonium, & Gloceſtria. Regna hæc omnia tandem in jus ſuum tranſcripſere poſt annum 800. Saxones Occidentales, unumque conflarunt; cui acceſſere deinde Hibernia, ac Scotia demum anno 1603. ſub Jacobo VI. Stuardo, hoc nomine Angliæ Rege I: quæ duo Regna nuſquam in Romani Imperii jura tranſmigraverant. Confer V. Bedam loc. cit., Malmesburienſem lib. 1, Spelmannum in proleg. ad Concil. Angl., alioſque rerum Anglic. tractatores.

Quod nunc ad Eccleſiarum in Britannia diſpoſitionem attinet,

net, poſtquam ad Lucii Regis preces Legatis miſſis Fugatio, & Donatiano Inſulam ad Chriſtiana ſacra traduxit S. Eleuthetus P. M., qua de Miſſione adeundi V. Beda lib. 1. cap. 4, Baronius, & Alfordus ad annum 183, (quin etiam Britannos antehac fide imbutos tradit Gildas in lib. de excid. Britan.), quibus utique præiviſſe videntur Tertullianus in lib. adv. Judæos cap. 7, Origenes hom. 6. in S. Lucam, & S. Jo. Chryſoſtomus in Orat., *Quod Chriſtus Deus* tom. 1. edit. nov. pag. 575. haud obſcure Chriſtianam Religionem jam tum in Britannia excultam ſcribentes; latet omnino, quæ forma invecta fuerit Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. Sub Diocletiano acciſa pene ibidem Religio ſub Conſtantino M. caput denuo attollere viſa eſt, nam in Concilio Arelatenſi I. ſubſcripti leguntur Epiſcopi Londinenſis, & Eboracenſis, qui tamen ignorantur, an Metropolitæ eſſent. Occupata ſubinde Inſula ab Anglo-Saxonibus, rurſus collapſa Religio jacuit uſque ad S. Gregorii M. ætatem, a quo miſſus S. Auguſtinus, aliique viri Apoſtolici gentem ad ſacra noſtra reſtauravere non modo, ſed Eccleſiaſticam Hierarchiam ſtabilivere. Miſſionem hancce fruſtra pro ſuo pluſquam vatiniano in Pontifices odio figlinis, fabelliſque adcenſere Parkerum non puduit in Antiq. Britan. pag. 34, ſed contra eum pugnant expreſſum S. Gregorii M. teſtimonium lib. 27. Moral. cap. 6. in verſ. 36, V. Beda lib. 1. capp. 1, & 25; Nicolaus Fierbertus de antiq., & continuat. Cathol. Relig. in Anglia; Baronius, & Alfordus in Annal.; Papebrochius ad diem 26. Maji; atque ex Anglo-Proteſtantibus Seldenus in Analec. lib. 2. ex Johanne Diacono in vita S. Gregorii lib. 1. cap. 21. confirmans; Stephanus Birchingtonus in vitis Archiep. Cantuar. tom. 1. Angliæ ſacræ Warthoni, aliique. A S. Auguſtino itaque primus Chriſtianis ſacris initiatus eſt Cantiorum Rex Ethelbertus: poſt ipſum a S. Mellito Londinenſi Epiſcopo anno 604. Sebertus Saxonum Orientalium Rex; Cynigilſus Rex Occidentalium Saxonum anno 635. a S. Birino Durnovartenſi: Auſtralium Saxonum Rex Ediluvalchius anno 661. a S. Wilfrido Eboracenſi: Sigbertus Rex Anglorum Orientalium anno 627, aut 629. a Felice Dumvicenſi: Anglorum Aquilonarium Rex Eduinus anno 627. a Paulino Eboracenſi: Penda demum Rex Anglorum Mediterraneorum anno 653.

653. a Finano Presbytero: de quibus adeundus V. Beda lib. 1. capp. 25, & 33; lib. 2. capp. 14, & 15; lib. 3. capp. 7, 21, & 24; & lib. 4. cap. 13; conferenduſque Pagius ad præcit. annos. In Scotia ſub S. Victore fidei lumen affulſiſſe innuit Tertullianus, & ſcribit Spondanus ad annum 429. num. 3. Sæculo IV. ad exitum vergente Scotos ad Chriſtiana ſacra converſos tradit S. Hieronymus in epiſt. 3. ad Heliodorum. Ad Scotos in Chriſtum credentes directum Palladium, primumque iis ordinatum Epiſcopum a S. Cæleſtino referunt S. Proſper in Chron. ad annum 431, & V. Beda lib. 1. cap. 13. Pictos Auſtrales a S. Niniano Chriſtiana religione imbutos anno circiter 390. a S. Damaſo, ſeu verius a S. Siricio illuc miſſo teſtatur V. Beda lib. 3. cap. 4, & conſentit Uſſerius in lib. de primord. Eccleſ. Britan.; a S. Columba vero Abbate, quem perperam V. Bedæ Codices editi cum S. Columbano confundunt, Pictos Septentrionales circa idem tempus fuiſſe converſos, quique iiſdem Regis nomine præerat, Bridium baptiſmo ablutum tradit eodem loci V. Beda, & obſervat Pagius ad annum 396. n. 4, arguitque ex præcit. epiſtola S. Hieronymi ad Heliod. Videſis & Tillemontium tom. 16. Monum. hiſt. Eccleſ. pag. 452, & ſeqq., ac pag. 476, & ſeqq. Hibernos pariter ad fidem perductos fuiſſe a Palladio autumat Pagius ad annum 431. n. 51. a S. Patritio etiam illuc a S. Cæleſtino miſſo n. 52. Ex Patricio Arvernenſi, aut ex Patricio Hiſpano confictum fuiſſe a Monachis hunc S. Patritium Hibernum contendit Henricus Mauritius Anglus in libro defenſ. Diœceſ. Epiſcop. adverſus Clarkſonum: veritate tamen conſtat hæc S. Patritii miſſio ex actis ejuſdem S. Patritii deſcriptis plus vice ſimplici a Bolland. ad 17. Martii, a Philippo Oſullevano; Thoma Meſſinghamo, Davide Rotho, Uſſerio in antiq. Britan. &c.

Etſi vero ante S. Auguſtini ætatem Londini, & Eboraci jam erecta legatur Epiſcopalis Cathedra, nam utriuſque Antiſtes, ut innui, Concilio Arelatenſi I. adfuit: quin etiam S. Gregorius M. lib. 7. epiſt. 15. relata a V. Beda lib. 1. cap. 29. eidem inſinuaſſet: ut Metropoles duas Eccleſiaſticas erigeret Londini, & Eboraci, S. Auguſtinus attamen, ex novo conſenſu procul dubio Pontificis, veluti ſcribit V. Beda lib. 2. cap. 3, Cantuarienſem ſibi adminiſtran-

dam

dam retinuit, Londinenſi præfecit Mellitum, & Roffenſi Juſtum. S. Auguſtinum Cantuarienſi admotum Pallio adauxit, viceque præterea Apoſtolica S. Gregorius teſte Beda lib. 1. capp. 27, & 29; quoadque uſque viveret, eidem Eboracenſem obnoxium voluit: cui Eboracenſi parem eſſe in dignitate Londinenſem juſſit, utque illorum prior in honore haberetur, qui prius fuiſſet ordinatus: quam honoris æqualitatem ſervari ſubinde inter Cantuarienſem, & Eboracenſem ſtatuit Honorius I. apud V. Bedam lib. 2. capp. 17, & 18. Nihilotamen ſecius Primatum poſthac Cantuarienſis in totam Britanniam, viceſque Apoſtolicas obtinuit a Johanne XII. S. Dunſtanus apud Eadmerum lib. 5. hiſt. Exorta deinde controverſia inter S. Lantfrancum Cantuar., & Thomam Eborac., Alexandri II. juſſu a Synodo Anglicana anno 1072. ex decretis S. Gregorii, Boniſacii, Honorii, Vitaliani, Gregorii II, Leonis, Johannis &c. Lantfranco adjudicata fuit. Recruduit contentio S. Anſelmum inter, & Thomam alterum Eborac. ſub Paſchalii II, ex qua pariter S. Anſelmus victor exivit, teſte Eadmero lib. 4. Idem Pontifex Thurſtano Eborac. primum Cantuarienſi ſubeſſe juſſit, ſed poſtea eidem jus ſuum integrum reſtituit, ſive decretum S. Gregorii de gradus æqualitate cum Cantuarienſi ſervari voluit: quod decretum perinde confirmavit Alexander III. Conſt., quæ extat in append. Concilii Later. III. apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1835. tit. *De Præeminentia* Cap. 2. *In hunc modum*. Junge Thomaſſinum vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 36. In Provincia Walliæ diu proprii juris Metropolitica Sedes Meneviæ manſit, nunc dicta Urbe S. Davidis: quam Cantuarienſi ſubjicere voluit ſubinde Henricus I. Rex, ſed ab hoc jugo Eugenius III. exemit, ſed tandem ſubegit Innocentius III. In Scotia olim Metropolita nullus, unde Epiſcopi omnes ſui juris erant, velut enarrat Cl. Thomaſſinus lib. 3. cap. 41. n. 17. Subinde ſub Henrico II. anno 1176. certatim ſibi ſubjicere conati ſunt tum Cantuarienſis, tum Eboracenſis: ſed uterque cauſſa cecidit, nam neutri eos ſubjacere, ſed immediate Sedi Apoſtolicæ, ſanxere ſive Clemens III, ſive Cæleſtinus III. apud Hovedenum ad annum 1188, & 1192. Sant Andreanum in Scotia Epiſcopum jure inaugurandi Reges Scotiæ poſtea inſignivit Johannes XXII. apud Raynaldum ad annum 1329. n. 79; eum-

eumdemque demum Metropolitica dignitate adauxit Sixtus IV, quo pariter honore affecit Glaſcovienſem, ea lege tamen adjecta, ut Andreopolitano tanquam Primati eſſet ſubmiſſus. In Hibernia primus Metropolita, ac Primas fertur S. Patritius; cujus poſt obitum Primatis jus reſedit apud Abbatem Monaſterii S. Columbæ, eique obnoxii erant Epiſcopi omnes, teſte V. Beda lib. 3. cap. 4, cui conjunge Baronium ad annum 565. n. 32; Mabillonium ſæculo I. Bened., & Pagium ad cit. an. n. 12, & ſeqq. Primus, qui certo certius Hiberniæ Primatem egerit, legitur Celſus Armachanus, cujus ſucceſſor S. Malachias ab Innocentio II, ut hæc dignitas Armachanæ Eccleſiæ adſereretur, impetraſſe refertur a S. Bernardo in ipſius vita. Tres aliæ deinde ab Eugenio III. in Hibernia inſtitutæ Metropoles traduntur a Rogerio Hovedeno ad annum 1151, Dublinenſis, Caſſilienſis, & Tuamenſis, quæ tamen Armachanæ, tanquam Primati, obnoxiæ perpetuo forent. Jam vero in Anglia Epiſcopi ſuffraganei enumerabantur olim Cantuarienſis 21; & Eboracenſis 3. In Scotia SantAndreano ſuberant Epiſcopi 8; & Glaſcovienſi 3. In Hibernia Armachano erant obnoxii Epiſcopi 8; Dublinenſi 3; Caſſilienſi 5; & Tuamenſi 3; de quibus adeundi, ſi licet, lubetve, Index Epiſcop. Angl. ad calcem hiſt. Matthæi Pariſii; Faſti Epiſcop. Angl. apud Henricum Savilium de ſcript. rer. Anglic.; Franciſcus Goodvinus de Præſulibus Angl.; Henricus Spelmannus in proleg. ad Concil. Angl.; Nicolaus Harpsfeldius in hiſt. Angliæ Eccleſ.; Henricus Warthonus in Anglia ſacra; Samuel Cartius in Tabul. Chronolog. Archiep., & Epiſcop. Angl.; Guido Miegius in *Etat preſent de la grande Bretagne* edit. Amſtel. anni 1708. &c.

Demum amplificata devexiori ſub ætate in Aſia, & America Religione Chriſtiana, Romanorum Pontificum cura novæ Metropoles Eccleſiaſticæ, novæque Epiſcopales Cathedræ erectæ ſunt. Atque quidem in Indiis Orientalibus hodie tres degunt Metropolitæ, in Philippinis Inſulis Manilianus, cui ſubſunt Epiſcopi 2; in Ora Malabarenſi Cranganorenſis, dictus Archiepiſcopus etiam Angamalenſis, ſive Chriſtianorum S. Thomæ, abſque ſuffraganeis; & in Peninſula citra Gangem Goanus, ſub quo ſuffraganei 6. In Indiis vero Occidentalibus Metropolitæ 6, & Epiſcopi 38.

extant: nempe in America Meridionali, ac quidem in Terrafirma, ſive Granata nova Archiepiſcopus S. Fidei de Bogota, cui parent Epiſcopi 4: in Paraquaria Argentinus de la Plata, ſub quo ſuffraganei 5: in Perruvia Limanus, infra quem 6: in Braſilia Archiepiſcopus S. Salvatoris in Sinu Omnium Sanctorum, eique ſubjacent Epiſcopi 4: in Cile, ſive Chili Archiepiſcopus S. Jacobi, ſub quo 2. In America Septentrionali in Mexico, ſive Hiſpania nova Archiepiſcopus Mexicanus, cui obnoxii Epiſcopi 13: & in Inſula S. Dominici, una ex Antillis, ſive Hiſpaniola Archiepiſcopus S. Dominici, cui inferiores Epiſcopi 4: de quibus conſuleſis P. Vincentium Coronellum in Atlante Veneto pag. 68; Antonium Colaſſum Soc. J. de toto Indiæ ſtatu; Commanvillæum in Tabul. Geograph. pag. 136; Antonium Cajetanum de Souſa in Catalogo Archiep., & Epiſcop. in Comment. Academiæ Ulyſſip. anno 1722; Henricum Scherer in Geograph. Hierarch. tom. 2; Antonium Rodericum Coſtum in hiſt. Eccleſ. Luſitan. tranſmar.; Cornelium Hazart Soc. J. in Chriſtianiſmo Catholico per Orbem propagato volum. 2; Urbanum Cerrium in relat. ſtatus præſent. Eccleſ. Rom. &c. Univerſim vero, præter hactenus recenſitos, qui de Patriarchis, Metropolitis, & Epiſcopis Orientis, & Occidentis pertractant, adiri poterunt Hierocles Grammaticus in Diſpoſitione Civili Provinc. 66, & Civit. 935. Imperii Conſtantinop. ad Juſtiniani Imp. tempora pertinente, quam 14. tamen poſtremis Provinciis mutilam primus evulgaverat Carolus a S. Paulo in append. ad Geograph. Eccleſ., integram deinde ex Cod. Mſs. Bibl. Barber. edidit Scheleſtratius tom. 2. Antiq. illuſt. in Append. ad opus Geograph., ac Anſelmus Bandurius Imp. Orient. Tom. 1. Leo Sapiens in Diſpoſitione, quam habent Throni Eccleſ. Patriarch. Conſtantinopolit., in qua Metropoles referuntur 81, Archiepiſcopatus 39, Epiſcopatus vero 221, quamve Juri Græco-Romano intexuit Jo: Leunclavius; cujus haud abſimilem Notitiam ex Mſs. Cod. Vatic. deſcripſit Carolus a S. Paulo, ex Mſs. Bibl. Regiæ Pariſ. caſtigatiorem edidit Goarius ad calcem Codini, & ex Ms. Bodlejano exhibuit Beveregius tom. 2. Synodici in Notis ad Can. 36. Trull., ac poſt ipſum Scheleſtratius in diſſert. ad Concil. Antioch., & Binghamus Orig. Eccleſ. tom. 3. lib. 9. cap. 3.

cap. 3. In hac Notitia Provinciæ dinumerantur 74, Metropoles 33, Autocephali 41, Epiſcopi 935. Nilus Doxopatrius Eccleſ. Conſtantinopolit. Nomophylax in Commentario de quinque Patriarch. Thronis, Archiep., Epiſcop. &c. anno 6651. Ind. 6, ideſt Chriſti 1143, quem Bibl. Leidenſi edidit latine Stephanus Moynius tom. 1. Varior. ſacr., Scheleſtratius etiam exhibet tom. 2. Antiq. illuſt., ac Pagius in Crit. ad annum 37. n. 10, & ſeqq.; Notas vero eruditas adjecit Orlendius. Aubertus Miræus in Provinciali Romano, ſive Codice Provinciali, ſive Notitia Epiſcopatuum Orbis Chriſt. ex Cod. Victor. Pariſ., quem pariter edidere ex Cod. Cancellariæ Apoſt. Petrus Rebuffus cum Praxi benef.; extatque ad calcem antiq. Collect. decret. Antonii Auguſtini, in Collect. Caroli Labbæi, & in Chron. Jani Gruteti. Carolus a S. Paulo in Geographia ſacra cum Lucæ Holſtenii Notis. Johannes Clericus in Atlante antiquo Eccleſ., & prof. Philippus Labbæus in Breviario Geograph. Epiſcop. Renatus Choppinus tom. 4. in Notitia gener. Archiep., & Epiſcop. Echardus Commanvillæus in Tabulis Geograph., & Chronolog. Archiep., & Epiſcop. Jacobus Dinienſis Ord. Min. in Hiſtoriograph. gener. Provinc. Eccleſ. Latinæ. Michael Ant. Baudrant. in Geograph. Henricus Schererus Soc. J. in Geograph. hierarch. Michael Lequienuius in Oriente Chriſt. Franciſcus Orlendius in Orbe ſacro, & prof. Harduinus in Indice Geograph. tom. 11. Concil. Hieronymus Dicelius vir Lutheranus in Geograph. ſacra, & Eccleſ. Jo: Albertus Fabricius in Indice Geograph. Epiſcop. Orb. Chriſt. ad calcem Salut. Lucis Evang., aliique, quos perſequi amplius non præſtat.

Præmiſſa, ac forte prolixiori, quam fuiſſet par, graduum Eccleſiaſticorum notione, jam in ipſam rationem, qua gradus hujuſmodi diverſi genus, unoque alter dignior, fuerint inſtituti, præſtat inquirere. Doctiſs. Bacchinius in diſſert. de Origin. Eccleſ. Hierarch. par. 1. cap. 3. hanc ab ſe ingenioſe cæteroquin excogitatam rationem exhibet. Apoſtolos, atque potiſſimum S. Petrum, in Eccleſiaſtica Hierarchia ſtabilienda ad Civilem Romani Imperii diſpoſitionem minime reſpexiſſe, neque ejuſdem ordinationi Eccleſiaſticam coaptaſſe: bene vero alteram Eccleſiaſticos gradus diſtribuendi, ſtatiſque locis defigendi rationem animo induiſ-

ſe : ideſt ad Judaicæ potius Reipublicæ politiam animum ſuum applicuiſſe, ac Hierarchiam Chriſtianam, de qua ſtabilienda mandatum procul dubio acceperant a Chriſto D.,ad Hebrææ formam accommodaſſe. Ideo igitur a S. Petro, poſtquam Eccleſia Hieroſolymitana ex ſolis Judæis fuiſſet inſtituta, poſtquam ex ſolis Gentilibus inſtitutæ perinde fuiſſent Eccleſiæ Antiochena, & Alexandrina, præ Alexandria, Antiochia, & Hieroſolyma, ſive Urbe altera quacumque, ceu Unitatis centrum uniendis Chriſtifidelibus undique Romam fuiſſe delectam, deſignatamque, quod præ ceteris Urbibus Roma Orienti mixto ex Judæis, & Gentilibus copulando Occidenti ex Gentilibus conflato eſſet accommodatior. Neque enim in ipſius opinione ad id operis erat opportuna Hieroſolyma, quæ ex ſolis Judæis coaleſcens, magis Judaicæ Eccleſiæ Metropolis fuerat efficienda : nec Antiochia, quam ex Gentilibus dumtaxat conflatam proinde Eccleſiæ ex Gentilibus coagmentatæ præfici referebat : nec denique Alexandria ex Helleniſtis, ſive Judæo-Græcis partem maximam exurgens, quæ propterea Helleniſtarum procurandis rebus opportunior habebatur. Sicut enim Judæi Hieroſolymis, ita Judæo-Græci Alexandriæ ſolemne habebant Synedrium : utrique autem Urbi Judaica privilegia indulſerat Claudius. Itaque præ illis a S. Petro delectam Romam Judæis, ac Gentilibus conjungendis quammaxime idoneam. Atqui ſapientiſſimo conſilio, certiſſimeque Divino inſtinctu a SS. Apoſtolis, ac S. Petro quammaxime, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ gradus inductos fuiſſe, diſtinctaque officia, quis ambigat ? Quis autem Divinum in hoc conſilium, opuſque penitius introſpexiſſe ſe confidat, ita ut illius ſpecimen ex altero, quod præceſſerit in uſu hominum, quaſi ex Divina ipſa mente exprimere audeat ? Mihi quidem probari illud utique nequit, quod S. Petrus formam Judaicæ, ſive Provincialium Synedriorum fuerit conſectatus in inſtituendis Eccleſiis Aſiæ, Macedoniæ, Acajæ, Cretæ &c. Quam enim diverſam a Judæorum Synedriis Chriſtianæ Hierarchiæ gradus divina inſtitutione præſeferant ſpeciem, quis probe non perſpicit ? Quis præterea ignoret Proteſtantium, quinimo Religionis nullius hominum, eorumque potiſſimum, qui Chriſtianæ, an Judaicæ, an Ethnicæ primæ tribuendæ ſint, in ancipiti hærent, excogita-

gitatum esse, quo a Moyse Judaicas Cæremonias ab Ethnicis ritibus emendicatas, istorumque ad formam illas fuisse inductas, tametsi superstitione expurgatas, comminiscuntur? Atqui haud levem in Dei O. M. injuriam vergere commentum istud, nemo, opinor, non videt: quatenus confingitur ad hominum adinventum, & institutum aut Deus suas, aut Moyses divinas institutiones, & ordinationes expressisse non tam, quam depressisse. Itaque ad formam Judaicæ Reipublicæ inducta, contemperataque Regiminis Ecclesiastici dispositio non tam perperam opinione fingitur, quam figmentum Divino consilio parum cohærens, plurimumque indecens obtruditur.

Altero in extremo hærent alii, haud firmiori pede tamen, propiorique ad veritatem, hoc est putantes ab Apostolis, ac præsertim a S. Petro juxta potius Civilem dispositionem perinde Ecclesiasticas Provincias fuisse divisas, in hac divisione Imperii Romani sibi præscripta forma. Nec vero miror in hanc utique pedibus, manibusque opinionem proruisse M. Antonium de Dominis, Basnagium, Dupinium &c.; mirari subit magis in eamdem delapsos inconsiderate sententiam doctiss. Viros Petrum de Marca, Christianum Lupum, Henricum Norisium, Orlendium, Cardonum &c. Concordat quin etiam Gratianus dist. 99. Cap. *Provinciæ*, fragmentum referens ex epist. S. Anacleti Papæ ad Episcopos Italiæ, ubi dicitur ab Apostolis, ab iisque instituto S. Clemente Provinciarum distributionem fuisse exactam juxta Civilem partitionem, ideo ut, ubi Capita degerent Provinciarum, ibidem instituerentur aut Primates, aut Metropolitæ; nempe juxta quod iis in Urbibus Laici residerent Majores Judices, aut Minores. Hæc ipsa forma sub Lucii, aut Stephani nomine refertur Cap. *Urbes* dist. 80, ubi Glossa initio ejusdem distinct. habet: *Primates ibi constituuntur, ubi olim ponebantur Protoflamines Gentilium; Archiepiscopi, ubi Archiflamines; Episcopi, ubi eorum Flamines & hoc ex maxima parte factum est institutione B. Petri*. Observatum id etiam voluerunt Antonius Augustinus in Epitome Juris lib. 2. tit. 1; Germonius lib. 2. de Sacr. immunit. cap. 5; Azorius Instit. Moral. par. 1. lib. 3. cap. 36. q. 8; Wolfangus Lazius lib. 2. de Republ. Rom.; Morinus lib. 1. Exercit.; Usserius de Britan. Eccles. antiq. cap. 5;

An-

Andreas Dominici de poteſt. Roman. lib. 1. cap. 5; Polydorus Virgilius de invent. rer. lib. 4. cap. 12; Petrus de Marca diſſert. de Primat. n. 58, & ſeq.; Card. Aguirræus tom. 1. Concil. Hiſp. lib. 3. de Concil. Illiber. cap. 42. &c. Quorum obſervationi locum perinde fecerunt Acta Lucii Britanniæ Regis, ad quem miſſi a S. Eleuthero Papa Fugatius, & Donatianus tres Archiflamines, & 28. Flamines offendiſſe in Inſula, ex quibus tres Archiepiſcopos, & 28. Epiſcopos effeciſſe feruntur. Atqui Legationem hancce, quam fruſtra laceſſere non abſtinent Spanhemius filius tom. 2. oper. pag. 390, Pictetus in Theolog. Chriſt. tom. 3. pag. 180, & Brujus in S. Eleuhtero tom. 1. pag. 39, quamvis fide haud laborare multo plures conveniant apud Uſſerium de Britan. Eccleſ. primord. cap. 4, Scheleſtratium in diſſert. de auctor. Patriarch.; Alfordum ad annum 183. n. 4, Pagium ad an. 181. n. 3; Coutantium in epiſt. ad S. Eleutherum pertinentes §. 1. pag. 89. &c, Legationis tamen acta, nec non epiſtolam S. Eleutheri ad Lucium conficta longe poſt fuiſſe nemo jam dubitat. Fuiſſe tamen Flamines, ac nominatim in Africa, loco poſt Sacerdotes ſecundo, in ſingulis Municipiis conſedere ſolitos, memorarique in Novel. 4. Martiani obſervat Gothofredus in Paratitlo ad tit. 10. lib. 16. Cod. Theod. Firmioribus momentis itaque opinionem ſtabilire ſuam alii nituntur, ductis nempe ex Can. 35. Apoſt., Concilio Illiberitano Can. 58; Laodiceno anno 320. Can. 12; Nicæno Can. 4, & 6; & Antiocheno an. 340. Can. 9; ex quibus arguunt Epiſcopos, qui in Metropolibus Cathedram habebant, aut generali Eccleſiæ diſpoſitione, aut conſuetudine paullatim obtinente, ad eum poteſtatis gradum deveniſſe, quem eiſdem confirmant, Epiſcopos ceteros eis ſubmiſſos degere jubentes, Patres Illiberitani, Laodiceni, Nicæni, & Antiocheni. Quid vero Nicæno Can. 7. Cæſareenſi ſervata fuiſſet Metropolitica dignitas, niſi quia Cæſarea Palæſtinæ Civilis Metropolis erat? Quid item cauſsæ fuiſſet, cur in Concilio Taurinenſi an. 397. Can. 2. contendentibus de jure Metropolitico Arelatenſi, & Viennenſi, ei adſcriberetur victoria, qui Metropolim Provinciæ Urbem eſſe ſuam oviciſset, niſi quia pari cum Civilibus gradu procedebant Eccleſiaſticæ dignitates? Hæc ipſa de inſtitutis ab Apoſtolis Provinciis Eccleſiaſticis ad formam Civilis diſpoſitionis opinio

nio hæſiſſe S.Leoni IX. epiſt.4, & S.Gregorio VII. lib.6. epiſt.35. legitur apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 950, & 1420. At ita opinandi ipſis occaſionem præbuerat epiſt. 1. pſeudo epigrapha S. Clementis ad Jacobum, apud Gratianum Cap. *In illis vero Civitatibus* diſt. 80; cujuſque pars commemorata legitur a Conciliis Vaſenſi anno 442.cap.16, Metenſi anno 888. cap.123 S.Nicolao I, & Johanne VIII; in quam videndi propterea Baronius, Labbæus, Petavius, Cotelerius, Pagius, Coutantius, Berardi &c.

Quamvis in dubium verti nequeat, quin ab Apoſtolis quammaxime intentis in opportunitatem omnem Chriſtianæ fidei propagandæ, induſtriiſque de aptiori gubernadorum Chriſtifidelium forma præſtituenda, iis præ aliis in Urbibus, (in quibus potiorem utique locum Provinciarum Metropoles ſibi vindicare nullus negabo), Epiſcopales Cathedræ fuerint conſtitutæ, ad quas frequentiorem Chriſtifidelium fieri confluxum contingeret, ut indicare videtur Canon 35. Apoſtol., ad quem reſpexiſſe perinde Canonem 9. Antiochenum reputari pronum eſt; quin etiam inficias etſi non iverim perſæpe in Eccleſia Orientali quammaxime, atque poſt ſæculum V. præſertim, ex quo Sæcularium Principum gratiæ maximopere Græci ſtudere cœperunt, ad Civilem Imperii partitionem Eccleſiaſticas Provincias exactas fuiſſe: contendo tamen Civilem hujuſmodi rationem haud habitam olim ab Apoſtolis, Præſulibuſque Apoſtolicis; nec cauſam fuiſſe, cur haberetur: nec proinde Regimen Eccleſiaſticum ad Civilem ordinationem conformatum in Eccleſia Orientali ante Concilium Generale II, ſive Conſtantinopolit. I. anno 381. celebratum, veluti recte obſervavit Cl. Lequiennius Orient. Chriſt. tom. 2. de Patriarch. Alexand. n. 21. pag. 342; nec niſi longo poſt tempore in Eccleſia Occidentali: nec vero ubique, uti multis oſtendit doctiſs. Blancus de polit., & poteſt. Eccleſ. tom. 4. lib. 2. cap. 1. adverſus Jannonum diſputans. Et primo quidem in Eccleſia Orientali. Enim vero, ut paucis regeram, ac perſtringam, quæ paullo ſuperius plurimis ſparſim perſecutus ſum, utque illud præteream, quod obſervare nec prætermiſi, frequens in Oriente, quæ Metropoles ordine Civili fuerant conſtitutæ, non eaſdem diſpoſitione Eccleſiaſtica ſemper, aut ubique habitas fuiſſe, (quod evidenti argu-

argumento esse potest Ecclesia Alexandrina, cujus Patriarchæ; ceu unico Metropolitæ, tres Provinciæ Cyrenaica, Libya, & Thebais obtemperabant), quum a Valente Imperat. in odium, offensamque S. Basilii Cappadocia in duas Provincias 1, & 2. fuisset distracta, in Metropoles designatis Urbibus Cæsarea, & Tyana, ideoque Anthimus Tyanensis Antistes juxta Civilem hanc divisionem a Cæsareensis jurisdictione se eximere, inque suum jus secundæ Cappadociæ subjectas Ecclesias transcribere tentasset, viriliter obstitit S. Basilius, Provinciarum Civilem partitionem nequaquam fore regulam in dispositione Ecclesiastica pariter dispescendi Provincias: ita refert S. Gregorius Nazian. in Orat. 20, itaque eumdem interpretatus est Nicetas. Ex quo nescio quomodo audax Dupinius de antiq. Eccles. discipl. dissert. 1. §. 7. contrariam sententiam exculpere non dubitarit, occasionemque arripere dicendi, ex ea Civili divisione e vestigio sequutam etiam divisionem Ecclesiarum. Præterea quum Theodosius Junior, sicuti constat ex ipsius Constitit. 11. Cod. Justin. tit. 21, Eustathio Berytensi Episcopo in Phœnicia indulsisset, ut ejusdem Urbs Metropolis imposterum denominaretur, isque propterea Photio Tyri Metropolitæ subesse deinceps detrectaret, ejusmodi causa non jam ad Imperatorem, sed ad Synodum Constantinopolit. sub Anatolio delata est, in qua rem gratam Imperatori futuram præsumentes Episcopi, Berytensem Ecclesiam Metropolitica dignitate exornarunt. Verumtamen post obitum Theodosii, Martiano imperante, re iterum ad Synodum Chalcedonensem deducta, act. 4. perlecto Canone 7. Nicæno, pro Metropolita Tyrio contra Berytensem pronunciatum est, declaratum eumdem Tyrio esse subjectum, decretumque imposterum eas dumtaxat Metropoles habendas fore, non quæ Imperatorum Rescriptis hoc honore fuissent insignitæ, sed quæ sacris Canonibus fuerant constitutæ.

Porro Jacobus Cujacius, & Dionysius Gothofredus ad præfatam Theodosii legem hoc ex proprio marte scholion adjecere: *Metropoles duæ in Syria Phœnice Berytus, & Tyrus: ut in Ponto Amasea, & Cæsarea, & in Cappadocia Cæsarea, & Tyana.* At labi eos ait Lupus in append. ad Concilium Chalced. act. 4, eo quod Phœniciam Maritimam, (quod Ponto a Constantino, & Cappado-

padociæ a Valente factum ipſe putat), Civiliter non diviſerit Theodoſius, veluti recte ex verbis ipſis L. 11. *De Metropoli Beryto* arguit, atque ita non poteſtatem, ſed puri, putique nominis dignitatem ttibuerit: quin etiam obſervat ex Notitia Patriarchatus Antiocheni producta a Guillelmo Tyrio de bello ſacro lib. 12. cap. 14. poſtimo tempora Juſtiniani Berytum locari inter octo ſolius tamen honoris, nullius autem juris adquiſiti, Metropoles. Quare tum demum, quum vergere in Eccleſiarum perturbationem videri potuit, Principibus indulta poteſtas, ut ipſe putat, ab Eccleſia, ideo ne Romanæ Reipublicæ formam improbare videretur, aut ſpernere, videlicet ut ad Civilem Provinciarum diviſionem Eccleſia ſuam pariter attemperaret, tum demum, inquam, poteſtatem iſtam ab Eccleſia putat fuiſſe ereptam, amputatamque. In eodem Concilio Chalcedonenſi act. 13. audita etiam legitur cauſſa Anaſtaſii Nicæni Epiſcopi, cujus Urbi Metropolis honorem ultro citroque Julianus Imp. contulerat, & Eunonii Metropolitæ Nicomedienſis, cui Bithyniæ Provincia, idcoque Nicæa, erat obnoxia. Ergo Eunomio integrum Metropolitæ jus manere juſſum eſt; neque ex decreto Imperatoris quidquam Nicæno Epiſcopo adquiſitum juris declaratum; atque hancce deinceps regulam in Eccleſia univerſa teneri, valereque Can. 12. eſt ſancitum. Confer Cl. Lupum in append. ad hanc act. 13. Concil. Chalced. Ad hæc Chalcedonem in eodem Chalcedonenſi Concilio Metropolim honoris amplioris gratia quum denominaſſet Martianus Imperator, ejuſdem Urbis Epiſcopum in gratiam Imperatoris dignitate Metropolitica pariter adaugere Synodus officii loco habuit: ea tamen adhibita lege, ut priſtinum jus Metropoliticum Nicomedienſi integrum maneret, unoque vacuo titulo Chalcedonenſis eſſet contentus. Tantum igitur abeſt, ut Principum decretis, veluti maleferiatus M. Antonius de Dominis lib. 6. de Republ. Eccleſ. cap. 5. confictam a Proteſtantibus fabellam refinxit, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ gradus inventi fuerint, inſtitutique.

Confert ad hæc quammaxime S. Innocentii I. ad Alexandrum Antiochenum epiſtola 18. in edit. Concil., 24. in edit. Coutantii, qua rogatus, interrogatuſque reſcripſit diviſis Imperii Provinciis non fore perinde dividendas Eccleſiaſticas. Poſtquam enim

advertiſset non tam pro Urbis magnificentia, quam pro meritis eximiis S. Petri, Antiochiæ Primatum ſuper Eccleſias Orientis omnes fuiſse attributum, ad ejus interrogata, num diviſis Imperii Provinciis, ſic dividi Eccleſiaſticas Metropoles oporteret, deſcendens: *Non eſſe*, reponit, *e re viſum eſt ad mobilitatem neceſſitatum Mundanarum Dei Eccleſiam commutari; honoreſque, aut diviſiones perpeti, quas pro ſuis cauſſis faciendas duxerit Imperator.* Quam perinde ſententiam propriam fecit S.Nicolaus I. in epiſt.32; eamdemque jampridem relegerat S.Gelaſius in epiſt.7. ad Epiſcopos Dardaniæ edit. Harduini tom. 2. pag. 905, eoſdem reprehendens, ideo quod Eccleſiaſticæ Hierarchiæ gradus ex politicis Urbium dignitatibus metiri non dedignarentur: *Riſimus*, inquiens, *quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia Epiſcopus fuit Regiæ Civitatis. Nunquid apud Ravennam, apud Mediolanum, apud Sirmium, apud Treviros multis temporibus non conſtitit Imperator? Nunquid nam harum Urbium Sacerdotes ultra menſuram ſibi met antiquitus deputatam, quidpiam ſuis dignitatibus uſurparunt?* Ex quibus liquido conjicere licet ſub S. Innocentio nedum, ſub quo, ideſt Honorio imperante circa annum 413. dividi Provinciæ cœperunt, ſed imo ſub S. Gelaſio priſtinam manſiſſe Provinciarum in Oriente non modo, ſed etiam in Occidente Eccleſiaſticarum formam, nec ad Civilem mutationem eamdem fuiſſe immutatam. Faciunt huc etiam Novellæ 28, 29, & 31, quibus Juſtinianus Imper. decreviſſe legitur, declaraſſeque, quod quamvis unam Provinciam confeciſſet ex duabus Ponti, ideſt Ponti Polemoniaci, & Hellenoponti, duobus tamen Metropolitis Amaſeno, & Neocæſareenſi intacta manere ſua jura volebat: quod quamvis in unam pariter conflaſſet Provinciam Paflagoniam, quæ ab Honorio in duas fuerat diſſecta, indito ſecundæ Honoriadis nomine, cujus deinceps Metropolis eſſet Claudiopolis, attamen Metropolitis ſuis nihil ab ſe derogatum intendebat: quod quamvis Armeniam jam in duas Provincias diſtractam, ipſe in quatuor amplius diviſiſſet, ſuæ nihilo ſecius non eſse ſententiæ aſſerebat, ut in quatuor pariter duorum veterum Metropolitarum divideretur juriſdictio. Equidem ſtudio, affectuque amplificandæ Acridæ in Dardania Europea, unde ortum traxerat, quamque ſuo de nomi-

mine Juſtinianam primam nuncupari impoſterum juſſit, Novella 11. ejuſdem Epiſcopum Metropolitam denominavit, eique 7. Provincias Illyrici Occidentalis a Theſſalonicenſi diſtractas attribuit; verum id egit ea ratione, quod olim eædem 7. Provinciæ non Theſſalonicenſi, ſed Sirmienſi Epiſcopo eſsent obnoxiæ: Sirmium autem tum everſum jacebat: id vero ne fruſtra ageret, a S. Agapeto P. M. efflictim petiit, ut jure ſuo tum Primatis, tum Patriarchæ, quo in Illyricum potiebatur, defungebaturque, a Theſsalonicenſi in Metropolitam Acridæ, ſive primæ Juſtinianæ Illyrici Occidentalis jura transferre vellet, ut adparet ex epiſt. 4. S. Agapeti ad Juſtinum apud Labbæum tom. 5: cujuſmodi petitioni neque a S. Agapeto, neque a S. Silverio, bene vero a Vigilio tandem factum eſt ſatis, uti liquet ex Novella 132. edita 18. Martii anno 541. ſub Conſulatu Baſilii.

De Eccleſia Occidentali id adeo certum, conſtanſque, nempe eamdem in Eccleſiaſtica diſpoſitione ad Civilem diviſionem reſpicere haud conſueviſſe, ut Gallicanæ Eccleſiæ eamdem jugiter ſententiam inſediſſe, nefas eſſe nempe Regum imperio Epiſcopatus novos inſtitui, Eccleſiamque Principum ordinationi in Provinciarum diviſione, ac Metropolum inſtitutione coaptari, teſtetur Petrus de Marca de Concord. lib. 2. cap. 9. §. 4; idemque ipſum de Anglicana Eccleſia tradat Beveregius in Comment. ad Can. Apoſt. lib. 2. cap. 5. §§. 19, & 20. Atque quidem, ut de Illyrico, de quo abunde, opinor, eſt diſputatum, nunc nihil dicam, cujuſque Metropolim ſemper habitam Theſſalonicam plus vice ſimplici dixi, de Italia primo loco dicere præſtat. Itaque in Italia ab Auguſti ætate uſque ad Hadriani Imperium, quo intervallo temporis integri ſæculi non minori Italia univerſa in Regiones 11. diviſa manſit, quibus omnibus una Metropolis Roma erat; neque niſi inter Municipia Regionis Tranſpadanæ numerari cœperant ab anno Romæ conditæ 822, Æræ vero Vulgaris 69. Mediolanum, Novaria, Eporedia, & Vercellæ, teſte Tacito hiſt. lib. 1, in Italia tota, inquam, iſta temporis intercapedine unus Romanus Pontifex Metropolitæ juriſdictionem exercebat, eoque nomine Eccleſiaſtico unus audiebat, ſicuti accurate obſervatum eſt a doctiſſ. Blanco adverſus Jannonum diſputante tom. 4. de poteſt.,

& polit. Eccleſ. lib. 2. cap. 2. §. 11, & ſeqq. Poſtquam vero bipartita in Provincias 17, ac in duos Vicariatus eſt, Urbis, qui Romæ, & Italiæ, qui Mediolani ſedem defigere cœperunt, atque Romano adminiſtrandæ Provinciæ 10, Mediolanenſi vero reliquæ 7. tributæ ſunt, adhuc tamen unicæ inſtar Metropolis totam Italiam adminiſtrabat Romanus Pontifex: donec ejuſdem indulgentia Mediolanenſis Eccleſia in Metropolim evaſit, ejuſque Epiſcopo ſeptem Provinciæ adminiſtrandæ permiſſæ ſunt: quæ pariter ſubinde ex parte ſunt diſtractæ, juxta quod Pontificum beneficio aliæ in Italia Urbes Metropolitica dignitate ſunt adauctæ. Attamen ab iiſdem 7. Provinciis avulſum Picenum Annonarium ſibimet cum reliquis Provinciis 10. gubernandum Pontifices retinuere: quam quidem Eccleſiaſticam diſpoſitionem, de qua multa paullo ſuperius ſum perſequutus, ſuo tempore obtinuiſſe comprobant S. Athanaſius in Apolog. 2, & epiſt. ad Solit., & Concilii Sardicenſis ſubſcriptiones, ut a Johanne Morino, & Carolo a S. Paulo obſervatum eſt. Atque profecto quidem, quod ad Provincias 10. pertinet, haſce ſæculo V. ad exitum vergente, unius Pontificis Metropoliticæ juriſdictioni manſiſſe obnoxias, (Sardiniam excipi volunt, ubi Calarim hac Eccleſiaſtica dignitate ſæculo IV. inſignitam contendunt ex S. Athanaſio, Theodoreto, & Caſſiodoro Machinius, & Cantelius de Metrop. Urb. par. 3. diſſert. 6. cap. 3: tametſi iſtorum teſtimonia non omnino invicta ſint in ſententia Valeſii, Pagii, & Thomaſſini, quam certe tamen ſub S. Gregorii M. ætate Metropolitico jure potitam obſervatum jam eſt paullo ſuperius), indicat haud obſcure S. Gelaſius in epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ, & Brutiæ, de Metropolitis Italiæ, & Siciliæ alte ſilens, ut acute obſervat Cl. Thomaſſinus vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 40. n. 15. Quin etiam ſæculo VIII. hanc 10. Provinciarum ſub uno Metropolita Romano nondum obſoleviſſe ex Concilio Later. ſub Stephano III. anno 769. adnotat doctiſſ. Cennius diſſert. in idem Concil. cap. 1. n. 17. In Sicilia imo Syracuſanum non fuiſſe excitatum ante ſæculum IX. invicte oſtendunt Cantelius diſſert. 5. cap. 4, Pagius ad annum 892. n. 12, & Noriſius in Synodum V. cap. 10, qui perinde Alberti Piccoli diſſertat. de jure Eccleſiæ Siculæ elidit; Meſſanæque Metropolis antiqui-

tiquitatem evertit. In Peninſula vero Italiæ Capuana Eccleſia, quæ prima fertur apud Baronium, & Carolum a S. Paulo hoc honore exornata, non ante annum 968, aut 966. a Johanne XIII. ad Metropolim eſt evecta: quod autem de antiquitate Rhegitanæ Metropolis legitur in Photiana Notitia, dubium, ſuſpectumque habet Carolus a S. Paulo; ſeu verius Græcorum uſurpationi alieni juris, cui amplificando imo applicuerunt, acceptum eſt referendum.

Quod ad alias Provincias 7. Italiæ Vicario contributas attinet, paullo aliter ſe res habuit. Poſt Romanam Mediolanenſis Eccleſia ceteris facile antiquior Metropolis evaſit, anteque quidem in diſpoſitione Civili, quam Eccleſiaſtica; etſi non ſit adeo exploratum, qua demum ætate ad hanc dignitatem aſſurrexerit. Doctiſſ. Thomaſſinus Conſtantini M. ævo recentiorem autumat par. 2. lib. 3. cap. 40. n. 9. Vetuſtiorem exiſtimat Orlendius par. 1. lib. 4. cap. 6, exinde conjecturam capiens, quod jam ſub Aureliano Synodos Italiæ fuiſſæ coactas referant Euſebius lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 30. in cauſſa Pauli Samoſateni, & S. Hieronymus de Script. Eccleſ. in *S. Cornelio* in cauſſa Novatiani: atqui Synodos Provinciales indicere ad unum pertinet Metropolitanum: quem fuiſſe, proinde Mediolanenſem probe dubitat nullus. Præterea Synodo Romanæ ſub S. Melchiade adfuiſſe Meroclem Mediol. denarrat S. Optatus lib. 1, ac Mediolanum Metropolis nomine inſignit S. Athanaſius in epiſt. ad Solit. Invicta tamen iſta non ſunt, ut vel ab invito aſſenſum valeant extorquere: nam Synodos illas in cauſſis Pauli Samoſ., & Novatiani non Mediolani, ſed Romæ a Pontifice, cui in more poſitum ad Synodos proximos Italiæ Præſules accerſere diu fuit, congregatas fuiſſe veri ſit ſimilius: Romanæ vero ſub Melchiade alii interfuere Antiſtites, quin Metropolitica dignitate exornati eſſent: ordine demum Civili, non etiam Eccleſiaſtico Mediolanum S. Athanaſius Metropolim denominavit. Validius argumentum ex eo deducitur, quod S. Ambroſius revera Metropolitico jure uſus non ſemel viſus ſit: ſiquidem uſus in Æmiliam, & Flaminiam innoteſcit ex epiſt. 19, alias 44. ad Conſtantium, qua innuit ad ſe pertinere ordinationem Epiſcopi Fori Cornelii: & S. Petrus Chryſologus ſerm. 175. de Marcellino ab ſe ordinato Epiſcopo Vicohabentino, (Ferrarienſi poſtea adjuncto), loquens,

loquens, eam ob rem a Mediolanenſi ſibi litem motam tradit, ideo quod Vicohabentina Eccleſia a Mediolanenſi diſtracta Ravennati fuiſſet attributa. Porro ejuſdem Mediolanenſis juriſdictionem Metropoliticam ſe effudiſſe in Liguriam, & Inſubriam adparet exinde, quod longe poſt eæ Provinciæ ex parte tranſierint in jura Genuenſis, & Taurinenſis: præterea in Alpes Cottias proximas Grajis, & Salaſſis, ac Pedemontium inter, & Allobroges poſitas, a Cottio Rege, cujus ſepulcrum extat Secuſiæ, denominatas, ad quas pertinent Auguſta Prætoria, Eporedia, Auguſta Vagiennorum, & Auguſta Taurinorum, cujus juri Metropolitico eæ poſtea ſunt adſcriptæ; quin etiam in Rhætiam 1, ſive ſuperiorem, quæ nempe ab Helvetis Regiones occupat uſque ad Larium Lacum, vulgo Comenſem, quas nunc Griſones incolunt, liquido elucet ex ſynodica S. Euſebii Mediolan. ad S. Leonem M. apud Harduinum tom. 1. pag. 1779, & ſeqq., cui ſubſcripti Epiſcopi 19. Inſubriæ, Liguriæ, Æmiliæ, Alpium Cottiarum, & Rhætiæ ſuperioris leguntur. Quid imo, quod adhuc poſtquam Ravennas, & Aquilejenſis Metropoles fuiſſent inſtitutæ, anteque annum milleſimum, a Mediolanenſi juriſdictio exercita in quatuor Provincias, Liguriam, Alpes Cottias, Rhætiam 1, & 2, (duabus ex hac poſtrema detractis Urbibus Ratiſponenſi, & Quintanenſi Laureacenſi olim, ac deinde Salisburgenſi obnoxiis), legitur in Ordine antiquo Suffraganeorum Eccleſiæ Mediol. edito a Cl. Muratorio Script. Ital. tom. 1. par. 2. pag. 228?

Atqui haſce Provincias non modo, ſed alias præterea, inque his Venetias, ac Pannoniam utramque Mediolanenſis juriſdictioni Metropoliticæ ſubdunt Baronius ad annum 380, & Sirmondus lib. 1. Propemtici cap. 8. Circa Venetias id conficit Sirmondus tum ex epiſtolis S. Ambroſii 25. ad Vercell., & 46. ad Syagrium Veron., quibus Venetias, nominatimque Veronenſem Eccleſiam ad jus ſuum Metropoliticum pertinuiſſe haud obſcure indicat: quin etiam facto comprobavit; quippe qui in Synodo Aquilejenſi anno 381. præ Valeriano Aquilejenſi primas tenuit, egitque: tum ex ſynodicis Epiſcoporum Africæ inſcriptis modo ad S. Siricium, & Simplicianum Mediol., modo ad S. Anaſtaſium, & Venerium item Mediol. Cod. Can. Eccl. Afric. Can. 47, & 56; quod indicium haud

haud leve eſt dignitatis , poteſtatiſque loco poſt Romanum Pontificem ſecundo habitum in Italia Mediolanenſem Antiſtitem . In Pannonias effuſum perinde Mediolanenſis jus Metropoliticum, exinde vir eruditus arguit , quod ſynodicæ 8. edit. Cout. S. Ambroſii ad Siricium legantur ſubſcripti Norici, & Dalmatiæ Epiſcopi . Adjungit Baronius juriſdictionem diffuſam imo uſque ad Sirmium ex eo adparere , quod S. Ambroſium eó profectum ad ordinationem celebrandam Anemii refert Paulinus in ejuſdem vita. Repugnat Em. Noriſius in diſſert. de Synodo V. cap. 10 , reponitque S. Ambroſium in Synodo Aquilejenſi præ Urbis Antiſtite primas tenuiſſe quidem , non proprio tamen nomine , ſed S. Damaſi P.M. vice . A SS. Damaſo , & Valeriano Aquilejenſi legi alioqui ſcriptam ſynodicam ad Illyricos, ſive ad Orientales in collect. Holſtenii pag. 265. Ad SS. Damaſum, & Ambroſium non minus, quam ad Valerianum , alioſque directas conſpici litteras ab Orientalibus e Concilio Conſtantinopolit. anno 382 ; a S. Anaſtaſio non minus ad Venerium Mediol., quam ad Chromatium Aquilejen. apud S. Hieronymum lib. 2. adv. Rufinum ; ad S. Johannem Chryſoſtomum ab S. Innocentio , unaque a Chromatio , & Venerio , apud Georgium Alex. in ipſius vita ; viceque verſa ad S. Innocentium, & Venerium perinde , atque ad Chromatium a S. Johanne Chryſoſtomo , (quamquam clauſula illa , qua epiſtola præfertur ſcripta ad præf. Antiſtites potius aſſuta æſtimari poſſit , ut alibi obſervatum eſt) . Neque vero , ſubjungit Noriſius , a S. Ambroſio ordinatio Anemii jure Metropolitico celebrata æſtimari debet , ſed ex indulgentia Sedis Apoſtolicæ , quomodo frequenter eſt factum, atque Theophilus Alex. Conſtantinopolim ab Arcadio Imp. ad ordinandum S. Jo: Chryſoſtomum accerſitus refertur a Socrate lib. 6. cap. 2 : cæterum enim certiſſime in Illyrico jus ordinationum Theſſalonicenſi Metropolitæ a Romanis Pontificibus fuerat collatum , confirmatumque , uti liquido habetur in Synodo Rom. ſub Bonifacio II. Quin inſuper S. Baſilius epiſtolam 324. *Valeriano Illyricorum Epiſcopo* inſcripſit ; & Honorius Imp. in cauſſa S. Jo. Chryſoſtomi ſcribens ad Arcadium Auguſtum poſt Romanum Pontificem unius Aquilejenſis Epiſcopi meminit .

Itaque eó iſta conſpirant , quó ſtudia perinde ſua pro Ravennate

nate conferunt alii, ut pro ſtudio partium unus præ alio potiori loco inter Metropolitas Italiæ poſt Romanum ponatur. Conſtans illud eſt omnes olim Metropolitico Pontificis juri fuiſſe obnoxios: Mediolanum, Aquilejam, & Ravennam multo ante Civili ordinatione Metropoles extitiſſe, quam eadem dignitate in Eccleſiaſtica diſpoſitione evaſiſſent: multas ſubinde Metropoliticæ earumdem juriſdictioni ſubmiſſas Urbes, Metropoles Civiles alioquin extitiſſe, cujuſmodi erant in Rhætia 2. Sabio, in Norico Tiburnia ad Dravum &c. Pelagius I. in epiſt. ad Johannem Patricium apud Holſtenium in Collect. Rom. pag. 219, cujus excerptum exhibet Gratianus cap. 33. *Pudenda* 24. q. 1, omnium primus fertur, qui Mediolanenſem, & Aquilejenſem dignitate pares pronunciavit, ab hoc pariter onere Romam proficiſcendi, ut ordinarentur a Pontifice, ob longinquitatem, ac difficultatem itineris abſolvens, facta utrique facultate ſe ſe viciſſim ordinandi, in ejus tamen Eccleſia, qui ordinandus eſset. Quam in rem confer doctiſs. Thomaſſinum vet., & nov. diſcipl. par. 2. lib. 2. cap. 19. n. 8, & Berardi in Gratiano Emend. tom. 1. par. 2. pag. 491. Ravennas, quamvis non tam antiqua Metropolis poſſit videri, quantum volunt Hieronymus Rubeus lib. 2, & 5. hiſt. Raven. ab ipſis Chriſtianæ Religionis initiis hoc nomine insignem contendens, & Petrus Morinus lib. 1. exercit. 30. ſub Conſtantino M. hac dignitate celebrem autumans, longe tamen poſtea Rom. Pontificum beneficio ad Metropoliticam dignitatem Ecclesiaſticam aſcendit, quam eſset in Civili diſpoſitione, ſed Pontificis juri Metropolitico diu mansit obnoxia, veluti oſtendunt Baronius ad annum 451, Petrus de Marca lib. 1. cap. 7, & lib. 6. cap. 6, ac Norisius de Synodo V. cap. 10; a quibus potiſſimum Rubei argumentum deſumptum ex Reſcripto Valentiniani III, quo Johannes Ravennas anno 432. Metropolitica dignitate exornatus refertur, pſeudo-epigraphis adcenſendum profecto oſtenditur, de quo conſulendus pariter Bacchinius in præfat. ad Agnelli Pontif., primuſque, qui hac dignitate Metropolitica fuerit inauguratus, Noriſii ſententia, cui favet Agnellus, haberi debeat S. Petrus Chryſologus, ac quidem a Romano Pontifice ad preces infimas Placidiæ Auguſtæ, Filiique Valentiniani, qui Ravennæ Imperii ſedem poſt Honorium

deſi-

defixerant. Exinde celebrior evadere Ravennas cœpit utroque ex capite, unde Theodoretus in epiſt. 112. ad Domnum Antioch. illuſtriores inter Italiæ Epiſcopos cum Mediolanenſi, & Aquilejenſi nominat Ravennatem. At hic ſucceſſu temporis ad ſuperiorem imo gradum adſpiravit; quin & ex ſententia, qua affectaverat, ei ſucceſſit aliquando: ſiquidem in Romana Synodo anno 1047. ſub Clemente II. ſupra Mediolanenſem, & Aquilejenſem primum locum obtinuit, quem jampridem obtinuiſſe in Synodo Romana anno 511. ſub S. Symmacho dicitur in Clementis ſynodica apud Ughellum tom. 2, & Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 923, & ſeqq. Ad hæc Luitprandus de geſt. Imper., & Reg. lib. 2. cap. 13. auctor eſt Ravennatem inter Metropolitas Italiæ primo honoris gradu potitum, & Carolus M. in Teſtamento poſt Romanum, anteque Mediolanenſem, & Aquilejenſem, priori loco Ravennatem recenſet. Ex adverſo Rothaldus Aquilejenſis jura ſua a Ravennate viriliter vindicans, a Leone VIII. anno 964. diploma, ab Ughello tom. 5. deſcriptum, obtinuit, quo primus inter Metropolitas Italiæ gradus ipſi deferebatur. Quia vero Leo VIII. in legitimi Pontificis cenſum non venit, Poppo Aquil. a Johanne XIX. anno 1026. id privilegii ſibi confirmari impetravit: at, ut innui, 20. poſt annos a Clemente II. abolitum Johannis XIX. decretum eſt, ac Ravennati primus, Aquilejenſi ſecundus, ac tertius Mediolanenſi locus tributus. Ab Alexandro II. ſubinde Geſobaldus Aquil. Patriarchica dignitate adauctus, ac Forojulii, & Iſtriæ dominio inſignitus, anno 1049. inter Imperii Rom. Principes conſcriptus inſuper eſt. Ex quibus denique patet, quod intendimus, in Italia Metropoles Eccleſiaſticas conſtituendo, Romanos Pontifices haud reſpexiſſe ad earumdem Civilem ordinationem.

In Diœceſi Africæ dignitates non eodem, quo Civili modo, Eccleſiaſtico ordine ſe habuiſſe indubium omnino eſt. In Africam, (ubi Carthagine, nec ante Chriſti annum 120, initia fidei Chriſtianæ cœpiſſe, indeque longe, lateque per Africam propagata fuiſſe, contra Baronium ad annum 44. n. 38. ab Apoſtolorum ætate Eccleſiæ Africanæ origines repetentem, & contra Johannem Bapt. Grammayum Africæ illuſt. lib. 2. cap. 2. diſputat vir doctiſſ. Emanuel Scheleſtratius de Eccleſ. Afric. diſſert. 1,) in

Africam, inquam, cum Religione Chriſtiana a Romanis Pontificibus Hierarchiam Eccleſiaſticam ſæculo II. invectam liquet ex SS. Auguſtino in epiſt. 162, nunc 43; Innocentio I. in epiſt. 1. ad Decentium in edit. Concil., 25. in edit. Cout. n.2; & Gregorio M. in epiſt. 32. lib. 7. ad Dominicum Carthag. Principio in Africa uſque ad S. Cyprianum, imo uſque ad Gratum ordine Hierarchico unam dumtaxat fuiſſe Provinciam, uni Carthaginenſi Primati obnoxiam cenſent Carolus a S. Paulo in Geograph. ſacr., & Uſſerius in lib. de Epiſcop., & Metropol. origine tum ex S. Cypriano in epiſt. 71, tum ex Concilio Carthag. I. ſub Grato, a quibus plures quidem Provinciæ memorantur, ſed uni Primati Carthag. obnoxiæ. At repugnant Pamelius, & Orlendius: nam S. Cyprianus in epiſt. 45. tres in Africa Provincias dinumerabat; & Jubajanum Numidiæ præfuiſſe jure Metropolitico arguere fas eſt ex mutuis epiſtolis ad S. Cyprianum. Præterea Secundum in Tingitana Primatem geſſiſſe conjicere licet ex Concilio Cirtenſi anno 305. ab ipſo congregato, ipſoque Præſide, ut refert S. Optatus lib. 1; atque ex S. Auguſtino lib. 3. contra Creſcon. cap. 27, & lib. 1. contra Parmen. cap. 3, ubi Secundum vocat Primatem Tigiſitanum. Præterea in Concilio Carthag. ſub Grato anno 348, aut ſeq. Abundantius Adrumetinus Epiſcopus e Provincia Byzacena ſtatutum protulit Concilii ſui Provincialis, quod confirmari tum poſtulabat: quod indicium eſt Primatem ea in Provincia ipſum egiſſe. Etſi vero nonnulli obtinerent Metropolitæ, illud tamen eſt conſtans omnes uni Primati Carthaginenſi paruiſſe: neminemque certæ Sedi fuiſſe adfixum, ſed qui ordinatione eſſet antiquior, is in Provincia Metropolitæ loco habebatur, uſitatoque nomine Epiſcopus *Senior* denominabatur: quam in rem liquida ſunt teſtimonia Collat. 1. Carthag. cap. 16; Concilii Carthag. anno 397. capp. 2, 26, & 28; Milevitani I. anno 402. tit. 2; Milevitani II. ſubſcriptionibus; Cod. Can. Eccleſ. Afric. Can. 86; S. Innocentii I. in epiſt. ad Synod. Milevit. II. in edit. Concil. 25, Cout. 30; & S. Auguſtini in epiſt. 67. ad Alypium; 38, alias 149. ad Profuturum Conſtantinenſem, & 59, alias 217. ad Victorinum in Numidia Epiſcopum. Coarctato nomine ad Provinciam propriam aliquando Primates denominati leguntur Can. 13. ex tribu-

tributis Concilio Milevitano II, a S. Auguſtino lib. 4. contra Creſcon. cap. 64; in epiſt. cit. ad Victorinum, & 161. vet.edit. ad S. Cæleſtinum P. M.; a Poſſidio in ejuſdem vita cap.8; a S. Hilaro Papa in epiſt.4. ad Galliar.Epiſcop., & S.Gregorio M. lib.2. epiſt. 86, & 87. ad Columbum Numidiæ Epiſcop. Quin etiam Principes vocatos liquet ex Collat.1. Carthag. cap.201; ex Brevic. Collat. capp.3, & 16; & S.Auguſtino lib. 4. contra Creſcon. cap. 50: quibus de titulis adeundi, ſi libet, Noriſius lib.2. hiſt. Pelag. cap.8; Dupinius in Geograph. ſacra præfixa operi S.Optati; Lupus de Eccleſ. Afric. Appellat. diſſert. 2. capp. 1, & 2, & Thomaſſinus vet., & novæ diſcipl. par. 1. lib. 1. cap.20. Metropolitæ vero nomen, etſi tributum Cæſareenſi legatur a S. Auguſtino lib. de geſt.cum Emerito,& a Victore Vit.lib. 1.de perſecut.Vand., indiſcriminatim aliis imo a Concilio Carthag. IV, factum id quam raro tamen, idque nominis uni Carthaginenſi ſacrum voluerat Concilium Epheſinum act. 1, ideo quod, Carthaginenſi excepto uno, nullus alter certæ Metropoli adfixus eſſet.Ex quo exploratum fit Africanam Eccleſiam in Eccleſiaſtica Hierarchia ſtabilienda formam diſpoſitionis Civilis haud fuiſſe conſectatam: neve conſectaretur a Romanis Pontificibus fuiſſe prohibitam argumento ſunt cum S. Gregorius M. lib. 1. epiſt. 72. Gennadio Africæ Exarcho auctorem ſe præbens, quatenus Concilii Epiſcopos vice admoneret ſua, ut Primatem *non ex ordine loci*, ſed potius ex vitæ meritis promoverent; id ipſum Numidiæ Epiſcopis peculiarem in Provincia ſua Primatem conſtitui affectantibus inſinuans, ut idem in Synodo deligeretur, non ex adfixis certæ ſedi: tum S. Leo IX. in epiſt.3. ad Thomam, 4, & 9. ad Petrum, & Johannem Epiſcopos Africanos uſu,juſſuque abApoſtolica utique Sede accepto,in Africa veniſſe affirmans, integrumque manere jubens, ut in Provinciis inſtituerentur Primates *non ſecundum potentiam alicujus Civitatis, ſed ſecundum tempus ſuæ Ordinationis*. Ex Concilio Carthag.III. Can. 2, Cod. Eccleſ. Afric. Can.17. eruitur in Sitifenſi Provincia olim nullum Primatem, ſive Metropolitam obtinuiſſe, ſed in Eccleſiaſtica diſpoſitione Numidiæ manſiſſe obnoxiam, ut indicat S. Auguſtinus in præcit. epiſt. ad Victor., ideo quod tum primum ob longinquitatem itinerum Primas legatur poſtulatus.

Præterea quamvis Provincia Tingitana Civili ordine ad Hiſpanias pertinuiſſet uſque ad Valentinianum III, aut Juſtinianum, in Eccleſiaſtica tamen diſpoſitione ſub Provincia Mauritaniæ Cæſareenſis petmanſit, ut adparet ex Notitia Epiſcoporum Africæ ſub Hunnerico, & S. Sirici epiſt. ad Himerium, qua Provincias 5. Hiſpaniæ nominat, Tingitanam omittit. Poſtremo Provinciarum hiſce Primatibus omnibus præerat unus Primas Carthaginenſis, qui perinde Romano Pontifici ceu Patriarchæ Occidentis erat obnoxius: quum autem Vandali Africa potiti Primati Carthaginenſi Patriarchæ etiam nomen indere voluiſſent, refragatos valdequam fuiſſe Africæ Epiſcopos, novumque titulum reprobaſſe refert Victor Vit. lib. 2, ne videlicet Carthaginenſis Primas Autocephalus, atque a Patriarchico jure Romani Pontificis ſubductus videretur.

Ad Diœceſim Galliarum nunc deſcendendo, Civilem Metropolum diſpoſitionem Eccleſiæ in conſpectum non veniſſe in conſtituendis Eccleſiaſticis Metropolibus, neque ad multiplicationem, diviſionemque Civilium Ptovinciarum, diviſas, multiplicataſque pariter Eccleſiaſticas plurimis oſtendunt Carolus a S. Paulo in Geograph., Queſnellus in Apolog. pro S. Hilario par. 1. capp. 4, & 5, & par. 2. capp. 2, & ſeqq.; Pagius ad annum 401. n. 44, & ſeqq., & Blancus tom. 4. lib. 2. cap. 1. §. 9. Enim vero in ſex, quas diverſis temporibus ſubiit Galliarum Diœceſis, ſectionibus, ne eiſdem vicibus Eccleſia Gallicana ſubjaceret, quam magnam ſollicitudinem induiſſe Gallicanos Epiſcopos, curaſſeque diligenter uſque ad ſæculum VI, arguere, aut ego fallor, fas eſt ex Concilio Aurelianenſi III. anno 538. Can. 1, quo prohibitum eſt, cautumque, ne pro diverſa, quæ frequenter contingebat, Imperii Gallici diviſione, Epiſcopi ditionis unius abeſſent a Metropolitani Concilio, etſi eſſet alterius ditionis: quod indicium eſt haud obſcurum abhorruiſſe illos ab inducenda nova Eccleſiarum diſpoſitione ob novas inductas diviſiones Civiles. Eluceſcet id magis excurrendo obiter in exempla. In prima diviſione Provinciarum ſub Auguſto ordine Civili Metropolis erat Narbona, & in poſttema ſub Honorio Metropolis evaſit Vienna; in ordine tamen Eccleſiaſtico Metropolis jampridem erat Arelates,

ses, uti liquet ex libello S. Leoni M. oblato ab Epiſcopis Prov. Arelat., quem ſuppoſititium quidem exiſtimarunt Sirmondus tom. 1. Concil. Gall., & Launojus in diſſert. *De duobus Dionyſiis*, nec non Reiſerus vir Lutheranus in Launojo Confeſſore pag. 808; indubium tamen habent Baronius, Hugo Menardus, Valeſius ad Socratis lib. 2. cap. 29, Queſnellus, Natalis, Pagius ad annum 450. n. 14, & Fabricius ipſe in Bibl. Med., & inf. Latin. lib. 11. pag. 257. In Civili diſpoſitione Arelate ſuperior olim Treviris, inferius vero Lugdunum habebantur: quas in Eccleſiaſtica dignitate pares jampridem tres ad unam omnes Urbes exiſtimant Carolus a S. Paulo, & Scheleſtratius Antiq. illuſt. tom. 2. diſſert. 4. cap. 8. Ex Taurinenſis Concilii Can. 1. liquido conſtat Urbem Aquenſem Metropolim Civilem tum extitiſſe; ejuſdem tamen Epiſcopum Metropolitico jure eodem tempore caruiſſe. Ordine Civili Provincia Viennenſis una erat, eam tamen in duas partitus eſt S. Leo M. epiſt. 89. ad Epiſcopos Prov. Vien., quam partitionem ſubinde anno 511. confirmavit S. Symmachus epiſt. 9. ad Gall. Epiſcopos. Viennenſi Metropolitæ ſubjugata eſt Tarantaſia, quæ alioqui Civilis jamdudum erat Metropolis: Ebredunum vero, & Aquæ Sextiæ etſi Civilium Metropolum dignitate ſplenderent, ordinatione Eccleſiaſtica Arelatenſi erant ſubjectæ: in eaque ſubjectione manſerunt, donec trium horum Epiſcoporum ad jus Metropoliticum adſpirantium cauſſa a Concilio Francofordienſi Can. 8. ad Apoſtolicam Sedem delata, hacce dignitate adaugeri meruere. Conferendi Sirmondus in Not. ad cit. Can. 8, & Petrus de Marca de Prim. Lugd. n. 82. In duabus Germanicis ante ſæculum VIII. nulla Metropolis Eccleſiaſtica vigebat, ſed eamdem in S. Bonifacio Moguntino conſtituit S. Zacharias anno 751. juxta Thomaſſinum par. 1. lib. 1. cap. 31, aut verius anno 748. juxta Pagium ad annum 751. n. 8, & ſeq., quem adire etiam præſtat ad annum 745. n. 4, & ſeqq., ubi Petri de Marca de Primat. n. 76, & ſeqq., & Cointii ad annum 746. n. 34. opinionem explodit, a qua nec prope, nec procul abfuit Thomaſſinus par. 1. lib. 1. cap. 41. putans Metropoles omnes ſacras in Metropolibus Civilibus fuiſſe defixas, ut quæ magnitudine, opulentia, & antiquitate cæteris præſtarent: idque factum Apoſtolicis tem-

temporibus, ab Apoſtolis ipſis, & ab Apoſtolicis Patribus. Certo certius id etiam eſt nullo reſpectu habito ſive ad Treviros, ſive ad Arelatem, quibus in Civitatibus Prætotii Præfecti Galliarum defixa ſedes fuerat, Galliarum Primatum collatum fuiſſe mutata frequenter vice, prout e re Eccleſiæ eſſet, nunc Lugdunenſi a S. Gregorio VII, & Urbano II; nunc Moguntino a SS. Gregorio II, & III, ac Zacharia: mox Metenſi a Sergio II; mox Senonenſi a Johanne VIII, & XV, ac Silveſtro II: qua Remenſi a S. Symmacho; qua Bituticenſi ab Hadriano I, & S. Nicolao I: hinc Narbonenſi a S. Nicolao I, Urbano II, & Paſchali II; illinc Viennenſi a Calliſto II; quamquam præ his omnibus hoc Primatus honore adornatum fuiſſe a S. Zoſimo, S. Hilaro, S. Symmacho, Vigilio, Pelagio I, & S. Gregorio M. Arelatenſem in confeſſo ſit.

In Diœceſi Hiſpaniarum, quamdiu in tres dumtaxat Provincias diviſio manſit, perquam difficile eſt affirmare jam tum obtinuiſſe diſpoſitione Eccleſiaſtica trium Metropolitarum Cathedras Hiſpali, Emeritæ, & Tarraconi adfixas. Poſtquam vero Provinciarum numerus ad ſeptenarium excrevit, perſtitit adhuc prior inducta quinque Provinciarum Eccleſiaſtica diſtributio: nam Tingitana ad Africam, & Baleares ad Tarraconenſem pertinere non deſierunt. Non obſcura hujus rei extant indicia in epiſt. 1. S. Siricii ad Himerium Tarrac., in Regula fidei edita in Synodo Hiſpanica Generali apud Aguirræum to. 2. pag. 202, ac per errorem adjecta Concilio Toletano I. cit. tomo pag. 135; in epiſtola S. Leonis ad Turribium 93. vet. edit., 15. in edit. Queſnelli; & in Concilio Bracarenſi I. eodem tom. 2. pag. 293. Quamvis autem Queſnellus in Not. ad laud. epiſt. 15. a S. Leone M. Gallæciam in duas Provincias diſpertitam opinetur, id tamen falſum omnino oſtendunt doctiſs. Blancus de polit., & poteſt. Eccleſ. tom. 4. lib. 2. cap. 1. §. 10; & Cennius de antiq. Eccleſ. Hiſp. diſſert. 2. cap. 3. n. 6. ex Concilio Lucenſi anno Æræ Hiſp. 607, Chriſt. 569, inquo rogante Theodomiro Rege Suevo Gallæcia in duas Provincias diviſa fuit, (quam diviſionem Romanis Pontificibus acceptam obtigiſſe augurari fas eſt ex Innocentio III. apud Aguirræum tom. 2. pag. 635.), præter Bracarenſem, Metropolita inaugurato Lucenſi:

quem

quem quidem Metropolitæ honorem illæſum manſiſſe poſt annum *666.* præl. Blancus evincit contra Petrum de Marca de Prim. Lug. contendentem eo anno in Concilio Emeritenſi ſub Receſvinto Gothorum Rege Lucenſem dignitate Metropolitica exſpoliatum, quæ pariter opinio doctiſs. Thomaſſino par. 1. lib. 1. cap. 42. n. 1. hæſit, ſiquidem nihil hujuſmodi ex actis Synodi, ac maxime ex Can. 8. extundi liceat. Patet itaque in eadem Provincia Civili Gallæciæ duos inſtitutos fuiſſe Eccleſiaſticos Metropolitas Lucenſem poſt Bracarenſem. Diviſa Tarraconenſi Metropolis Civilis evaſerat Cæſarauguſta; nihiloſecius in Eccleſiaſtica diſpoſitione Metropolis diu manſit Tarraco: in Synodo enim Cæſarauguſtana anno 380. Valerius hujus Urbis Epiſcopus loco nono ſubſcriptus legitur. Non me latet non ſemel olim Metropolitanos poſt Epiſcopos prius ordinatos ſubſcripſiſſe, nullamque perſæpe ab Epiſcopis ſui vel loci, vel honoris, vel ævi rationem in ſubſcribendo habitam fuiſſe, adeoque ut demum S. Gregorius M. lib. 7. epiſt. 114., ut ſuo deinceps gradu, & ordine tum ſcriberent, tum ſederent Epiſcopi, injunxerit. At qui hoc ipſum argumento eſſe poteſt ferius admodum ad parem, quo erant Civiles, adſcendiſſe gradum Metropoles Eccleſiaſticas. Carthaginenſis Provinciæ, poſtquam etiam Toletum in Metropolim Civilem aſſurrexit, Carthaginenſis manſit Metropolita, ut adparet ex Concilio Tarraconenſi anno 516. Toletanus e converſo in Concilio Toletano II. anno 531. cap. 5, ſive in Synodica Montani ad Palentinos, Metropolitica dignitate inſignitus jam pridem refertur; tametſi Toletana Civitas anno dumtaxat circiter 577. a Leovigildo Rege Metropolis Civilis fuerit conſtituta. Succreſcere in dies etſi non deſineret Toletani dignitas, donec ad eam poteſtatis, qua, nunc, ac pridem eſt, amplitudinem perveniret, Carthaginenſi nihilo ſecius cum priſco nomine non exigua juris Metropolitici particula longe etiam poſt aduc adhæſit, cujuſce ſpecimen haud obſcurum exhibetur in Conciliis Toletano III. anno 589, & Toletano anno 610. ſub Gundemaro Rege, in quo Toletani, qui in priori Synodo Carpetaniæ Metropolita dumtaxat ſe inſcripſerat, Primatus in Eccleſiam Hiſpanicam inductus, decretoque Gundemari Metropolita Carthaginenſis eſt denuntiatus.

De-

Denique in Diœceſim Britannicam quæ Regiminis Eccleſiaſtici forma inducta fuerit, eo ipſo tempore, quo invecta Chriſtiana fuit Religio, qua a S. Eleuthero, dum Britannia adhuc diviſa eſſet in duas primam, ſive Britanniam, & in ſecundam, ſive Caledoniam, qua a S. Cæleſtino, quum collapſa Religio ibidem eſt reparata Palladii opera, dum videlicet ſubinde eadem Diœceſis in Provincias duas fuerat diſtracta, Romanam nempe, quæ in Romanorum Imperium devenerat, & Barbaricam, quæ ſuis adhuc Scotis, Pictis, & Britonibus obnoxia remanſerat, in obſcuro latet omnino. Poſtquam autem Romana Provincia ſub Theodoſio Juniore in quinque alias Provincias diſtracta fuiſſet, quarum 1. Maxima Cæſarienſis, 2. Valentia, 3. Britannia prima, 4. Britannia ſecunda, & 5. Flavia Cæſarienſis, in his præ aliis celebriores habitæ ſunt Civili ordine Londinum apud V. Bedam lib. 2. hiſt. Angl. cap. 7, & Eboracum, quarum Urbium Epiſcopi ſub initium Sæculi IV. jam celebres habebantur. Quin imo jampridem ab anno circiter 170, ex quo Lucius Britanniæ Rex Chriſto nomen dediſſe fertur, Londinum, & Eboracum in Metropoles Eccleſiaſticas emerſiſſe referuntur apud Harpsfeldium hiſt. Eccleſ. Angl. ſex prior. ſæcul. cap. 3, & apud Uſſerium de antiq. Eccleſ. Britan. cap. 2. Nihilo tamen minus Cantuarienſem ſaltem a Sæculo VI., a tempore ſcilicet S. Auguſtini illuc a S. Gregorio M. prædicatum Evangelium, reparatamque Eccleſiam miſſi, principem locum ſuper omnes Britannicas Eccleſias tenuiſſe, & obtinuiſſe res eſt omnem extra dubitationis aleam ſepoſita. Vide-ſis Richardum Smithæum in floribus hiſt. Eccleſ. Angl. lib. 1., & Henricum Warthonum Angliæ Sac. tom. 2. pag. 1685, & ſeqq. Oblitteratam deinde in Britannia dignitatem Metropoliticam omnem indicat V. Beda lib. 4. capp. 1, & ſeqq. referens ea propter ab Egberto Cantii, & Oſuvio Northumbriæ Regibus anno 665, aut verius 667. ad S. Vitalianum P. M. Romam miſſum Wigardum Presbyterum in Archiepiſcopum ordinandum, a quo deinde in Britanniis alii ordinari poſſent Epiſcopi. Quo in itinere fatis functo, Roma in Britanniam miſſus Archiepiſcopus Theodorus anno 668. eidem Eccleſiæ aureum veluti Sæculum revexit, Epiſcopos ubique ordinando, ac Romanæ Eccleſiæ diſciplinam reſti-

ſtituendo. In Provincia Barbarica, ſive Scotia, etſi olim Epiſcopi adeſſent, ad ſua tamen uſque tempora, hoc eſt ad ſæculi XII. initium, Archiepiſcopi honore, nomineque habitum nullum, auditumque, auctor eſt Guillelmus Neubrigenſis in proœmio hiſt., ſive Chron. rer. Anglic., hoc ipſum de Hibernis, Noricis, Danis, & Gothis affirmans. Præterea Scotiæ Epiſcopos perdiu Metropolitano caruiſſe, quinimo certo loco adfixas Sedes nullas habuiſſe perhibet Guillelmus Cambdenus in ſua *Britannia* ad an. 683. Quamvis autem Rogerius Hovedenus ad annum 1199. affirmet B. Sampſonem, ejuſque ſucceſſores veluti Valliæ Metropolitas Sedem Meneviæ, ſive in Civitate S. Davidis defixam tenuiſſe; quin etiam SantAndreanus Epiſcopus aliquando in Epiſcopos Scotiæ Metropoliticum jus affectaſſe legatur, indubium eſt tamen Epiſcopos Scotiæ omnes Romano Pontifici veluti Metropolitæ obnoxios manſiſſe, ita volentibus Clemente III., Cæleſtino III, Innocentio III, Johanne XXII, Eugenio IV, & Paulo II, apud Rogerium ad annos 1188; & 1192, apud Raynaldum ad annos 1329, & 1436, & apud Spondanum ad annos 1466, & 1471, uſque ad Sixtum IV, a quo ad eliminanda diſpendia, & incommoda Scotis ſubeunda, dum Romana adiretur Metropolis, SantAndreanus, ac Glaſcovienſis Metropolitica dignitate adaucti ſunt: de qua confer Thomaſſinum vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. capp. 45, & 55. Haud abſimiliter in Hibernia ſerius Metropoliticas Cathedras obtinuiſſe, aut inſtauratam, ſi velis, demum eam, quæ in S. Patritio cœperat quidem, ſed paullatim fuerat oblitterata, liquet ex S. Bernardo in vita S. Malachiæ, ubi non altius quam ab ejuſdem deceſſore Celſo inſtitutam affirmat, confirmavitque Innocentius II; cuique ſubinde tres alias Eugenius III. adjunxit, uti ſuo dictum eſt loco: ſed de his ſatis jam, ac ſuper.

Ex jure Pontificis inſtituendi Patriarchas, Exarchos, Primates, Metropolitas, & Epiſcopos.

§. I.

PAuca in anteceſſum de Patriarcharum appellatione, quibus poſt Romanum Pontificem ſecundum in Eccleſiaſtica Hierarchia gradum attribuo, ordinem conſectatus, quem Emin. Noriſius in diſſert. hiſt. de Synodo V. quadruplicem ſtatuit. Patriarchæ itaque Græcum Πατριάρχης vocabulum, Latine Principem Familiæ ſonans, apud Judæos ſæculo integro ante Templi everſionem invaluiſſe affirmant Judæi apud Cl. Calmetium in Diction. Biblico V. *Patriarcha*, quorum primus hoc nomine audierit Hillel Babylonicus denominatus, quod e Babylone digreſsus Jeroſolymam ſe contulerit, probatuſque Judæis, in Patriarcham gentis aſsumptus fuerit. Verumtamen hocce de vocabulo alte ſiquidem ſileant Joſephus, & Philo, nec eodem uſi legantur aliquando Principes Aſsamonæi, nec Herodes, nec ſummi Sacerdotes, ad vetera retinenda nomina alioquin valdequam affecti, dicere præſtat cum Baronio ad annum 32, Petavio de Eccleſ. Hierarchia lib. 1. cap. 6, & in Annot. ad S. Epiphanii hær. 30, Henrico Valeſio in Not. ad lib. 1. hiſt. Euſebii cap. 13, & Calmetio loco indic., ad quos acceſsere e Proteſtantibus Samuel Baſnagius in Annal. polit. Eccleſ. ad annum 31, & Henricus Hammondus diſsert. 3. cap. 1, Patriarchæ nomen apud Judæos obtinuiſse demum poſt excidium Urbis, & Templi everſionem, utpote quod nonniſi a poſterioribus Talmudiſtis commemoratur, invectumque fuiſse ad deſignandos eos, qui ad varia negotia alios quoſpiam mittebant: qui enim mittebantur, *Apoſtoli*, ſive *Nuncii* dicebantur; qui vero mittebant, dici *Patriarchæ* cœperunt. Quo tamen nomine inſigniri non conſueverant Judæorum Principes omnes: nam qui in Judæa verſabantur, Principem ſuum, qui rerum potiebatur ſumma per Judæam, Syriam, Ægyptum, Italiam, cunctaſque Romani Imperii Provincias, equidem *Patriarcham* vocare cœperunt: at qui trans Euphratem ſeceſserant, Judæi Principem ſuum, qui

qui nempe in Babylone, Chaldæa, Aſsyria, & Perſide Judæis præerat, *Principem Captivitatis* appellare contenti erant. Primus denominabatur etiam *Rabbana*: poſterior vero *Rabban*, prioris nominis deminutivo vocabulo. Itaque veri videtur admodum ſimile, quod ex Græca, quam utique legebant Alexandriæ, S. Scripturæ translatione, ad ſignificandum Familiæ cujuſpiam, aut Tribus Iſraeliticæ Caput, & Principem, opportunitatem Patriarchæ nomen adhibendi Rabbini primum, ac perinde Helleniſtæ arripuerint. Nimirum 1. Paralip. 8. v. 14, & 28; 9. v. 9, 13, & 33; 24. v. 6, & 31, ubi Textus hebræus habet *Raſcè Avot*, ideſt Capita Patrum; Græce translati leguntur Ἀρχοντες πατριων, unde Patriarchæ nomen derivarunt: quo pariter nomine in priſca Græca verſione 1. Paralip. 27. v. 22, & 2. Paralip. 23. v. 20. Centuriones efferuntur. Juxta hæc Actor. 2. v. 29. S. David a S. Luca, Act. 7. v. 8. duodecim filii Jacob a S. Stephano, & ad Hebræos 7. v. 4. Abraham a S. Paulo Patriarchæ vocabulo inſigniti habentur. Porro Judæorum Patriarchas circa annum 420. penitus abrogatos fuiſse patet ex Cod. Theodoſ. lib. 16. tit. 8. cap. 29; quo de nomine, qui plura deſideret, adire poterit S. Hieronymum in Iſaiæ cap. 3, & lib. 1. adverſ. Rufinum cap. 3; S. Epiphanium hæreſi 30; S. Iſidorum Orig. lib. 7. cap. 12; Binghamum, ſi licet, Orig., & Antiq. Eccleſ. lib. 2. cap. 17, Svicerum in Theſau. Eccleſ. V. *Patriarcha*; eodemque verbo Nicolaum Du Mortier in Etymolog. ſacr. Græco-Lat., Thomaſſinum vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 3. n. 14, & Blancum de poteſt., & polit. Eccl. lib. 2. cap. 1.

Ab Helleniſtis Patriarchæ nomen uſurpatum, omine perinde longe meliori a Chriſtianis tranſumptum eſt, translatumque ad rès ſacras: ſcilicet ad ſignificandos primarum Eccleſiarum Præſules, alteroque poſtmodum auſpicio Religioſorum quoque Ordinum Inſtitutores. Quamquam, antequam Orthodoxis ſacrum id nominis uſu tardiori veniret, a Montaniſtis Patriarchæ nomen, quo primos inter ipſos ſtu quam ambitioſo, tam inani appellare exambiebant, ſecundos ex gradu nuncupantes *Cenones*, tertios vero, ac ultimos *Epiſcopos*, temere fuiſſe uſurpatum teſtatur S. Hieronymus in epiſt. 27, olim 54. ad Marcellam. Quamvis au-

tem apud Vopiſcum in *Hadriano* extet epiſtola, in qua mentio fit Patriarchæ in Ægypto, de Judæorum tamen Patriarcha eum locum accipi debere rite admonuit Petrus de Marca: licetque hoc ipſo Patriarchæ nomine legantur nuncupati Diœceſum Exarchi, aut catholicæ Communionis Principes a Socrate lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 8, a S. Gregorio Nyſſeno Orat. de S. Meletio, de S. Baſilio a S. Gregorio Nazianzeno in Orat. 20, 41, & 72, Neſtorius a Socrate lib. 7. cap. 31, & Juvenalis ab Euthymio Archim., uti legitur in ejus vita, ſenſu latiori hoc nomen acceptum ab iis debet intelligi, reſpectu nempe habito aut ad veteris Teſtamenti Patriarchas, quorum ab illis egregiæ virtutes exprimebantur, aut ad Diœceſes ampliſſimas, in quas illorum Metropolitica juriſdictio effundebatur. Cæterum enim nonniſi ab Eccleſiæ ſæculi IV. exitu apud Orthodoxos Patriarchæ nomen obtinuit, quo utique anno 451. tum ante Chalcedonenſem Synodum a Theodoſio Juniore in epiſt. ad Valentin., & Placid., apud Harduinum Concil. Chalced. par. 1. pag. 39; tum in Synodo ipſa Chalced. act. 3. a Theodoro, Iſchyrione, Athanaſio, & Sophronio par. 2. pag. 322, & ſeqq.; tum poſt Chalced. Synodum a Marciano Auguſto in epiſt. ad Archimandritas par. 3. pag. 667, & ſeqq., primus omnium Romanus Pontifex S. Leo re, ac nomine Magnus legitur appellatus. Quare haud immerito Patriarchæ nomen a Romanis Pontificibus ortum duxiſſe, ceteriſque deinde Primatibus, & Exarchis collatum fuiſſe, auguratus eſt doctiſs. Thomaſſinus par. 1. lib. 1. cap. 3. n. 14. Patriarchæ igitur nomine in Romano Pontifice ſuprema, longeque ſupra reliquos præcellens deſignabatur poteſtas, cujus in partem qui potiorem venirent, quales Exarchi amplioribus Diœceſibus, (quo tum nomine Regio plures complectens Provincias ſignificabatur), præfecti: nominis ejuſdem participatione quadam affecti perinde leguntur; ita ut Patriarchæ nomen primum in Epheſinum, Heracleenſem, ac Cæſareenſem Epiſcopos fuerit transfuſum, paulloque poſt ad ſolos Alexandrinum, Antiochenum, deinde Conſtantinopolitanum, ac demum Hieroſolymitanum præcipui honoris gratia deſignandos conſecratum ſit. Quamquam nec defuere in Occidente Præſules, quibus idem Patriarchæ nomen tribueretur. Africani Epiſcopi ſub Principibus Arianis paſſi hoc inſigniti fuerunt nomine a S. Gregorio

gorio Nazian. in Orat. habita in Concilio Conſtantinopolit. I. apud Labbæum tom. 2; aliique pariter a S. Baſilio in epiſt. 412. A Vandalis in Africa Epiſcopum ſuum Arianum, (is erat Jucundus), Patriarcham fuiſſe denominatum refert Victor Vit. lib. 2. de perſecut. Vand. S. Nicetius Lugdunenſis Antiſtes a S. Gregorio Turon. lib. 5. hiſt. Franc. cap. 30, & Priſcus Lugd. pariter Epiſcopus a Synodo Matiſconenſi II. anno 585. in præfat. Patriarchæ appellati leguntur. Eodem quoque nomine Patriarchæ Epiſcopos Italiæ omnes exornavit Athalaricus Oſtrogothorum Rex apud Caſſiodorum lib. 9. epiſt. 15. ad Johannem II. P. M. Exinde factum, ut Gothorum Regno in Italia exciſo, Aquilejenſi Epiſcopo Patriarchæ nomen etiam adhæſerit. Sulpitium Bituricenſem Antiſtitem eodem Patriarchæ vocabulo cohoneſtavit Deſiderius Cadurcenſis in epiſt. 14: imo Rodulphum item Bituricenſem S. Nicolaus I. in epiſt. 19: quo pariter titulo excepti perhibentur Toletanus a Luitprando in Chron. Æra 648, & Cantuarienſis a Malmesburienſi in prolog. lib. 1. de geſt. Pontif. Angl. Quamqnam, ut innui, honoris, non juris, poteſtatiſque inſigne portentum fuiſſe præſumendum ſit.

His generatim circa Patriarchæ nomen præmiſſis, jam ad rem propius ipſam deſcendere, ac in Patriarcharum inſtitutionem diligenter inquirere, priuſquam ipſotum delibentur jura, pretium eſt operæ. Itaque Patriarchales omnes Sedes inſtitutas a S. Petro fuiſſe, ita tamen, ut omnibus poteſtate, dignitateque Romana præemineret, ſacrata pridem in Eccleſia ſententia eſt, quam inficiari pro temeritate auſi M. Antonius de Dominis lib. 3. de Republ. Eccleſ. capp. 2, & 10, Baſnagius uterque, Beveregius, Richerius, Launojus, Dupinius, Jannonus &c. dignis vapulant a doctiſſ. viris Henrico Valeſio lib. 3. obſervat. in Socratem, & Sozomenum; Hadriano Valeſio in vita Henrici Valeſii fratris, Scheleſtratio tom. 2. Antiq. illuſt. diſſert. 5; Thomaſſino vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 8, & ſeqq., & Blanco de poteſt., & polit. Eccleſ. tom. 4. lib. 2. cap. 1. Quæſo vero, quare id inficiantur? Quia, inquiunt, Tertullianus Eccleſias ab Apoſtolis fundatas Apoſtolicas, non etiam Patriarchales appellavit, omneſque alioqui Patriarchales fore appellandas, quas S. Petrus fundaſſet. Appoſite id quidem adverſum ſe. Apoſtolicæ ideo dumtaxat

taxat appellatæ haud immerito a Tertulliano ſunt Eccleſiæ fundatæ ab Apoſtolis, quia Apoſtoli jure principali non potiebantur: atqui S. Petrus jure principali defungebatur, itaque nedum Apoſtolicas, ſed etiam Patriarchales fundare, ſoluſque utique potuit. Quamquam non omnes, quas ipſe fundavit, Patriarchali dignitate inſignivit, ſed eas dumtaxat, quibus in alias pleraſque jus pariter attribuit. Ad haſce prærogativas, quibus Eccleſiæ Patriarchales quædam præ aliis a S. Petro fuerunt diſtinctæ, deſignandas, exprimendamque imaginem pulcherrimam Eccleſiaſticæ Hierarchiæ primis gradibus a S. Petro diſtributæ in Patriarchas, ab initio in Eccleſia Romana conſtitutæ fuerunt a Pontificibus Summis quinque majores, ac præſtantiores Eccleſiæ Patriarchales: nempe Baſilica S. Salvatoris ad Lateranos omnium primaria pro Romano ipſo Pontifice: S. Petri in Vaticano pro Conſtantinopolitano Patriarcha: S. Pauli in Via Oſtienſi pro Alexandrino: Liberiana, ſive S. Mariæ ad Præſepe pro Antiocheno: ac S. Laurentii in via Tiburtina pro Hieroſolymitano; ita ut omnes Romanæ omnium Matri acceptam referentes originem, pro officio pariter obedientiam penderent, eidemque obſequio, ac fide copulatæ expreſſam Hierarchiæ Cæleſtis præferrent ipſam, quam Chriſtus D. in Eccleſiaſtica delineaverat, ſpeciem. Conſilio iſto a Chriſto D. præpoſitum fuiſſe Apoſtolis S. Petrum, & a S. Petro gradus Patriarchales inſtitutos, ita tamen ut ad primum, principalemque demum confluerent omnes, & conſpirarent, luculenter edocet S. Leo M. in epiſt. 84. *Inter Apoſtolos*, inquiens, *fuit quædam diſcretio poteſtatis, & quum omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt, ut cæteris præemineret. De qua forma Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & magna diſpoſitione proviſum eſt, ne omnes omnia ſibi vendicarent, ſed eſſent in ſingulis Provinciis ſinguli, quorum inter Fratres haberetur prima ſententia, & rurſus quidam in majoribus Urbibus conſtituti ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem; per quos ad unam Petri Sedem Univerſalis Eccleſiæ cura confluneret, & nihil uſquam a ſuo Capite diſſideret.* Ideo igitur in epiſt. 89. ſubtexit a Chriſto D. in individuæ ſecum unitatis conſortium fuiſſe S. Petrum aſſumptum, ut Vicarium hoc eſſet caput, a quo poteſtas omnis in Eccleſiam per gra-

gradus diffunderetur, diffuſaque ad ipſum reflecteretur, veluti ad fontem, in quo poteſtatis ipſius plenitudo fuerat conſtituta: a qua proinde qui ſe abſcinderet, exors prorſus eſſet & cæleſtis ſacramenti, & æternæ ſalutis: *Hujus muneris*, ajens, *ſacramentum ita Dominus voluit ad omnium Apoſtolorum officium pertinere, ut in Beatiſſimo Petro omnium ſummo principaliter collocaret, ut ab ipſo quaſi quodam Capite dona ſua velut in Corpus omne diffunderet, ut exortem ſe Myſterii intelligeret eſſe divini, qui auſus fuiſſet a Petri ſoliditate recedere*. Poſt hæc quam ſolide Evangelicis verbis expreſſiſſimis ſubnixa, quis patienti excipiat aure Richerium lib. 3. defenſ. cap. 5. impudentiſſime effutientem S. Leonem plus æquo ſuo amplificando juri ſtuduiſſe, ac S. Gregorium M., cui haud diſpar hæſit ſententia, hanc ex bona fide S. Leonis fuiſſe amplexatum? At fuit ne is unus, qui in eadem ingrederetur veſtigia, ut contumelia uni inflicta, vel alteri, in plures alios non redundaret? Nonne S. Gelaſius, & cum ipſo Epiſcopi 70. Synodi I. Romanæ anno 494. in decreto de Apocryphis Script., & poſt ipſum S. Nicolaus I. in epiſt. 8. ad Michaelem Imperat., apud Gratianum C. *Quamvis* diſt. 21, auctores ſe dedunt, ac teſtes Patriarchales Sedes Alexandrinam, & Antiochenam, quarum prima ſit Romana, a S. Petro inſtitutas fuiſſe, conſecrataſque?

Quin ante ipſos Patres Nicæni Can. 6. propoſita in exemplum S. Romana Eccleſia jubentes, ut Alexandrinæ pariter, & Antiochenæ priſca ſua manerent integra jura, non alio utique aptius ſenſu accipi poſſunt, quam ut dicantur in conſpectu habuiſſe trium harum Patriarchalium Eccleſiarum a S. Petro diſpoſitam juriſdictionem, & dignitatem, ſicuti eumdem Canonem de Antiochena expoſuit S. Innocentius I. in epiſt. 18. ad Alexandrum Antioch., & de Alexandrina S. Leo in epiſt. 53. ad Anatolium Conſtantinopolit. Atqui hæc ipſa de Patriarchalibus Cathedris inſtitutis a S. Petro, in quo veluti primario Capite Primatum omnium poſuerat Chriſtus D., Patribus aliis arcte inſederat animo, Euſebio præpar. Evang. lib. 3, & lib. 2. hiſt. Eccleſ. capp. 14, 15, & 16; S. Epiphanio hær. 51; Palladio hiſt. Lauſ. cap. 113; S. Hieronymo de Script. Eccleſ. in *S. Marco*; Theodoreto in epiſt. 14. ad Flavianum Conſtantinopolit.; S. Gregorio Turon. lib. 3. hiſt. Franc.

Franc. cap. 10, aliiſque : ex quibus æſtimare fas eſt, non ex privata S. Leonis opinione, nec ex propria ad veritatis trutinam non ſatis expenſam, ſed ex perſuaſione in Eccleſia recepta, S. Gregorium M. lib. 6. epiſt. 37, & lib. 8. epiſt. 35. ſcripſiſſe ex ſuprema S. Petri Romana Cathedra in ſubjectas omnes Patriarchales Sedes dignitatem, ac poteſtatem derivaſſe : Patriarchas omnes participes fieri honoris, ac juris, quod primo in loco, ac præfulgentiſſimo reſidet in Pontifice Romano, cui Patriarchas ceteros velut in unum Primatem omnium compingi oporteat, ſi cum Petro, & cum Chriſto conjungi ſincere optent. *Petro dicitur*: Tibi dabo Claves &c. Confirma Fratres tuos, Paſce Oves meas : *Itaque quum multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen Principatu ſola Apoſtolorum Principis Sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis* (Romæ, Antiochiæ, & Alexandriæ) *unius eſt... Quum ergo unius, atque una ſit Sedes, cui ex auctoritate divina tres nunc Epiſcopi præſident, quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo.* Ad hæc interrogatus a Bulgaris de hac ipſa Patriarcharum origine, & ordine S. Nicolaus I. non alterum, quam quod Deceſſoribus ſuis inſederat, reſponſum dedit cap. 92, non ab alio videlicet Patriarchales inſtitutas Sedes, quam a S. Petro, nec alias, niſi quæ a S. Petro hac dignitate præ ceteris fuerunt affectæ. Ingenio hoc ipſo Hincmarus in Opuſc. 55. Capit. cap. 16. obſervat, quod etſi Eccleſiæ aliæ ab aliis Apoſtolis, qui ſuas ibi defixerant Sedes, ortum duxerint, eorumque de nomine Apoſtolicæ fuerint appellatæ, Patriarchali dignitate tamen eæ demum fuerunt dumtaxat inſignitæ, quæ S. Petri Sede fuerant decoratæ. Ut enim uni Petro collata divinitus fuerat in Apoſtolos poteſtas, ita ab illo uno poteſtas eadem profluere, propagarique potuit, qua Patriarchæ Epiſcopis aliis præſiderent, in eoſque jus exercerent. Nec vero altero validiori argumento uſus eſt Ratramnus Corbejenſis lib. 4. cap. 8. ad retundendos Græcorum vanos, temeroſque conatus, quibus Pontifici Romano Patriarchas ſuos exæquare, ac etiam præferre præſumebant, quam lucidiſſimis ex S. Scriptura, & Conciliis deductis teſtimoniis, continentique tot retro ſæculorum traditione oſtendere non ampliori aut dignitate præfulgere, aut defungi poteſtate Orientis Patriarchas, quam quæ

a prin-

a principali S. Petri Sede, ejuſque Succeſſorum Rom. Pontificum in illos fuerat derivata, & diffuſa. Nec erat minus expreſſa ſententia, quam Monachi Carthuſienſes in epiſtola anno 1131. in Concilio Remenſi relecta ad Innocentium II. P. M. exponebant, nempe non partem dumtaxat unam, ſed totum potius Orbem ejuſdem Diœceſim eſſe, quatenus Epiſcopos omnes, ne Patriarchis exceptis, poteſtatis ſuæ participes faceret, qua ipſe pariter in omnes potiretur. Denique illuſtrior deſiderari neſcio, an poſſit, explicatiorque ſententia, quam quæ præfertur in epiſt. decretali Benedicti XI. Extravag. comm. lib. 1. tit. 3. cap. 3, qua videlicet fertur ab Eccleſia Romana inſtitutas quatuor alias Patriarchales Eccleſias, eoque dignitatis, poteſtatiſque culmine adauctas, quo cereris eminent: *S. Romana Eccleſia quatuor Patriarchales Sedes inſtituit, ipſaſque multis prærogativis, & honoribus, ac privilegiis decoravit*. Quem pariter in ſenſum inſignem locum Apocalyp. 4. v. 6. de quatuor ſacris Animalibus ante Sedem Agni excubantibus interpretatus Innocentius III. lib. 15. epiſt. 254. *In medio Sedis*, inquit, *& in circuitu Sedis erant quatuor Animalia* &c. *Sedes iſta Romana Eccleſia intelligitur, quæ Sedes Apoſtolica nuncupatur: utique Sedes Agni, Sedes viventis in Sæcula Sæculorum. In medio cujus, quaſi filiæ in gremio reſident, & in circuitu adſtant quaſi famulæ in obſequio quatuor Patriarchales Eccleſiæ*. Veritas adeo poſita in aprico non poterat non extorquere vel ab invitis aſſenſum: unde Balſamon etiam in tract. juri Orient. inſerto lib. 7. pag. 442. abſque fuco affirmare compulſus eſt Patriarchales omnes Cathedras propagines veluti quaſdam eſſe divini Primatus, qui in omnium primo S. Petro mirifice præfulſit: quatenus ex quo S. Petrus ſui loco Alexandriæ Marcum, Antiochiæ Evodium, Jacobum Hieroſolymæ, & Andream Thraciæ præfecerit, arguit non immerito inde Patriarchatus inſignia in has Eccleſias profluxiſſe: quamquam quod de Hieroſolymitana, & Conſtantinopolitana heic commiſcet, turbatque, paullo aliter infra erit exponendum. Peccat turpiter in eo poſtea tamen, quod inter quinque illos Patriarchas æqualitatem quamdam adſtruit, ita ut quemadmodum Eccleſia ex Oriente, & Occidente in unum corpus coaleſcit, non ſecus ex quinque Patriarchis unum Eccleſiæ caput

exurgat. At manifesti erroris coarguitur exinde, quod ipsomet fatentre, quum ex S. Petro ceteræ Patriarchales Sedes effluxerint, superior utique S Petro, singularisque potestas supra ceteros Patriarchas affirmanda prorsus est.

Age modo disputata hactenus indigeste, & conglobatim ex distincta, ac ordinata de Patriarchis singulis disputatione ampliori luce affundantur, ac pondus accipiant novum, quo firmius suo loco stabiliantur. Atque ut a Patriarcha Alexandrino, ficut par est, siquidem primum a Romano Pontifice honoris gradum ab Ecclesiæ exordio sortitus est, exordium capiam, illud extra dubitationem omnem est ad Ecclesiam Alexandrinam instituendam, erigendamque a S. Petro Romæ degente in Ægyptum fuisse directum, missum, destinatumque S. Marcum Evangelistam ejus discipulum: de quo nunc haud disputo, an idem, aut diversus a Marco Barnabæ Consobrino, cujus mentio 1. ad Timoth. 4, ad Colos. 4, & ad Philem., occurrit; nec non a Johanne illo, qui cognominatus est Marcus Act. 12, & 13., quos tres in unum identificavit, confuditque Alexander Cyprius Monachus in Panegyri apud Henschenium tomo 2. Junii in vita S. Barnabæ; sed verius post Eusebium distinguunt Baronius ad annum 45, Tillemontius Monum. Eccles. tom. 2. pag. 180, & 413, ac Sollerius in hist. Chronolog. Patriarch. Alexand. cap. 1. Neque disputabo magis de longe difficiliori, intricatissimaque epocha adventus, incolatus, & obitus S. Marci, circa quam viros Eruditos video in diversas & adversas distractos opiniones, quarum unam præ altera amplecti velle periculi erroris res plena est. Indicare obiter habebo satius hac in re quidem, sicut in aliis plerisque nullam fore adhibendam fidem, uti recte admonent Sollerius, & Mazochius, Scriptoribus Ægyptiis Eutychio Alexand., cujus Origines Alex. Ecclesiæ a Seldeno in lucem editæ; Ambr Severo, cujus historiam Patriarch. Alexand., non secus atque Chronicon Orientale Auctoris incerti, nec majore fide digni, latine vertit Echellensis, & Abulbaracato, cujus Catalogus Patriarchar. Alexand. Arabice scriptus a Vanslebio latine redditus est, quorumque hic postremus sæculi XIV. Scriptor, Collector alter sub sæculo XIII. degebat, duo priores vero sæculi X. ætatem non excesserunt. Detracta his fides, cui demum

demum potius adhibenda ſit, plane ignoto. Tiberio imperante Evangelium a S.Marco Ægyptiis annuntiatum quidam cum Henſchenio tradunt ex Menologio Baſilii Porphyrogeniti, atque ex Synaxario veteri Græcorum, quod extat in Collegio Clarom. Pariſ. Soc. I. Sub anno 3. Caji Caligulæ quidam hanc profectionem conſignant ex Chronico Alexand., quod Papebrochius Conſtantinopolitanum, & Ducangius Paſchale vocant. Alii ſub Claudii anno 2, aut 3. cum Euſebio, & S. Hieronymo; alii 4. ex Monumentis Copticis P. Bonjour pag. 175 nonnulli 9. juxta Eutychium; ut Valeſius in Not. ad lib. 2. Euſebii; nonnulli ſub Nerone anno 7. juxta Chronicon Orientale, veluti Tillemontius, Bailletus, & Dupinius. Vir doctiſs. Jo: Baptiſta Sollerius in diſſert. ad Chronolog. Patriarch. Alexand. §. 2. diſcordantes opiniones conciliandi viam injens rem ita concipit: S. Marcum anno Chriſti circiter 40. in Ægyptum profectionem adornaſſe, ac poſt aliquot annos laboris impenſi Evangelio diſſeminando per Ægyptum, finitimaſque Regiones, anno fortaſſe 44. Romam ad S. Petrum fuiſſe regreſſum, ubi Evangelio perſcripto, Alexandriam poſtliminio anno fortaſſe 49. remigraſſe: ac iſti ab ſe inſtituto calculo accommodari Chronicon Alexand., cujus auctor creditur ſæculi VII. Gregorius Piſides, ad annum Chriſti 40, Anaſtaſium in hiſt. ad hunc annum, Georgium Syncellum, Euſebium, & S. Hieronymum exiſtimat. Poſthæc autem habito obitus anno, reliqui intermedii omnes abſque dubio incolatui, ſive Patriarchatui erunt tribuendi. At haud minores, extricatuque minus difficiles heic occurrunt tricæ, quæ in oppoſitas diſtrahunt, diſcinduntque viros doctos opiniones. S. Marci Martyrium tres equidem notæ Chronologicæ afficiunt in Hagiologio Æthiopico apud Sollerium, & in Actis ejuſdem vitæ Græcis, & Latinis, quæ longe expurgatiora, quam ea ſint, quæ Arabice edidit Petrus Kirſtenius, ex Mſs. Codic. 12. inter ſe collatis evulgavit Henſchenius, vindicavit vero, notiſque egregiis illuſtravit doctiſs. Alexius Symmachus Mazochius in Comment. ad vetus Marmor. Kalend. Eccleſ. Neapolit. in diatriba ad diem 25. April. cap. 1. fide omni digna eadem demonſtrans, atque Eccleſiæ ſæculo altero exarata deducens recte exinde, quod a capite ad calcem Helleniſtica, & Alexandrina dialecto Acta redun-

dent, tres inquam, Chronologicæ notæ afficiunt, nempe dies 25. Aprilis, Paſchale feſtum, & celebritas Serapica, quæ apud Ethnicos in comeſſatione conſiſtebat, de qua agit Kalendarium Conſtantinianum, ideſt ſub Conſtantino ſæculo IV. medio conſcriptum, apud Bucherium in Comment. ad Victoris Canon., Petavium in Uranologia, Lambecium lib. 4. Bibl. Cæſar. Vindob., & Grævium tom. 8. Theſauri. Atqui ex iiſdem notis non eamdem rationem extundunt, ſed aliam alii: nam ex eis S. Marci obitum anno Chriſti 62. illigandum eſſe definit Sollerius; anno 68. autumant Tillemontius, & Bonjour; anno 75. Mazochius exiſtimat: a quo rite obſervatum nolo intactum dimittere. Nempe in Actis Græcis apud Eutychium S. Marci reliquias a Gentilibus combuſtas fuiſſe ſe legere feſtive gaudentes Dallæus lib. 4. de Religioſi cultus objecto cap. 22, & Erneſtus Tentzelius in Not. ad S. Hieronymum de Viris illuſt., anſam arripuerunt avide convellendi Venetorum traditionem de Reliquiis S. Marci Venetias tandem deportatis. Tillemontius, & Bailletus ex Actis illis Græcis exuſtas revera S. Marci Reliquias a Chriſtianis fuiſſe collectas inferunt. Felicius vero nodum diſſolvit, remque acu tetigit doctiſs. Mazochius diſſert. cit. §. 4. obſervans in re Libitinaria verbum χαίω tantumdem eſſe, quod in rogum inferre, ſive abſumptio ſubſequatur, ſive non, productis in rem exemplis ex Budæo, & Henrico Sthephano in Theſau., unde merito arguit ab Ethnicis S. Marci Reliquias in rogum quidem injectas fuiſſe, ſed imbre ſuperveniente, extemplo rogo reſtincto, ut ibidem habetur, illæſas remanſiſſe: turpiter itaque heterodoxos illos ambos lapſos eſſe, hallucinatoſque.

Atqui his jam dimiſſis, in quibus ultra modum forſitan immoratus ſum, reflectendoque gradum in rem propius meam, eó conſenſu unanimi conſpirant veterum teſtimonia, ut Eccleſiæ Alexandrinæ Patriarchalem amplitudinem S. Petro, a quo primum in S. Marcum fuerit transfuſa, acceptam fore referendam probent, & comprobent. In re vero minime neceſſaria nolo multus eſſe, moleſtuſque, ſed velut in cumulum vetera congeram monumenta, & loca dumtaxat indicabo, quibus traditio iſtiuſmodi innititur. Itaque a S. Petro miſſum S. Marcum Alexandrinam Eccleſiam erexiſſe, inſtituiſſe, erudiviſſe, Patriarchæ auctoritate præfuiſſe a S. Pe-

a S. Petro accepta, quam in Succeſſores ex aſſe transfuderit cum dependentia ab omnium ſuprema Apoſtolica Sede, liquidi, locupleteſque accedunt teſtes S. Irenæus lib. 3. adv. hæreſ. cap. 1; Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 5; Euſebius in Chron., & lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 15. & ſeq.; S. Epiphanius hæreſ. 51; S. Gregorius Nazian. in orat. 21. de S. Athanaſio; Syneſius Cyrenenſis Epiſcopus in epiſt. 66. ad Theophilum; S. Hieronymus de Script. Eccleſ. in S. Marco, & epiſt. 68, 78, & 81; Alypius Presbyter in epiſt. ad S. Cyrillum Alex. par. 2. Concil. Epheſ.; S. Leo M. in epiſt. 11, nunc 81. ad Dioſcorum, & 53, nunc 80. ad Anatolium; S. Gelaſius in decreto de Script. germ., & apocryph.; Apocriſiarii Eccleſiæ Alexand. in libello oblato Legatis S. Anaſtaſii II. apud Harduinum tom. 2. Concil. pag. 952; S. Gregorius M. lib. 7. epiſt. 40. edit. San Marth. ad Eulogium Alexand.; S. Nicolaus I. in epiſt. 8. ad Michaelem Imperat. apud Harduinum tom. 5. pag. 144; Anaſtaſius in hiſt. Eccleſ.; Georgius Syncellus &c.: quibus adjungenda Acta S. Marci tum Latina, tum Græca apud Henſchenium ad diem 25. Aprilis, quæ, velut ex Mazochio innui, fide laborare apud neminem debent; neque in hacce quidem narratione non eſt, cur integra fides denegetur Eutychio ad annum Claudii 9, Chriſti 49; Ambæ Severo hiſt. Patriarch. in S. Marco; Chronico Orient. ad annum Neronis 7, Chriſti 61; Chronico Alexand. ad annum Caligulæ 3, Chriſti 40; Menologio Baſilii Imp.; Hagiologio Coptorum, Synaxariis Græcorum, aliiſque Scriptoribus Arabicis, Coptis, Ægyptiis, Græciſque apud Echellenſem, Aſſemanum, Henſchenium, Bonjour, Tillemontium, Renaudotium, Sollerium &c. Tot, ac tam illuſtribus teſtimoniis innixam traditionem, etſi multis aliis tacentibus, nullo attamen contradicente, inficiari quidem, præfractæ quamvis frontis, Proteſtantes depuduit, eó tamen pro ingenio præpoſtero ſe convertunt, ut S. Petro tam grandis operis gloriam adimant, ac Patriarchatus Alexandrini unum S. Marcum auctorem agant. Itaque quia S. Irenæus lib. 3. cap. 1. tradit a S. Marco Evangelium, nonniſi poſt S. Petri fata conſcriptum fuiſſe; Euſebius vero, & S. Epiphanius aſſerunt a S. Marco ante fuiſſe exaratum, quam Ægyptiacam profectionem adornaſſet, exinde colligunt

gunt Dodvvellus de Succeſſ. Roman. Pontif., & Cavæus de Script. Eccleſ. ante annum Æræ vulgaris 65, ſiquidem prius S. Petrus Martyrio non fuerit affectus, S. Marcum in Ægyptum non contendiſſe. Verumtamen eos fefellit præconcepta in Rom. Pontificem invidia: præter enim quam quod, uno excepto S. Irenæo, nullus eſt vetus Auctor, qui S. Marci advenrum in Ægyprum ad eum annum 65. diſtulerit, probabiliſſime differendum nequaquam fore ex eo perſuadetur, quod quandoquidem veri proxime fieri ſimillimum putant Tillemontius tom. 1. pag. 1172, Montfauconus de Therapeutis agens, & Sollerius in cit. diſſert. fundam. §. 2, Apoſtolos omnes anno Chriſti 36. in varias Miſſiones fuiſſe diſtributos, quumque omnium primus in Ægyptum prædicatum Evangelium S. Marcus profectus ſit, ſi fides veteribus Monumentis omnibus ſit adhibenda, a veri ſpecie abhorret quammaxime ante annum 65. Ægyptiis Evangelii lumen non affulſiſſe: quid autem prohibet, (ita plane cum S. Irenæo Euſebius, & S. Epiphanius optime conciliantur), affirmare cum Sollerio S. Marcum jam a S. Petro triennii ſpatio inſtitutum, in proximas Ægypti Regiones annis Chriſti 37, 38, & 39. ipſius juſſu digreſſum, ac demoratum fuiſſe, eiſque peragratis, anno ſeq. 40. progreſſum Alexandriam, Patriarchalis hujus Eccleſiæ fundamenta jeciſſe: ibidem poſtquam hæſiſſet uſque ad annum 44, in Palæſtinam ad S. Petrum regreſſum fuiſſe, Romani itineris præbuiſſe ſe comitem, Romæ dum demoraretur, Evangelium conſcripſiſſe, exindeque demum anno fortaſſe Claudii 9, Chriſti 49. in Ægyptum remigraſſe? Quamquam etſi Dodvello, & Cavæo daretur S. Marcum nonniſi poſt S. Petri obitum in Ægyprum adveniſſe, cum eo ſtat optime, quod ſicut etſi poſt S. Petri fata ſcripſiſſet Evangelium, ſcripſit attamen ex S. Petri juſſu, ut veteres Scriptores prodiderunt; ita etſi poſt Martyrium S. Petri in Ægyptum fuiſſet profectus, nihilotamen ſecius profectus fuerit jubente S. Petro. Sed de hoc argumento ſatis.

Eſt autem huic perquamſimile alterum, quod etiam pejus vellicare Proteſtantes quammaxime allaborant. Enim vero Eccleſiam unam Alexandrinam, S. Petro demandante, inſtituere S. Marci curæ nedum ceſſiſſe, ſed præterea alias pleraſque in Ægyp-

Ægypto, Provinciiſque finitimis excitare, Epiſcopales Cathedras erigere, atque ad formam a S. Petro acceptam Eccleſiaſticæ Hierarchiæ gradus conſtituere, tradidit imprimis Auctor antiquiſſimus Græcus Actorum S. Marci apud Henſchenium, quem Helleniſtam, alteroque Eccleſiæ ſæculo floruiſſe autumat doctiſs. Mazochius in diatriba in hæc Acta cap. 2, ex quo advertit a S. Marco ordinatos Epiſcopum Anianum, tres Presbyteros Milium, Sabinum, & Cerdonem, ſeptem Diaconos, alioſque undecim Miniſtros Diaconis inferiores: ut proinde de Apoſtolica inferiorum Clericorum inſtitutione dubitare poſthac non licere exinde locum pronunciandi merito arripuerit vir Eruditus: quem perinde locum Eutychio ex diametro opponit, atque ad Seldeni, de quo mox, retundendam audaciam opportune adhibet Sollerius diſſert. cit. cap. 1. Accedunt Severus Amba in hiſt. Patriarch. Alexand. apud Echellenſem; Auctor Chron. Orient. apud eumdem; Martyrologium Melchitarum, & Synaxarium Græcor. apud Henſchenium; Hagiologium Copticum apud Bonjour; Chronicon Alexand. apud Sollerium; Nicephorus Calliſtus, Simeon Metaphraſtes, Rabanus Maurus, Alfridus Cantuarienſis, Ordericus Vitalis, Notkerus &c. Quod argumentum late perſequuntur Abrahamus Echellenſis in Vindic. Eutychii; Renaudotius Liturg. Orient. tom. 1. in appènd. ad Liturg. Alexand. in diſſert. de Patriarch. Alex. n. 20, & ſeqq.; Sollerius cap. 1; Mazochius loco indic.; Aſsemanus &c., Pearſonius e ſecta Anglorum Epiſcopalium in Vindic. S. Ignatii par. 1. cap. ult., aliique plures. Contra pugnant Dallæus, Stillingfleetus, & Seldenus, atque ab Eccleſia Alexandrina Eccleſiaſticam Hierarchiam ad eliminandam, evellendamque ad unum Eutychium Alexandrinum Græcanico ſchiſmate implicitum hominem, Scriptoremque mendaciſſimum ſæculi X. confugiunt, in ejuſque auctoritate vim omnem collocant. Nempe referente Eutychio a S. Marco conſtitutum morem, ut a duodecim, & ex duodecim eiſdem Presbyteris eligeretur Patriarcha, perduraſse uſque ad Alexandrum Patriarcham, qui Concilii Nicæni contra Arium pars magna fuit, a quo primum fuerit ſancitum, ut Patriarcha deinceps ab Epiſcopis ordinaretur: ante ipſum vero, qui hac in ſerie eſt 19, Demetrium

trium Patriarcham, a quo in Tabulis Patriarch. Alexand. poſt S.Marcum locus 12. occupatur,retentuſque legitur annis 43, hoc eſt ab anno 189. ad 231,primum fuiſſe,qui inÆgypto tres Epiſcopos creaverit : itaque a S. Marco, inquiunt, ad Demetrium nonniſi unus Epiſcopus univerſam Ægypti Eccleſiam adminiſtrabat, nec ullus alter a Marco inſtitutus debet æſtimari; nec is imo Presbyterorum, e quibus, & a quibus deligebatur, gradu, dignitate, poteſtateque ſuperior erat.

Atqui Eutychium multis undique ſcatere erroribus, adeoque ut pleraque multa tum abs vero procul poſita, tum pleraque ſecum pugnantia ſcripturiverit a præcit. viris doctiſſimis abunde eſt demonſtratum. Inter quæ illud, quod S. Marcus Claudii anno 9, ideſt Chriſti 49. Alexandriam venerit, ac Neronis 1, quem mendacio altero Claudii filium facit, fuerit interfectus, hoc eſt Chriſti 54: dum interea tamen demoratum in Ægypto annis 7. ait, qui a 9. Claudii ad 1. Neronis ſunt 5. dumtaxat: ac deſuper a S. Marco Romæ ſub Nerone deſcriptum Evangelium antea non dubitavit aſſerere. Illud, quod S. Petri Martyrium anno a Chriſti nece 22. illigavit, annorum circiter 23. inſigni anachroniſmo. Illud, quod Origenem tempore Synodi V. floruiſſe, Juſtinianoque ſupparem fecit; eidemque coævos, ac itineris comites, quum a Juſtiniano Conſtantinopolim evocatum finxit, Ibam, Theodoretum, ac Theodorum Mopſveſtenum adjunxit. Illud, quod a Demetrio Alex. epiſtolas exaratas ad Gabium Hieroſol., Maximum Antioch., & Victorem Papam de computo Paſchali, & jejuniis Chriſtianis commentus eſt: Gabium deinde affirmans ſub Aurelio Imp. floruiſſe, quo tempore Antiochenæ Eccleſiæ præerat Julianus, & Romanæ Eleutherus: Narciſſo vero Hieroſol. de celebrando Paſchate litteras dedit S. Victor. Illud, quod Achillam e Sede Alexandrina dejectum ab Alexandro prodidit, ideo quod Arium ſuſcepiſſet, quum Achillam jam alioquin antea demortuum ipſemet referat. Mitto pleraque alia; quæ ſubleſta fide ſua, facileque de induſtria Seldenus adauxit, quæque elevata, profligataque ſunt funditus ab Echellenſi, Renaudotio, Sollerio &c. Cæterum in Ægypto fuiſſe Epiſcopos ſub S. Dionyſio liquet ex ipſius litteris, quibus ſeptem commemorat,

morat, apud Euſebium hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap. 42, & lib. 7. capp. 21, 24, & 26; qui lib. 8. cap. 9. plures in Ægypto poſt Dionyſium Epiſcopos Martyrio affectos refert. Sub S. Alexandro produnt Socrates lib. 1. cap. 6, & Gelaſius Cyzic. lib. 2. hiſt. Concil. Nicæni cap. 3. Concilio Alexandrino contra Arium ab eo habito Epiſcopos prope 100. interfuiſſe perhibentes: totidemque pro ſuis partibus ſtetiſſe Epiſcopos Ægypti, Libyæ & Pentapolis ſcripſit pariter S. Athanaſius in Apolog. 2. Fuere quoque in Ægypto Metropolitæ, ſeu verius, qui primo Metropoliticum jus affectarent, qualem fuiſſe Meletium Lycopolitanum, quem S. Epiphanius Archiepiſcopi nomine diſtinxit hær. 68, & 69, ut adverſus Stillingfleetum probat doctiſſ. Scheleſtratius Antiq. illuſt. tom. 2. diſſert. 5. cap. 3. art. 1. eumdem putans occaſionem præbuiſſe Can. 6. Nicæno indicendi, ut Ægypti, Libyæ, Pentapoliſque Provinciæ ſub Alexandrini Præſulis poteſtate ſubmiſſæ degerent; quod dilucide tradit Sozomenus lib. 1. cap. 24. ſcribens Meletium ideo a Concilio Nicæno condemnatum, quod quæ ad Petrum Alex. pertinebant, Ordinationes uſurpare præſumpſiſſet: quarum Ordinationum plane jus integrum penes unum Patriarcham Alexandrinum manſiſſe uſque ad ſæculum IV. teſtis eſt locuples Syneſius Ptolemaidis in Pentapoli Epiſcopus in epiſt. 66, 67, & 105. Sub Theodoſio Juniore denique in Ægypto decem Metropolitæ dinumerati leguntur in epiſt. ad Dioſcorum Alex., qua ipſum cum decem illis Metropolitis ad Epheſinam Synodum evocabat, apud Harduinum tom. 2. Concil. pag. 71, quos tamen Alexandrino omnino fuiſſe obnoxios certo certius eſt. Itaque antiqui privilegii vi a S. Petro transfuſi in S. Marcum Patriarchæ Alexandrino, quæ a Romana Eccleſia quondam acceperat, integra manſerunt jura, quoaduſque ipſamet Eccleſia Alexandrina ſub Romanæ fide, obedientiaque, ut oportebat, devota, ſubmiſſaque permanſit: quoaduſque tempus videlicet Concilii Chalcedonenſis, ex quo duos in Patriarchas, alterum, qui orthodoxorum partes ſuſtinere non deſiit, alterumque, qui heterodoxis præfici cœpit, miſerum in modum diſſecta eſt. Porro qui orthodoxis præerat, ab hæreticis Melchitarum Patriarcha denominari perinde conſuevit a voce *Melck* Arabica, Latine *Regem*

ſignificante, ideo quod Marciani Imp. edicto in favorem Concilii Chalced. morem geſſiſſent. Ab orthodoxis e converſo, qui hæreticis Eutychianis, deinde Jacobitis dictis, præficiebatur, horum de nomine appellatur, quod poſtea in duos cum poteſtate diſtributum eſt, in eum qui Jacobitis Ægyptiis in Ægypto degentibus præpoſitus erat, ac in eum, qui Jacobitis Æthiopibus Africæ, ſeu Abyſſinis præeſſe cœpit, denominatus etiam Patriarcha Coptorum, vel ab Urbe Copto in ſuperiori Ægypto, vel a voce κοπτω Græce *Circumciſor* ſignificante; ideo quod Ægyptii, poſtquam Circumciſionis ritum amplexi fuerant, a Græcis ea contemptus voce *Copti* dici cœperint: quam vocem poſtea honori magno habentes Muhamedani uſurparunt. Uſurpata ea utique cum nomine poteſtas erat a Patriarchis cum Ægyptiis, tum Coptis, donec eorumdem Patriarchis Romanæ Eccleſiæ fidem, obedientiamque profeſſis, cum dignitate juriſdictio confirmata fuit, atque quidem Patriarchæ Ægyptiorum ab Eugenio IV. an. 1441, & Clemente VIII. anno 1595; Patriarchæ quoque Coptorum, ſive Æthiopum ab eodem Eugenio IV, & Clemente VII. anno 1524, ſicuti loco inſinuatum eſt ſuo: atque de Patriarcha Alex. hactenus, de quo ſi placet, confer adhuc Pagium ad annum 445. n. 5, Renaudotium Liturg.Orient.tom.1. in diſſert. de Patriarch.Alex., & Sollerium in hiſt. Chronolog. Patriarch. Alex. cap.4, & ſeqq., & in append. §. 1, & ſeqq.

Neque conſtans minus, & inconcuſſa veritas eſt Antiochenam Cathedram erectam primum fuiſſe, occupatamque a S. Petro, a quo proinde in Antiochenos Præſules fuerint Patriarchalia jura transfuſa; adeoque ut abſque inſigni temeritatis nota negari, inficiarique nequeat innumeris, ut ait Baronius ad annum 39. n. 8, & ſeqq., innixa teſtibus traditio. Ex quibus, illuſtriores ut indicem, ex S. Petri ſeſſione Antiochenæ Eccleſiæ Apoſtolicæ nomen, ac Patriarchalis rem adhæſiſſe produnt Origenes hom. 6. in S. Lucam; Euſebius in Chron. ad annum 38, qui locus deſideratur tamen in Codicibus nonnullis Mſs., habetur vero ad annum 44, neque deſiderari in ullo alio Codice animadvertit Arnaldus Pontacus in Notis, item hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 36; Orientales Epiſcopi in epiſt. 13. Synodica ad S. Damaſum apud

Cou-

Coutantium pag. 558; S. Jo: Chryſoſtomus hom. 42. in S. Ignatium; S. Innocentius I. in epiſt. 23. ad Bonifacium Presbyterum, & 24. ad Alexandrum Antioch. edit. Cout.; Rufinus lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 35; S. Hieronymus de Scriptor. Eccleſ. cap. 1, & in epiſt. ad Galat. cap. 2; S. Fulgentius lib. 1. de Trinit.; Theodoretus in epiſt. 14. ad Flavianum; S. Leo M. in epiſt. 94. ad Maximum par. 2. edit. Cacciari, & ſerm. in Nat. SS. Apoſtol. Petri, & Pauli; Maximus Antioch. in Concilio Chalced. act. 7; S. Felix. III. in epiſt. 5. ad Zenonem Imper. edit. Harduini; S. Gelaſius in decreto de Script. Apocryph.; S. Gregorius M. lib. 6. epiſt. 37. ad Eulogium Alexand.; S. Nicolaus I. in epiſt. 8. ad Michaelem Imp.; Hadrianus II. in epiſt. 32. ad Synod. Duziac.; Paſchalis II. in epiſt. 20. ad Bernardum Antioch. apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1789; Anaſtaſius in S. Petro; Auctor Chronici Alex., ſive Conſtantinopolit., ſive Paſchalis; Jo: Malalas in Chronograph. pag. 311. edit. Lond. id aſtruens auctoritate Clementis Alex., & Tatiani; Nilus Doxopatrius apud Scheleſtratium tom. 2. pag. 722; quorum fidem confirmant Sacramentaria apud V. Cardin. Thomaſſium; Catalogi Vatic. apud Blanchinium; Catalogi depoſitionis Martyr. apud Bucherium; Martyrologia apud Florentinium, & Sollerium; Kalendarium Polomei Silvii anno 403. conſcriptum apud Pinium Theſauri Eccleſ. Antiq. tom. 3. pag. 157, & ſeqq.; Kalendarium Augienſe ex Bibl. Vindob., & alterum ex Mſs. Cod. Canon. 5. S. Floridi Civit. Caſtelli apud Sebaſtianum Donati in append. ad Diptycha vet.; quamve in rem perinde adiri poterunt Baronius ad annum 37. n. 8, & ſeqq.; Petavius doctr. temp. lib. 9. capp. 13, & 14; Henſchenius exerc. 4. ad Chronolog. Pontif.; Sommier hiſt. dogm. Sedis Apoſt. pag. 48, & ſeqq.; Fogginius exercit. 9. de itin. S. Petri; Bollandus ad diem 22. Febr.; Bencinus, Ciacconius, & Blanchinius in Not. ad Catalog. Anaſtaſii tom. 2. pag. 5, & ſeqq.; Sandinus hiſt. Apoſt. in D. Petro; Cennius in differt. de Rom. Cathedra S. Petri tom. 4. Anaſtaſii pag. 150, & ſeqq., aliique innumeri, quibus ſe adjunxit ipſemet Franciſcus Bruys *Hiſtoire des Papes* tom. 1. pag. 6. Itaque conſtantem adeo traditionem tot veterum teſtimoniis comprobatam non erat cur Tillemontius tom. 1. Monum. Eccleſ. nota 25. in S. Petrum vellicaret, occaſionemque præberet Heterodoxo

Batavo audacius in eamdem insurgendi : at uterque dignis vapulat a doctiss. Boschio in tract. hist. Chronolog. de Patriarchis Antioch. in S. Petro n. 2, & 3.

Quam vero certum est, & confessum S. Petrum tenuisse, & constituisse Antiochenam Cathedram, tam incertum, difficileque est definire, quo anno tenere cœperit, & constituerit, quotve annis tenuerit, & occupaverit. Veri mihi videtur similior, quam ex Catalogis Rom. Pontif., ex Picturis Basilicæ S. Pauli, ex Chronicis Eusebii, S. Hieronymi, & Prosperi, & ex Sacramentario Veronensi, sive istud S. Leoni M., sive S. Gelasio tribuendum sit, deducunt viri doctiss. adversus Baluzium, Papebrochium, Ludovicum Du Four, & Pagium utrumque disputantes Scheleſtratius Antiq. illust. tom. 1. dissert. 1. cap. 5; Henschenius in exercit. 4. ad Chronolog. Pontif., in diatriba prælim. ad tom. 1. April., & ad diem 29. Junii; Blanchinius in Not. Chronolog. ad S. Petrum tom. 2. Anast. pag. 8, & 9; Boschius loco indic.; Cennius in disput. de Rom. Cathed. pag. 152, Petrus Moretti in Parergo ad enarrat. de Ritu dandi Presbyterium; Acamius in dissert. apolog. de Antiq. Sacrament. Veronen., aliique, qui nempe ab anno 40. Christi die 25. Aprilis, quo Romæ a S. Petro constitutam Sedem, retentamque ad annum 65, aut 66. plusquam probabilissime statuunt, calculo retroducto conficiunt anno 33. constitutam Antiochiæ Cathedram a S. Petro fuisse, occupatamque annis omnino 7. Cujusmodi sane Chronologiæ valdequam congruunt SS. Jo: Chrysostomus, Innocentius I, Gregorius M., Nicolaus I, & Hieronymus locis superius laudatis; Chronicon Alexand., sive Paschale; Chronica Eusebii, & Nicephori; Catalogi Anastasiani editi, & Mss. Mazarinus apud Henschenium, Palatinus apud Papebrochium, Reginæ Sueciæ apud Scheleſtratium tom. 2. in append., Vaticanus apud eumdem tom. 1. antiq. dissert. 1. cap. 5, Colbertinus 7. apud Pagium in Crit. tom. 1; Latini omnes, ut ait Baronius ad annum 39. n. 19; Chronicon Farfense apud Blanchinium tom. 2. Anast. pag. 115; Chronicon Theodorici Pauli anno 1480. apud Boschium n. 17, aliaque pleraque monumenta, quæ persequi omnia non præstat. Post se, sive potius sui loci, antequam Romam S. Petrus contenderet, Antiochenæ Ecclesiæ Evodium præfeciſſe, eidem suas demandasse vices, ideoque Patriar-

triarchalem jurisdictionem contuliſſe traditur ab Euſebio hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 22, a S. Hieronymo de ſcript. Eccleſ. cap. 16, & in Catalogis Patriarch. Antioch. apud Syncellum, Nicephorum, aliosque apud Fabricium Bibliot. Græcæ tom. 14. pag. 38; Boſchium in hiſt. Chronolog. Patriarch. Antioch. tom. 4. Julii, & tom. 3. Theſau. antiq. Eccleſ.; & Lequiennium tom. 2. Orient. Chriſt.; multiſque id comprobant Baronius ad an. 45; Tillemontius in Not. ad S. Ignatium; Cotelerius in lib. 7. Conſtit. Apoſtol. cap. 46; Bollandus tom. 1. Febr. in Comment. prævio ad S. Ignatium, Boſchius, Fleurius, Natalis &c. Neque officit, quod S. Chryſoſtomus in hom. 42. de S. Ignatio; Theodoretus in Dialogo inſcripto *Immutabilis*, & S. Felix III. in epiſt. 5. ad Zenonem Imp., (quibus Tillemontius not. 1. adjungit Origenem hom. 6. in S. Lucam, S. Athanaſium, Johannem Antioch. in Synodica, & S. Maximum Abbatem, ſed perperam, ut oſtendit Boſchius, ſiquidem S. Petro ſucceſſiſſe S. Ignatium ajentes Evodium tamen interceſſiſſe non negant), S. Petri in Eccleſia Antiochena ſucceſſorem S. Ignatium, ab eodemque ordinatum Epiſcopum tradant: nam id intelligi ita poteſt, ſicut interpretantur Baronius, Halloixius, Natalis, Hammondus &c., conjectura ducta ex Auctore lib. 7. Conſtit. Apoſt. cap. 46. haud indubiæ ſane fidei referente Antiochenæ Eccleſiæ a S. Petro Evodium, & a S. Paulo Ignatium præfectos fuiſſe, quod ambo ſimul Epiſcopi fuerint ordinati: quod factum ex eo augurantur, quatenus Antiochiæ contentione exorta inter fideles, qui ex circumciſione, eoſque, qui ex Gentibus fidei Chriſtianæ nomen dederant, huic diſſidio componendo temporaneum hoc remedium fuerit adhibitum, ut ambo eidem Antiochenæ Eccleſiæ adminiſtrandæ incumberent, ita tamen, ut eorum unus fidelibus, qui ex gentibus Eccleſiæ aggregati fuerant, alter iis, qui ex circumciſione advenerant, eo nomine præeſſet: quoadusque demum ſublato diſſidio, unus dumtaxat ex tunc Eccleſiaſticæ rei ſummam teneret, qui nempe prior fuerat ordinatus, quem S. Evodium affirmant, cui fatis functo tum alter ſuccederet, atque ita Evodio ſucceſſiſſe S. Ignatium ſubjungunt: vel ita accipi id etiam poteſt, veluti probabile viſum eſt Tillemontio, & Cotelerio, quod demortuo jam Evodio, quem pridem S. Petrus ordinavetat,

verat, fuerit ab ipſomet, antequam Romam Antiochia tranſiret, ſuffectus S. Ignatius: dici etiam commode poteſt vel cum Henſchenio a S. Petro Antiochenum Præſulem deſignatum fuiſſe S. Ignatium poſt S. Evodium, ſive deſtinatum ita tamen, ut Evodio in vivis agente Eccleſiam haud adminiſtraret pari cum Evodio auctoritate: vel forte veriſimilius cum Boſchio a S. Petro utrumque ordinatum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe, id tum Eccleſiarum neceſſitate exigente, ne Paſtoribus deſtitutas tam arduis temporibus vacare Eccleſias contingeret, ita tamen, ut Evodio utique ſuccederet e veſtigio S. Ignatius, non autem ut ambo ſimul eamdem adminiſtrarent Eccleſiam.

Jam quod ad juriſdictionem Patriarchæ Antiocheni pertinet, tandiu eadem, quæ ampliſſima profecto in omnes ferme Provincias Aſiæ protendebatur uſque ad ultimos Orientis terminos, (tribus Palæſtinæ exceptis Provinciis, quæ cum Arabia deinde Patriarchæ Hieroſolymitano ſunt adſcriptæ), ſarta, & tecta manſit, non ſecus atque legitima Patriarcharum ſucceſſio, quandiu Eccleſia Antiochena, fide, ac religione Eccleſiæ Romanæ, e qua juriſdictio omnis in ipſam fuerat derivata, permanſit obnoxia. At ubi ſemel conflato ſchimate, aut hæreſi inducta obedientiæ Romanæ Eccleſiæ debitæ deeſſe, ac ab ejus doctrina abalienari cœpit, tum pariter actutum priſtinis juribus aut imminuta valde quam eſt, aut tandem omnino excidit, iiſdem fruſtatim in Syros, Chaldæos, Neſtorianos, Jacobitas, ac Latinos tandem translatis. Itaque, ut nihil interea retexam nunc de diro, ſævoque ſchiſmate, quo Antiochenæ Eccleſiæ adminiſtratio anno 362. in tres Patriarchas diſtracta fuit, Arianum unum, ac duos alios Orthodoxos, de quo alibi dictum abunde eſt, ex quo in Oriente difficilia incidere, & ſuccedere cœperunt tempora, diverſis ſuborientibus in dies ſchiſmatibus, aliiſque nedum ſuppreſſis aliis ſupervenientibus hæreticorum ſectis, tum demum in diverſas, adverſaſque partes diſcindi Eccleſias, Provinciaſque uni Antiocheno Patriarchæ antea ſubjectas, juriſdictionemque Patriarchalem in diverſos pleroſque diſtrahi perinde contigit. Principio ſiquidem Neſtorii hæreſis, etſi in Synodo Epheſina confoſſa, complures nihiloſecius in Patriarchatu Antiocheno ſectatores nacta quum fuiſſet

ſet, ac in Meſopotamia quammaxime, adeo ut Edeſſæ a Neſtorianis Schola erecta fuerit, (quamquam jampridem Edeſſæ Perſarum Chriſtianorum Scholam extitiſſe, in quam poſtea Neſtorii errores irrepſerint, videtur indicare Theodorus Lector lib. 2, eamdem nuncupans mox Διδασκαλείον Χριστιανικον, *Scholam Chriſtianorum*, mox των Περσων Διατριβήν, *Perſarum Diatriben*, de quibus conſulesis doctiſs. Auliſium de Scholis Chriſt. lib. 2. cap. 5.), quumque Zeno Imper., uti legere eſt apud Cl. Aſſemanum tom. 1. Bibl. Orient., everſa Schola Edeſſena, Neſtorianos e Meſopotamia univerſa exules abire compuliſſet, Neſtoriani, qui jam ab initio ſchiſmatis, a Patriarcha Antiocheno ſeceſſione facta, tum in Syria, tum in Meſopotamia Eccleſias qua veteres invaſerant, qua novas inſtituerant, Metropolitis ibidem conſtitutis, ac *Catholici* nomine nuncupatis, Neſtoriani, inquam, alió commeare coacti, in Perſidem primo confugientes, exindeque longe, lateque in Tartariam, Indiam, Malabariam quammaxime, Sinaſque effundentes ſe ſe, primum in Perſide, ubi Epiſcopales Cathedras a Perſarum Regibus obtinuerant, Patriarcham conſtituerunt, ejuſdem Sede Seleuciæ, ſive Modainæ, ſive Cteſiphonte, Aſſyriorum Urbibus, defixa: ubi Synodos nonnullas habuerunt, atque hinc Chaldæi, aut Chriſtiani Orientales denominari exambiverunt: donec ab Arabibus Modaina, ſeu veteri Seleucia, & Cteſiphonte ſolo exæquatis, a Neſtorianis Sedes Patriarchalis Durbetam, vulgariter Moſulim, Urbem conſitam in Occidentali Tigris ripa, cui in Orientali opponitur vetus Ninives, nunc Tagrid, translata eſt. Ex quo vero Neſtorianorum in Perſide, & Meſopotamia degentium ingens numerus ad ſacra noſtra tranſivit, uti refert Andreas Maſius, a Julio III. P. M. peculiarem ſibi Patriarcham Johannem Sulakam, virum germane orthodoxum, præfici impetravit. Itaque tum primum jura Patriarchalia, quæ hactenus illegitime uſurparant, ac impoſterum legitime obtinere ipſis per Romanum Pontificem licuit. Exinde factum, ut in duos Patriarchas Chriſtianorum Orientalium, ſive Chaldæorum Eccleſia diſcinderetur, in eum, qui Catholicis præfici occepit, a quo amplificata Eccleſia, noviſque Epiſcopatibus adaucta, Amidæ, vulgo Caramit, ſive Diarbekir Cathedra defixa

fixa eſt, donec eamdem, ob motam in ſe a Patriarcha Babylonio perſequutionem, Athalla, & Simeon Denha transferre in Urbem Ormi in finibus Perſidis, & Armeniæ ſunt adacti; & in eum, qui Patriarchæ nomine ſacras Neſtorianorum res procurare non deſtitit, qui deinceps, Heliæ nomine aſſumpto, Bagdadi, ſive Babylone conſtitit, ac deinde in Monaſterium S. Hermetis prope Durbetam commigravit. Poſtquam vero Helias Patriarcha Babylonius fidei profeſſione conſcripta Romanæ Eccleſiæ conſociatus eſt, a Paulo V. dignitatem cum juriſdictione ſibi confirmari facile impetravit: exindeque factum, ut Chaldæis Patriarchæ nomine alter legitime præſideret: utramque vero dignitatem, ſeu verius eamdem in duos diſpertitam, acceptam evaſiſſe perinde V. Innocentio XI, Innocentio XII, & Clementi XI. pluribus tradunt Heliotus in hiſt. Ordin. Relig. tom. 1., Aſſemanus in Bibl. Orient. tom. 3., Raynaldus ad an. 1616, & Lequiennius Orient. Chriſt. tom. 2., ſuſeque perſequutus ego ſum paullo ſuperius in proleg. pag. 37, & ſeqq.

Ad hæc in eadem Antiochena Eccleſia, non ſecus atque in Alexandrina, ut jam innui, ex Dioſcori damnatione in Concilio Chalcedonenſi peracta exorto ſchiſmate Catholicos inter, & Eutychianos, qui ſubinde a Jacobo Syro Jacobitæ Syri denominari cœperunt, ad diſcrimen Jacobitarum Ægyptiorum, ſive Æthiopum, qui Patriarchæ Alexandrino parebant, Jacobitæ Syri, inquam, proprium ſibi Patriarcham, primumque ipſum Jacobum dictum etiam Baradeum, ac Zanzalum, adlegerunt: a quo Edeſſæ primum Cathedra eſt conſtituta, exindeque ſæculo X. translata mox Amidam, mox Aleppum, ac demum ſæculo XII. Mardin in Monaſterium Sapharenſe, ſive S. Ananiæ. Poſtquam vero, divinæ gratiæ lumine affulgente, Jacobitarum Patriarchæ ad Romanæ Eccleſiæ fidem regreſſi ſunt, atque Gregorio IX, Innocentio IV, Eugenio IV, Sixto IV, Julio III, Pio IV., Gregorio XIII. &c. reconciliati ſacramenti religione ſunt, legitime deinceps loci retinendi, dignitatiſque exercendæ, qua hactenus defuncti illegitime fuerant, facta eiſdem facultas eſt; ſicuti abunde ſuperius in proleg. demonſtratum abs me puto pag. 43, & ſeqq. Præterea Maronitæ, quos fidei Chriſtianæ nomen dediſſe circa ſæculi V. dimi-

dimidium indubium evadit ex Actis S. Simeonis Stylitæ a Coſma Sacerdote Syro auctore coævo diligenter collectis, regeſtiſque a doctiſſ. Aſſemano tom. 1. Bibl. Orient., Maronitæ, inquam, Montis Libani incolæ Concilio Chalcedonenſi addictiſſimi, atque a Neſtorianis, & Jacobitis ſummopere abhorrentes, ab eodem tempore, Concilii nempe Chalcedonenſis, peculiarem ſibi præpoſuerunt, alteri nulli ſubmiſſum, Epiſcopum, cui perinde lapſu temporis Patriarchæ quoque nomen adhæſit. Apud Aſſemanum pag. 502, & ſeq. primus, qui Patriarchæ nomine Maronitis præfuerit, fertur Johannes Maro poſt Theophanem Macarii Antiocheni ſucceſſorem circa annum 700. præfectus: qui etſi Patriarchæ Antiocheni nomen aſſumpſerit, non ita tamen, ut hoc ipſo nomine, reque Antiochenæ Eccleſiæ præfuerit, fueritque concordi ſuffraganeorum Epiſcoporum in Synodo ſuffragio præfectus, veluti affirmavit Stephanus Edenenſis, ſed ut ſolis Maronitis, a quibus electus fuerat, ut idem Aſſemanus ibidem adnotat, præpoſitus fuerit. Porro ab iſto Johanne Marone Maronitarum nomenclaturam derivaſſe cenſet doctiſſ. Pater Le Brun Liturg. tom. 2. diſſert. 9. art. 2. Veri tamen videtur ſimilior conjectura Morini, Thomaſſini, Ricardi Simonii in Not. ad Gabrielem Philadelph., aliorumque, de quibus actum pag. 47, & ſeqq., exiſtimantium hoc Maronitis nomen ex S. Marone adhæſiſſe. Certo autem certius ex adnotatis pag. 51, & ſeqq. evadit Patriarchalem Maronitarum dignitatem probatam demum, acceptamque fuiſſe Romanis Pontificibus, nominatimque Paſchali II, Gelaſio II, Innocentio II, Innocentio III, Alexandro IV, Urbano V, Eugenio IV, Nicolao V, Calliſto III, Paulo II, Alexandro VI, Leoni X, Clementi VII, Paulo III, Paulo IV, Pio IV, Gregorio XIII, Clementi VIII, Paulo V, Urbano VIII, Innocentio X, Alexandro VII, Clementi X, Clementi XI, & BENEDICTO XIV. Patet igitur apertiſſime Patriarchalem Antiochenæ Eccleſiæ dignitatem, juriſdictionemque a Romanis Pontificibus frequens in plures fuiſſe diſpertitam, amplificatam, confirmatamque, eoſdemque in totum, qua longe patet, lateque, Patriarchatum Antiochenum poteſtate ampliſſima potitos novos inſtituendi Patriarchas, pridemque inſtitutos confirmandi.

Ex quinque Diœceſibus Præfecto Prætorio Orientis obnoxiis, tres omnino Aſiæ, Ponti, & Thraciæ in Eccleſiaſtica diſpoſitione pridem Autocephalæ evaſerant, quibus Præfecti Antiſtites Exarchorum nomine audiebant, nempe Epheſinus in Aſiana, ſub quo Provinciæ 10, Cæſareenſis in Pontica, infra quem pariter 10. Provinciæ, & Heracleenſis in Thracica, cui Provinciæ 6. parebant. Atqui brevis admodum obtinuit trium horum Exarchorum ſuprema in Diœceſes obnoxias auctoritas: ſiquidem tres deinde illæ Diœceſes Epiſcopo Conſtantinopolitano adjudicatæ ſunt iccirco, ut ex iis quarta conflaretur, videlicet Conſtantinopolitana, Patriarchalis dignitas, quæ Eccleſia prius Exarcho Heracleenſi ſubjecta erat, utpote in Diœceſi Thracica comprehenſa: quæ imo Eccleſia brevi, ideſt anno 381. in Concilio Conſtantinopolitano I. Can. 3, & Chalcedonenſi anno 451. Can. 28. ad ſecundum poſt Romanam honoris gradum ſupra Alexandrinam, & Antiochenam erecta eſt. Nihilotamen minus quandiu huicce novo honori, novæque juriſdictioni Epiſcopi Conſtantinopolitani, etſi a duobus Oecumenicis Conciliis adſertæ, Romani Pontifices interceſſere, ab Eccleſia Latina dignitas illa, ac juriſdictio nullo loco, nihilique habita eſt; ac tunc tantummodo ratihabita evaſit, quum demum Romani Pontificis acceſſit aſſenſio. Verum altius de his repetenda diſputatio eſt, primaque Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ origo diſpicienda. Sequioris ævi Schiſmatici Græci eo iniquo conſilio, ut Conſtantinopolitanam Eccleſiam Romana antiquiorem oſtentarent, ac Romanæ imo anteferendi occaſionem arriperent, Byzantinorum Epiſcoporum ſeriem ex impoſtore quodam, nulliuſque fidei, qui Dorothei Epiſcopi Tyri, & Martyris aſſumpta larva ſynopſim edidit de vita, & morte Prophet., Apoſtol., & Diſcipul. Chriſti, retexere Græca fide non abſtinuerunt, in qua primus Byzantinæ Eccleſiæ fundator, & Epiſcopus primo loco recenſetur S. Andreas Apoſtolus, ut nempe ab Apoſtolo iſto inſtitutam, ideoque inter Apoſtolicas habendam Conſtantinopolitanam Eccleſiam ſuadeant, & evincant. At veritati etſi inniterentur iſta, Byzantinam equidem Eccleſiam Apoſtolicis adcenſendam conſequeretur, at non propterea, ut ſuperius dicebam, Patriarchalem evaſiſſe: ut enim Apoſtolica eſſet,

eſset, S. Andreas poterat efficere, unum vero penes S. Petrum integra manente principali, qua defungebatur, poteſtate Eccleſias ad Patriarchalem dignitatem efferendi. Ex Impoſtore iſto, quem Procopium quemdam Presbyterum circa annum Chriſti 545. duobus circiter poſt Dorotheum ſæculis iſtiuſmodi figlina incautis propinantem viri plerique Eruditi ſubodorati ſunt, eamdem fabellam hauſerunt, ac bona fide quidam, veluti S. Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolit. in Chronographia, quæ ad calcem Chronog. Georgii Syncelli Græco-Latine Pariſiis edita anno 1652. extat, ex induſtria potius alii venditarunt, in quibus Nicephorus Calliſtus in Catalogo Patriarch. Conſtantinopolit. apud Bandurium tom. 1. Imperii Orient. pag. 10, & lib. 8. Antiq. Conſtantinopolit. a pag. 191; Auctor Catalogi Græco-Latini, qui proſtat ad finem lib. 4. tom. 1. Juris-Græco-Romani a pag. 296. edit. Francof. 1596; Matthæus Cigala, & Philippus Cyprius Scriptores medii Sæculi XVII, quem poſtremum Græce & Latine edidit Nicolaus Blancardus, in Catalogis, de quibus agit præcit. Bandurus eodem tom. 1; Auctores Catalogorum duorum Græcorum apud Labbæum in Apparatu hiſt. Byzant. a pag. 35; Scriptor Chronici Alexandrini, ſive Paſchalis, qui exiſtimatur Gregorius Piſides, a Du-Cangio Græco-Latine anno 1680. Pariſiis evulgati, notiſque egregiis illuſtrati, aliique paſſim ſubleſtæ fidei Græci Scriptores, poſt quos abivit inconſiderate Ambroſius Gardeboſchius in Synopſi hiſt. Eccleſ. tom. 1. lib. 2. diſſert. 2. q. 1.

Excerptum iſtud pſeudo-Dorothei ex duobus Mſs. Græcis Bibliot. Bodlejanæ Henricus Dodvvellus deſcripſit, Latine vertit Guillelmus Cavæus in hiſt. Litter., & cum Chronico Paſchali edidit etiam Du-Cangius. Mendaciſſimo vero huic impoſtori larvam detraxerunt, impoſturamque putidiſſimam omnibus planam fecerunt iidem Cavæus, Bandurus, & Du-Cangius, ac deinde Guillelmus Cuperus in diſſert. prævia ad hiſtor. Chronolog. Patriarch. Conſtantinopolit. §§. 2, & 3, ac Michael Lequiennius Orient. Chriſt. tom. 1. cap. 6. uſque ad 13. Totius impoſturæ originem ex ipſo fragmento eruit ipſemet Cavæus pag. 88, & ſeq., quæ non alia ipſi viſa eſt, quam Πολυφυλλαιον illa Roma-

nam inter, & Conſtantinopolitanam Eccleſiam de πρωτοκαθεδρία æmulatio, & contentio, ſeu verius ambitionis æſtus, quo flagrare Græci cœperunt de pari, aut ſuperiori imo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ dignitate. Manifeſtæ vero impoſturæ ſpecimen produnt fictæ, fabuloſæque narrationes, ac putidi, patenteſque anachroniſmi, quibus ὑπόθεσις opus ubique ſcatet: in quibus mendacium de Zeuxippo Tyranno tum Byzantino, de quo Baronius ad annum 44. n. 31. ſub Claudio Provinciam Thraciæ a Præſide ſumma pace adminiſtratam oſtendens: de Argyropoli ſuburbio, quod ex Socrate lib. 7. cap. 25. ab Attico Conſtantinopolit. tum demum ſæculo V. denominatum oſtendit Cuperus: de Oneſimo Conſtantinopolit. 3. Epiſcopo, quem fuiſſe Epheſinum declarat Euſebius lib. 3. cap. 36: parachroniſmus de Eccleſia S. Euphemiæ a Conſtantino M. Imperii anno 1. Conſtantinopoli extructa, qui tum in Occidente contra hoſtes Imperii bello implicitus erat: de perſecutione Licinii, & Diocletiani, quas in unam confundit: de Caro, ejuſque filiis, quibus poſt Diocletianum ordine prorſus præpoſtero Imperium affingit: pugna tum ſecummet, tum cum Scriptoribus aliis Græcis majoris fidei in effingendis poſt S. Andream Epiſcopis 21. Byzantinis ante Metrophanem, quem primum Eccleſiæ Byzantinæ fuiſſe Epiſcopum præfectum veriſimilius putat Cuperus. Accedunt ad hæc cum Euſebii lib. 1. hiſt. Eccl. cap. 1. in præfat. expreſſum SS. Apoſtolorum Succeſſores deſcribere ſe profitentis altum de S. Andrea primo Byzantino Epiſcopo ſilentium, de quo confer Henſchenium ad diem 4. Junii; ſilentium S. Gregorii Nazian. in Orat. 25, ubi alte de hoc S. Andreæ Epiſcopatu tacet, de quo alioqui loquendi tum ei quammaxime opportunitas arridebat; ſilentium denique Synodi Conſtantinopolitanæ I, quæ Conſtantinopolitano Præſuli ſecundum poſt Romanum honoris gradum conferendi occaſionem arripuit, non equidem a S. Andrea tanquam primo inſtitutore, Præſuleque, ſed ab una Regiæ Urbis præſtantia: expreſſa præterea Romanorum Pontificum teſtimonia, de quibus paullo poſt, ex quibus pſeudo-Dorothei figmentum concidere prorſus, ac labaſcere concludit, definitque doctiſs. Lequiennius.

In alteram ingrediuntur alii opinionem, quibus præivit

Emin-

Emin. Baronius ad annum 44. n. 12, poſtque ſequutus eſt Claudius Sommier hiſt. dogm. S.Sedis pag. 48, & ſeqq., quem regerere non piguit doctiſs. Blanchinium in Not. ad Anaſtaſium Bibl. tom. 2. pag. 22, nempe primum Byzantii Epiſcopum a S. Petro fuiſse conſtitutum. Hanc opinionem eruere ſe putant ex epiſtola S. Agapeti Papæ Conſtantinopoli ſcripta ad Petrum Hieroſolym. de depoſitione Anthimi, & ſubrogatione Mennæ, ac perlecta in Synodo Conſtantinopolit. ſub Menna act. 1, in qua hæc obſervatu digna indicant: *A temporibus Petri Apoſtoli nullum alium unquam Orientalis Eccleſia ſuſcepit Epiſcopum manibus noſtræ Sedis ordinatum*: præter Mennam, quem ipſe Pontifex inauguraverat. Opinioni verumtamen iſti non favet S. Agapetus, qui de Byzantina Eccleſia nominatim non loquitur, ſed de Orientali univerſim, in qua a S. Petro Epiſcopos pleroſque fuiſse conſtitutos, puta in Cappadocia, Galatia, Ponto, Aſia, Bithynia inficias nullus ibit: officit vero quammaxime S.Nicolaus I. in epiſt. ad Conſulta Bulgar. cap. 92, qua expreſse Conſtantinopolitanam Eccleſiam a quopiam Apoſtolorum inſtitutam negat: quod ipſum quinimo haud obſcure pridem ſcripſerat S. Leo M. in epiſt. 78, alias 54. ad Marcianum Imper. Conſtantinopolitanam Sedem, ajens, quæ Regia, non etiam Apoſtolica eſset, aliarum depreſſione attolli nefas fore, ideoque comprimi jubens Anatolii cupiditatem, ambitionemque. Ratum ſtat igitur, fixumque tandiu legitimo Patriarchæ jure, ad quod jam diu anhelabant efflictim, & a quo dein arrogato difficillime avelli ferebant, etſi a Conciliis tum Conſtantinopolitano I. Can. 3, tum Chalcedonenſi Can. 28. collato, Præſules Conſtantinopolitanos caruiſſe, quamdiu contradixere Romani Pontifices. Contradixere vero præ aliis S.Leo M., quamvis infimis precibus obſecratus a Patribus Chalcedonenſibus, in epiſt. 53, 54, 59, & 71. Anatolii faſtum confringens, utque confringeretur a Marciano Auguſto eidem auctorem ſe præbens. S. Simplicius in epiſt. 14. S. Felix III. in epiſt. 8. S. Gelaſius in epiſt. 13. ad imperata S. Leonis ab Anatolio, & Marciano priorem retractatam fuiſſe ſententiam perhibens. S. Hormiſdas, ut refertur in ſuggeſt. Germani Capuenſis. Pelagius II. in epiſt. 8. S. Gregorius M. lib. 4. epiſt. 18, & 36, ac lib. 6. epiſt. 31. S. Nicolaus I.

colaus I. in epiſt. 8. Hadrianus II. in epiſt. ad Imperatores apud Harduinum tom. 5. pag. 938, & ſeqq. Johannes VIII. in epiſt. 24, & 25. apud eumdem tom. 6. par. 1. pag. 20, & ſeqq. Johannes XVIII. apud Glabrum lib. 4. cap. 1, & Hugonem Flavin. in Chron. ad annum 1024. S. Leo IX. in epiſt. 1, 5, & 6. edit. Harduini cit. tom. pag. 927, & ſeqq., aliique paſſim, a quibus etſi Patriarchæ titulus in illis tolleratus, ac imo tributus ſit, non etiam Patriarchalis juriſdictio collata eſt: donec ejuſdem ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi IV. facta venia fuit. Nunquam tamen indultum, ut Provinciæ a Romano Patriarchatu abſtractæ in Patriarchæ Conſtantinopolit. jura tranſcriberentur, earumdem quinimo reſtitutionem valdequam urgere non deſiterunt Hadrianus II, Johannes VIII, & Innocentius III: non ſecus ac interceſſum eſt jugiter, veluti a Pelagio II, S. Gregorio M., Johanne XVIII, & S. Leone IX, ne unquam ambitioſo, quod vehementer arridebat, *Univerſalis* Epiſcopi nomine uterentur. Cujus occaſione liceat obiter Lectori indicare, quod eo ipſo, quo Conſtantinopolitanus Epiſcopus *Univerſalis* titulum affectare cœpit, Conſtantinopoli inſtitutum fuit, (a Mauritio Imp. id factum conjicit DuCangius), Collegium 12. Doctorum, quibus qui præerat tamquam diſcipulis, Doctor *Oecumenicus*, veluti Orbis Univerſi Magiſter, denominabatur. Ita inferre licet ex Cedreno, Zonara lib. 15, & Conſtantino Manaſſe in Chron. pag. 87, referentibus a Leone Iſauro flammis deletum cum Bibliotheca Collegium: quod ſequiori ætate inſtauratum rurſus inſinuant Continuator hiſt. Conſtantini Porphyrog., & Anſelmus Havelburg. in diſput. cum Niceta Nicomed., quem hoc doctoris *Oecumenici* titulo exornat. Sed in ſimili inſtitutione Doctorum longe Conſtantinopolit. Patriarchis Armeni præiverant, apud quos jam ſub Juſtiniani ætatem magno in honore habebantur Doctores laurea donati, eorumque nomine dicti *Vartabiet*, quorum ſucceſſu temporis adeo excrevit auctoritas, ut vel in Synodis Epiſcoporum ſententias eorumdem decreta præponderent, ac præponantur: de quibus conſulendus Galanus in Conciliat. Eccleſ. Armenæ cum Romana.

Ex quo igitur extra orbitam collatæ poteſtatis excurrere Con-

Conſtantinopolitani Patriarchæ cœperunt, præque ambitionis, quo fervebant, æſtu ad parem cum Romano Pontifice, imoque potiorem, ſi fieri poſſet, honoris, poteſtatiſque gradum adſpirare, atque nomen affectare, quod dignitatis non tam inſigne eſſet, quam ſplendidæ eorumdem ſuperbiæ, tum primum, ita ſupremo diſponente Numine, contigit, ut in plures Patriarchas Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ dignitas diſcinderetur, diſciſſioque probaretur demum Romanis Pontificibus, donec a Græcis, quemadmodum ipſorum Imperium ad Francos fuerat translatum, ita in Latinos Patriarchalis jutiſdictio transferretur. Itaque in dignitatis iſtius partem omnium primi venerunt Armeni, inter quos perinde eadem dignitas partita eſt. Equidem Armeni apud Galanum jampridem ab anno 311, quo Romam profecti Tiridates Rex, & S. Gregorius Illuminator a S. Silveſtro P. M. impetraſſe feruntur, ut idem S. Gregorius Armenis Patriarchæ nomine præeſſet, una cum poteſtate Epiſcopos ordinandi, novaſque Epiſcopales Cathedras inſtituendi, peculiarem genti ſuæ Patriarcham conceſsum affirmant: quia tamen ſua id affirmant fide, cæteroquin enim ex Eccleſiaſticæ hiſtoriæ certis monumentis conſtat Armeniam utramque, primam, ſive Magnam ultra Euphratem, & ſecundam, ſive Minorem citra eumdem fluvium ad Ponti Diœceſim olim pertinuiſſe, adeoque Cæſareenſi Exarcho fuiſſe obnoxias: conſtat quoque a Leontio Cæſareenſi Epiſcopo S. Gregorium fuiſſe ordinatum; atque a S. Baſilio Leontii ſucceſſore complures in Armenia Epiſcopos conſtitutos, uti certam faciunt fidem ejuſdem epiſtolæ 183, & 187, comprobantque Fleurius lib. 16. hiſt. Eccleſ., Tillemontius tom. 9. Monum. hiſt. Eccleſ. de S. Baſilio, ac ipſe Blondellus in lib. de Primatibus, proinde altera Patriarchatus Armeni epocha conſtituenda eſt. Hæc igitur non aliunde repetenda videtur, quam ab eo tempore, quo Armeni Monophyſitarum hæreſi infecti ſchiſmate facto ab Eccleſia ſeceſſerunt, hoc eſt ab anno 552, quo in Urbe Thevin Synodo habita illi hæreſi nomen dederunt, ſibique peculiarem conſtituerunt Æram: tum enim in proprium ſemet jus aſſerentes, ſuo pariter Metropolitæ Patriarchæ nomen indidiſſe veri ſit valde ſimile; nec conjecturæ facili aberrabit, qui demum ita factam ſuſpi-

ſuſpicetur. Atqui non hæc ſola Armenæ Eccleſiæ ſciſſio obvenit: nam poſtea dignitas eadem in duos Patriarchas diviſa eſt, in illum, qui Majori Armeniæ præerat, Sedemque in Urbe Eſchmiazin, ac ſubinde Erivani defixerat, cui obnoxios eſſe Archiepiſcopos 26, & Epiſcopos 75. ex fide accepta ab Uſcano Armeno Epiſcopo Pariſios anno 1670. profecto regerit Richardus Simonius in hiſt. Crit. de fide Nat. Orient.; atque in illum, qui Armeniæ Minori præfectus eſt, moramque trahere cœpit in Urbe Sis, infra ſe Epiſcopos 30. numerans. Præterea ab anno 500. circiter a Patriarcha Majoris Armeniæ novo ſchiſmate facto, tum Metropolita in Urbe Canſaar in Albania conſiſtens, tum Metropolita in Urbe Agthamar in Inſula Lacus Varaſpuracani commorans Patriarchæ nomen uſurparunt: quod etiam deinde aliis Conſtantinopoli, Hieroſolymis, & Cameneciæ ſacrorum apud Armenos ibidem degentes ſumma defungentibus adhæſit, uti dictum ſuperius jam eſt.

Jam vero Patriarchalis hæc dignitas in Armenos derivata, ac diſtributa, toties probata Romanis Pontificibus evaſit, quoties peracta eſt Armenæ Eccleſiæ cum Romana unio: tum enim nuſpiam adparet ab ullo Pontificum aliquando ea de dignitate Armenis ullum faceſſitum fuiſſe negotium. Cum Eccleſia Conſtantinopolitana Armenæ ſocietas jamdiu tentata inutiliter ſub Baſilio, & Manuele Comneno, tandem procurante Theoriano circa annum 1144. concluſa fuerat, teſte ipſomet Theoriano in geſtis Legationis ſuæ, & in Dialogo orthodoxi cum Catholico tom. 1. Bibliot. PP. Græco-Latinæ. Qualis autem, quove in pretio haberi potuit iſtiuſmodi cum ſchiſmaticis unio ſancita? Vera tum unio æſtimari debet cum Romana Eccleſia inita, atque ab Armenis jam ſub S. Gregorio M. inchoata, uti conjicere licet ex Rituali Armenorum Latine edito a Galano, a quo Ritus conferendi ſacros Ordines traditur ſimilis omnino Gregoriano-Romano. A S. Gregorio VII. P. M. Armenorum Patriarcha de regenda optime Eccleſia juxta Ritus in Romana receptos inſtrui poſtulaſſe legitur apud Baronium ad annum 1081. n. 73, & ſeq. Sub Eugenio III. iterum unionem inſtauratam circa annum 1150, miſſoſque ad Pontificem ab Armenis Legatos de hoc negotio tractaturos,

ros, perhibent Guillelmus Tyrius lib. 15. de bello ſacro cap. 18, & Otho Friſing. lib. 7. cap. 30. Reſtaurata rurſus ſub Innocentio III, Honorio III, Gregorio IX, Bonifacio VIII, Clemente V, Johanne XXII, Benedicto XII, & Clemente VI. ſtabiliorem, felicioremque exitum ſortita eſt ſub Eugenio IV. in Concilio Florentino, ſubindeque ſæpius aut confirmata, aut reſarcita ſub Pio IV, Gregorio XIII, Sixto V, Paulo V, Urbano VIII, Innocentio XI, Innocentio XII, & BENEDICTO XIV: a quibus Pallii collatione Patriarchis Armenis confirmatam dignitatem fuiſſe fas non eſt dubitare. Poſtremo quod reliquum erat Patriarchæ Conſtantinop. honoris, ac juris cum Græcorum Imperio in Latinos translatum eſt, cujus in poſſeſſione manſerunt ab anno 1204, quo capta Conſtantinopolis eſt, uſque ad annum 1261, quo a Græcis Conſtantinopoli recuperata, Patriarchalis dignitas pariter ad eos revocata eſt: a quo tempore apud Latinos unus cum jure titulus remanſit. Non moror autem Patriarcham Moſchorum ſchiſmaticum, atque a ſchiſmaticis anno 1593. inſtitutum: nam deſuper Patriarchalis hæc dignitas jam perſemet illegitima a Petro Magno Imp. anno 1716. penitus eſt abolita: de qua conſule, ſi placet, Chryſanthum Patriarcham Hieroſolym. in tract. de Nuncupat. Eccleſ. apud Joſephum Waſſe in Bibliot. litter. edit. Lond. anni 1724; Jo: Albertum Fabricium tom. 13. Bibliot. Græcæ pag. 479, & ſeqq., & Petrum Brunium de Liturg. Eccl. Conſtantinopolit. diſſert. 6. art. 5.

Tribus hiſce Patriarchis Orientis dignitate ordinis proximus, ſed inferior habebatur, qui primus alioquin originis antiquitate erat, Patriarcha Hieroſolymitanus, cui Nicæna Synodus veterem, quem in Eccleſia tenebat honoris locum, integrum manere juſſit, quin tamen a juriſdictione Cæſareenſis Exarchi ſubduceret. Permirum non videri non poteſt, quì fieri demum potuerit, ut Hieroſolymitana Eccleſia, quæ in S. Jacobo Apoſtolo Fratre Domini dicto, ac *Apoſtolico*, & *Theadelphico*, inceperat, *Apoſtolica* quidem ab initio denominata ſit a Tertulliano lib. de præſcript. cap. 32, & ab Euſebio lib. 7. cap. ult., Eccleſiarum *Mater* in Synodica Orient. ad S. Damaſum apud Theodoretum lib. 5. cap. 9, & a Juſtino Imp. in epiſt. ad S. Hormiſdam apud

Harduinum tom.2. pag.1025, quin etiam Christi D. ipsius *Thronus* a S. Epiphanio hær. 78. n. 7, non æque Patriarchali dignitate, potestateque fuerit exornata. Stuporem at omnem sustulit S. Petrus Damiani in Opusc. 35. cap. 4. docens a Christo D., qui Ecclesiarum omnium Episcopatum gerebat, earumdem omnium Primatum uni Petro contulisse, a quo proinde jurisdictio Patriarchalis emanare debebat. *Liquet ergo*, concludit, *Ecclesiarum ordinem esse dispositum juxta privilegium Petri, non secundum incomparabilem excellentiam Majestatis*. Ut vero res altius repetatur, quando, & a quo Episcopatus Ordinem Apostoli acceperint, non una est Veterum, Recentiorumque sententia, ut observant Cotelerius in lib. 7. Const. Apostol. cap. 16. §. 15, & Sandinus in hist. Apost. §. 1. pag. 25. Omnes a Christo D. Episcopali dignitate initiatos docent S. Cyrillus in Cathec. 17; S. Epiphanius hær. 78; S. Chrysostomus hom. 3. in Acta, & hom. 38. in 1. ad Corinth.; Eusebius hist. Eccles. lib. 7. cap. 14; S. Hieronymus in cap. 1. ad Galat.; S. Augustinus quæst. vet., & nov. Test. l. 22; S. Gregorius Turon. lib. 1. hist. Franc. cap. 27, Ammonius, Theophylactus, & Rupertus apud Cornelium a Lap. in Act. Apost. cap. 2. v. 4; Cornelius ipse in cap. 1. epist. S. Jacobi; Cajetanus de auct. Pap. cap. 3; Serrius exercit. 51. §. 7, ac nuper doctiss. Berardi in suo Gratiano emendato par. 2. cap. 2. de epist. 2. S. Anacleti nomini supposita agens: & quidem Serrius Apostolos in ultima Cœna verbis illis: *Hoc facite* &c. Sacerdotes, & Episcopos ordinatos fuisse opinatur: Cornelius vero, ac Dominicus de Dominicis de dignit. Episcop. ad Pium II. par. 4. pag. 195, & par. 6. pag. 402. edit. Rom. 1757. post Christi D. resurrectionem illis verbis Johan. 20, 21: *Sicut misit me* &c. Atqui Apostolos non a Christo D., sed a Spiritu S. dum e Cælo descendit, ac supra singulos sedit, ut habetur Actor. 2. v. 4. in Pentecoste scilicet Episcopos creatos fuisse, postquam a Christo D. in ultima Cœna Sacerdotes fuerant inaugurati, pugnat Franciscus Turrianus lib. 1. de Hierarch. ordinat. Minist. cap. 2, proferens S. Dionysium de Hierarch. Eccles., S. Hieronymum in Dialogo adv. Lucifer., Ammonium, S. Petrum Damiani, alioque. Neque desunt, qui a Christo Domino Episcopos ordinatos dicant Petrum, Jacobum,

bum, & Johannem, atque ab his tribus Apoſtolos reliquos Epiſcopali Ordine inſignitos. S. Petrum denique ſolum a Chriſto D. Epiſcopum ſimul, ac Pontificem conſecratum verbis illis: *Paſce Oves meas* Johan. 21. v. 17, a quo perinde Apoſtoli ceteri eodem Ordine fuerint affecti, opinio valdequam veriſimilis evaſit ex ingenti Doctorum, qui in eamdem feruntur, numero, uti Johannes de Turrecremata in ſumma de Eccl. lib. 2. cap. 32, & ſeqq., & in reſponſ. ad Artic. Baſileenſ. apud Harduinum tom. 9. Concil. pag. 1246, & ſeqq.; uti Paludanus in 4. diſt. 24; uti Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 23; uti Bannezius in 2. 2. q. 5. art. 10; uti Salmeron. in Acta Apoſt. tract. 13; uti Marchinus de ſacr. Ordin. tract. 1. par. 2. cap. 12; uti Granadus in 3. par. controv. 9. tract. 1. diſput. 1; uti Braſchius de libert. Eccleſ. in confer. benef. tom. 2. cap. 19. n. 5. Itaque S. Jacobum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ præfectum Epiſcopum indiſcriminatim ab Apoſtolis tradunt Euſebius lib. 2. cap. 23; S. Hieronymus de Script. Eccleſ.; pſeudo-Athanaſius in ſynopſi, & pſeudo-Ambroſius in cap. 1. epiſt. ad Galat. A SS. Petro, Johanne, & Jacobo id muneris conſecutum auctores ſunt Clemens Alex. apud Euſebium lib. 2. cap. 1. verſ. Chriſtophorſ., & pſeudo-Anacletus in epiſt. ad Epiſcop. Ital. Cap. *Porro* diſt. 66. A. S. Petro dumtaxat eidem admotum Eccleſiæ tradit S. Jo: Chryſoſtomus hom. 87. in Johan., cui Doctorum adſtipulatur turba.

Juxta hæc itaque hunc honorem in Eccleſia Hieroſolymitana a S. Petro conſequutus S. Jacobus, prærogativa abſque tamen Patriarchali, ad poſteros ſuos eidem præficiendos Eccleſiæ facile traduxit, exindeque factum, ut Romani Pontifices, qui Epiſcopiſcopis Conſtantinopolit., ne ad Patriarchalem gradum aſcenderent, tam fortiter renixi ſunt, ne Hieroſolymitani eadem dignitate adaugerentur, minus repugnaverint. Primum Hieroſolymorum Epiſcopum, cui Patriarchæ nomen adhæſerit, fuiſſe Johannem S. Cyrilli anno 386. ſucceſſorem autumat Papebrochius in hiſt. Chronolog. Patriarch. Hieroſol. n. 42: ſed perperam utique, nam S. Hieronymus in epiſt. ad eumdem Johannem Palæſtinam Cæſareenſi Metropolitæ obnoxiam affirmat: quod ipſum haud obſcure indicat S. Jo: Chryſoſtomus in epiſt. 87. ad Eulogium

Cæſar. Patriarchæ nomen, & jus primus obtinere viribus omnibus adnixus eſt Juvenalis in Concilio Epheſino anno 431, teſte Evagrio lib. 1. cap. 5, & S. Leone M. in epiſt. 92, alias 62. ad Maximum Antioch.: ſed fruſtra ceſſit tum omnis conatus; neque tamen deſpondit animo, donec impetraſſet a pſendo-Synodo Epheſina Theodoſii Imp. ope, ac deinde a legitima Synodo Chalcedonenſi act. 7, eidem attributis tribus Palæſtinis a Patriarchatu Antiocheno diſtractis. Etſi vero principio contradixiſſe S. Leonem M. conjicere liceat ex laud. epiſt. ad Maximum, in quam legendæ Queſnelli Notæ: poſthac tamen ſtudio pacis tacuiſſe, ac tolleraſſe ſuadetur ex epiſt. 72. ad ipſummet Juvenalem, cui de novo jure, tituloque ne levem quidem ei litem intendit. Ejus itaque exemplo ſequioris ætatis Summi Pontifices hanc Patriarchæ Hieroſolymitani dignitatem primo tolleraſſe, comprobaſſeque tacite, poſtea quin imo acceptam habuiſſe, ac præſertim S. Gregorius M., S. Paulus I, Leo III, Johannes VIII. &c. ex dictis pag. 55, & ſeq. videri facile poſſunt. Succeſſu temporis, (ſicut Patriarchis aliis eveniſſe diximus, qui proſciſſa unitate, quam qui intaminatam ſervant, in ea, & ab ea ſervantur, non prius a Romana Eccleſia ſemet ſciderunt, quam Eccleſias ſuas exſcinderent), Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Chriſtianis in partes diſtractis, qua Monophyſitarum, qua Melchitarum, in duos quoque Patriarchas ea dignitas eſt diſciſſa: quæ diviſio locum maxime habuit ab eo tempore, quo a Saracenis Urbe occupata, & direpta, anno ſcilicet 637: qui enim veteri Eccleſiæ Religioni, ritibuſque tenaciter inhærebant, Melchitæ Patriarchæ ſui Sedem ad celebre Montis Sinai Monaſterium tranſtulere; qui vero novis hæreſibus ſe implicarunt, peculiarem ſibi Patriarcham, nulli tamen certo loco defixa Sede, præfecerunt, cui deinceps obedientiam impenderent. Denique, poſtquam Duce Godofrido Bullionio anno 1099. Latini Saracenis devictis, depulſiſque, Terram Sanctam una cum Urbe in libertatem aſſeruiſſent, novo Hieroſolymorum Regno inſtituto, Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Patriarchalis dignitas Latinis delata eſt a Summis Pontificibus, quam ſerie continua annorum circiter 192. Latini nominis viri ad 30. uſque, eodem Pontificum beneficio, tenuerunt, ab eo nempe tempore uſque

uſque ad annum 1187, quo Hieroſolyma a Turcis denuo ſubacta eſt, 8, aut 9. ibidem conſedentibus, reliquis ſubinde Acone uſque ad annum 1291, quo Acon erepta Chriſtianis Turcarum tyrannidi etiam ceſſit: a quo proinde tempore in hodiernum diem nonniſi Titulares Patriarchæ obtinent: quamquam iſto temporis intervallo Græci e gente ſua Patriarchas deligere nec deſierint, non ſecus ac de Patriarchis aliis factitatum ſuperius obſervabamus. Obſervatu poſtremo illud dignum, quod Paſchalis II. a Balduino Rege rogatus anno IIII, teſte Willelmo Tyrio lib. 11. cap. 27, Patriarchæ Hieroſolymitano Urbes omnes Latinorum armis captas, capiendaſque ſubjecit: qui paullo poſt tamen Bernardo Patriarcha Antiocheno de inlata Eccleſiæ ſuæ injuria conquerenti integra jura ſua reſtituit, jubens, ut jure ſuo deinceps Hieroſolymitanus eſſet contentus. Ex his ergo viden, ut Romani Pontifices, pro auctoritatis plenitudine a Chriſto D. accepta in S. Petro in Eccleſias Patriarchales omnes, judicandi, novas inſtituendi, veteresque transferendi plena, ampliſſimaque poteſtate jugiter ſint potiti? Viden, ut Patriarchalis dignitas in ſola Romanorum Pontificum, eaque nunquam intermiſſa, ſerie integra, intemeratæque permanſit, quæ in ceteris Orientis Eccleſiis ſchiſmatibus, & hæreſibus inquinata, interrupta, & diſciſſa demum interiit! Quod non eſt aliud ædepol, niſi quod uni Romano Pontifici cum indeficientiæ in fide, tum poteſtatis omnino ſupremæ inſigne privilegium certiſſime a Chriſto D. collatum eſt.

Cujus ad illuſtris argumenti cumulum illud accedit, quod ad Romanos Pontifices, veluti ad veritatis Magiſtros, Chriſtianæque Univerſitatis Præſides, fidei profeſſionem ſtatim, atque fuiſſent inaugurati, inſcribere Orientis Patriarchis uſu priſco venerat, unaque cum Pallio, dignitatis inſigni, loci confirmationem petere. Id adeo veritate conſtat de Conſtantinopolitanis, ut quum primum S. Damaſus in Sedem Conſtantinopolitanam irrepſiſſe Maximum Cynicum, qui fide apud ſe laborabat haud leviter, intellexit, extemplo datis ad Acholium Theſſal., & ad Epiſcopos Macedoniæ litteris juſſerit, ut eo amoto alter, cujus fides ſibi probata eſſet, Eccleſiæ illi præficeretur. S. Jo: Chryſoſtomi in Epiſcopum Conſtantinopolit. electi Ordinationis decretum in Syno-

Synodo Provinciali editum ab Acacio Berœnſi Romam ad S. Anaſtaſium I. P.M. comprobandum fuiſſe deportatum refert Palladius. Maximianum in ejuſdem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Cathedram aſſumptum, litteris e veſtigio enarratis S. Cæleſtinum I. de ſua Ordinatione certiorem feciſſe, eamque una cum fide ipſius pura, ac ſincera probatam Pontifici evaſiſſe teſtes locupletes ſunt ejuſdem epiſtolæ 24, & 25. apud Coutantium pag. 1206, & ſeqq. Poſt Maximiani obitum datas a S. Cæleſtino litteras commemorat Socrates lib. 7. cap. 40, quibus indulgebatur, ut eidem ſuffici Proclus Cyzicenus poſſet, ea de re Canonibus Epiſcoporum tranſlationes vetantibus relaxatis: quæ S. Cæleſtini litteræ S. Cyrillo Alex., Johanni Antiocheno, & Rufo Theſſal. exhibitæ, oſtenſæque id effecerunt, ut eam Procli translationem abſque cunctatione probarent. De harum litterarum veritate nihil dubitavit Tillemontius tom. 14. pag. 149, & ſeq., at eas ſuſpectas habuit Coutantius in Notis epiſt. ad S. Cæleſtinum attinentium n. 17, multiſque eaſdem vexavit. Ut ut ſit de his, nolo enim in diſputationem hanc ingredi, Procli Ordinationem probatam evaſiſſe S. Sixto III. exploratum fit ex epiſt. 9. ad eumdem. Precibus obnixis tum Thodoſio, tum Anatolio obſecrantibus, ut S. Flaviani vacantem locum occupare huic tandem liceret, obfirmato pectore obſtitit S. Leo M., donec ab Anatolio ad Apoſtolicam Sedem ſincera fidei ſuæ profeſſio fuiſſet tranſmiſsa, atque ab ipſo epiſtolam ſuam dogmaticam ad Flavianum mente, & corde ſuſceptam fuiſse, manuque propria ſubſcriptam innoteſceret. Quum Epiphanius ſynodicam de ſua Ordinatione, & orthodoxia ad S. Hormiſdam dare diſtuliſset, graviſſimis a Pontifice objurgatus, officiique admonitus eſt. *Diu Nos non nuntiata tuæ dignitatis primordia tenere ſuſpenſos, & mirati ſumus morem priſtinum fuiſſe neglectum.* Quam officii particulam ut Epiphanius expleret, hoſce amplius a Pontifice ſtimulos accepit: *Legationem tuam ea, qua dudum, gratia ſuſtinemus, & fulti veteribus inſtitutis exigimus.* Paruit ergo Epiphanius anno 520, aliique poſt ipſum in priſcum hunc morem ingreſſi ad plurima ſæcula tenuerunt. Itaque vel ipſi quoque ſubleſtæ fidei Patriarchæ id ſibi oneris incumbentis Pontifici M. præſtandum omnino fore approbe perſuaſi, reapſe præſta-

re

re non detrectarunt, ampliſſimis Legationibus miſſis, ut Acacius ad SS. Simplicium, & Felicem III; ut Flavitas, ac Euphemius ad eumdem S. Felicem, & S. Gelaſium; ut Johannes Cappadox ad S. Hormiſdam; ut Paulus ad Theodorum, aliique ad alios. Perhibet Luitprandus Cremonenſis Epiſcopus in deſcriptione Legationis ſuæ ad Nicephorum Phocam anno 968. editæ a Caniſio, & Ramireſio Antuerp. 1640; apud Baronium ad annum 968, & Muratorium tom. 2. Theſauri Script. Ital., perhibet, inquam, Patriarcham Conſtantinopolit. Pallio ad ſua uſque tempora uti nequiviſſe, niſi ex conceſſione Romani Pontificis. Romanum, quem in Imperio Nicephorus exceperat, primum fuiſſe, qui in gratiam Theophylacti filii Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præfecti dolo, & fraude a Johanne XI. privilegium extorſerit, quo Patriarchis Conſtantinopolitanis deinceps, haud expectata Pontificis licentia, Pallio uti fas eſset: exindeque emerſiſſe, ut Græcis perinde Epiſcopis paſſim Pallii uſus communis evaderet. Præpoſteræ indulgentiæ, perque vim extortæ haud inſiſtendum ratus, ſed magis veteri recepto mori, retentoque, Innocentius III. in Concilio Lateranenſi IV. anno 1215. cap. 5. ſancivit, ut Patriarchæ Græci a Romano Pontifice Pallium acciperent, poſtquam eidem ſacramento fidelitatis, profeſſione fidei etiam emiſſa, ſe obligaſſent, quo pacto Suffraganeis deinde ſuis, recepta prius fidei, obedientiæque ſponſione pro Romano Pontifice, largiendi Pallium facultatem haberent.

Neque religioni minus ceſſiſſe Patriarchis Alexandrinis de ſua Ordinatione, & orthodoxia Romanos Pontifices quamprimum facere certiores, liquido, aut ego fallor, adparet ex litteris, & Legationibus Proterii ad S. Leonem M.; Johannis Talajæ ad S. Simplicium; Zoili, & Apollinaris ad Vigilium, & Eulogii ad S. Gregorium M. Quinimo ex illorum, qui hæreſi vel eſſent addicti, uti Dioſcori ad S. Leonem; vel eſſent adverſi, uti Coſmæ ad S. Paulum I, apud quem Iconoclaſtarum furore graſſante profeſſus eſt ſe in ſacrarum Imaginum cultu ſectatorem eſſe Apoſtolicæ Sedis. Idipſum Patriarchis Antiochenis, & Hieroſolymitanis priſco in more poſitum fuiſſe nefas eſt dubitare. Conſtat quippe, ac quidem de Antiochenis vel ex Vitalis Apollinariſtæ profe-

ctione

ctione ad S. Damaſum; ex legatione Alexandri ad S. Innocentium I; ex litteris Theodoti ad S. Zoſimum, de quibus Marius Mercator Common. cap. 3; ex legatione Johannis ad S. Sixtum III; ex Anaſtaſii, cum Sinaita non confundendi, cultu erga S. Gregorium M.; ex fidei profeſſione Anaſtaſii II. ad eumdem Pontificem lib. 7. epiſt. 47, alias 48; ex epiſtola Petri III. hujus nominis ad Dominicum Gradenſem apud Cotelerium Monum. Eccleſ. Græcæ tom. 2. pag. 112, & ſeqq.; & epiſt. 5. S. Leonis IX. ad ipſum apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 952; ex litteris Boamundi de Johanne IV. iſtius nominis ad Urbanum II. apud Baluzium Miſcell. tom. 1. pag. 418, & apud Guillelmum Tyrium lib. 6. cap. 23. De Hieroſolymitanis demum abunde, dilucideque eruitur ex litteris Praylii ad S. Zoſimum apud Marium Mercat. loc. cit.; ex legatione Juvenalis ad S. Cæleſtinum, & litteris ad S. Leonem M.; ex Johannis II. hujus nominis ſynodica ad S. Hormiſdam, & epiſtola Juſtini ad eumdem Pontificem apud Harduinum tom. 2. pag. 1024, & ſeqq.; ex litteris S. Agapeti ad Petrum ibidem pag. 1225; ex relatione Iſaacii ad S. Gregorium M. apud ipſum lib. 9. indict. 4. epiſt. 40; ex legatione Sophronii ad Honorium, quæ legitur in Synodo Later. ſub S. Martino I. ſecret. 2. Sed de hoc argumento plura adhuc opportuniori in loco. Ex dictis interea datur intelligi optimo jure Stephanum V, aliis VI. ſcripſiſſe ad Baſilium Græcum Imperat. verbis illis: *Obteſtor igitur tuam pietatem, ut Principum Apoſtolorum inſtituta ſequare, magnaque veneratione proſequare: omnium enim in Orbe Terrarum ordo, & Pontificatus Eccleſiarum a Principe Apoſtolorum Petro originem accepit, per quem & Nos ſincera, & incorrupta doctrina inſtruimus omnes, & docemus.* Eugenium IV. perinde ad Archiepiſcopum Cantuar. Conſt. 15. *Non mediocri*, declaraſſe omnes Patriarchales, Archiepiſcopales, Epiſcopaleſque dignitates a S. Romana Eccleſia fuiſſe fundatas: cui concordat Caput *Omnes* diſt. 22, ex S. Nicolao I. in Gratianeis Codicibus nonnullis, ex Nicolao II. revera a Gratiano, qui, ut animadvertit Antonius Auguſtinus in dialogo 13. de emend. Gratiani lib. 2, ex S. Anſelmo Lucenſi lib. 1. cap. 63. derivaverat, relatum, ſed verius referendum ex S. Petro Damiani in opuſc. 5, ſive epiſt. ad Mediolanenſes oſtendit

vir

vir doctiſs. Berardi in ſuo Gratiano emend. par. 2. tom. 2. cap. 77. pag. 333, ubi dicitur: *Omnes autem ſive Patriarchici cujuslibet apicem, ſive Metropoleon Primatus, aut Epiſcopatuum Cathedras inſtituit Romana Eccleſia.* Quamquam S. Petro Damiani ſincere Gratianum heic haud cohærere vir eruditus diligenter admonuit. Eugenii integram ſententiam, non ſecus atque ſimilem S. Innocentii I. in epiſt. ad Decentium infra exhibebimus.

Confert ad hujus argumenti confirmationem antiquus, ſacerque in utraque Eccleſia mos ille, quo primo, honoratiorique inter Patriarchas, Eccleſiarumque Præſules loco Romani Pontificis nomen in Eccleſiaſticis diptychis recenſeri, & ad Altare ſacra inter Miſſarum ſolemnia ex Ambone recitari conſueverat. Porro diverſi generis diptycha erant, profana, & ad profanos uſus adhibita alia, alia ſacra, ſacriſque uſibus conſecrata. Dicta a voce δὶς, bis, & πτυσσὼ ptyſſo, plico, ſiquidem duæ tabulæ eſſent invicem complicatæ, obſervant Salmaſius in Tertullianum de Pallio pag. 337, Svicerus in Theſauro Eccleſ. tom. 1. pag. 922; & Montfauconius Palæog. lib. 1. cap. 4; unde *Tabulæ* in Concil. Conſtantinopolit. ſub Menna act. 5, a Proclo in Chalced. act. 14, apud Ducangium in Gloſſ. tom. 1. pag. 314, & Svicerum V. *Diptycha* denominata leguntur. Eccleſiaſtica ut plurimum membranacea erant, ac principio duabus ex tabulis confecta, in quarum una Vivorum, in altera Defunctorum nomina deſcribebantur, ut obſervant Cabaſſutius in Not. Concil. pag. 488; Goarius in Eucholog. Græcor. pag. 123; Hoffmannus in Lexico pag. 576; Negeleinius in diſſert. inaug. de vetuſt. quod. diptych. Conſul., & Eccleſ., aliique. Deinde vero plurimis tabulis, ſive membranis conſtaſſe Diptycha, ideo ne promiſcue nomina iis inſcriberentur, ſed in una pagina Epiſcopi, in alia Presbyteri, in hac Diaconi, in illa Clerici inferiores, ac in diverſis aliis Imperatores, aliique viri Principes, ac Laici generis cujuſque, affirmant Lupus in diſſert. ad Synodum V. cap. 8; Noritius in diſſert. hiſt. de Synodo V. cap. 5; Schmidius in diſſert. de diptychis vet., ac Leo Allatius lib. 3. Conſ. Eccl. Orient., & Occid. cap. 15, triplex genus diptychorum in Eccleſia Græca ab ſe obſervatum memorans, Epiſcoporum, quale etiam in Eccleſia Occidentali obtinuiſ-

ſe liquet ex diptycho Eccleſiæ Arelat. apud Mabillonium tom. 3. Analect. pag. 432 ; 2. hominum dignitate conſpicuorum, aut de Eccleſia bene meritorum ; 3. eorum, qui in fide obdormierant ; quibus adjungendum 4. diptychon baptizandorum, ſuſceptorumque ex Pachymere in cap. 2. Eccleſ. hierarch. Dionyſii Areopag., de quo idem Allatius lib. 4. pag. 1186 ; cui pares in opinione fuere Ducangius V. *Diptycha*, & Card. Bona lib. 2. rer. Liturg. cap. 13 ; deducit Fabricius Bibl. Latinæ tom. 2. lib. 4. cap. 5. Ideo Diptychis Catalogorum nomen inditum conjicere licet ex iis, quæ habet Cotelerius tom. 2. Monum. Eccleſ. Græcæ in vita Euthymii §. 5: atque ita plane quatuor in claſſes Diptycha eſſe dividenda, Baptizatorum, Vivorum, Sanctorum, & Defunctorum plurimis ſuadet, & perſuadet Saligius de orig. diptych. cap. 1. Diptycha qua demum ætate uſu in Eccleſia venerint, in obſcuro latere fatentur Allatius, Mabillonius, & Chladnius hiſt. ſacr. Rit. de diptych. vet. §. 9. Apoſtolis, aut Patribus Apoſtolicis referenda accepta docet Card. Bona lib. 2. rer. Liturg. cap. 12. ductus auctoritate pſeudo-Dionyſii Areop. de hier. Eccleſ. cap. 3, quam perinde in opinionem deſcenderunt Lupus diſſert. cit. in Synodum V. cap. 8 ; Goarius in adnot. ad Miſsam S. Jo: Chryſoſtomi pag. 123, & Gavantus in Theſ. ſacr. Rit. tom. 1. pag. 141. Nec ante, nec poſt ſæculum II. eorum originem repetendam arguit ex epiſt. 10. S. Cypriani Chladinius loco cit. §. 10. Denique Diptycha in Eccleſia legi inter ſacrorum ſolemnia conſueviſſe, interque pretioſiores Eccleſiæ Theſauros a Cimeliarca conſervata adparet ex epiſtolis S. Cyrilli Alex. ad Domnum Antioch. ; Cleri Alex. ad Leonem Auguſt. apud Harduinum tom. 2. pag. 691 ; Ægyptiorum ad Anatolium Conſtantinopolit. apud Baronium ad annum 430. n. 49, & ex actis Synodi Mopſveſtenæ in Synodo V. collat. 5. rélectis.

Non dubium eſt igitur, quin Pontificis Romani nomen primum locum inter Patriarchas ſacris in Diptychis obtineret, ad Altare inter ſacra recitandum: documento eſſe poteſt diſſidium illud de nomine S. Chryſoſtomi diptychis reſtituendo, & de nomine Acacii ab eiſdem abradendo, ob quod tandiu ſuſpenſa manſit Occidentalis cum Eccleſia Orientali communio, donec Romanorum

norum Pontificum votis fieret ſatis: putaſne vero Pontifices adeo de nomine aliorum aut in Diptycha inferendo, aut e Diptychis expungendo fuiſſe ſollicitos, quin de proprio ibidem retinendo parem induerint ſollicitudinem? Quocirca ſi in Orientalium nunc Diptychis Romani Pontificis nomen deſideratur, Neſtorianorum, & Jacobitarum invidia, odioque eveniſſe, ut e ſacris eximeretur Diptychis haud immerito arguit Renaudotius in Comment. ad Liturg. Coptic. S. Baſilii pag. 255: tametſi in ea Liturgia, quam vertit Andreas Maſius, S. Petri nomen primo retentum videatur adhuc loco. Quorſum vero conjecturis indulgeam, quando res per ſe loquitur? Quoties enim, ut adnotavit Card. Bona lib. 1. cap. 11, de redintegranda cum Romana Eccleſiæ Orientalis unione tractatus initus eſt, toties ea conditio adjecta eſt de Romani Pontificis nomine in Diptycha referendo, ac ex Liturgia ad ſacrum Altare recitando. Atque ita conventum ab Urbano IV. cum Michaele Palæologo anno 1261, a Gregorio X. cum Græcis Epiſcopis anno 1273, & ab Eugenio IV. cum Johanne Palæologo, auctores nihil ſuſpecti ſunt Nicetas lib. 5, Gregoras lib. 5. cap. 2, Pachymeres lib. 5. cap. 22, & Syropolus hiſt. Concil. Flor. ſect. 10. cap. 12. verſ. Creyghtoni. De Eccleſia vero Occidentali, quin Romani Pontificis nomen in Eccleſiaſticis albis retentum ſemper fuerit, inter ſacra ad Altare recitandum, dubitare non ſinunt Latinæ Eccleſiæ Sacramentaria Gelaſianum apud Muratorium Liturg. Rom. vet. tom. 1. pag. 695, de quo confer Blanchinium tom. 4. Anaſtaſii Opuſc. 2. de Sacram. Veron. S. Leoni ab ipſo tributo pag. 16, 22, & ſeqq.; Gregorianum apud eumdem Murat. tom. 2. pag. 2, & Gallicanum pag. 777; Liturgiæ Ambroſiana pag. 149. edit. Mediol. 1712, & apud Pamelium Liturg. tom. 1. pag. 301; Mozarabica tom. 17. Bibl. PP. Lugd. pag. 644, & apud Jo: Pinium in tract. hiſt. Chronolog. ad tom. 6. Julii, & tom. 3. Theſ. Eccleſ. antiq. cap. 9. §. 9; Miſſalia etiam antiquiſſima Caſſinenſe apud Angelum de Nuce in Not. ad Chron. Caſſin. pag. 106; SanGermanenſe annorum plus 700. apud Martenium de antiq. Eccl. Rit. tom. 1. pag. 399, aliaque apud Bonam, & Brunium. Quem perinde ritum Pontificis Romani nomen ad altare recitandi ſartum, tectumque juſſere Patres Conci-

lii Vaſenſis II. anno 529. Can. 4. relato ab Ivone par. 6. cap. 305; Hadrianus II. in epiſt. 1. ad Synodum Trecenſem anno 867. apud Harduinum tom. 5. pag. 691; Synodus apud Pennam Fidelem Toletanæ Provinciæ anno 1302. Can. 12; & Colonienſis anno 1452. in Statut. apud Harduinum tom. 9. pag. 1370, & ſeq. Sed horum affatim pro hujus operis inſtituto.

Paucioribus nunc, quoad ejus fieri poterit, mihi expedienda, quæ ad Patriarchas Occidentis pertinent, eorumque inſtitutionem, & incrementum. Principio indubium eſt tandiu uni Romano Pontifici Occidentem Patriarchæ nomine plauſiſſe, quamdiu paruit: at quum primum Occidens ſchiſmate, aut hæreſi in partes ſcindi, atque a Pontifice abſcindi cœpit, tum quæ paullo majores erant, Sectæ Patriarchas novos ſibi præponere, aut priſtinos Epiſcopos novis inaugurare titulis delectatæ ſunt: quibus decurſu temporis etſi parcitum fuerit a Romanis Pontificibus, res tamen, omneque jus fuit detractum; ſeu verius nunquam adhæſit. Auſpiciis hiſce, Arianæ hæreſi nempe, referendus acceptus Vandalorum in Africa Patriarchatus: ſed qui peſſimum exordium fuerat ſortitus, peſſimo exitu ceſſit, eoque ipſo extinctus, atque ad veterem Primatis Carthaginenſis auctoritatem reſtrictus, quo Vandalorum in Africa Regnum exciſum eſt. A Gothis Italiæ Regno potientibus gentis ſuæ Pontificiæ juriſdictionis impatientes Epiſcopos, non unum dumtaxat, ſed indiſtinctim omnes Patriarchæ nomine fuiſſe inſignitos ex epiſtola Athalarici Regis ad Johannem II. P. M. apud Caſſiodorum lib. 9. epiſt. 15. arguit Petrus de Marca in diſſert. de Primatibus. Verum præcipuos tantummodo gentis Epiſcopos a Gothis hoc nomine appellatos contendit Bernardus Rubeus Monum. Eccleſ. Aquilejenſ. cap. 40. At inani, omniſque vacuo juris titulo tum demum cedere, quum Italia excedere compulſi ſunt. Feliciora nactus eſt fata, qui illuſtriora non traxerat initia, Patriarchatus Aquilejenſis. Debet is ortum ſuum, & incrementa cum Arianæ hæreſi, qua Gothi impliciti Metropolitas, uti dicebam mox, ſuos a Pontificis Romani ſubjectione abſolutos Patriarchas denominari voluerunt; tum ſchiſmati, quod e trium Capitulorum in Synodo V. condemnatione emerſerat, cui tum Iſtriæ Epiſcopi, tum Langobardi

bardi inhærentes, Pontificis Romani excuſſo jugo, Metropolitam ſuum hoc Patriarchæ nomine omnem in libertatem aſſeruerunt. Sunt equidem, qui ab exordio ipſius Eccleſiæ Patriarchæ nomen, & jus Aquilejenſi adhæſiſſe arbitrantur, inter quos Henricus Palladius hiſt. Forojul. lib. 5, Philippus a Turre, atque ex Proteſtantibus Salmaſius in *Euchariſtico* par. 2. cap. 5. Nempe ex quo, dirnto Sirmio, Aquileja in Illyrici Occidentalis caput aſſurgere viſa eſt, ac tum Aquilejenſis Antiſtes jus ſuum in Venetias, Iſtriam, Noricum utrumque, ac Rhætiam ſecundam effundere cœpit, tum pariter Patriarchæ nomine potitum fuiſſe, opinantur. Vera tamen opinio eſt, quam tenent Baronius ad annum 570; Sirmondus in Propemtico; Lupus in Not. ad Synodum V. cap. 6. q. 1; Bollandus ad diem 8. Febr. in Not. ad vitam S. Honorati; Noriſius in diſſert. de Synodo V. cap. 10; Pagius ad annum 570. n. 3, & ſeq.; Thomaſſinus vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 21, aliique plures, quibus arcte perſuaſum eſt pridem quidem Aquilejenſes Præſules ex novæ Urbi amplitudinis, dignitatiſque Civilis acceſſione, pariter inceſſiſſe ambitum de veteri amplificanda dignitate Eccleſiaſtica, ideoque ad novos ampliores titulos adſpiraſſe; utque adſpirarent in cauſsa fuiſse, ſive orexim feciſse Gothos, germanum tamen Patriarchatus Aquilejenſis, etſi illegitimum, exordium, quin & incrementum a ſchiſmate Iſtriæ repetendum fore, conjecturamque facere Paulum Diaconum de geſt. Langob. lib. 2. cap. 8, & ſeqq. primum id nominis, & honoris fuiſſe a Paulino aſſumptum, videlicet ab anno circiter 558, ex quo Aquilejenſi habita Synodo in tria Capitula juratum eſt, Romanæque Eccleſiæ, cui eadem Capitula inviſa evaſerant, jugum excuſſum.

Jam occaſio aperienda, cur Aquilejenſis Patriarchatui alteri Gradenſi obſtetricatus ſit, atque ex una duplex emerſerit dignitas. Quam in rem nonnulla ex *iis*, quæ ex Mſ. Cod. Bibliot. Barberinæ ſæculi XI. in Ughelli edit. nov. tom. 5. deſcripta ſunt, excerpere juvabit. Capta itaque a Langobardis Aquileja, Helias ejuſdem Archiepiſcopus, etſi ſchiſmaticus, quum ſibi inter Chriſtianæ rei infenſiſſimos hoſtes haud tuto degere ſe poſſe conſpiceret, anno 579. Pelagium II. P. M. efflictim obſecravit, quatenus

tenus ſedem Patriarchalem Aquilejenſem transferre Gradum, (quæ Urbs eſt in parva Inſula poſita ad oram Maris Adriatici ſita), per ipſum ſibi liceret. Pelagius, ut hominem ita beneficio a ſchiſmate, unaque cum ipſo ceteros Iſtriæ ſegreges ad officium revocaret, (etſi tamen ei res ex voto non ceſſerit, nam obſirmato in ſchiſmate animo manſerunt), eam fieri translationem indulſit. Quamquam haſce Pelagii II. litteras, quibus indultum illud præfertur, interpolatas exinde putat Emin. Norisius, quod in tribus aliis ejuſdem ferme argumenti epiſtolis ab eodem Pontifice ad Heliam inſcriptis uno eumdem Epiſcopi nomine, non etiam Patriarchæ cohoneſtaritz & S. Gregorius M. in epiſt. ad Severum, quem poſt Probinum ſucceſſorem Helias exceperat, non altera pariter, quam ſimplici Epiſcopi appellatione eum inſigniverit. Ad hæc obſervat in Synodo Gradenſi habita coram Laurentio Apoſtolicæ Sedis Legato apud Labbæum tom. 6. pag. 651, & ſeqq. Heliam primæ Sedis Epiſcopum dumtaxat denominari. Ut ut hæc ſe habeant ex illa translatione factum eſt facile, ut promiſcue dicerentur Patriarchæ cum Aquilejenſis, tum Gradenſis: donec non multo poſt in duos poteſtas, ac dignitas eſt diſpertita. A Langobardis enim Aquilejam revocatus Aquilejæ dignitatem reſtituit: qui vero Gradi remanſit Catholicus, ab Imperatoribus juſſus, & a Romanis Pontificibus impetratus, (nam qui primum Aquilejam regreſſi fuerant, pertinaciter ſchiſmati adhuc inhærebant), idem nomen retinuit: qui tamen priſtinam juriſdictionem retinere integram non potuit, nam a Candidiano tres Epiſcopi ſeceſſione facta ad Johannis Aquilejenſis partes acceſſerunt. Quin etiam Fortunatus Aquilejenſis circa annum 630. Gradenſem Diœceſim, irrito tamen conatu, invadere, ſuaque in jura tranſcribere tentavit. Propenſiores tamen erga Gradenſes ſe facile præbuiſſe Romanos Pontifices, ea proculdubio de cauſſa, quod obſequentiori præ Aquilejenſibus animo erga Apoſtolicam Sedem ii ſe exhiberent, exinde emicat, quod Gradenſis quidem anno 605. a Bonifacio III. Pallio fuerit exornatus, quo inſigni Aquilejenſis non ante annum 719. a S. Gregorio II, nec niſi ad infimas Luitprandi Langobardorum Regis preces adauctus legitur. Præterea Aquilejenſibus Patriarchis Fortunato, Sereno,

no, Calliſto, Johanni, & Maxentio, exercere juriſdictionem in ſibi ſubjectos Venetos ſub dominio Langobardorum degentes haud contentis, niſi etiam ad Iſtrios extenderent, qui Orientis Imperatori obedire non deſierant, obfirmato animo offenderunt Summi Pontifices Honorius I, S. Gregorius II, S. Gregorius III, Stephanus IV, & Hadrianus I, ſua in Iſtriam ut integra manerent jura Gradenſibus Primogenio, Donato, Johanni, & Fortunato ſuprema auctoritate jubentes: juxta quæ eidem Fortunato Gradenſi in celebri totius Iſtriæ Conventu Caroli M. juſſu celebrato anno 814. juriſdictio in totam Iſtriam confirmata eſt.

Subinſenſus Gradenſis Patriarchæ juriſdictioni viſus eſt Eugenius II, nam Lothario Imper. hortante, Mantuano indicto Concilio anno 826. Aquilejenſi cauſſa adjudicata eſt, eique tota Gradenſis Inſula attributa, quin etiam Venerius Gradenſis ſuo eſt gradu deturbatus. At animo non deſpondit Venerius, ſed a Synodi Mantuanæ ſententia adverſus Maxentium Aquilejenſem ad Pontificem M. provocavit. A Gregorio IV. Gradenſi juriſdictionem in Iſtriam reſtitutam auctor eſt Dandulus in Chron.; Ludovicus II. Imper. e contra in ſuo Diplomate anno 10. Imperii dato in gratiam Aquilejenſis ei aſſertum a Synodo Mantuana jus confirmatum a Gregorio IV. fuiſſe affirmat. Nihilofecius Sergius II. anno 844. cauſſa ad ſuum tribunal retracta, Andream Aquilejenſem, ut abſtineret ab invadendo jure Gradenſis, admonuit. Nec tamen propterea Aquilejenſis ab inceptis ſibi temperavit: quare anno 967. a Johanne XIII. Romæ Synodo habita Gradenſi ſua confirmata juriſdictio eſt: neque magis tamen ſedatum eſt jurgium, ſed imo Poponem Aquilejenſem inter, & Urſum Gradenſem paullopoſt exarſit: nam Popo fraude, & dolo a Johanne XIX. diploma extorſit, quo ipſi Gradenſis ſubjugabatur: qui tamen non diu poſt fraude detecta priori decreto revocato Gradenſi pronum, æquumque ſe præbuit. Alterum a Silveſtro II. privilegium ſubinde fraude ſimili Aquilejenſis impetravit; ſed fruſtra, nam Benedictus IX. anno circiter 1043. eidem vim omnem detraxit, integraque manere Gradenſi jura juſſit. Sed & S. Leo IX. in Synodo Romana IV. anno 1053. in gratiam Dominici Gradenſis declaravit, ut novæ Aquilejæ Patriarcha, (Aquilejæ veteris Patriar-

triarchà a Forojulio ſedis loco Forojulienſis etiam dicebatur), totius Venetiæ, & Iſtriæ perpetuus eſset Metropolita, Primas, & Patriarcha: quo de privilegio legenda ejuſdem præterea epiſtola 2. ad Epiſcopos Venetiæ, & Iſtriæ. Quæ perinde privilegia Gradenſi confirmarunt cum Alexander II, qui de Patriarchica tamen dignitate Geſobaldo Aquilejenſi nihil dereptum voluit; tum Urbanus II, qui præfato Dominico Gradenſi Conſtantinopolim a S. Gregorio VII. miſso eonceſſit, ut Conſtantinopoli, atque in aliis Orientis Urbibus, in quibus Venetos habere Eccleſias contingeret, Epiſcopos ordinaret, cujus hacce de re litteræ proſtant legendæ apud Ughellum tom. 5. Ital. Sacræ. Præeſse eiſdem pariter Epiſcopis, quos in Oriente ordinaſset, ab Hadriano IV. Henricus Gradenſis Antiſtes juſsus eſt epiſt. 39. apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1362; quin eidem Patriarchalis dignitas confirmata ab eodem Pontifice epiſt. 38; atque Primatus in Dalmatiam, ſeu in Jadertinum Metropolitam, ac tres ſuffraganeos collatus epiſt. 36, & 37. ibidem pag. 1359, & ſeq. Acceſſit eidem & aliud decus ex Michaele Raguſino Metropolita, qui Gradenſi Provinciam ſuam ultrocitroque ſubjugavit. Vice verſa HenricusGradenſis ad omnem prorſus amputandam jurgiorum occaſionem ſuapte Aquilejenſi Patriarchæ, ſive Forojulienſi magnam Iſtriæ Epiſcopatuum portionem dimiſit anno 1180, prævia Alexandri III. auctoritate novum jus Aquilejenſi acquiſitum confirmantis. Poſtremo anno 1449. Venetias Gradenſis Patriarchatus translatus eſt a Nicolao V, (non pridem a S. Leone IX, aut ab Alexandro II, ut nonnulli putant), eamque dignitatem in omnium primum contulit Pontifex in S. Laurentium Juſtinianum, quem Venetiarum Epiſcopum jampridem renuntiaverat Eugenius IV. Aquilejenſis autem hæc fuerunt fata: demum a BENEDICTO XIV. P. M. abolitus eſt, erectis in locum duobus Epiſcopatibus Utinenſi in dominio Veneto, & Gorizienſi dominii Auſtriaci. Ex quibus omnibus facile, opinor, intelligis rem omnem variam circa Patriarchatum ſive Aquilejenſem, ſive Gradenſem ad unius Pontificis M. nutum, volontatemque a principio ad finem proceſſiſſe: quem utique in ſcopum totus iſte ſermo conſpirabat.

Ad

Ad Bulgarorum Patriarcham antequam properem; operæ pretium duco animadvertere, quod quamvis Illyricum per nefas ſummum ab Eccleſiæ Romanæ Patriarchico jure abſtractum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ juribus acceſſiſſet, in Bulgariam attamen, quæ Illyrici pars erat, poſtquam a Michaele Rege legationem accepiſſet, S. Nicolaus I. Latinos Evangelii præcones ad Bulgaros Eccleſiæ Romanæ doctrinis, moribus, & diſciplinis imbuendos, Paulum nempe Populonienſem, & Formoſum Portuenſem Epiſcopos direxerat, velut ex epiſtola conſtat ejuſdem Nicolai ad Conſulta Bulgarorum. Quum vero poſt Synodi VIII. exitum idem Michael Bulgariæ Rex Oratoribus Conſtantinopolim miſſis inquiſiviſſet, cui Eccleſiæ ſubdi Bulgaros oporteret, contendentibus Græcis eos Conſtantinopolitanæ obnoxios eſſe debere, obſtitere viriliter Legati Hadriani II., Bulgariam ad jus Patriarchæ Romani pertinere dubio procul affirmantes, atque a S. Ignatio Conſtantinopolit. Patriarcha graviſſimis verbis contenderunt, ut a juribus Eccleſiæ Romanæ imminuendis religioſe abſtineret, a qua ipſemet ſuis fuerat juribus reſtitutus. Quibus quamvis fidem obligaſſet ſuam de ſartis, tectiſque ſervandis Eccleſiæ Romanæ juribus, poſtea tamen Bulgariæ Diœceſim jure Patriarchico regendam ſuſcepit, pulſiſque Latinis Presbyteris, Græciſque ſubrogatis, genti præterea Theophylactum Epiſcopum ordinavit. Quæ quum innotuiſſent Hadriano II, graviſſimis ad Ignatium, & ad Baſilium Imper. litteris exaratis de injuria Romanæ Eccleſiæ inlata expoſtulavit, ejuſdemque ab invadendis ſacris juribus ut religioſe manum retraherent, commonefecit. Qui Hadrianum excepit, Johannes VIII. Photium defuncti S. Ignatii ad locum aſcendere demum permiſit ea lege expreſſa, ut Bulgariæ Diœceſim Romanæ Eccleſiæ reſtitueret: quod ille promiſit, & adimplevit, ſed brevi bene facti pœnitens Bulgariam rurſus a Romana Eccleſia abſtraxit, & Conſtantinopolitanæ adjecit: donec tandem ab Innocentio III. illa vindicata eſt, inque jus ſuum tranſcripta, uti habetur in ejuſdem vita edita ab Illuſtriſs. Franciſco Boſqueto Montiſpeſſulani Epiſcopo. Bulgaria itaque jampridem ad Patriarchicum jus Romani Pontificis attinebat: nihiloſecius paullo poſt Bulgaros peculiarem habendi Patriarcham libido inceſſit, provocatos forte

ad æmulationem a Græcorum Imperatoribus, quorum Imperio a Patriarchalibus dignitatibus haud parum gloriæ, & honoris accedere conſpiciebant: non auſi tamen id attentare Romani abſque Pontificis, non autem Græci, auctoritate, a S. Nicolao I. percunctati ſunt, an Patriarcham ſibi conſtituere fas eſſet, utque fieret, poſtulantes; atque quum foret conſtituendus, a quo demum id fieri oporteret, ſciſcitantes. Porro reſpondit, ut par erat, doctiſs. Pontifex cap. 73. ordinandos ante quidem Epiſcopos eſſe, quam is, qui eiſdem præfuturus erat, quocúmque nomine id demum fieret, ſive Archiepiſcopi, ſive Patriarchæ. Cæterum autem præfici eiſdem non poſſe ſive Archiepiſcopum, ſive Patriarcham, niſi a Sede B. Petri, in qua ſupremum Epiſcopatus, & Apoſtolatus culmen reſplendet, & a qua Epiſcopalis, & Patriarchalis dignitas in Eccleſias alias derivatur. *Vos ſive Patriarcham, ſive Archiepiſcopum, ſive Epiſcopum vobis ordinari poſtuletis, a nemine nunc velle congruentius, quam a Pontifice Sedis B. Petri, a quo & Epiſcopatus, & Apoſtolatus ſumpſit initium, hunc ordinari valetis.* Poſthæc inauguratum Patriarcham ab exercitio juriſdictionis prohibitum denuntiat, donec Pallio a Romano Pontifice fuerit inſignitus. Erat revera Patriarchalis hæc dignitas non tam re, & poteſtate, quam nomine, & pompa: valdequam probabile eſt tamen permotum ea ratione Pontificem ad hunc impertiendum honorem fuiſſe, ut Bulgaros a Græcis, in quos animo faciliores erant, abalienaret, ferventiores vero erga Romanam Eccleſiam faceret, inque officio, fideque retineret. Cui etiam rationi inhæſiſſe videtur Innocentius III, dum Bulgarorum, qui a Baſilio Græco Imp. a Macedoniæ finibus, ac proinde a Juſtiniana prima, ſive Acrida abacti, in Myſiam ad oram Danubii, ſive Blachiam confugere fuerant compulſi, Archiepiſcopo Trinovitano, a loco ubi ſedem defixerat, denominato, Patriarchalem dignitatem confirmavit, Pallioque eumdem adauxit: ſua præterea vice Bulgariæ Regem inaugurandi poteſtate inſignitum: ut nempe gemino beneficio utrumque Regem, & Archiepiſcopum demereret, arctiuſque Romanæ Eccleſiæ obedientia, & obſequio devinciret.

Paucis nunc accipe, quæ de Patriarchis Occidentis adhuc ſuppe-

ſuppetunt. In Galliis, quo ferme tempore in Italia Gothi, ac ſubinde Langobardi Metropolitis ſuis Patriarchæ nomen indiderant, eodem titulo ſuos decorare ex Metropolitis, qui non tam Urbium magnificentia, quam vetuſtate inſtitutionis ceteris excellere videbantur, delectari Galli cœperunt. Francorum vero Regum opera id potiſſimum eveniſſe, Gallicanæ Eccleſiæ produnt monumenta. De Synodo Lugdunenſi II. anno 567. ſub Guntramno Rege habita verba faciens S. Gregorius Turon. lib. 5. hiſt. cap. 21. Nicetium Lugdun., qui Synodo inter alios adfuerat, Patriarchæ nomine inſignivit: unde non inepte conjicere licet id in votis accidiſſe jam tum Guntramno, ut Lugdunenſis Antiſtes, qui in Regno ſuo longe ſupra ceteros dignitate eminebat, Patriarchæ nomine deſignaretur. Evidentior conjectura evadit ex Synodo Matiſconenſi II. anno 585. ejuſdem Guntramni juſſu indicta, in qua Priſcus Lugdunenſis in præfat. hoc illuſtriori Patriarchæ nomine affectus legitur, in Guntramni Regis gratiam, ut ſuſpicari fas eſt, qui de amplificandis Regni ſui dignitatibus ſollicitudinem gerebat quammaximam. Atqui Guntramni exciſa ſtirpe, cum eadem perinde Lugdunenſis Patriarchæ affectata dignitas excidit, ac prorſus oblitterata eſt. Surrexit loco ſubinde alter Bituricenſis, cujus quidem, nudus tamen, titulus principio æſtimari poteſt inductus ad conflandam Lugdunenſi invidiam, qua excitatus videtur Deſiderius Cadurcenſis, dum Sulpitium Bituricenſem Metropolitam ſuum Patriarchæ nomine, quo tum primo Lugdunenſis audire cœperat, in epiſt. 14. condecoravit. Ex quo vero, anno hoc eſt 786. Carolus M. Aquitaniam ad Regni dignitatem evexit, eidemque Metropolim adſignavit Civitatem Biturigum, tum pariter ut Bituricenſis Antiſtes Primatis titulo, ac juriſdictione adaugeretur, ſubactis illi Burdigalenſi, Auſcienſi, & Narbonenſi Metropolitis, obnixe ſategit: itaque ipſius precibus inflexus Hadrianus I. P. M. Ermembertum Bituricenſem Pallio inſignitum Aquitaniæ Primatem agere permiſit: cujus imo Succeſſorem Rodulphum Patriarchæ inſuper titulo cohoneſtavit S. Nicolaus I. epiſt. 19. apud Harduinum tom. 5. pag. 342, & ſeq., quin etiam ſpeciem Patriarchici juris quamdam attribuit, quam tamen juſti, æquique intra terminos ibidem conſtringit. Ejusdem tituli honoris magis, quam juris retinentiſſimi fuere Henricus Bituricen-

censis, Cardinalitia dignitate, ac Apostolica Legatione adauctus ab Urbano II, uti liquet ex ipsius Epitaphio apud San Marthanos Gall. Christ. tom. 2. pag. 59; ac Franciscus de Tournon postea Cardinalis, ut adparet ex actis Synodi Provinc. anno 1528. apud Hard. tom. 9. pag. 1919. Quin iterum hoc illustri Patriarchæ nomine condecorati leguntur a V. Petro Clun. Lugdunensis lib. 2. ep. 2, & 18, ac Viennensis lib. 6. ep. 10. Quum anno 1638. in lucem prodiissent duo volumina Petri, & Jacobi Puteani de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, (opera quidem digna, quæ Sacratioris Consilii decreto 1638. supprimerentur, sequentique 1639. Ecclesiastica, severaque censura ab Episcopis 19. Gallicanis infligerentur), Carolum Hersent continuo suspicio inceſſit dolo, maloque consilio editos libros, ad inspirandum Gallis votum, propositumque creandi Patriarchæ in Gallia: ut propterea arrepto calamo librum elucubrarit, ac in lucem emiserit anno 1640. sub hac Epigraphe: *Optatus Gallus de cavendo schismate*: Regni Episcopos omnes exstimulans, ut huic molimini se se mature, strenueque objectarent. At inanem suspicionem, nullaque specie veri suffultam vexarunt, elueruntque viri doctiss. Jo: Franciscus de Gondi Archiep. Parisiensis, Isaacius Habertus Episcopus dein Vabrensis, Petrus de Marca, ac subinde Antonius Charlasius de libert. Eccles. Gallic. lib. 11. cap. 4; quorum dictis quod superaddi debeat, non suppetit.

In Hispania Toletanus Metropolita ante quidem cœpit, quam eversa Carthagine Spataria, a Leovigildo Gothorum Rege anno circiter 577. Toletum Regia Sedes transferretur: nam Metropolitæ nomine audiverat in Synodo Toletana II. anno 531. Nec interea tamen ante Concilium Toletanum III. anno 589. aliis Hispaniæ Metropolitis auctoritate, dignitateque antelatus est, ut contendit Vir doctiss. Cennius de antiq. Eccles. Hispanæ dissert. 4. cap. 8: quin etiam quamvis in Toletano anno 610. decreto Gundemari Regis Metropolita Carthaginensis dici cœperit, eique a Synodo Ecclesiarum Hispaniæ Primatus legatur assertus; ad hæc a Reccaredo anno 589. ad fidem converso jure Reges inaugurandi fuerit adauctus, testibus SS. Isidoro, & Juliano in Chron., nonnisi tamen post Concilium Toletanum VIII. anno 653. Primatis jure potitum exinde arguit vir eruditus, quod in Conciliis Toletanis Nationalibus ad id usque temporis, quinimo ad annum

656,

656, quo celebratum eſt Toletanum X, non Toletani ipſi tanquam Primates, ſed ex Metropolitis, qui Ordinatione antiquiores eſſent, eiſdem præſediſſe ex ſubſcriptionibus pateat. Itaque ipſius ſententia quamquam Toletanus Primatus ſe ſe tum primum explicare viſus ſit in Synodo Toletana XII. anno 681, cui hoc plane nomine præfuit Julianus Regiæ Urbis Præſul eo ipſo anno, quo fuerat ordinatus Epiſcopus, ideoque ceteris Metropolitis Ordinatione haud dubie junior: cuique Primatis juriſdictio Can. 6. collata tum legitur; confirmataque a Toletana XIII. anno 683. Can. 9; attamen ante eum annum 681. Toletani Primatum obtinuiſſe, eoque potitum Quiricum Juliani prædeceſſorem contra Jo: Morinum, & Thomaſſinum vir eruditus contendit, conjecturamque init tum ex Felice Juliani ſucceſſore, continuatoreque Catalogi vir. Illuſt. a S. Ildefonſo confecti, ubi de Juliano ſic loquitur. *Poſt ſ. mem. Quiricum idem egregius Juliannus præfatæ Urbis eſt unctus Primatu*: ſive ut rectius habet editio Fabricii: *Nactus Primatum*: tum ex S. Leone II, a quo anno 682. litteræ exaratæ leguntur ad Ervigium Regem, ad Hiſpan. Epiſcopos, ſignatimque ad Quiricum Toletanum: quid enim cauſſæ fuiſſet, cur præ aliis Quirico Pontifex M. litteras inſcriberet, niſi quia Primatus tum inſigni ceteris eminebat, tum ratione totius Eccleſiæ Hiſpanæ ei cura incumbebat? Sub Mauris annorum 370. circiter ſpatio, quot ab anno 711, ut oſtendit Pagius, non 713. ut habet Baronius; quo Hiſpanias occuparunt, uſque ad annum 1085, quo Alphonſus VI. Mauris devictis, depulſiſque, Toletum in libertatem reſtituit, eóque Sedem retulit, interfluerunt, Toletani Primatus dignitas oblitterata videri potuit: donec ad obnixas ejuſdem Regis Alphonſi preces ab Urbano II. P.M. ea dignitas anno 1088. reſtaurata eſt, & Bernardo Toletano reſtituta; quin etiam Vicariatu Apoſtolicæ Sedis adaucta, vindicataque adverſus conatus Antiſtitum Tarraconenſis, & Narbonenſis, in epiſt. 2. ad eumdem, 28, & ſeqq. ad Raynerum Legatum, ad Alphonſum Regem, alioſque apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1629, 1666, & ſeqq., & apud Raynaldum ad annum 1239. n. 52, & ſeqq. Primatum Toletanum perinde cum adjuncto privilegio Vicariatus Apoſtolici, qui in Toletano perpetuus exinde cœpit eſſe,

esse, confirmarunt Romani Pontifices annorum 122. spatio ab Urbano II. ad Innocentium III. an. 1209, in quibus apud Harduinum præcit. tomo Paschalis II. pag. 1766, Gelasius II, Callistus II. pag. 1974, & seqq., Lucius II. pag. 1235. circa medium, Eugenius III. pag. 1285, Anastasius IV. pag. 1669, Hadrianus IV. pag. 1354, & seqq., & Alexander III. pag. 1670. in princ., a quibus contra molimina Bracarensis, & Tarraconensis optimo in loco, tutoque est constitutus: de quo Primatu adeundi, si placet, Garzias Loaiza in Not. ad decretum Gundemari tom. 2. par. 2. Concil. Binii, & in Concil. Lucense sub Johanne III. de divis. Prov. Hisp.; Jo: Morinus Exercit Eccl. lib. 1. exerc. 32.; Nicasius Sevillanus in tract. de Primat. Eccles. Tolet.; Petrus de Marca in dissert. de Primatibus pag. 125, & seqq.; Aguirræus tom. 1. Concil. Hisp. in Catalogo Tolet. Episcop., & tom. 2. de Prim. Eccl. Tolet., & ad Concil. Toletanum anni 610; Thomassinus vet., & nov. discipl. par. 1. lib. 1. cap. 38., & Cennius de antiq. Eccl. Hisp. dissert. 4. cap. 8.

Atque hæc omnia mihi dicenda ante erant, quam dicerem novum deinde Primatus Toletani amplissimæ jam alioqui dignitati accessisse decus, ac splendorem ex Synodo apud Pennam Fidelem Provinciæ Toletanæ anno 1302. Can. 11, quo Toletana Ecclesia Patriarchalis titulo insignitur; atque ex Martino V. P. M., qui apud Marianam lib. 20. cap. 14. haud absimili honore, insigniisque certe jurisdictionis speciem præferente Johannem Contrerium Primatem Toletanum condecorasse legitur, cujus etiam legenda epistola ad eumdem apud Raynaldum ad annum 1424. n. 2, & seq. Insignia pariter inter privilegia, quibus Clemens XI. Const. 86. incip. *In Supremo Apostolatus*, quibus Archiepiscopum Ulyssiponensem affecit, illud primarium est, quo Patriarchæ dignitatem, ac nomen detulit: cui postea anno 1720. alteram prærogativam adjunxit, jus nimirum peculiare sacro oleo Lusitanos Reges inaugurandi, ac in brachio inungendi, uti videre licet in ejus litteris, quorum initium: *Sacrosancti Apostolatus*: quod jus quidem ab Eugenio IV. jampridem anno 1436. Archiepiscopo Bracarensi collatum fuerat; potuisse vero a Pontifice transferri in Ulyssiponensem, quin de injuria conqueri Bracarensi fas esset, liquido pro immensa copia erudi-

eruditionis ſuæ, præſtantiaque doctrinæ oſtendit Benedictus XIV. P. M. de Synodo Diœceſ. lib. 13. cap. 7. n. 9. & ſeqq. Poſtremo Cantuarienſis in Anglia Primas nomine quoque Patriarchæ appellatus legitur apud Willelmum Malmesburienſem lib. 3. de geſt. Pontif. Angl. a pag. 195., ubi deſcriptis actis Synodi Anglicanæ anno 1072. Alexandri II. juſſu habitæ, in qua longam poſt concertationem Lantfrancum Cantuar. inter, & Thomam Eborac., definitum eſt, ut Cantuarienſi ſubeſſet deinceps Eboracenſis tanquam Primati, neve Conciliis ab eo indicendis præſentiam denegaret ſuam, occaſionem arripuit eo nomine Cantuarienſis dignitatem amplificandi. Propenſo hoc ipſo animo ad pari honoris titulo, juriſque prærogativa cumulandum S. Anſelmum Cantuarienſem ſe prodidit idem Scriptor, ubi loquens de egregiis honoris ſignis, quibus in Synodo Barenſi ab Urbano II. exceptus pro eximiis meritis fuerat, (fuerat autem Synodi magna pars adverſus Græcos), refert honorificentiſſima ſede locatum fuiſſe juxta Pontificem ipſum, tanquam Inſulani Orbis alterius Papam. Eumdem Præſulem a Paſchali II. hoc inſigni privilegio munitum fuiſſe, nullo ut ab alio Judice, nequidem Legato Apoſtolico, præterquam a Pontifice M. judicari poſſet, refert Matthæus Pariſius ad an. 1108, ac legere eſt in Paſchalis epiſt. 42. apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1803., quæ eſt 44. lib. 3. epiſt. S. Anſelmi. Eadmerus denique lib. 4. auctor eſt eumdem S. Anſelmum, non minus modeſtia, & humilitate alioqui, quam animi magnitudine exornatum, palam fuiſſe profeſsum, dum ei nempe litem de obedientia intenderat Thomas Eboracenſis, ſibi jus, faſque eſſe Pontificalia munia in omnibus Angliæ Epiſcopatibus exercere: quod indicium eſt ſane haud obſcurum Patriarchicæ juriſdictionis, aut ſi mavis, Primatialis ampliſſimæ. Vera nihilo tamen minus ſententia eſt nullum, præter Romanum Pontificem, alterum in Occidente Præſulem juſtis Patriarchæ juribus potitum legitime unquam fuiſſe, ſed Primatis dumtaxat, qua plane dignitate pleroſque alios inſignes evaſiſſe paullo infra fiet planum.

Interea, etſi inſtituti mei non ſit, juvat tamen nonnulla obiter, ac minus tractatoribus uſitata, de Patriarcharum juribus attingere, perſtrictoque ſermone complecti. Ad Patriarchas igi-

tur

tur pertinebat 1. Metropolitas omnes Patriarchatui obnoxios ordinare, Can. 28. Chalced. 2. Synodos Patriarchales indicere, eisdemque præsidere, apud Leunclavium in jure Orient., & BENEDICTUM XIV. de Synodo Dicœc. lib. 1. cap. 1. n. 2. 3. Graviores causſæ ad Patriarchas erant deferendæ, in Synodis tamen definiendæ, in Not. Leonis Sapientis. 4. A Metropolitis ad Patriarchas appellare fas erat, querelasque deferre Episcopis, Clericis, Monachis, LL. latis ab Heraclio anno 629. in gratiam Sergii apud Justellum tom. 2. vet. Juris Canon. pag. 136, a Justiniano Novel. 123, & a Synodo VIII. act. 3. 5. Ad Patriarchas dumtaxat attinebat sacrum Unguentum, sive sanctum Chrisma conficere, & consecrare, ac per omnes ditionis, sive Dicœcesis Ecclesias distribuere, de quo Lequiennius Orient. Christ. tom. 1. cap. 16. 6. Ut Pallium acciperent a Romano Pontifice, fidei professione edita, eodemque deinde ut possent Episcopos alios exornare, jussit, & indulsit Innocentius III. in Concilio Later. IV. cap. 5. 7. Facultatem perinde fecit Patriarchis idem Pontifex ibidem, ut Crux ante ipsos deferretur, non Romæ tamen, nec ubi Pontifex forte, aut ipsius Legatus degeret. 8. Præter hæc insignia Patriarchis in Oriente solis præferri solebant accensæ faces, & thymiamata; de quibus occurrit mentio in Conciliis Ephesino act. 1, Chalcedonensi act. 10; & apud S. Gregorium Nazian. orat. 20; agunt vero Cedrenus pag. 489; Pachymeres lib. 1. cap. 15; & Balsamon jur. Orient. lib. 7. pag. 444. 9. Peculiare erat Patriarchis jus Σταυροπηγιον. Stauropegion a Græca voce σταυρός, Crux, & πηγό inusitata, sive πηγνυμι, figo, Latine Crucis fixionem significat, sive jus erigendæ, aut defigendæ Crucis. Videlicet vetus est in Ecclesia consuetudo, ut ubi Monasterium, aut Templum extruendum sit, illius ædificationi præcat defixio Crucis, & quidem, loquendo de Templo, eo ipso in loco, qui Mensæ sacræ, sive primario Altari erigendo designatur; illaque solemnis defixio Crucis *Stauropegion* a Græcis denominatur: cujus quidem defixionis ritum describitur in Euchologio Græcorum, notisque egregie illustratur a Goario: Crucis autem defixio non nisi Episcopi auctoritate peragitur, tumque novum illud Templum Episcopi jurisdictioni accedit, & obnoxium evadit.

Itaque

jtaque Patriarcharum juris particula erat *Stauropegion*, ſcilicet us defigendæ Crucis ubique locorum ſuæ Diœceſis, ac præſertim in locis, ubi erigenda Monaſteria eſſent, quæ ea ratione, eoque ritu uni Patriarchiæ fiebant obnoxia, cujus poſtea nomine ab Archimandritis adminiſtrabantur: de Stauropegio agit Macarius Ancyranus apud Allatium lib. 1. Conſenſ. cap. 18. Georgius Pachymeres lib. 6. cap. 11. perhibet a Michaele Palæologo ex odio præcepto in Jo: Veccum Patriarcham, hominem fœderi in Synodo Florentina ſancito addictiſſimum, lege lata Stauropegium fuiſſe abolitum, ac Monaſteria ejuſdem poteſtati ſubducta: at Michaele defuncto Stauropegium Conſtantinopolitano Patriarchæ reſtitutum auctor eſt Matthæus Blaſtares: ſed & Theodorus Balſamon edictum deſcribens Alexii Comneni Monaſteriorum Stauropegium Patriarchæ vindicat. Videſis Jus Græco-Romanum lib. 2. cap. 8. Perporro Conſtantinopoli uſque ad Photii, deincepſque tempora, Monaſterium S. Sergii ſub unius Romani Pontificis Stauropegio degebat, hoc eſt ad unius Pontificis Romani jus pertinebat: quippe Vigilius Conſtantinopoli degens, Juſtiniani Imperat. iram veritus, ac declinans ad S. Sergii Baſilicam confugit, teſte Theophane ad annum 20. Juſtiniani: quin explicatiſſime Johannes VIII. in epiſt. 109. edit. Hard. ad Imperatores proprii juris Pontificii Monaſterium illud fuiſſe affirmavit. Præterea domum Placidiæ cum Altari ibidem erecto ſolius Apoſtolicæ Sedis juriſdictioni ſubjacuiſſe habetur in vita S. Martini I. apud Anaſtaſium Bibliot. tom. 4. edit. Blanchinii pag. 48. Monaſterium etiam Ordinis Cluniacenſis in Suburbio Conſtantinopolitano ſub unius Romani Pontificis obedienria viguiſſe, Michaelis Cerularii adhuc ætate, a quo conflato ſchiſmate vim paſſum eſt, conjicere haud obſcure licet ex V. Petro Clun. lib. 1. epiſt. 39. ad Johannem II. Comnenum Imperat., & lib. 2. epiſt. 40. ad Johannem IX. cognomento Hieromnemonem Conſtantinopolit. Patriarcham. Id autem omne in indicium haud leve profecto cedit ſummi juris a Pontifice Romano in Patriarchatu Conſtantinopolitano exerciti: quam juris particulam quidem veſtigium fuiſſe priſci juris Patriarchici, quo in Thraciam potiebatur Romanus Pontifex, qui putet, conjectura prudenti ſua haudquaquam aberrabit. Confer,

qui diserte de Stauropegio agunt, Lupum in scholiis, & Not. ad Canon. 4. Chalcedon.; Lequiennium loco ind.; Thom assinum par. 1. lib. 1. cap. 16; & Benedictum XIV. de Synodo Diœcesi. lib. 1. cap. 4. n. 3. edit. Ferrar., sive Patav. 1756.

Loco post Patriarchas secundo habebantur olim Exarchi derivato ex Græco aut verbo ἐξαρχῶ, incipio, aut vocabulo composito ab ἐξ, & ἀρχός, princeps, nomine dicti. Exarchorum nomen usurpari cœpisse videtur anno 347. a Concilio Sardicensi Can. 6, tum deinde anno 397. a Concilio Carthaginensi III. Can. 26, in Cod. Canon. Eccles. Afric. Can. 39: quibus tamen in locis pro Metropolitanis usurpatur. Pro Exarcho Provinciis Præfecto accipitur a Concilio Antiocheno anno 445: at dubium est an pro Patriarcha intelligi debeat, nam Domno Antiocheno tribuitur act. 14. Concilii Chalcedonensis. Dubitare etiam subit de Exarchorum institutione. Qui Nicæno Can. 6. verbis illis: *Similiter apud Antiochiam, cæteraſque Provincias ſuis* πατριαρχείαις in vers. Dionysii Privilegia, *ſerventur Eccleſiis*, Exarchorum designata jura existimant, per me licet, existiment, at mera conjectura est. Socrates lib. 5. hist. Eccles. cap. 8. de Episcopis verba faciens, qui ad Concilium Constantinopolitanum anno 382. secundo convenerant, tradit ordinato Nectario Theodosii Imp. nutu πατριάρχας Patriarchas fuisse constitutos, qui Ecclesias Orientis, Asiæ, & Thraciæ lustrarent, & instaurarent. Itaque Nectario cum Urbe Regia Thraciam omnem obtigisse: Helladio Cæsareensi, Gregorio Nysseno, & Otrejo Melitinensi Ponticam Diœcesim: Asiam Amphilochio Iconiensi, & Optimo Antiochiæ Pisidiæ Episcopo: Ægyptum Timotheo Alexandrino: Orientis denique Ecclesias Pelagio Laodiceno, & Diodoro Tarsensi commendatas: Sozomenus lib. 7. cap. 9. subjungit Urbes Thraciæ, & Scythiæ Terentio Tomitano, ac Martyrio Marcianopolitano traditas. Socratem eo loci hallucinatum, quum Patriarchas heic primum institutos asserit, ideoque a Sozomeno emendatum fuisse, quique ab illo Patriarchæ, rectius ab isto Communionis Catholicæ Principes, & Capita fuisse appellatos, fuisseque ita appellandos ex L. 3. Codic. Theodos. *De fide Catholica* affirmat Thomassinus par. 1. lib. 1. cap. 17. Liberalius agit cum Socrate Vale-

Valeſius in Annot. ad eum locum, ſic eumdem interpretatus, ut ibidem loquutus non ſit de ordinariis Patriarchis, ſed de extraordinariis Legatis, qui ad ſtabiliendam rectam fidem per ſingulas Diœceſes fuerant deſtinati. Mea vero ſententia quam abs veritate procul aberrant, qui ex Socrate arguunt in Concilio Conſtantinopolitano I. tum primum inſtitutos Patriarchas, tam ii longe abſunt, qui ex Sozomeno contendunt tum primum obtinuiſſe Exarchos. Poſterior hic enim neque magis de Exarchis, quorum in cenſum venere nunquam Epiſcopi Tarſenſis, Laodicenus, Iconienſis, Nyſſenus, Melitinenſis, Tomitanus, & Marcianopolitanus, loquutus eſt, quam ille prior intelligi de Patriarchis debeat, aut poſſit. Certiora igitur monumenta inquirenda ſunt, ex quibus Exarchorum inſtitutio ſtabiliatur.

Eodem tempore Exarchos obtinuiſſe, quo primum occepere Patriarchæ, ſive juxta familiarem ipſi fraſem, quum principalium Urbium Præſules opportunitatem arripuere peculiaria ſibi jura in Provincias vindicandi, obtrudit Dupinius de antiq. Eccleſ. diſcipl. diſſert. 1. §. 11. Contra Dupinium pugnat doctiſſ. Blancus de poteſt., & polit. Eccleſ. tom. 4. lib. 2. cap. 1. §. 3, Parriarchas ſicut ordine, ſic origine Exarchis præceſſiſſe, exinde conjecturam capiens, quod in Concilio Conſtantinopolitano I. Can. 2. (id ipſum dicere pronum erat de Nicæno Canone 6.), expreſſa quidem Alexandrini, & Antiocheni occurrat mentio, velut eorum, quibus vel Ægypti, vel Orientis cura incumbebat, de Epiſcopis vero Diœceſum Aſianæ, Ponticæ, & Thraciæ generalis dumtaxat incidat ſermo, tanquam eorum, inter quos, ac ſingulatim diſpertita ſingularum eſſet Eccleſiarum cura. Conjecturam hanc confirmat ſuam ex Can. 3, quo tres iſtæ Diœceſes Patriarchæ Conſtantinopolitano tum primum creato ſubjugantur, quin ulla trium Exarchorum mentio fiat, ac quin iidem tres Exarchi Canoni eidem interceſſerint. Diſplicet mihi quidem Dupinius Patriarcharum juriſdictionem ab uſurpatione originem traxiſſe ſcribens, neque tamen placet magis Thomaſſinus ajens par. 1. lib. 1. cap. 17. n. 6. Exarchias tres illas ſero exortas cito deſiiſſe, ac vix ſæculum impleviſſe unum: nempe poſt Nicænum Concilium occepiſſe, in Conſtantinopolitano I. occubuiſſe. Equidem

in re adeo obscura, deficientibus injuria temporum Ecclesiasticarum originum monumentis, unde lux affulgere posset, certi quidpiam statui absque temeritatis, aut erroris periculo nequit: ex his tamen, quæ mox de Exarchis ipsis subtexo, atque ex his, quæ paullo post de Ecclesiasticis Primatibus, & Metropolibus disseram, veri fiet, aut ego fallor, simile ab Apostolis, aut a Patribus Apostolicis, non secus ac Primaruum, ac Metropolitarum, (de re loquor, non de nomenclatione), ita Exarchorum originem repetendam. Juvat nunc interea nonnihil immorari circa Canones 9, & 17. Concilii Chalcedonensis, quibus, siquis læsus sit a Metropolita suo, jubetur pergere ad ipsius Diœcesis τὸν διοικήσεως ἔξαρχον, sive ἔπαρχον, Primatem, sive Præsidem &c. Circa horum Canonum interpretationem grave jurgium exarsit inter Sirmondum, & Salmasium: nam Salmasius apud Chalcedonenses Patres Exarchi nomine non alium, nisi Patriarcham Alexandrinum, & Antiochenum venisse contendit: Sirmondus e contra Advent. par. 2. capp. 2, & 3, & in propemt. de Eccles. Suburbic. cap. 3, & seqq. acceptos ibidem autumat Episcopos Provinciis Asianæ, Ponticæ, & Thracicæ præfectos, ideſt Ephesinum, Cæsareensem, & Heracleensem. Sirmondo adhæsit Lupus in Scholio ad Canonem 9. Chalced. observans ex Constantinopolitanis Episcopis nullum ex eo Canone, sicuti nec ex Can. 17, ejusmodi privilegium sibi assumpsisse judicium ferendi de Metropolitis, qui sub jurisdictione aliorum Patriarcharum degerent. Quin imo horum Canonum, ac Patriarchatus Constantinopolit. acerrimum vindicem Justinianum in Novella 123. cap. 22. diserte statuisse adversus Metropolitas privative agendum coram proprio fore Patriarcha: eamque Legem ut pote in viridi observantia suo Nomo-Canoni insertam fuisse a Photio, juxta quam perinde affirmarint Theodorus Balsamon, Jo: Zonaras, Matthæus Blastares, aliique Græcorum Canonistæ ex uno Patriarchatu ad alium provocare nefas esse. Atque hanc quidem præseferre interpretationem videntur Canones illi: quibus præcipitur, ac permittitur disjunctim adiri aut Diœcesis Primas, aut Constantinop. Patriarcha: quod bifariam, commodeque accipi potest: scilicet ideo statuit alternative Synodus, ut ad Exarchos, aut ad Constantinop.

tinop. Epiſcopum appellatio fieret, quia hinc jure ſuo exſpoliandi illi non erant; illinc vero, quum Conſtantinopoli magno numero Epiſcopi continue verſarentur, ibique quaſi perpetuam quamdam Synodum conflarent, cui regiæ Urbis Antiſtes præſidebat, ut animadverrunt Thomaſſinus par. 2. lib. 3. cap. 43, & Benedictus XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 1. cap. 1. n. 3, abſque Exarchorum injuria proinde appellationes a Metropolitis Conſtantinopolitanis his Synodis permiſit iſti: vel ideo ſtatuit alternative Synodus, ut ad illos, aut ad hanc appellationes interponi poſſent, quatenus hinc quidem de Conſtantinopolitani Epiſcopi dignitate amplificanda conſilia agitabat, quæ demum Can. 28. perfecit; illinc vero Exarchos illos penitus exauctorare nolebat, ac in ſimplicium Metropolitarum ordinem retrudere. Salmaſio aſſentitur Blancus tom. 4. lib. 2. cap. 1. §. 3. ea ratione permotus, quod ſi Canones 9, & 17. eſſent intelligendi de tribus Exarchis illis, pugnarent evidenter cum Canone 28: illis enim jus adſertum intelligeretur ordinandi Metropolitas trium Diœceſum, ſicuti adſeritur jus de Metropolitis ipſis dijudicandi: iſto vero jus Ordinationum Metropolitarum in tribus illis Diœceſibus evidenter Conſtantinopolitano Epiſcopo attribuitur. Præterea antequam Canon 28. ederetur, interpellati, uti de jure oportebat, non ſunt tres Exarchi: poſtquam vero eidem Canoni edito Legati S. Leonis interceſſiſſent veluti adverſo Nicænæ Synodi Canoni 6, ac vi, fraude, doloque extorto, tum a Judicibus interpellati Exarchi ſponte ſe Canoni ſubſcripſiſſe teſtati ſunt. Denique S. Leo M. epiſt. 53, & 55, nunc 79, & 80. Canonem 28. convellens id unum cauſſatus legitur, quod eo Canone Primatuum, (quo nomine accipi Metropolitas vult Blancus: male vero acceptos Patriarchas Alex., & Antioch. a Morino lib. 1. Exercit. Eccleſ. 8. oſtendit Queſnellus in Not. ad præl. epiſt. 80.), juriſdictioni inflicta fuiſſet injuria; quorum nempe jus Ordinationum Anatolius eo Canone ad ſe retraxerat. Ex his duabus alterutram, quam eruditus Lector malit, interpretationem, per me licet, amplectatur: mihi enim properandum alió jam eſt.

Ex quinque Diœceſibus, in quas Oriens diſtributum erat, duabus Ægypti, & Orientis proprie dicti præerant duo Patriarchæ

chæ Alexandrinus, & Antiochenus: at tribus aliis Asiæ, Ponti, & Thraciæ præfecti erant tres Exarchi, Asiæ Ephesinus, Ponto Cæsareensis, & Thraciæ Heracleensis, quibus non eæ prorsus erant Provinciæ obnoxiæ, quæ Prætorio Præfecto parebant: nam Diœcesis Asiana ordine Civili dinumerabat Provincias decem, Exarcho vero Ecclesiastico undecim obediebant: in Diœcesi Pontica decem etiam præferebat dispositio Civilis, quæ in Ecclesiastica Exarchia undecim erant: in una Diœcesi Thraciæ par earum numerus, quæ a Præfecto, & quæ ab Exarcho administrabantur. Quantum per Ecclesiastica monumenta fas est, scrutari nunc præstat, qua demum fieri ratione potuerit, ut præ aliis Urbibus Ecclesiasticas in Exarchias assurrexerint in Diœcesi Asiana Ephesus, in Pontica Cæsarea, & in Thracica Heraclea: exinde enim non modica ad earumdem Exarchiarum attingendam originem, institutionemque lux refundetur. Et quidem de Ephesina Eparchia difficile non est documentum haud obscurum capere a Tertulliano de præscript. cap. 20, ubi Ephesinam inter Ecclesias Apostolicas adnumerat; a S. Irenæo apud Eusebium lib. 3. cap. 23; a S. Jo: Chrysostomo in 1. ad Timoth., & ab Eusebio cap. 4, a quibus traditur a S. Paulo Timotheus Ecclesiæ Ephesinæ præfectus, de quo plura Baronius in Martyrol. ad diem 24. Jan.; Bollandus tom. 2. Jan. ad eamdem diem; Hermannus Witsius Miscell. tom. 2, exercit. 16; Gottlob Fridericus Gude de statu Eccl. Ephesinæ ævo Apost., & Fabricius tom. 9. Bibliot. Græcæ pag. 150. Quoad Cæsareensem vero, & Heracleensem attingit, si fidem mererentur Hippolytus, & Dorotheus, expedita difficultas esset, nam ab Apostolis Cæsareæ Apollo, & Heracleæ Barnabas Episcopi constituti haberentur. Atqui horum scriptorum haud explorata fides quum sit, hanc ex aliis conjecturis assequi tentare magis refert. Principio siquidem S. Paulus Asiæ, & Thraciæ Ecclesias instituisse, constituisseque ideo Episcopos, tradiur Act. Apost. 16. v. 11; 18. v. 19, & 24; & 19. v. 1, & seqq., probatam evasisse S. Petro Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ a S. Paulo ipsius in partes sollicitudinis evocato, earumque præsertim Ecclesiarum, quas ipsemet S. Petrus sua præsentia, Evangeliique prædicatione illustraverat, & perfuderat, quis ambigat? Præterea, quod huc pro-

proxime facit, a S. Petro per ſe met peragratas Provincias Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ liquet ex ipſius epiſt. 1. cap. 1. v. 1; quibus perinde in Provinciis ubique Eccleſias ab eodem Apoſtolo fuiſſe erectas, præfectoſque ad earumdem gubernationem Epiſcopos tradunt Origenes hom. 3. in Gen. apud Euſebium lib. 3. cap. 1; S. Epiphanius hær. 27. n. 6.; S. Hieronymus de Script. Eccleſ. cap. 1; S. Eucherius Lugd., ſive Auctor quæſt. in Acta tom. 6. Bibl. PP. Lugd. pag. 852; qua de re præſtat adire Tillemontium tom. 1. Monum. pag. 169, & ſeq., & Papebrochium tom. 5. Junii ad diem 29. Qui igitur probe iſta tenet, haud procul abeſt, quin earum trium Eparchiarum originem Eccleſiaſticam propius attingat.

Earumdem in cenſum Eparchiarum referri tam commode, quam recte queunt aliæ duæ Eccleſiæ, Cypria, & Theſſalonicenſis, quarum Metropolitis locum inter Exarchos denegare non licet. Equidem Conſtantienſis, ſive Salaminus in Cypro Antiſtes an olim Antiocheno obnoxius eſſet, liquido non conſtat, an eſſet Autocephalus, ſuique abſolutiſſimi juris: etſi conſtet Cypri Inſulam unam ex Provinciis fuiſſe, quæ in Civili diſpoſitione Prætorio Præfecto Orientis parebant. Secure, certoque id ſtatui poteſt Cypriam Eccleſiam diverſam expertam fortunam fuiſſe, mox adverſam, ac mox propitiam. Cyprio Exarcho primum ſe infenſum valdequam præbuit Alexander Patriarcha Antiochenus, qui litteris ad S. Innocentium I. inſcriptis graves in querelas effuſus, quod Cyprius Metropolita opportunitate arrepta, dum Antiochena Eccleſia in Arianorum poteſtatem devenerat, diutinoque ſchiſmate per annos 48. diverſa in ſtudia diſcinderetur, excuſſo Antiocheni jugo, ſe abſolutum contenderet, jamque diu eodem inconſulto a Cypriis Epiſcopis ordinaretur, a Pontifice litteras in edit. Concil. 18, Coutantii 24. impetravit, quibus Cyprii ad veterem Antiochenæ Eccleſiæ obedientiam, ſubjectionemque regredi, ſeque referre jubebantur. Alexander itaque, ejuſque ſucceſſor Johannes fas hinc arripuerunt Cypriorum Antiſtitum Ordinationes ſibi attribuendi: donec aliquantis poſt annis Cyprii inſtaurato pro libertate certamine in Concilio Epheſino, contendentes ab ævo Apoſtolico Inſulæ Metropolitas a Synodo Provinciæ ſemper, numquam

ab

ab Antiocheno, fuiſſe ordinatos, eiſdem Act. 7. cauſſa adjudicata eſt, atque ab Antiocheni obedientia ſunt abſoluti. Audis a Patribus Epheſinis refictum judicium, quod ab Innocentio Pontifice M. fuerat procuſum, Cyprioſque a Concilio in libertatem aſſertos, qui a Pontifice ante fuerant Antiocheno ſubjugati! At vero attendas velim non equidem Patres Epheſinos inceſſiſſe ambitum cum Romano Pontifice adverſa fronte confligendi, neque perinde cum decreto Pontificio colliſiſſe decretum Epheſinum: nam decreto ſuo hanc prudentiſſime conditionem appoſuere: *Si non eſt vetus mos, quod Epiſcopus Antiochenus ordinet in Cypro* &c. perſuaſi nempe, quod neque Pontifex Cypriis auctor fuerit, ut ab Antiocheno Præſule ſe ordinari paterentur, niſi quatenus ex fide Alexandri fuiſſet ipſe perſuaſus, quod veteri eſſet in more poſitum, ut in Cypro ab Antiocheno Epiſcopo Ordinationes celebrarentur. Confer doctiſs. Coutantium in Not. ad epiſt. 24. S. Innocentii I. pag. 853, ac Thomaſſinum vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 18. Subacta deinde Saracenorum armis Inſula, Johannes ejuſdem Eparchus in Helleſpontum ſecedere compulſus eſt: ejus autem in gratiam, Juſtiniano Imp. procurante, a quo Conſtantina ſuo deinceps de nomine Juſtinianopolis dici fuerat decretum, a Trullana Synodo Can. 39. ſancitum eſt, ut Autocephalia, ſive independentia ab Antiocheno Epiſcopo, quæ ab Epheſina Synodo eidem aſſerta fuerat, integra maneret non modo, ſed imo ſuam deinceps juriſdictionem extenderet in Helleſponti Eccleſias omnes, ipſumque etiam Cyſicenum Metropolitam. Quamquam indultum iſtud quoad partem ſecundam pertinet, ideſt ad jus exercendum in Helleſponti Eccleſias, perſonale fuiſſe dumtaxat præſumendum eſt. De Theſſalonicenſi Exarcho dicam paullo poſt opportunius, & copioſius.

Dignitate, ac juriſdictione proximi Exarchis Primates erant, quorum poteſtas haud extenſione minores in Provincias effundebatur. In his a priſca Eccleſiæ ætate, continenterique plurium retro ſæculorum ſerie celeberrimus Primas Carthaginenſis habebatur. De quo multa quidem jam diſputavi, circa reliqua fidem, quam obligaveram, meam jam libero. Tam veterem perporro in Eccleſia Africana eſſe Primatem, (re, inquam, non nomine),

mine), Carthaginenſem, quam vetus ibidem Chriſtiana Religio poſſit æſtimari, ideoque ut cum ipſa Religione Primatus ille fuerit inductus, æquo, proboque Eccleſiaſticorum Monumentorum æſtimatori indubium eſſe debet: quum a dubio procul abſit omni a Romanis Pontificibus Religionem Chriſtianam in Africam fuiſſe invectam, Romanis itidem a Pontificibus Carthaginenſem Primatum, una cum Eccleſiaſtica Hierarchia ibidem ſtabilita, acceptum fore referendum probe nemo non perſpicit. Patet vero Primatis illius antiquitas potiſſimum ex Synodis totius Africæ, quæ paſſim indictæ a Primatibus Carthaginenſibus leguntur: eamdemque teſtimonio confirmant ſuo S. Cyprianus in epiſt. 45. ad S. Cornelium Papam; S. Gregorius Nazianz. in Encomio S. Cypriani; Marius Mercator in commonit.; S. Auguſtinus in epiſt. 162; Poſſidius in vita S. Auguſtini; Epigonius in Concilio Carthagin. III. cap. 45; Victor Vit. lib. 2. de perſecut. Vand.; Petrus Abbas in precibus ſuis ad Bonifacium Carthag.; S. Martinus I. in epiſt. 4. ad Eccleſiam Carthag.; S. Leo IX. in epiſt. 3, & 4. ad Thomam, Petrum, & Johannem Afric. Epiſcopos, aliique, quibus ſuperſedeo. Primati Carthaginenſi itaque principio tres Provinciæ tantum peramplæ tamen parebant, Proconſularis dicta a Proconſule, ſive Vicario Præfecti Prætorio, Carthagine demorante, Numidia, & Mauritania, uſque ad Conſtantini M., aut imo Theodoſii Seniotis ætatem, ſub qua diviſa civiliter Africa in ſex Provincias, in diſpoſitione Eccleſiaſtica quinque, non plures, ad Carthaginenſis Primatis juriſdictionem acceſſerunt, ut auctor eſt Ferrandus in Brev. Can. tit. 82; quia nempe Provincia Sitifenſis non ſtatim nacta ſuum eſt Primatem, quem ſub Aurelio dumtaxat obtinuit Can. 17. Cod. Eccleſ. Afric. Quin etiam, ut jam admonui, ſub id temporis Provincia Tingitana Civili ordinatione ad Hiſpaniam pertinens, in Eccleſiaſtica politia Mauritaniæ Cæſareenſi parebat. Quæ abs me dicta accipi ita volo de diviſione Africæ, ut nulla tamen unquam a Primatis Carthaginenſis ſubjectione exempta intelligatur; cui utique Africam univerſam paruiſſe liquido demonſtravi pag. 80; & 122, & ſeqq. Porro uno dempto Primate Carthaginenſi, ut ibidem adnotavi, ceteri Provinciarum Metropolitæ certæ Eccleſiæ adfixi non erant,

ſed ii erant, cujuſque eſſent Provinciæ Epiſcopi, qui eſſent Ordinatione antiquiores; quique *Senes* proinde denominati leguntur, præter alios, de quibus pag. 122, a S. Auguſtino in epiſtolis 149, 152, 235, 236, & 261, in qua poſtrema ad S. Cæleſtinum Papam admonet privilegio iſto in pœnam alicujus delicti Epiſcopos Africanos mulctari aliquando conſueviſſe: interea ad unum omnes uni Primati Carthaginenſi obtemperare debebant: cujus jura erant Concilia totius Africæ congregare, eiſque præſidere, uti ex Conciliis Carthagine paſſim habitis patet: Epiſcopos in Africa univerſa, ubicumque vellet, creare, & conſecrare, ex Conciliis Carthag. II. ſub Genethlio Can. 12, Carthag. III. ſub Aurelio Can. 45, & Carthag. ſub Bonifacio Cod. Eccl. Afric. Can. 55: ad Primatem referri debebant nomina Epiſcoporum decedentium, ac ſuccedentium, ex Conciliis Carthag. XIX. ſub Aurelio, & Carthag. anno 525. ſub Bonifacio; quorum Epiſcoporum ſubinde nomina a Primate Carthaginenſi deferri ad Pontificem Romanum debebant, ex S. Cypriano epiſt. 55: Synodicas Conciliorum Africæ ceterorum Antiſtitum nomine conſcribere, & mittere, ex Conciliis Carthag. VI. ſub Aurelio, Carthag. ſub Bonifacio, & Cod. Can. Eccl. Afric. Can. 85: Canonum in Conciliis ſtatutorum obſervantiæ invigilare, ex eodem Concilio ſub Bonifacio: Epiſcopatus novos erigere, ex Concilio Carthag. III. ſub Aurelio Can. 42., cum quo tamen confer Ferrandum cap. 13, Carthag. II. ſub Genethlio Can. 5, Cod. Eccl. Afric. Can. 53; Toletanum XII. cap. 4; & Gratianum 16. q. 1. C. *Felix* 50, & C. *Multis* 51: Viſitare Eccleſias univerſas Africæ, ex Concilio Hipponenſi anno 393, & Cod. Eccleſ. Afric. Can. 52: quo loco tamen *Viſitare* idem valere, ac Concilio adeſſe Harduinus explicat: Quæſtiones definire circa ſucceſſiones Metropolitarum, ex precibus Sitifenſis porrectis in Synodo Hipponenſi, ex Conciliis Carthag. III. ſub Aurelio Can. 46, Carthag. ſub Bonifacio, & Cod. Eccl. Afric. Can. 56: Diſpenſariones in gravioribus rebus largiri: unde Valerius Hipponenſis ab Aurelio Carthaginenſi facultatem aſſumendi in coadjutorem, ac ſucceſſorem S. Auguſtinum poſtulaſſe legitur apud Poſſidium in vita ejuſdem S. Auguſtini. Mitto alia minoris momenti jura, quæ fuſius proſequitur doctiſ. P. Lupus in diſſert. 2. de

de Afric. Eccl. Appellat. cap. 6., de quibus præterea adeundus Thomaſſinus par. 1. lib. 1. cap. 20.

A S. Romana Eccleſia inſtitutum fuiſſe Primatem Carthaginenſem, eumdemque ideo non Autocephalum, ſed Romano Pontifici tanquam uni Occidentis univerſi Patriarchæ manſiſſe ſemper obnoxium, innumera, eaque inconcuſſa Africanæ Eccleſiæ monumenta nos docent, ex quibus pauca delibanda ſuſcipio. Tertullianus lib. de Præſcript. cap. 20. haud obſcure indicat a Romana Eccleſia in Africanam derivaſſe auctoritatem. S. Cyprianus, de quo longe plura tom. 2. par. 1. art. VIII. in proleg., in epiſt. 42, & 54. Synodicis ad S. Cornelium Papam de ſchiſmate nuper in Africana Eccleſia ſuborto accuratam relationem mittit, nec non rationem decreti circa lapſos diligentem reddit: in epiſt. 55. ad eumdem nomina deſcripta Epiſcoporum dirigit, qui in fide ſani, integrique eſſent; in quam epiſtolam vide, ſi placet, Pamelii notas: & in epiſt. 72. Synodica ad S. Stephanum geſtorum in Synodo eumdem certiorem facere officio deputat. S. Siricius in epiſt. 5. ad Africæ Epiſcopos ſancit, ne abſque Sedis Apoſtolicæ conſcientia Ordinationes in Africa celebrentur: quam Epiſtolam contra Queſnellum, Papebrochium, & Blondellum vindicant Baluzius in append. lib. de concord., Lupus de Afric. Eccleſ. appell. cap. 3, Pagius ad annum 386. n. 2, & Contantius in monito prævio ad hanc epiſt., cujus etiam videſis notas in Cap. 1. S. Innocentius I. in epiſt. 1. edit. Concil., 25. edit. Cont. n. 2. in Africa, non niſi a S. Petro, aut ſucceſſoribus Romanis Pontificibus Eccleſias fuiſſe inſtitutas perhibet, ideoque conſtitutos ibidem Epiſcopos. S. Auguſtinus in epiſt. 162. a Romana Eccleſia Religionem in Africam fuiſſe invectam prodit, ideoque pariter inductam Eccleſiaſticam Hierarchiam; & lib. 3. contra Creſconium cap. 24. pſeudo-Synodum Philoppopolitanam graviſſime hoc nomine ſuggillat, quod Synodicam Donato Carthag. inſcripſiſſet, prætermiſſo Romano Pontifice. Ad SS. Siricium, Anaſtaſium, Innocentium, Zoſimum, Bonifacium, & Cæleſtinum PP. MM. ampliſſimæ cum litteris Synodicis Legationes frequenter ab Africana Eccleſia miſſæ, dum gravioribus urgeretur, vexareturque quæſtionibus, leguntur in Cod. Can. Eccleſ. Afric. Can. 47, 56,

65, 68, & 93, ſive pro collapſæ diſciplinæ reſtauratione, ſive pro remiſſione de ſacrorum Canonum rigore, ſive pro informatione rectorum dogmatum, ſive pro confirmatione indicis divinorum librorum; liquetque ex Synodicis ad S. Innocentium anno 416; ad S. Zoſimum anno 417. apud S. Auguſtinum epiſt. 47, nunc 215, & anno 418. apud S. Proſperum lib. contra Collat. cap. 5, & S. Auguſtinum lib. 2. ad Bonifacium cap. 3; Synodicique ad S. Bonifacium anno 419, & ad S. Cæleſtinum circa annum 425. Dum Africa gemeret ſub Vandalis, (gemuit autem ſæculo circiter uno, quod ab anno ſcilicet 429, quo a Genſerico invaſam Africam oſtendit Pagius ad annum ſuperiorem n. 2, & ſeqq., ad annum 534, quo a Juſtiniano recuperata eſt, interfluxit; Carthago vero capta anno 439, ideoque Africa univerſa, annis dumtaxat circiter 95. eorum jugum ſuſtinuit), Victor Vitenſis refert lib. 1. de perſecut. Vand. a SS. Monachis Martiniano, & Saturniano miſsos fuiſse legatos ad S. Leonem M. rogaturos, ut Sacerdotes Roma dirigeret in Provinciam Mauritaniæ paganam, quam ipſi Evangelio mox excoluerant. Poſtquam Africam a Vandalis in libertatem aſſeruiſſet Juſtinianus, eamdemque Romano Imperio, Religionique Chriſtianæ reſtituiſſet, Reparatus coacto Epiſcoporum 217. Carthagine Concilio ad Johannem II. P. M. Synodica exarata, apud Harduinum tom. 2. pag. 1154, rogavit enixe, ut ab Apoſtolica Sede diſciplinæ Eccleſiaſticæ regulas acciperet, quibus Eccleſia Africana ad priſcam Romanæ Eccleſiæ formam reſtauraretur: quas autem reddidit S. Agapetus tum iis, quibus antequam faceret ſatis, fini conceſſerat ſuo Johannes, tum iis, quas anterioribus illis Reparatus adjecerat, Baronius deſcribit ad annum 535. pag. 221. edit. Rom. 1596. Dominicus Carthaginenſis honorifica ad S. Gregorium M. anno 592. legatione decreta obſecravit, ut Eccleſiæ ſuæ jura per ipſum loco integra ſtarent: qui reſcripta epiſt. 32. lib. 3. libenter eadem tum in fidem ſuam accepit; tum unde demum eadem ſuam nacta eſsent originem, indicavit, etſi optime exploratam illi non neſciret: *Scientes unde in Africanis partibus ſumpſerit Ordinatio Sacerdotalis exordium, laudabiliter agitis, quod Sedem Apoſtolicam diligendo, ad officii veſtri originem prudenti recordatione recurritis.* Denique poſtquam

quam Africa jamdiu in poteſtatem Saracenorum deveniſſet, auctor eſt Willelmus Nangiacenſis in Chron. ad annum 1049. Carthaginenſem Epiſcopum Romam ad Pontificem contendiſſe, ab eodem ut conſecraretur, locique confirmationem reportaret. Confer S. Leonis IX. epiſt. 3. ad Thomam, & 4. ad Petrum, & Johannem Afric. Epiſcopos; ac S. Gregorii VII. lib. 1. epiſt. 22. ad Carthaginenſes, 23. ad Cyriacum Carthag., lib. 3. epiſt. 19. ad eumdem, 20. ad Hipponenſes, & 21. ad Anzir Mauritaniæ Regem: nec enim perſequi omnia opus eſt.

Primus inter Primates locus dandus profecto erat Carthaginenſi, ut qui poſt Romanum Pontificem in Occidente poteſtate, dignitateque potior ſemper eſt habitus. In Italia, de qua loco ſecundo loqui quammaxime decet, quæſtionem movet doctiſs. Thomaſſinus vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 33. n. 13. an Ticinenſis, ſive Papienſis Antiſtes Primatis dignitate aliquando fuerit inſignitus: quam movendi quæſtionem occaſionem accepit a Johanne VIII. P. M., qui in epiſt. 139. Mediolanenſi, & Ravennati Metropolitis jubebat, ut cum Suffraganeis convolarent ad Concilium, quod ob gravia, difficiliaque, quæ incidere poſſent, negotia, a Ticinenſi Præſule, ac ſucceſſoribus indici contingeret. In eam partem tamen vir eruditus propendit, ut exiſtimet Ticinenſem Primatum exinde haud concludi, ideo quod Primati jus primario adnexum de appellationibus judicandi, Ticinenſi delatum ibidem non legitur. Conjicit hoc jus Ticinenſi ideo collatum, quod duobus illis Metropolitis de jure Concilia indicendi tamdiu, ac tam pertinaciter digladiantibus, tot jurgiorum pertæſus tandem Pontifex in Ticinenſem jus illud tranſtulerit. Effectu tamen caruiſſe indultum, ac Pontificem facile rationibus, precibuſque a Metropolitis illis inflexum a propoſito reſiliiſſe inde ſubinfert, ſiquidem in Ticinenſi Synodo, cui præfuit ipſe Pontifex, Ticinenſis poſt Mediolanenſem ſubſcripſerit: quamqam intactum relinquit, an epiſtola illa anterior, poſteriorve fuerit Synodus. Atqui poſteriorem fuiſſe ex altera ipſius Pontificis epiſt. 141. ad Ticin. Epiſcopum jure colligit doctiſs. Manſius in Animad. ad hunc Thomaſſini locum; quin exinde concludit adverſus Muratorium, a quo Anecd. tom. 1. in diſſert. de antiq. jure

Me-

Mediol. Archiep. cap.7. præcit.epiſt. 139. in dubium fuerat revocata, eamdem genuinum Johannis VIII. fœtum habendam fore. Ex altera perinde epiſt.140. Thomaſſini conjectatio evaneſcit demutata a Pontifice ſententia: ſiquidem Ticinenſi animos indit, inſtatque, ne cujuſpiam ſe decipi inſtinctu, ac ſignatim pro Mediolanenſis parte, patiatur, ſed indulta poteſtate indicendi Synodos Pontificia fretus auctoritate uti non deſinat. Quid imo, quod Honorius III. primo ſui Pontificatus anno dato ad Fulionem Ticinenſem Epiſcopum Diplomate collatas a Deceſſoribus ſuis prærogativas inſigni hac adauxit, ut Papienſes Epiſcopi in Synodorum celebratione ad ſiniſtrum Pontificis latus ſedentes primumhonoris locum perpetuo tenerent? Ad hæc Papienſem Epiſcopum Pallio inſignitum jam pridem, jureque prægeſtandi Crucem affirmat Benedictus XIV.de Synodo Diœceſ.lib.2.cap.6.n.3, &lib. 13. cap. 15. n. 17., quem perinde titulo Archiepiſcopi Amaſeni perpetuo adauxit Conſt. 74. Ad *Supremam*. Hinc attamen doctiſs. Pontifice ibidem admonente nihil amplius juris, dignitatiſque iis Epiſcopis acceſſiſſe, præter ea, quæ Pontificia indulta præferrent, augurari proinde fas eſt Papienſis Epiſcopi facultates a Johanne VIII, & Honorio III. factas extra indulti terminos non fore extendendas.

Age modo de Piſano Antiſtite ſolidiora ex Ughello Ital. Sacræ tom. 3. pag. 443, & tom. 4. pag. 1180. promantur, quibus ipſius Primatus ſuffulciri, fierique explicatior poſſit. Principio Landulpho Piſano, ejuſque ſucceſſoribus Apoſtolicæ vices inCorſicam Inſulam collatæ leguntur a S. Gregorio VII. lib.5. ep. 2. ad Epiſcopos Corſicæ, 4. ad Corſos, & lib. 6. epiſt. 12. ad ipſum Landulphum. Ab Urbano II. Daimbertus Piſanus Metropolitica dignitate ſupra Epiſcopos Corſicæ inſignitus fertur a Bertholdo, qui tum præſens aderat anno 1095. apud Baronium n. 1. Corſicæ tamen Epiſcopos ſuis ab Urbano II. manibus conſecratos, non etiam Piſano eorumdem permiſsam Ordinationem auctor eſt locuples Calliſtus II. in epiſt. ad Corſicæ Epiſcopos: affirmans præterea a Deceſſore ſuo Gelaſio II.eamdem dignitatem Piſano Antiſtiti, qui tum erat Petrus, anno 1118. in Corſicam fuiſſe confirmatam, ſed paullo poſt ob Januenſium perturbationem abrogatam:

tam: quam dignitatem perinde ipſemet Calliſtus Rogerio Piſano, qui Petro ſucceſſerat, ademit, eumque a præficiendis in Corſica Epiſcopis abſtinuit. Verumtamen non multo poſt Honorius II. anno ſcilicet 1126. hanc Piſano dignitatem, adjunctumque priſtinus jus redintegravit: quin etiam ex actis Vaticanis refert Baronius ad an. 1131. n. 2. ab Innocentio II. Piſano Antiſtiti Populonienſem, treſque alios in Corſica Epiſcopos fuiſſe ſubmiſſos, Primatum ſuper Turritanam Provinciam collatum, ac Legationem Apoſtolicam confirmatam in Sardiniæ Inſulam, quam ab Urbano II. ipſius prædeceſſore jam fuiſſe Piſano demandatam affirmat: confirmat vero hanc Piſani Metropoliticam dignitatem in tres Epiſcopos Corſicæ, duoſque Sardiniæ, in Sardiniam Legationem, ac Primatum in Turritanam Provinciam ex Diplomate anno 1138. ad Balduinum Piſanum dato ab eodem Pontifice doctiſs. Manſius. Quas prærogativas ſubinde Piſano Archiepiſcopo integras permanere voluerunt Eugenius III., Anaſtaſius IV, Hadrianus IV, Alexander III, Lucius III, Urbanus III, Cæleſtinus III, & Innocentius III, qui poſtremus lib. 1. in epiſt. 56. ad Hubaldum Piſanum in Calaritanam, & Arborenſem Provinciam jura Primatiæ ampliavit, ea tamen lege adjecta, ne abſque Pontificis Romani permiſſu duarum harum Provinciarum Metropolitas ad ſuam evocaret Synodum, eique denique copiam fecit explicandæ Crucis per haſce Provincias: quod privilegium Crucis præferendæ per totam Inſulam, Primatum, Legationemque Apoſtolicam, quam Piſanis Archiepiſcopis a Prædeceſſoribus ſuis Urbano, Innocentio II, Eugenio, Anaſtaſio, Cæleſtino, & Innocentio III. affirmat fuiſſe collatam, in epiſt. 868. lib. 2. ad Vitalem Piſanum anno 1218. legenda apud Raynaldum n. 30. Honorius III. confirmavit: cujus legere præſtat etiam epiſt. 869, & 870. lib. 2. ad Sardiniæ Præſules, Clerumque Piſanum. Cæterum Honorius anno ſuperiori 1217. apud Raynaldum n. 98, & ſeqq. Othoni Archiepiſcopo Januenſi epiſt. 418. lib. 1., ejuſque ſucceſſoribus Metropoliticam dignitatem, quam ait collatam, aut confirmatam ab Innocentio II, Alexandro, Clemente, Cæleſtino, & Innocentio, ratam habuit, ac Legatione tranſmarina adauxit, Cruciſque prægeſtandæ per Provinciam facta pariter facultate. Præterea

terea idem Pontifex Honorius in epiſt. ad Turritanum Archiepiſcopum declaravit ipſi onus incumbere quidem Piſano Antiſtiti intendendi, quum certis temporibus vice Apoſtolica Provinciam viſitaret, abſenti non item, vel alio tempore advenienti, ſed tum ab ejus ſubjectione quoad perſonam Legati gerentis eumdem abſolutum eſſe: quoad Primatis vero juriſdictionem pertineret, Piſanum in Turritana Provincia non plus poſſe, quam Primatibus generatim conceſſum ſit ſacris Canonibus. Porro ejuſdem Turritani Præſulis Ordinatio Sedi Apoſtolicæ reſervata erat: ideoque quia Citonatus Metropolita Calaritanus abſque Sedis Apoſtolicæ conſcientia, & conſenſu Archiepiſcopum Turritanum ordinare fuerat auſus, Johannes V. P. M., ut auctor eſt Anaſtaſius, in Synodo anno 685, aut ſeq., habita, ab hujuſmodi ordinatione perpetuo Calaritanos Præſules ſuſpendit, affirmans id juris jampridem a S. Martino I. Apoſtolicæ Sedi fuiſſe reſervatum. De Piſani Antiſtitis Primatu confer, ſi libet, præter Ughellum, Thomaſſinum par. 1. lib. 1. cap. 37. n. 5. cum animad. doctiſs. Manſii, Gonzaleſium, Caſſanæum in Catalogo gloriæ Mundi p. 4. conſid. 19; Bernardum Guidonis in Annal. Pontif., Pandulphum Piſanum in vit. Rom. Pontif. tom. 3. rer. Italic. par. 1, & Pagium ad ann. 1118. n. 10, & ſeq.

Extra Italiam, in Diœceſibus ideſt longius ab Apoſtolica Sede ſepoſitis, ex qua Romani Pontificis in Regiones propinquiores juriſdictio quo ſplendidior, eo præſentior explicabat ſe ſe, valdequam expediebat, ut Primates inſtituerentur, qui Eccleſiarum negotiis, ſi quando urgerent, nec Apoſtolicam Sedem adeundi fas afforet, præſto eſſent: quorum nunc perſtrictim exponendus eſt ortus, caſus, & occaſus. In Galliarum Diœceſi omnium prior æſtimari poteſt Lugdunenſis Primas, cujus antiqua veſtigia retegere eſt in iis, quæ tradita ſunt in proleg. pag. 83; e quibus illud præclarum repetere non piget elogium, quo in Concilio Cabilonenſi anno 894. exceptus legitur, denominatuſque Aurelianus Lugdunenſis, non altero videlicet, *quam Primas totius Galliæ* apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 453.; ideoque ut S. Gregorius VII. illum in Gebuino anno 1079. non tam inſtituiſſe, quam inſtauraſſe reputandus ſit lib. 6. epiſt. 34, & 35, quatuor ipſi ſubjugatis Provinciis

vinciis Lugdunenſi, Rotomagenſi, Turonenſi, & Senonenſi. Confirmarunt deinde in Concilio Claromontano anno 1095. Urbanus II, & Paſchalis II, quorum decretis illud demum anno 1312. adjunxit Philippus cognomento Pulcher Galliarum Rex, quo deſpondebat opera nunquam defuturum ſua, quominus Primatus Lugdunenſis, quo poſitus fuerat, loco firmtrer ſuo permaneret, veluti denarrat Petrus de Marca de Prim. Lugd. pag. 348. Quos autem præpoſtera libido inceſſit proſcindendi, vexandique S. Gregorium VII, & Urbanum II, eorumque Diplomata labefactandi, quibus Primatum Lugdun. ſtabilientes, Flaminum, & Archiflaminum Ethnicæ ſuperſtitionis exempla delibaverunt, excutit, & exagitat Cl. Thomaſſinus par. 1. lib. 1. cap. 34. n. 13. Primatui nihiloſecius Lugdunenſi principio ſolus Turonenſis paruit, Senonenſis poſtea, & Rotomagenſis nunquam: quin imo poſteriorem iſtum Primatis nomine condecorare non dubitavit Ordericus Vitalis ad annum 1135; ſed ut ſcite animadvertit Thomaſſinus par. 1. lib. 1. cap. 34. n. 14. Primatus hic nihil præferebat diverſum ab ipſiſſima dignitate Metropolitica, quam uni Romano Pontifici ullo abſque medio obnoxiam pronunciaverat Gregorius IX. lib. 6. epiſt. 175. apud Raynaldum ad an. 1232. n. 26; quamque adhuc explicatius in libertatem deinde aſſeruit Calliſtus III. apud eumdem Annaliſtam ad annum 1458. n. 37, & ſeq. Juſtioribus auſpiciis Primatis honorem ſibi attribuebat Senonenſis: nam ad preces Caroli Calvi Johannes VIII. P. M. illum Anſegiſo in Galliam, & Germaniam cis Rhenanam, una cum Apoſtolicæ Sedis vicibus, concrediderat, cujus litteras recitat Sirmondus tom. 3. Concil. Galliæ, recitatæque fuere in Concilio Pontigonenſi anno 876. apud Harduinum tom. 6. p. 1. pag. 178, de quo tamen confer annotata pag. 84; eamdemque Primatus dignitatem, quæ velut oblitterata videbatur, deinde excitarunt anno 992. in Seguino Johannes XV, & in Leoterico Silveſter II. Sed hodie Senonenſi nihil, niſi veteris honoris memoria, cum titulo manet.

In Primatem aſſurgere pariter Arelatenſis ſub initium ſæculi V. ſupra Viennenſem, ac Narbonenſem utramque, beneficio nempe S. Zoſimi, a quo in Patroclo anno 417. præcellens hæc dignitas inſtituta legitur in epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliar., & 5.

ad Epiſcopos Provinc. Vien., & Narbon. edit. Cout. Paullo poſt tamen intra terminos propriæ Provinciæ coarctatum jus illud Arelatenſis eſt ab eodem S. Zoſimo, a S. Bonifacio epiſt. 12. ad Hilarium Narbon., a S. Cæleſtino epiſt. 4. ad Epiſcopos Provinc. Vien., & Narbon., & a S. Leone M. epiſt. 89; ſed ampliatum eſt ſubinde a S. Symmacho in Provincias Hiſpaniarum Galliis affines anno 502., ut nonnemo autumat, ſeu anno 513. ut malunt alii, imo verius anno 514. in epiſt. ad S. Cæſarium Arelat., de quo legendus Cyprianus in ejus vita tom. 1. Act. Bened. Quamvis autem ſubinde ab Arelatenſi ſubductæ fuerint Provinciæ ad Hiſpanias pertinentes, dignitatem tamen Primatis adauctam etiam vicibus Apoſtolicis confirmarunt Arelatenſi Vigilius, Pelagius I, & S. Gregorius M., intra Childeberti Regnum tamen juribus ejuſdem concluſis: quin inſuper, poſtquam Arelatenſis Primatus oblitteratus ex epiſt. 9. edit. Hard. in append. 1. S. Nicolai I. ad Rotlandum Arelat. videri poterat, Johannem VIII. ſollicitudo inceſſit eumdem inſtaurandi, priſtinumque in ſplendorem reſtituendi, Roſtagno Arelatenſi Pallio collato, vicibus Apoſtolicis concreditis, poteſtateque inſigniter communito, ut adparet ex epiſt. 35, 36, & 37. edit. Harduini tom. 6. par. 1. pag. 30, & ſeqq. Quamquam poſthinc Arelatenſem Primatem paullatim extingui cœpiſſe, adeunt ſub ævum S. Gregorii VII. oblitteratus penitus fuerit, æſtimare fas eſt ex ipſius epiſt. 2. ad Manaſſem Rem. lib. 6. Nec magis propitios Viennenſis expertus eſt Superos. Ut nihil retexam de contentionibus, quæ frequenter ei fuerunt de Primatu cum Arelatenſi, de quibus recole dicta pag. 88, & ſeqq., a Calliſto II, qui ante Pontificatum Viennenſi præfectus Eccleſiæ fuerat, eidem Primatus auctoritas, dignitaſque attributa eſt in ſeptem Provincias Viennenſem, Bituricenſem, Burdigalenſem, Auſcitanam, Narbonenſem, Aquenſem, & Ebredunenſem, adjuncta inſuper Provincia Alpium Penninarum, accumulatiſque vicibus Apoſtolicis; cujus Diploma ex Johanne a Boſco deſcriptum exhibet Baronius ad annum 1120. n. 2, & ſeq., unde factum eſt, ut Primatis Primatuum nomine ſibi plauderet Viennenſis, ideo quod præmineret Bituricenſi, qui Primatu in Aquitania potiebatur, & Narbonenſi, cui par inerat prærogativa in Aquenſem.

Verum

Verum intercedentibus huic Viennenſi Primatui vetuſtioribus Primatibus aliis, deinceps Viennenſi Archiepiſcopo nihil manſit, præterquam magni nominis umbra.

Atque quidem Bituricenſem ante hac Metropolim in perſona Ermemberti honore Primatus in Aquitaniæ Provincias, hoc eſt in Burdigalenſem, Auſcienſem, & Narbonenſem, anno 786. a Carolo M. oratus, exoratuſque Hadrianus I. adauxerat, uti probat ipſius epiſt. 9. ad Carolum M. tom. 2. edit. Sirmondi Concil. Gall. Ex quo vero Aquitaniæ Regnum diſciſſum eſt, a Bituricenſi diſtractum Narbonenſem in libertatem aſſeruit S. Nicolaus I. epiſt. 19. ad Rodulphum Bituricenſem, quem a jure diſtringendo in Narbonenſem abſtinuit. Exinde Narbonenſis etiam Primas evaſit, Aquenſi Provincia eidem ſubjugata ab Urbano II; eumdemque Primatum confirmavit Paſchalis II. ep. 47. edit. Hard. ad Ricardum Narbonenſem, atque demum a jurisdictione Viennenſis, in quam fuerat a Calliſto II. tranſcriptus, exemit, priſtinoque honori reſtituit Martinus V., uno, eodemque tempore, Narbonenſem Primatem vindicans a Bituricenſi, & Viennenſi, ea ratione ductus, quod jam pridem a Johanne XXII. Provincia Toloſana a Narbonenſis ſubjectione fuiſſet ſubtracta, apud Raynaldum ad annum 1418. n. 33. Auſcienſis deinde abſtracta eſt opera Ducum Aquitaniæ: ideoque Bituricenſi deinceps in ſuam, & Burdigalenſem Provinciam jurisdictio Primatis manſit, quam integram eidem manere poſthac voluere Alexander III, Eugenius III, Lucius III, Urbanus III, Clemens III, Cæleſtinus III, Innocentius III, Honorius III, Gregorius IX, aliique Summi Pontifices uſque ad Clementem V, uti videre licet in Patriarchio Bituricenſi a Labbæo edito 1648, cujuſce mentio fit a Mabillonio ad calcem Actor. viſit. Bituric. A Clemente V. Primatum a Bituricenſi translatum in Burdigalenſem ſcripſit Valſinghamus in Hiſt. Angl. ad an. 1305: ſed fallitur ſplendide, ut adnotat doctiſs. Thomaſſinus par. 1. lib. 1. cap. 35. n. 4, nam Pontificis beneficio a Bituricenſis jurisdictione dumtaxat immunis Burdigalenſis evaſit: tametſi ibidem n. 6. obſervat a Burdigalenſi aliquando Primatus veluti jura in Provinciam Toloſanam extenſa fuiſſe, & exercita. Denique fruſtra ceſſiſſe omnes, quibus Carolus VII, & Ludovicus XI.

Reges incubuere, conatus, ut Burdigalenſis Primati Bituricenſi iterum ſubjugaretur, inconcuſſo Clementis V. manente immunitatis decreto, pag. 92, & ſeq. jam dictum eſt. Dicere nunc præſtat de Remenſi Primatu, de quo non una profecto Doctorum opinio. S. Remigio Remenſi Apoſtolicis vicibus adaucto Primatum tributum per Clodovæi Regnum a S. Symmacho refert Flodoardus hiſt. Remen. lib. 1. cap. 15, quam pariter in rem profertur a Baronio ad annum 514. n. 14. epiſtola S. Hormiſdæ ad eumdem S. Remigium, qua ejuſmodi prærogativis ipſum cumulat. At quum indubium ſit Clodovæum ad S. Hormiſdæ tempora non perveniſſe, inde ſuſpectæ fidei pleriſque Eruditis evaſit iſthæc S. Hormiſdæ epiſtola, quam propterea a ſua Concil. Galliæ collectione Sirmondus rejecit. In S. Remigio perſonalem hanc prærogativam ad Succeſſores haud pertranſiviſſe quamvis veri fiat ſimilior opinio, non deſunt tamen, qui adhuc perduraſſe arbitrentur circa annum 625, aut 630, in Sonnantio Remenſi ſcilicet, ideo quod is Synodo 40. Epiſcoporum Remis habitæ præſederit. Quin etiam opinioni huicce haud leviter ſuffragari videntur Hadrianus I. in epiſt. 4. edit. Harduini ad Tilpinum Rem. apud Flodoardum lib. 2. cap. 17, S. Leo IV. apud eumdem hiſtoricum lib. 3. cap. 9, Benedictus III. in epiſt. 1. ad Hincmarum Rem., & S. Nicolaus I. in epiſt. 5. ad eumdem Hincmarum edit. Hard., a quibus paſſim Eccleſiæ Remenſis Primatus, immunitas a quocumque Primate alio, immediataque uni Romano Pontifici ſubjectio declaratur, & confirmatur. Hinc certe Hincmarus apud Flodoardum lib. 3. capp. 13, & 20. anſam arripiebat affirmandi Remenſem Antiſtitem pari honore cum Trevirenſi perambulaſſe, itaut qui prior eſſet Ordinatione, primas obtineret in Synodis. Atqui ſubinde aſſurgere ſupra Trevirenſem velle Remenſis viſus eſt, ac Trevirenſi de priori loco, ac Primatu litem intendit in Synodo Remenſi anno 1049. ſub S. Leone IX, in qua tamen lis dirempta non eſt, uti legitur in actis ex vetuſto Codice Rem. deſcriptis a Baronio, & Harduino tom. 6. par. 1. pag. 1001. Excidiſſe denique Primatis Remenſis dignitatem oportet, ſiquidem S. Gregorio VII. Manaſſes priſtina jura Primatiæ iſtius perſuadere nequivit, quin etiam legenti epiſt. 2. lib. 6. ad eumdem adparebunt haud obſcu-

ra

ra indicia Primatus iſtius jampridem extincti , ac privilegia ejuſdem Epiſcopi prædeceſſoribus indulta perpetua haud fuiſſe , ſed perſonalia: non ſecus ac Primatis honor, qui Proculo Maſſil. delatus legitur a Concilio Taurinenſi Can. 1, cum eodem extinctus eſt.

Porro cadente ſtirpe Clodovæi Primatum omnem in Gallia excidiſſe per annos 80 , ab anno ſcilicet circiter 660 , quo Civilibus Bellis conflagrare Gallia cœpit , uſque ad annum 743, quo celebratum eſt Concilium Liptinenſe , quo temporis intervallo Synodorum celebrationem intermiſſam fuiſſe , Metropolitarum pariter everſam juriſdictionem , politiamque Eccleſiaſticam peſſumdatam, ex S. Bonifacio Moguntino in epiſt. 132. Cod. Bonif. ad S. Zachariam , & Hadriano I. in epiſt. ad Vienn. Epiſcopum apud Labbæum Bibl. Mſs. tom. 1. pag. 109. obſervant Pagius ad annum 743. n. 5 , & Thomaſſinus vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 31 , qui perinde cap. 33. n. 2. advertit Primatum in S. Bonifacio excitatum cum ejuſdem obitu exciſum in Galliis oblitteratum manſiſſe annis 80. omnino , aut 90 , ideſt uſque dum in Drogone Metenſi inſtauratum demum eſt . Illud interea obſervatu valdequam dignum , quod S. Bonifacius ſollicitudinem quammaximam induens in Synodis cum Germanica anno 742 , tum Liptinenſi anno ſeq. habitis de inſtauranda Eccleſiaſtica diſciplina , in id potiſſimum incubuit , non ut Primates aut veteres reſtituerentur , aut inſtituerentur novi , bene vero ut Metropolitarum reſtauraretur auctoritas, eo conſilio ductus, ut cauſſæ Eccleſiaſticæ ab Epiſcopis ad Metropolitas , ab his vero ad Romanum Pontificem recta deferrentur . Ita plane iſtud conſilium ſuum , ac perinde communi ſuffragio conſtitutum in Synodo Germanica , confirmatumque ſubinde in Liptinenſi , exponit idem S. Bonifacius dilucide in epiſt. 105. ad Cuthbertum Archiepiſcopum Cantuarienſem : itaque tum immutatam , in melius attamen , Gallicanæ Eccleſiæ diſciplinam animadvertit Thomaſſinus par. 1. lib. 2. cap. 55 ; atque ita plane in Gallia Primatum nullum obtinuiſſe ad tempus uſque Concilii Francofordienſis , videlicet annum 794 , adnotat Pagius ad annum 743. n. 6. Nihilo ſecius e re Eccleſiæ maximopere viſum eſt SS. Gregorio II , Gregorio III , & Zachariæ eumdem S. Bonifacium Primatis dignitate , pote-

poteſtateque in Gallias, & Germaniam, Apoſtolicique vicibus adaugere, facultate adjuncta Epiſcopatus erigendi, & Epiſcopos ordinandi; Concilia indicendi, & Cauſſas Eccleſiaſticas judicandi, miſſis præterea tribus Palliis pro tribus Metropolitis nuper deſignatis, nempe Grimone Rotomagenſi, Abele Remenſi, & Ardoberto Senonenſi: de quibus fuſe agunt Morinus Exercit. Eccleſ. exercit. 26, & Pagius ad annum 743. n. 7, & ſeqq. Inſignibus itaque iſtis, juribuſque indutus S. Bonifacius peregregie officio defunctus eſt ſuo per annos 25, ut perhibet Hincmarus Remenſis in epiſt. 6. cap. 10, aut per annos 36, ut ipſemet S. Bonifacius ſcribit in epiſt. ad Stephanum II; quot pariter ei tradunt in ejuſdem vita Willibaldus, & Othlonus lib. 2. cap. 20: quæ diverſa annorum ſumma ita demum conciliatur: nempe S. Bonifacius mortem adſpexit anno 755, a quo anno retroducto calculo per annos 10, inciditur in annum 745, quo S. Antiſtes Primatis, ac Metropolitæ nomine a S. Zacharia præfectus Moguntinæ fuit Eccleſiæ; retroacto vero calculo per annos 25, relabitur in annum 731, quo a S. Gregorio III. Pallii honore, ac poteſtate inſignitus eſt; denique calculo retrohabito per annos 36, incurritur in annum 718, quo primum S. Bonifacius prædicandi Evangelii Provinciam, atque Legationem Apoſtolicam, a S. Gregorio II. accepit: ita eruere licet ex Willibaldo, & Othlono lib. 1. cap. 9, & ſeqq., ex S. Gregorio III. in epiſt. inter Bonifac. 122; ex S. Zacharia in epiſt. ejuſdem Cod. Bonif. 138, & ex Conciliis Germanico II, ac Romano II. ſub S. Zacharia anno 745. apud Harduinum tom. 3. pag. 1936, & ſeqq.: confer & Pagium ad annum 745. n. 1, & ſeqq. A Trevirenſi, quam ceteris Eccleſiis Germanicis antiquiorem affirmat Abrahamus Nicolaus Amelotus de la Houſſaye *Memories hiſtoriques* tom. 2. pag. 360, in gratiam Bonifacii abſtractas a Zacharia Papa Moguntinam, Colonienſem, Leodicenſem, Ultrajectinam, Argentinenſem, Wormatienſem, & Spirenſem fuiſſe, ideoque forte quod Trevirenſi ſuæ poteſtatis amplitudinem invideret Pontifex, ſuſpicatur Franciſcus Brnys *Hiſtoire des Papes* tom. 1. pag. 541. Sed impudentiſſimi Sychophantæ commenta hæc, haſceve calumnias flocci, naucique faciet, qui probe habeat perſpectum Trevirenſem Eccleſiam ad eminentem illum, quo pridem fuerat, ampliſ-

ſimæ

simæ gradum auctoritatis nonnisi Romanorum Pontificium beneficio ascendisse, e quo perinde ut paullum detraheretur, tum exegisse tristissimæ ætatis rationem, qua pessimo in Germania, & Gallia Ecclesiasticæ res loco erant.

Porro hunc Primatum in Gallia,& Germania cum S.Bonifacio an.755.extinctum, nonnisi post annos 89,ideſt an.844,in Drogone Metensi instauravit Sergius II.in epist. ad Transalpinos Episcopos, de qua Hincmarus in epist. 6: cui tamen dignitati recens Drogoni collatæ haud integre adquievisse Gallicanos Episcopos adparet ex Concilio Vernensi II. anno 844. Can. 11. Posthinc Wallæ Metensi Pallium quidem contulit Johannes VIII. in epist. ad eumdem, ob quam rem gravem Wallæ invidiam conflatam a Bertulfo Trevirensi tradunt Flodoardus lib. 3. cap. 23, Auctor hist. Trevir. Spicileg. Dacher. tom.2,& Meurissius in hist. Metensium Episcop. pag.275; Apostolicas vices attamen in Gallia, & Germania Ansegiso Senonensi attribuit epist. 134. ad Episcopos Gall., & Germ. apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 105. Nihilosecius Sigefridus Moguntinus ab Alexandro II. Legatione Apostolica exornatus, ut ipse asserit in epist. ad eumdem Pontificem actis Synodi Moguntinæ II. anni 1071. præfixa, in eadem Synodo semet inscribere *Primatem*, Ecclesiamque suam *Metropolim Orientalis Franciæ, principalem vero Pontificii sedem totius Germaniæ, & Galliæ Cisalpinæ* non dubitavit apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 1169. De Adalberto Moguntino ab Innocentio II.Apostolica legatione adaucto in Provincias Trevirensem, Moguntinam, Colonienſem, Saltzburgensem, Bremensem, & Magdeburgensem, uti præferunt litteræ Pontificiæ apud Brouverum lib. 14. Annal. Trevir. ad an. 1135, refert Auctor hist. Trevir. pag. 248, quod totus in id incubuit, ut suæ Trevirensem jurisdictioni subjugaret, frustra tamen cessisse ipsius conatum omnem, siquidem Bruno Trevirensis Callistum II. tum Cluniaci demorantem adiens, Ecclesiæ suæ immunitate ostensa, Rescriptum expressit, quo Trevirensis a quocumque Primate altero exempta uni Pontifici Romano obnoxia declarabatur. Arnoni Saltzburgensi anno 798. a Leone III. Pallium cum Legatione Apostolica collatum, amplissima potestate in Sclavorum Regionem adjuncta, constituendi Episcopatus, creandique

dique Epiſcopos, denarrat Anonymus in vitis SS. Virgilii, & Ruperti Saltzburg. Epiſcop. apud Caniſium tom. 6. antiq. Lect. Cognominem alterum Saltzburgenſem, & Gerardum Laureacenſem Pallio miſſo creatos Primates, illum in Pannonia Occidentali, iſtum in Pannonia Orientali, ab Agapeto II. diſci poteſt ex ipſius epiſt. 1. ad Gerardum Laur. apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 599. Gebehardo Saltzburgenſi Alexander II. ob egregiam operam ſibi commodatam adverſus Henricum Imper., ſicut poſtea Alexander III. S. Eberardo Saltzburg., a quo ejus partes adverſus Fridericum Imp. adjutæ impenſe fuerant, Pallio miſſo, poteſtatem ampliſſimam, Legatione Apoſtolica commiſſa, confirmarunt apud Caniſium tom. 2. antiq. Lect.. S. Brunonem Colonienſem anno 955. Pallio exornatum poteſtate haud exigua affecit, quæ proxime ad dignitatem Primatis accedere videbatur, Agapetus II. apud Surium tom. 5. ad diem 11. Octob. Hermanno deinde Colonienſi Archiepiſcopo, ejuſque in ævum ſucceſſoribus titulum Archicancellarii S. R. Eccleſiæ, & Cardinalis S. Johannis ad Portam latinam contulit S. Leo IX. apud Wibertum in ipſius vita lib. 2. cap. 3, Bernardum Mallinckrot in tract. de Archicancel. Sacri Imp. cap. 5, & Ciampinum in Catalogo Bibliothecariorum S. R. Eccleſiæ pag. 40, & ſeq. Eugenius III. Arnoldo Colon., miſſo Pallio, & data epiſt. 10. apud Labbæum tom. 10. anno 1152, ac Succeſſoribus Primatum conceſſit, ita ut nulli deinceps, niſi Rom. Pontifici, ſubeſſent; ideo quod iis dumtaxat Germaniæ Reges, (intra terminos tamen ſuæ Provinciæ), inaugurandi facultas ineſſet; ac ſecundum a Romano Pontifice, aut ipſius Legato, ſedendi in Conciliis locum haberent.

Expreſſiorem Primatus ſpeciem præſeferebat ampliſſima poteſtas illa, quam ſummi Pontifices vice plus ſimplici Hamburgenſibus Archiepiſcopis feciſſe paſſim referuntur. S. Anſcharium, ejuſque ſucceſſores in Provinciis Sueciæ, Daniæ, Norvegiæ, Slaviæ, Jutiæ, Islandiæ, Helſingiæ &c. Primatum gerere conceſſere, ac voluere Gregorius IV, & S. Nicolaus I. apud Bollandum ad diem 3. Febr., & Mabillonium ſæculo IV. Bened. De S. Adalberto denarrat Adamus Bremenſis lib. 4. cap. 42, & ſeqq., quem Patriarcham imo denominat lib. 3. cap. 34, & ſeq, Pontificis Romani beneficio,

neficio , Alexandri II. nempe , a quo Apoſtolica Legatione adauctum liquet ex epiſt. 2. ad Haraldum Norvegiæ Regem , Primatum habuiſſe in Danos , Suecos , Norvegios , Gothos , Islandos , Groelandos , Inſularum Orcadum Incolas &c. ; quin ipſum met Regionum Aquilonarium ſe Archiepiſcopum inſcripſiſſe in epiſtola ad Willelmum Roſchildenſem Epiſcopum , quaque Apoſtolica defungebatur , ampliſſima poteſtate Epiſcopos 20. diverſas in partes abituros ad rem Chriſtianam amplificandam , ordinaſſe : qua de re conſule Baronium ad ann. 1067. n. 14 , & ſeq. Hamburgo dein anno 1223. Bremam translata Archiepiſcopalis ſedes anno 1648. pacificatione Monaſterienſi ſuppreſſa eſt . In actis Synodi Ravennatenſis II. anno. 967. habitæ apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 656. traditur Othone M. procurante a Johanne XIII. Papa S. Albertum Magdeburgenſem Archiepiſcopum tum inſtitutum Pallio fuiſſe inſignitum cum facultate præferendæ Crucis , Colonienſi, Moguntino,&Trevirenſi dignitate parem declaratum, quin etiam Primatem in Germania, cum poteſtate novos erigendi Episcopatus , inter quos reapſe conſtituerit Epiſcopos Zitiæ, Miſniæ, Martinopolis, Brandeburgi, Havelbergæ, & Poznaniæ,quæ fuſius pariter exponit Chronographus Magdburg. ad hunc annum . Alter nobilis in Dania Primas aſſurgere viſus eſt ſub Urbano II, qui Erici Regis enixis inflexus precibus Lundenſem Archiepiſcopum poteſtate ampliſſima ſupra Epiſcopos Daniæ, Sueciæ, & Norvegiæ affecit apud Baronium ad annum 1092. n. 13, & ſeq; quam perinde præeminentiam Lundenſi Eccleſiæ adſertam ab Hadriano IV, Alexandro III, Lucio III, Urbano III, Clemente III, & Cæleſtino III. affirmavit , confirmavitque Innocentius III. lib. 1. epiſt. 417. ad Abſalonem Lund. apud Raynaldum ad an. 1198. n. 75, & ſeq. ; Honorius III. quin etiam privilegiis adauxit in litteris ad Andream Lundenſem , quas Raynaldus deſcribit ad annum 1217. n. 45. Ad hunc Primatus honorem proxime acceſſiſſe poſſunt æſtimari tum Gneſnenſis in Polonia , ex quo privilegio Crucis prægeſtandæ in Regno Poloniæ inſignitus fuit ab Innocentio III, & Gregorio IX, uti refert ex ipſorum monumentis Raynaldus ad annos 1207 n. 13, & 1238. n. 61; tum Strigonienſis in Hungaria , quem privilegiis inſignibus cumulatum a ſuis prædeceſſoribus Alexandro , Cle-

mente, Cæleſtino, & Innocentio alii novis adauxit Gregorius IX. apud prælaud. Annaliſtam ad an. 1231. n. 38, & ſeq.

Revocandus ad Hiſpanias eſt ſermo, quin tamen retexantur ea, quæ de Primatu Toletano, deque gradibus, quibus ad hunc Primatus honorem Eccleſia Toletana demum pervenit, copioſius paullo ſupra tradita ſunt. In Hiſpaniis nullum priſcis aevis certæ Eccleſiæ adfixum Primatem fuiſſe, ſed juxta morem in Africa finitima receptum qui Ordinatione antiquior in Provincia eſset, eumdem Primatem geſſiſse, in proleg. ſuperiori animadverſum eſt. S. Siricius videri cuipiam poſſet, qui in epiſt. 1. ad Himerium Tarraconenſem Primatus cujuſdem ſpeciem, aut Sedis Apoſtolicæ vices ipſi attribuerit, dum ſpartam imponit Decretalem ſuam in notitiam deferendi Epiſcoporum Provinciæ ſuæ nedum, ſed Provinciarum etiam Carthaginenſis, Bœticæ, Luſitaniæ, & Gallæciæ. Hinc tamen haud auſpicato, non ſecus atque ex Reſcripto Vigilii ad Profuturum, qui Bracarenſis præeminentiam vellet excerpere, Tarraconenſis peculiaris ſupra alios Hiſpaniarum Antiſtites prærogativa exculpitur: ſive etenim Legatio Apoſtolica, ſive Primatis dignitas jurisdictionis præfert ſpeciem longe alteram ab officio pervulgandi litteras Apoſtolicas. Potius S. Leo M. primus haberi debet, qui vicibus Apoſtolicis S. Turibium Aſturicenſem exornavetit, jus eidem indicendi Concilia tribuens, & ad eadem ex univerſa Hiſpania Epiſcopos compellendi epiſt. 93, quam ab omni ſuſpicionis nota eidem a Baluzio inflicta purgavit doctiſſ. Aguirræus in præf. ad Concil. tom. 2. pag. 220. Legationis iſtius a S. Leone demandatæ S. Turibio documento etiam poteſt eſſe præf. Concilii Bracarenſis I. anno Æræ Hiſp. 599, Chriſtianæ 561, quo loci S. Turibius Notarius Apoſtolicæ Sedis a S. Leone conſtitutus in Hiſpania denominatur, inepte vero Queſnellus in Not. ad eam S. Leonis epiſtolam ſibi 15. duos Turibios diſtinxit, atque a Notario Aſturicenſem, quem ideo egregie de antiq. Eccleſ. Hiſp. diſſert. 3. cap. 2. n. 9. doctiſs. Cennius exagitat. Poſt S. Leonem ſecundus legitur S. Simplicius, qui epiſt. 1. Zenonem Hiſpalenſem Antiſtitem anno 482. in Bœtica, & Luſitania Vicarium ſuum conſtituit: quibus perinde duabus Provinciis vice quidem ſua Salnſtium Hiſpalenſem epiſt. 7. edit. Harduini præfecit itidem.

S. Hor-

S. Hormiſdas, at in reliquas Hiſpaniarum Provincias Vicariam poteſtatem anno 517. contulit epiſt. 3. ejuſdem edit. Johanni Tarraconenſi, uti præfert epiſtolæ epigraphes in edit. Concil., ſive verius forte Johanni Illicitano, ut habet titulus ejuſdem epiſtolæ in Codice vet. Canon. edito ab Aguirræo lib. 1. tit. 51.

Poſt hinc S. Gregorius M. ad S. Leandrum Hiſpalenſem Antiſtitem ſibi acceptiſſimum Pallium miſiſſe legitur lib. 7. in epiſt. 126. ad Recaredum Regem, & in Cod. vet. Canon. lib. 10. tit. 7, quo tamen antequam indui poſſet, mortalitatem expleverat. Exinde conjecturam cœperunt Johannes Morinus exercit. 32., & Thomaſſinus vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 30. n. 3. affirmandi Pallii collationem iſtam in S. Leandro inſignem prætuliſſe auctoritatis concreditæ imaginem, ideſt Legationem Apoſtolicam, ac Primatiam in omnes Provincias Hiſpaniæ, quæ poteſtas S. Iſidoro perinde communis evaſerit: affirmandique ideo hac poteſtate fretos S. Leandrum præfuiſſe Concilio Toletano III. anno 589, qui propterea a S. Iſidoro in Chron. lib. 2. Primatis nomine condecoratus habeatur verbis hiſce: *Interfuit tunc Primas ille Catholicus, & Orthodoxus Leander Hiſpalenſis Archiepiſcopus, & Romanæ Eccleſiæ Legatus*: S. Iſidorum vero præſentibus Metropolitis Narbonenſi, Emeritenſi, Bracarenſi, Toletano, & Tarraconenſi præfuiſſe Toletano IV. anno 633. Neutrum tamen hinc rite, valideque conficere licet: non ex litteris S. Gregorii, in quibus Legationis Apoſtolicæ, quæ longe diverſæ rationis æſtimari debet a ſimplici Pallii collatione pluribus aliis communi, S. Leandro demandatæ ne leve quidem veſtigium adparet: non ex Concilio Toletano III, cui ut obſervavit Mariana de reb. Hiſp. lib. 5. cap. 15, liquetque ex actis Concilii, S. Leander, qui neque hoc nomine ſe inſcribit, tertio dumtaxat loco ſubſcriptus legitur poſt Euphemium Tolet., qui ſecundo, & poſt Maſſonam Emerit., qui primo ſubſcripſerunt, nempe juxta Ordinationis prærogativam, & antiquitatem, qua more recepto ceteris præferebantur: locus autem inconſulte ex S. Iſidoro laudatus Lucæ Tudenſi, Scriptori ſæculi XIII. ſcilicet, nec diligenti, nec fide omnino digno reſtitui debet. Neque demum prætenſæ S. Iſidori Primatiæ ſuffragatur præſidentia Concilio Toletano IV, quippe ei-

dem præfuiſſe non quidem Primatis ratione, ſed prioritate Ordinationis facile præſumi exinde poteſt, quod ordinatus poſt S. Leandri obitum anno 599. tum Epiſcopatus ſui annum 35. gereret. Conſer doctiſs. Cennium dilucide, copioſeque de his diſſetentem de Antiq. Eccleſ. Hiſp. diſſert. 5. cap. 1. n. 13, & ſeqq. Ovetenſem Eccleſiam miſſo ad Adulphum Pallio, obſecratus ab Alphonſo III. hujus nominis Rege, in Primatem Gallæciæ evexit Johannes VIII, ſicuti conſtat ex epiſt. 131. ad eumdem Regem; ex Concilio Ovetenſi anno 877. ex conſenſu Pontificis habito apud Aguirræum tom. 3. Concil. Hiſp., & Sandovallio apud Pagium ad annum 882. n. 4, & ſeq. Ovetenſem poſtea Toletano Primati obedientiam impendere præcepit Calliſtus II. epiſt. 34.

Poſtremo ab Urbano II. Primatus Toletanus in Hiſpania univerſa non tam inſtitutus eſt, quam inſtauratus; qua Primatiæ dignitate jam pridem ad Chindaſvindi Regis preces Toletanam Eccleſiam a Romano Pontifice adauctam fuiſſe tradit Rodericus lib. 2. cap. 21; eidemque ſæpius Eccleſiæ a Romanis Pontificibus eamdem Primatiam confirmatam abunde, opinor, abs me jam dictum eſt. Antequam Toletana Eccleſia tamen ad hunc Primatiæ honorem aſſurgeret, ideſt dum adhuc cum Hiſpali ſub Arabum detineretur jugo, Primatem geſſiſſe in Hiſpania Bracarenſem auctor eſt Johannes Vaſæus in Chron. cap. 12. Hiſpan. illuſt. tom. 1. pag. 630, & ſeq., etiamque num utique Primatis nomen retentat, Crucemque Primatialem ſibi præferri jubet Bracarenſis. Verum major adhibenda fides Bernardo in vita B. Geraldi Bracarenſis Archiepiſcopi, cujus diſcipulus fuerat, qui apud Pagium utrumque Seniorem ad annum 1109. n. 2, & Juniorem in Paſchali II, refert B. Geraldum Romam profectum, Eccleſiæ ſuæ propria dignitas ut reſtitueretur, procuratum cum Pallio dignitatem Metropoliticam a Paſchali II. reportaſſe: quam perinde dignitatem eidem confirmaſſe Eccleſiæ Calliſtus II. legitur in epiſt. 6. ad Pelagium Bracar. Quamvis autem idem Calliſtus Bernardo Toletano Primatum in Hiſpanias confirmaſſet epiſt. 33, 34, & 35, ſubjugaſſetque Metropolitas Ovetenſem, Legionenſem, & Palentinum, nihilotamen minus Metropolim Emeritenſem Compoſtellam transferens, Provincias Emeritenſem, & Bracarenſem Primatui Toletano ſubductas

ductas Pelagio Compoſtellano ſubjugavit, qui indidem Primas evadere viſus eſt: quo perinde jure, privilegioque frui Compoſtellanum permiſit Anaſtaſius IV. in epiſt. ad Hyacinthum Cardin. Legatum ſuum in Hiſpania apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1669. Paullo poſt attamen Hadrianus IV. epiſt. 30, 31, & 33. Primatiam Compoſtellanam extinxit, adegitque Bracarenſem ad Toletani Primatis obedientiam regredi. Difficillime antiqui Hiſpaniarum Metropolitæ adduci poterant, ut Toletano primas deferrent, ideoque illi litem ſæpius intenderunt, ſæpiuſque inſtaurarunt Tarraconenſis, Bracarenſis, Narbonenſis, Compoſtellanus, & Cæſarauguſtanus, nec ei loco cedere, nec ſuis in Provinciis Crucem præferri a Toletano tollerantes: donec eorum demum omnium confregit obſiſtentiam Martinus V, teſte Mariana lib. 20. cap. 14, ac Johanni Toletano præceſſionis gradum contulit, confirmavitque. Confer, qui copioſius de Primatu Toletano diſſerunt, Johannem Morinum Exercit. Eccleſiaſt. lib. 1. exercit. 32, ac Ludovicum Thomaſſinum vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 38, præter alios, de quibus alibi: nam alió reflectendus eſt ſermo.

Ex dictis hactenus obſervatu facile evadit tum ad Primatuum inſtitutionem potiſſimum inſtigatos fuiſſe Romanos Pontifices, quum Chriſtianam Religionem aut alicubi extorrem invehere, aut extinctam ibidem inſtaurare cupiebant. Ita in Gallias tum inducti Primates, quum bellorum Civilium tempeſtate labefacta veterem politiæ formam Eccleſia deperditam lugebat. Ita in Germaniæ barbararum gentium incurſionibus non tam perturbatæ, quam peſſumdatæ res omnes divinæ, humanæque in dies ruebant in deterius, ac tum quidem ad eaſdem erigendas Primatus Eccleſiaſticus in S. Bonifacio eſt erectus. Ita in Hiſpaniis afflicta ſupra modum erat Chriſtiana Religio, ab Arianis, & Barbaris ad extremas redacta anguſtias: donec Legationibus Apoſtolicis delatis, ac Primatibus viciſſim inſtitutis ſuæ Religio integritati reddita eſt non modo, ſed ad eum ſummum, quo propitiis Superis nunc eſt, ſplendorem provecta. Ita in Britannia vix, ac ne vix quidem priſtinæ Religionis lumen refulgebat, adeo enim obſoleverat ibidem Chriſtiana res, ut non tam latere in obſcuro, quam oblitterata

peni-

penitus æſtimari poſſet: S. Gregorium M. itaque ſollicitudo quam maxima inceſſit, & incendit mittendi illuc ad fidei lumen inferendum, divinumque reſtaurandum cultum, quem gentium barbaries proſtraverat, S. Auguſtinum Sociis ejuſdem propoſiti bene ſtipatum. Ad id operis rite abſolvendum novum Apoſtolum Pallio, Legationeque Apoſtolica communivit, ac Primatis in Anglia dignitatem, poteſtatemque Epiſcopos ordinandi commiſit lib. 11. epiſt. 64, & 65, alias lib. 12. epiſt. 15, & 31, quod privilegium in S. Auguſtino perſonale fuiſſe, nec ad ſucceſſores pertranſiviſſe ex V. Beda lib. 1. cap. 29. S. Gregorii ad eumdem S. Auguſtinum litteras referente obſervant Baluzius in ſupplem. lib. 5. de Concord. cap. 42. n. 9, & Pagius ad annum 601. n. 9. Quum vero ſub Honorio I. Chriſtianæ Religioni nomen dediſſet Eduinus Anglorum Occidentalium Rex, ad ejusdem petitionem, ſicut ad preces Eadbaldi Regis Anglorum Orientalium, duo Pallia tranſmiſit Pontifex, ad cognominem ſcilicet, Honorium Metropolitam Cantuarienſem, & ad Paulinum Eboracenſem, veluti conſtat ex ipſius litteris ad illos datis anno 634, ut notavit Pagius ad annum 633. n. 20, nec non ex V. Beda lib. 2. hiſt. Angl. capp. 17, & 18: ex quo factum eſt, ut Britanniarum Diœceſis in duos ſcinderetur Primates. Quoniam vero poſt Paulini obitum Eccleſiæ Eboracenſis Primatum ceſſare, vacareque contigerat, S. Gregorius III. anno 735. eidem Eccleſiæ privilegium reſtituens, miſso ad Egbertum Pallio, eum Primatis dignitate condecoravit: de quo adeundi Malmesburienſis lib. 3. de Pontif. Angl., Hovedenus ad annum 735, Thomas Stubs apud Warthonum tom. 2. Angliæ Sacræ, & Auctor Catalogi Archiep. Eboracenſium apud Labbæum tom. 1. Bibl. Mſs. De Primatu Cantuarienſi poſthac a Johanne XII. collato S. Dunſtano; S. Lantfranco deinde confirmato ab Alexandro II, & S. Anſelmo a Paſchali II; deque priſtino demum jure Eboracenſi reſtituto ab eodem Paſchali II, & Alexandro III, dictum abunde, opinor, abs me, quantum oportebat in proleg. pag. 1045 quique plura adhuc aveat, conferre præſtabit Willelmum Neubrigenſem de reb. Angl. lib. 5. cap. 12. de jurgiis Cantuarienſem inter, & Eboracenſem ſæpius exortis circa Primatiæ jura agentem, cujus aſperiorem cenſuram in ambos Antiſtites caſtigat,

ſtigat, atque intra æqui, juſtique terminos conſtringit doctiſs. Thomaſſinus par. 1. lib. 1. cap. 36, obſervans præterea ex Synodicis Conſtitutionibus anno 1306. a Willelmo de Grenefeld Eboracenſi Præſule relatis a Puteano inter Probationes libert. Eccleſ. Gallic. cap. 20. n. 33, quæque proſtant tom. 2. Concil. Angl. pag. 442; nec non ex actis Thomæ Volſæi ſub Henrico VIII. Primatis Angliæ titulo adeo tenaciter inhæſiſſe Eboracenſes Antiſtites, ut ab eo ſe divelli nunquam paſſi ſint. Denique in Hibernia Primas alter emerſit nempe Armacanus. S. Malachias haud ignorans eam Inſulam facilius in recta fide ſub unius Primatis obedientia retineri, Primati vero ipſi abſque Romani Pontificis licentia nihil adgredi fas eſſe, expedireque omnino, ut ab eodem ipſe penderet, veluti a quo gradus omnis Eccleſiaſticus effluit, & in quem refluere, coaleſcereque oportet, Romam itinere arrepto, ab Innocentio II. Pallium impetravit; ad ejuſdem preces Eugenius III. quatuor Metropoles in Hibernia inſtituit; & Armacano tandem Hiberniæ Primatiam Alexander IV. adjudicavit, de qua ei litem Tuamenſis intenderat, apud Raynaldum ad annum 1255. n. 40.

Paucis nunc perſtringenda jura Primatum: quæ plane non ubique, ac ſemper eadem, ſed mox ampliora, mox anguſtiores inter confines cohibita, prout e re temporum, Eccleſiarumque bono eſſe ſummis Pontificibus videbatur. Principio itaque ad Primatum jus pertinebat 1. Concilia indicere, ad eademque compellere Epiſcopos: 2. Epiſcopos, & Metropolitas in Conciliis electos ante confirmare, quam præficerentur Eccleſiis: 3. Eccleſiarum cauſsas in Synodis definire; quæ tamen extricatu difficiliores eſſent, ad Apoſtolicam Sedem deferre, ad quam æque fas eſſet ab ipſorum definitis ſententiis appellare: 4. Operam diligentem impendere, ut per omnes Diœceſis Eccleſias decreta Romanorum Pontificum, diſciplinæque Eccleſiaſticæ leges in Synodis ſancitæ religioſe ab omnibus, uti decebat, obſervarentur, deque abuſibus Pontifex M. admoneretur: 5. Eccleſiaſticis perſonis ſive inferioris, ſive ſuperioris ordinis formatas, ideſt communionis litteras concedere. Quæ ipſiſſima ferme jura Vicario Theſſalonicenſi a S. Leone M. præſcripta in epiſt. 84. ad Anaſtaſium Theſſal., quin etiam

ab

ab Innocentio III. lib. 7. in epiſt. 2. ad Trinovit., & lib. 15. in epiſt. 18. ad Tolet. Antiſtites, in quibus utrumque indiſcriminatim Primatem, & Vicarium nominat, & conſtituit, ideoque in unam eamdemque perſonam, rationemque Primatus, & Vicariatus jura fuiſſe confuſa tum a S. Leone I, tum ab Innocentio III. quum viſa fuerint, hinc factum prone æſtimari poteſt, ut Morinus, Thomaſſinus par. 1. lib. 1. cap. 30. n. 3, & cap. 33. n. 1., ac Cabaſſutius in diſſert. 14. anſam arriperent affirmandi Primates in Occidente præſertim non fuiſſe, niſi qui Apoſtolicæ Sedis pariter vicibus defungebantur; illinc vero, quia Epiſcopi primariis Eccleſiis præfecti vicibus Apoſtolicis, ac Pallio adaugeri a Summis Pontificibus cœperunt, in eam poſt Petrum de Marca opinionem abiit Baluzius in ſupplem. lib. 5. de Concord. cap. 42, quod ſub ævum S. Gregorii M. ea demum obtinuerit diſciplina, inductuſque mos ſit, ut Metropolitæ, aut Primates, qui Pallio inſigniti eſſent, iidem pariter Apoſtolicæ Sedis vices ſuſtinerent, & gererent.

Atqui falſa quam pleraque veris miſcet hæc utraque opinio: imprimis etenim Primates inter, univerſim loquendo, Vicariosque Apoſtolicos longum, latumque diſcrimen intercedebat: quippe Primatus Sedi adfixus ut plurimum erat, Vicariatus perſonæ adhærebat; iſte ab unoquoque Pontifice confirmari debebat; ille ſemel collatus erat perpetuus, niſi a Pontifice deſtrueretur. Præterea varia diſciplina circa Primatiæ uſum, poteſtatiſque exercitium obtinuit, quæ demum eó deſiit, veluti obſervavit idem Thomaſſinus cap. 34. n. 12, ut in appellarionibus, & devolutionibus conſiſteret dumtaxat: atque ita plane in his duabus prærogativis conſtitiſſe Primatus omnes Occidentis animadvertit Petrus de Marca de Primatu Lugd. n. 121, ac hodie dum Primates Galliarum eisdem dumtaxat potiri oſtendit Fevretus de abuſu lib. 3. cap. 3. Vicariatus etiam multiplicis genus evaſit, teſte ipſomet Morino lib 1. exerc. 20, ubi ſex illius ſpecies enumerat, pro majori, aut minori poteſtate facta a Romano Pontifice, ingentique diſtabat intervallo poteſtas, quæ Vicariis in Oriente, ab ea, quæ Vicariis in Occidente conferri conſuebat: neque eadem rurſus erat, quæ poſtremis hiſce permittebatur, ſed pro opportunitate temporum amplior, aut arctior. Ea duo exprimi in Diplomatibus ſolebant: 1. ut

cauſ-

cauſſas minoris negotii dirimere poſſent, ac definire: 2. Ut definita ab Apoſtolica Sede, ac decreta in Synodis executioni demandari obnixe ſatagerent: ſed & ea duo excipiebantur: 1. Ut cauſſas fidei, difficilioreſque ad Apoſtolicam Sedem referrent: 2. Ne in Metropolitarum juriſdictionem irrumperent, eorumque privilegiis vim inferre tentarent. Ita S. Simplicius in epiſt. 1. ad Zenonem Hiſpal., S. Hormiſdas in epiſt. 3. edit. Hard. ad Johannem Illicit., & 7. ad Saluſtium Hiſpal. Quoad vero electiones, ordinationeſque Epiſcoporum, ac jus Concilia indicendi, congregandique diverſa obtinuit diſciplina. Pontificis utique, veluti Patriarchæ Occidentis, jus erat præ aliis, inque more poſitum Ordinationes Metropolitarum celebrandi, & Concilia Nationalia convocandi: quia vero difficile admodum id Pontificibus accidebat, propterea quoad primum, nempe Epiſcoporum Ordinationes a Metropolitis, Metropolitarum autem a Synodis Provincialibus celebrari juſſerunt, eorumdem ſibi reſervata ſubinde confirmatione, poſtquam fuiſſent electi, antequam ordinarentur. Ita in Africa id a ſuis Deceſſoribus inſtitutum, collatumque id juris Primati Carthaginenſi perhibet S. Leo IX. in epiſt. 4. ad Petrum, & Johannem Epiſcopos Africanos; & conjicere licet ex epiſtola 5. S. Siricii decret. ad Epiſcopos Africæ lecta in Synodis Tusdritana anno circiter 417. apud Baluzium ad calcem lib. de Concord. edit. 1704, & Teleuſi anno 418. apud Labbæum tom. 3; ex cujus Canonibus confectos Canones a Concilio Telenſi exhibet Ferrandus in Brev. art. 6. capp. 130, 138, & 174. fatente ipſomet Blondello in pſeudo-Iſidoro pag. 550. Ita in Italia Pelagius I. apud Holſtenium Collect. Rom. par. 1. pag. 219, & apud Gratianum 24. q. 1. Can. *Pudenda* indulſit, ut Mediolanenſis, & Aquilejenſis Metropolitæ ſibi mutuo conſecrationis munus impertirent, a Pontifice tamen prius confirmati; & S. Gregorius M. lib. 2. epiſt. 29, 30, & 31. Conſtantii Mediolanenſis confirmata electione, eumdem ordinari ab Epiſcopis Provinciæ permiſit: qui cæteroqui Mariniani Ravennatis Ordinationem ad ſe retraxit, teſte Johanne Diacono lib. 4. cap. 5, & Ariminenſem electum a Ravennate examinari quidem voluit, ordinandum tamen Romam ad ſe remitti lib. 7. epiſt. 50. juſſit. S. Nicolaus I. etiam, teſte Anaſtaſio, confirmationem Epiſcopo-

rum Provinciæ Ravennatis poſt electionem ſibi reſervavit: etſi Ordinationem eidem conceſſerit. Johannes VIII. autem Faventini electionem ſibi tribuit, Ordinationem autem Ravennati indulſit epiſt. 271, & 274. Subinde Clemens II, & S. Leo IX. ubi Salernitanæ Eccleſiæ Metropoliticam dignitatem confirmarunt, tum deinceps non a Romano Pontifice, ſed a proprio Metropolita conſecrandos Provinciæ Epiſcopos denuntiarunt apud Baronium ad ann. 1047. n. 12, & 1051. n. 8. Ita in Galliis hanc diſciplinam ab Eccleſia Romana decretam, ut Epiſcoporum Ordinationes a Metropolitis, Metropolitarum a Synodis celebrarentur, integram cuſtodiri juſſerunt S. Innocentius I. in epiſt. 2. ad Victricium Rotomag.; S. Zoſimus in epiſt. 1, & 4. ad Epiſcopos per Gallias, & 7. Provinc. edit. Cout., & epiſt. 5. ad Epiſcopos Provinc. Vien., & Narbon.; S. Bonifacius in epiſt. 3. ad Epiſcopos per Gallias, & 7. Provinc. conſtitutos; S. Cæleſtinus in epiſt. 4. decret. ad Epiſcopos Provinc. Vien., & Narbon.; & S. Leo M. in epiſt. 89, & 92. ad Epiſcopos Prov. Vienn.. Ita in Hiſpaniis S. Innocentius I. in epiſt. 3. ad Synodum Toletanam I. anno 400; & S. Hilarus in epiſt. 2. ad Epiſcopos Provinc. Tarracon. Ita in Britannia S. Gregorius M. lib. 12. epiſt. 15, alias lib. 11. epiſt. 64, qua S. Auguſtino facultatem tribuit erigendi duodecim Epiſcopatus ſub Cantuarienſi, totidemque ſub Eboracenſi, reſervato ſibi tamen jure confirmandi utrumque Metropolitam; ac Londinenſis Ordinatione Synodo propriæ inſuper reſervata. Id juris e contra in Illyrico Vicariis ſuis Apoſtolicis integrum pridem tradiderant SS. Damaſus & Siricius Acholio, & Anyſio Theſſal., ne videlicet ipſorum abſque conſcientia, aſſenſuque ordinarentur Epiſcopi, neque niſi ab ipſis Metropolitarum Ordinationes celebrarentur. Poſtea tamen Metropolitis ſuffraganeorum Ordinationes in Illyrico permiſerunt S. Innocentius I. in epiſt. 13. ad Rufum, & S. Leo M. in epiſt. 84. ad Anaſtaſium, quem ideo etiam arguit, quod Apoſtolica Sede inconſulta Metropolitam Epiri veteris gradu deturbare fuiſſet auſus: quin præterea S. Gregorius M. in Illyrico Metropolitarum electiones Synodis reliquit, Ordinationes autem ad ſe retraxit lib. 3. epiſt. 15, & lib. 4. epiſt. 7, & 8.

Quoad

Quoad jus vero indicendi, cogendique Nationalia Concilia attinet, iſtud Vicariis ſuis contraditum ſæpius legitur a Romanis Pontificibus, ſitque perſpicuum ex epiſtolis SS. Leonis M. 93. ad Turibium Aſturic., Symmachi 10. ad Cæſarium Arelat., Hormiſdæ 7. ad Saluſtium Hiſpalen., & 1. ad Remigium Remen., & Gregorii M. lib. 12. epiſt. 15. ad Auguſtinum: indubiumque eſt idem tributum jus Theſſalonicenſibus Epiſcopis eo ipſo, quo vices demandarunt ſuas SS. Damaſus, Siricius, Innocentius &c. Quo tamen principali jure haud infrequenter uſos Romanos ipſos Pontifices undique ex Patriarchatu Occidentis, quin aliquando quoque ex Oriente Epiſcopos Romam ſuas ad Synodos evocaſſe abunde demonſtratum eſt abs me par. 1. art. 3. in proleg. Quamquam autem Pallii collationi quam frequenter Apoſtolicæ vices conjunctæ fuerint, inſigneque Pallium fuerit juris Metropolitici, poteſtatiſque aliquando majoris acceptæ, non ita tamen ſemper qui Pallio erant exornati, ii aut vices Apoſtolicæ Sedis agebant, aut jure Metropolitico, ampliorique adaugebantur. Sicut enim Apoſtolicæ vices ſæpius demandatæ ſimplicibus Epiſcopis ſunt, ſic Pallii honorem plus vice ſimplici collatum non Metropolitis fuiſſe obſervarunt Cardinalis Bona rer. Liturg. lib. 1. cap. 24; Ruinartius in diſſert. de Pallio Archiepiſc. cap. 13. tom. 2. oper. poſthum. Mabillonii inſerta, & Benedictus XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 2. cap. 6, de quibus confer, ſi placet, obſervata jam abs me tom. 3. art. 1. §. 1. pag. 42, & ſeq. S. Turibio Aſturicenſi S. Leo; Johanni Illicitano (Origuela vulgo, ſeu Alicante) S. Hormiſdas; Maximiano Syracuſano S. Gregorius M.; S. Bonifacio Moguntino S. Gregorius II; & Drogoni Metenſi Sergius II. Apoſtolicæ Sedis vices commendaſſe leguntur, quin etiam Pallii honore, aut Metropolitica poteſtate cumulaverint. Ex adverſo Syagrius Auguſtodunenſis a S. Gregorio M. lib. 7. epiſt. 112; Wala Metenſis a Johanne VIII. epiſt. 1. in append. edit. Harduini tom. 6. par. 1. pag. 1213 a Pontificibus aliis Epiſcopi Mindenſis, Halberſtadenſis, Quinqueccleſienſis, Bambergenſis, Papienſis, ac a Clemente XII. Maſſilienſis, & Aretinus, de quibus adeundi Chronographus Mindenſis apud Meibomium tom. 1. Script. rer. German. pag. 552, Burchardus in Chron. Halberſtad. apud Leibnitium tom. 2. Script. Brunſvic pag. 126,

Marchinus de Sacram. Ord. tract. 4. cap. 9; Durandus de rit. Eccleſ. lib. 2. cap. 9.; Florens tom. 1. ad lib. 1. decret. de auct., & uſu Pallii, aliique, Pallio condecorati ſunt, qui alioquin in ſimplicium Epiſcoporum cenſum veniunt. Quid enim Pallio privilegii adjunctum putas? In Archiepiſcopis equidem liberum præbet accepti Ordinis exercitium, officiique quamdam perfectionem affert, ideoque ut antequam Pallium acceperint, tum ſe Archiepiſcopos nominare prohibeantur Cap. *Niſi ſpecialis*, *de Auctorit.*, *& uſu Pallii*, tum ab Archiepiſcopalis muneris exercitio abſtinere jubeantur, puta a Synodo Provinciali congreganda, a Chriſmate conficiendo, a dedicandis Eccleſiis, a Clericis ordinandis, & conſecrandis Epiſcopis Cap. *Quod ſicut*, *de Electione*; qua de re Innocentius Cironius, & Janus a Coſta in tit. *de Auctor.*, *& uſu Pallii*. In Epiſcopis vero aliquando prærogativam ſedendi ſupra reliquos Provinciæ Epiſcopos, ſtatimque poſt Metropolitam præferebat, quam Syagrio contuliſſe S. Gregorium M., poſt Lugdunenſem ſcilicet Metropolitam ſuum, liquet ex cit. epiſtola: aliquando vero neque hunc loci honorem fuiſſe Pallio illigatum patet ex Alexandri II. Diplomate apud Burchardum loco cit., ubi Epiſcopo Halberſtadenſi Pallium abſque præcedentiæ adjuncto concedit. Neque Pallii inſigne, ſed etiam præferendæ ante ſe Crucis privilegium ſimplicibus Epiſcopis ſæpe collatum animadvertit loc cit. n. 2. eruditiſs. Pontifex Benedictus XIV. Stat igitur ratum, fixumque in unam, eamdemque perſonam, rationemque confundendas nequaquam fore Primatis, Metropolitæ Pallio etiam exornati, ac Vicarii, ſive Legati Apoſtolici dignitatem, auctoritatemque.

E re veluti nata juvat interea nonnulla attexere nunc de Vicariis Apoſtolicæ Sedis, quos nempe loco conſtituere ſuo ad Jus ſupremum in Epiſcopos, cauſſaſque Eccleſiaſticas dicendum, exercendumque ubique gentium, ſive in Oriente, ſive in Occidente, pro ut Eccleſiarum bono expediret, Romanis Pontificibus ſolemni fuit in more poſitum. Atque quidem ab Oriente capiendo exordium, Illyrico in Orientale, & Occidentale diviſo, (ſive ea diviſio ſub Gratiano, & Theodoſio, ſive ſub Honorio, & Arcadio obtigerit, de qua diſputant viri docti), quod integrum tam

ante,

ante, quam poſt diviſionem Romano Patriarchatui ſubjacuiſſe plus vice ſimplici dictum eſt, Occidentalis curam ſibi met immediate reſervantes, in reliquo Orientali Vicarius Apoſtolicus a Romanis Pontificibus eſt conſtitutus: cujuſmodi conſtitutionis ea ſane cauſſa fuit, Regionum diſtantia ſcilicet, non ea, quæ nonnullis viſa eſt, indulgentia videlicet erga Græcos Imperatores, qui ægro, iniquoque ferrent animo Orientalium cauſſas in Occidente dijudicari. Conſtitutus eſt ergo Theſſalonicenſis Epiſcopus, qui ante eam diviſionem totius Illyrici Primatem agebat: a quo vero Pontifice fuerit is primum conſtitutus, tametſi inter Eruditos omnino non conveniat, veri tamen ſit ſimilius referendum fore ad S. Damaſum, ſub quo, & a quo una cum Sede Theſſalonicenſi vices Apoſtolicæ Sedis tenuerint, & ſuſtinuerint SS. Acholius, & Anyſius. In Romana ſiquidem Synodo ab Holſtenio primum edita, ac poſtmodum ab Harduino tom. 2. pag. 1111. ſub Bonifacio II. P. M. habita anno 531. perlectis libellis a Stephano Lariſſæ Metropolita transmiſſis adverſus Epiſcopi Conſtantinopolit. novas in Illyricum uſurpationes, prolatæ ſubinde ſunt e Scrinio Apoſtolicæ Sedis complures epiſtolæ, quibus conſtabat jam pridem a Romanis Pontificibus vices ſuas in Illyrico Theſſalonicenſibus Epiſcopis fuiſſe demandatas: initium autem factum legitur a S. Damaſo, qui ſpartam iſtam Acholio demandaverat; cuique demandatam reapſe a S. Damaſo fuiſſe auctorem ſe dat S. Innocentius I. ibidem relatus in epiſt. ad Anyſium, & Rufum, quibus Deceſſorum exemplo vices eaſdem delegat, ſuoque liquido confirmant teſtimonio S. Nicolaus I. in epiſt. 2. ad Michaelem Imperat., & Johannes VIII. in epiſt. 24. edit. Harduini ad S. Ignatium Conſtantinopolit., quibus Illyrici reſtitutionem urgent. Hinc adparet, quam procul abs vero aberrarint, qui Vicariatus Theſſalonicenſis inſtitutionem S. Bonifacio I. priorem non eſſe, quin poſteriorem S. Cæleſtino I. exiſtimant, quorum tamen leviſſima cæteroqui momenta expuncta videri poterunt a doctiſs. Lupo in Scholiis, & Not. ad Concilium Sardicenſe Can. 16. Nec officit, quod opponunt Baluzius in ſupplem. lib. 5. de Concord. cap. 23, & Pagius Junior in S. Siricio, quem Vicariatus iſtius auctorem agunt, ſcilicet quod S. Siricius ad Anyſium ſcribens nullam deceſſoris

ceſsoris ſui S. Damaſi mentionem fecerit, & S. Leo M. in epiſt. ad Anaſtaſium hujuſce Vicariatus exordium a S. Siricio repetat: nam S. Siricius primus quidem fuit, qui certam præſcripſit regulam, qua vices Apoſtolicæ Sedis adminiſtrare Theſsalonicenſis Antiſtes deberet, non etiam primus, qui Theſsalonicenſi eaſdem vices commendaverit: ita enim loquitur expreſse S. Leo: *B. record. Siricii exemplum ſecuti, qui Anyſio prædeceſſori ſuo, bene de Apoſtolica Sede tunc merito... certa tum primum ratione commiſit, ut per illam Provinciam poſitis, quas ad diſciplinam teneri voluit, Eccleſiis ſubveniret.* Poſt S. Damaſi litteras, perlectæ ſunt, quæ ſubinde ad Anyſium datæ fuerant a SS. Siricio, & Innocentio: tum quæ ad Rufum a SS. Innocentio, & Bonifacio I: inſertæ perinde, quæ huc faciebant, epiſtolæ mutuæ Honorii ad Theodoſium, SS. Cæleſtini, & Sixti ad Illyrici Epiſcopos, ad Perigenem item, & ad Proclum; Valentiniani inſuper, & Marciani Imp. ad S. Leonem M. Tum deventum eſt denique ad litteras, quas hac de re S. Leo dederat ad Marcianum, ad Anatolium Conſtantinopolit., ad Anaſtaſium Theſſal., ad Epiſcopos Illyrici, & Provinciæ Achajæ. Quas qui probe tenet, haud difficulter concipit Vicariatus Apoſtolici fundamenta in Theſſalonicenſi a S. Damaſo fuiſſe collocata, eidem certam formam a S. Siricio conſcriptam, ſubindeque ab iis, qui ſequuti Pontifices ſunt, rem ipſam magis magiſque conſtabiliram.

Inficiari iſta nihilo minus veritus non eſt Tillemontius in S. Damaſo art. 13, in S. Innocentio art. 12, & in S. Bonifacio art. 9, paulloque moroſiorem præbere ſe, quam par eſset, ac parum æquum, quinimo audaciorem erga ejuſmodi agendi rationem, qua præfati Pontifices, (quibus attexere poterat ſucceſſores pariter uſque ad S. Gelaſium, ut eadem pariter omnes afficeret injuria), totius Illyrici ſummam in rebus ſacris Theſsalonicenſi Antiſtiti tradiderunt, vices Apoſtolicæ Sedis eidem tribuentes, adeoque ut abſque ejuſdem conſcientia Illyrici Epiſcopis nihil ferme in Eccleſiaſticis negotiis fas eſſet. Ejuſmodi juri in Theſſalonicenſem Epiſcopum tranſcripto obluctatos obnixe ceteros Metropolitas comminiſcitur: jure autem, an injuria juxta Canones Theſſalonicenſi Antiſtiti tam ampla facultas facta fuerit, nolle ſe diſputare

putare ſubjungit: ſubjungit tamen novitatis vitio inſcribi revera potuiſſe jura, quæ in Provincias Illyrici pertendebat Romanus Pontifex: quandoquidem, qua demum facultate S. Damaſus Apoſtolicæ Sedis Vicarium illic conſtituere potuerit, minime comperitur. Tillemontium egregie refellit, exagitatque doctiſs. Orſius hiſt. Eccleſ. lib. 24. n. 20, & ſeq., & lib. 26. n. 64. oſtendens nefas eſse ingens dubitare vel leviter, num ſummis Pontificibus SS. Damaſo, Siricio &c. licuerit Theſsalonicenſi Epiſcopo vices ſuas concredere, eumdemque dignitate, auctoritateque ſupra ceteros Illyrici Epiſcopos adaugere: ſiquidem pars ea ſit una poteſtatis illius ampliſſimæ, quam ullo abſque limite a Chriſto D. S. Petro fuerit facta, quave perinde juri Patriarchico Romanæ Eccleſiæ a priſca ætate ſolidum Illyricum fuerit reſervatum. Quod tandem, ac turpiter quidem Tillemontio ignotum, ignoratumque erat, præterquam quod prælaudatis Romanis Pontificibus approbe perſpectiſſimum fuit, perſuaſiſſimum pariter fuiſse Honorio, ac Theodoſio Imperatoribus: quippe quum a nonnullis Theſſaliæ Epiſcopis, qui Theſſalonicenſis elevatum ſupra ſe imperium ægre admodum patiebantur, exſtimulatus Theodoſius Illyrici Eccleſiaſticum jus in Epiſcopi Conſtantinopolitani jura tranſcribere meditaretur, ab Honorio tamen graviſſimis litteris, quarum ipſi auctor fuerat S. Bonifacius I, admonitus, deterritusque, ne S. Romanæ Eccleſiæ jura in Illyricum ab ullo lædi, temerarique ſineret, ſed nec ipſe ad Eccleſiam Conſtantinopol. traheret, a conſilio inito ſtatim deſtitit, ſuaque in Illyricum jura Romano Pontifici integra permiſit: cujus rei teſtes ſunt reciprocæ litteræ, quibus Theodoſius, (cujus proinde Legem 45. *De Epiſcopis* tum ab ipſomet revocatam, tum a S. Romana Eccleſia peſſimo loco habitam perperam Codici ſuo Juſtinianus inſeruit), non diſſimulat ſibi dolo obreptum fuiſse, invaſique alieni juris hanc obtendens cauſsam, eadem tamen jura Romanæ Eccleſiæ jam ab ſe redintegrata reſcribens. Putas ne vero, dic ſodes, id omne ab utroque Imperatore nulla adhibita prius ad rei veritatem plenius aſsequendam mora, unaque gratia aſsentandi Romano Pontifici, qua promotum, qua permiſsum? Puter, per me licet, qui omnem in Pontifices MM. quærit invidiam, non ego, non æquus, probuſque veritatis æſtimator,

mator, qui res non ex præconcepta opinione, ſed ex juſto, æquoque metiri conſueſcit.

Porro, ut obſervavit Pagius uterque Senior ad annum 421. num. 7, & ſeq., Junior vero in S. Hormiſda, Apoſtolici Vicariatus prærogativa in Epiſcopis Theſſalonicenſibus permanſit uſque ad Pontificatum S. Gelaſii, quo tempore Vicariam illam poteſtatem ceſsaſse videtur, quia Theſsalonicenſis Epiſcopus Acacii ſchiſmati adhærebat. Id vero exinde ſuadetur, quod S. Gelaſius in epiſt. 11. ad Dardaniæ Epiſcop. Theſſalonicenſis Antiſtitis in defendendo Acacii ſchiſmate duritiem objurgarit; & S. Nicolaus I. in epiſt. 2. ad Michaelem Imperat. Deceſsores ſuos commemorans, a quibus Apoſtolicæ vices Theſsalonicenſibus Epiſcopis fuerant demandatæ, SS. Damaſum, Siricium, Innocentium, Bonifacium, Cæleſtinum, Sixtum, Leonem, Hilarum, Simplicium, Felicem, & Hormiſdam nominat, at de SS. Gelaſio, Anaſtaſio II, & Symmacho alte ſiler. A S. Hormiſda autem, ſub quo Illyrici a ſchiſmate receſserunt, uti conſtat ex epiſt. 30. ejuſdem Pontificis ad S. Cæſarium Arelat., ac denarrat libellus Synodicus de Theſſalonicenſi ſcilicet Synodo de induſtria ad id operis S. Hormiſdæ juſſione congregata, Dororheo Theſsalonicenſi Epiſcopo data, epiſt. 3. eadem prærogativa reſtituta eſt, qua non multo poſt exſpoliatus eſt, quia Anaſtaſii Imperatorem metu, miniſque inflexus cum Timotheo pſeudo-Epiſcopo Conſtantinopolitano Sacrorum conſortio ſe conjunxiſset, ut conſtat ex epiſt. 22. S. Hormiſdæ, ac ex Theophane in Chronograph. ad annum 516. Ab hoc autem tempore nullus amplius Theſsalonicenſis Antiſtes legitur, qui vicibus Apoſtolicis defunctus ſit in Illyrico, ſed in ſolam Provinciam Macedoniæ jus Metropoliticum manſit: donec capta a Latinis Conſtantinopoli, Regnoque Theſsalonicæ fundato, Theſsalonicenſem Præſulem, qui tum primum a longo ſchiſmate emerſerat, Primatem, Vicariumque Apoſtolicum denuo declaravit Innocentius III. lib. 15. epiſt. 18. Quamquam recens hic inſtauratus Vicariatus Apoſtolicus rurſum paullo poſt excidit, quum nempe Regnum Theſsalonicæ inſtitutum concidit. Quoniam vero jam pridem, antequam Theſsalonicenſis Antiſtes Vicariatu Apoſtolico defungeretur, ad eumdem confluere ex Provinciis aliis Clerici

cœpe-

cœperant, ibidemque perſæpe diutius, quam oporteret, hærere non dubitabant, cauſsæ fuiſse videtur, cur in Sardicenſi Concilio Can. 16. cautum ſit, ne Clerici extranei diu Theſsalonicæ demorarentur. Poſtremo ad Juſtiniani Imperat. preces, quas irritas prius fecerat S. Agapetus, Vicariatus Apoſtolicus a Vigilio delatus eſt ad Archiepiſcopum Acridæ, ſive primæ Juſtinianæ, uti patet ex Novellis 11, & 131; ac ſubinde etiam a S. Gregorio M. eædem Apoſtolicæ vices Johanni Epiſcopo primæ Juſtinianæ per Illyricum commendatæ leguntur lib. 4. indict. 13. epiſt. 53, & 59, ideque ut ob ampliſſimam, qua is adornatus fuerat, dignitatem, auctoritatemque primæ Juſtinianæ Præſul etiam Patriarchæ nomine fuerit inſignitus a Curopalate cap. de Patriarch., & Barlaamo in diſput. adverſus ſchiſmaticos. Romano Pontifici reſervatam tamen in Illyricum Occidentale juriſdictionem liquet ex S. Gregorio M., qui lib. 3. epiſt. 15. Epiſcoporum Ordinationes in Dalmatia ſibi reſervatas declarat; lib. 4. epiſt. 7. Epiſcopum in Mœſia 2. Pallio adauxit, & lib. 12. epiſt. 2, & 3. Archiepiſcopum Theſſalonicenſem a moleſtia inferenda Epiſcopo Corcyrenſi coercuit; teſtiſque locuples accedit S. Nicolaus I, qui in epiſt. 2. ad Michaelem Imperat. ex Provinciis 18, quibus conſtabat Illyricum univerſum, duodecim dumtaxat, quot nempe Orientalis Illyrici partem componebant, Apoſtolicæ Sedis vice adminiſtrandas Theſſalonicenſi Antiſtiti tributas affirmat, reliquis ſub poteſtate immediata Romani Pontificis integre remanentibus. Confer in hanc rem Petrum de Marca de Primat. n. 47; Lupum in Schol., & Not. ad Synodum Sardic. Can. 16; Pagium ad annum 555. n. 3, & ſeqq.; & Thomaſſinum vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 18, & ſeq.

Eaſdem Apoſtolicæ Sedis vices in Concilio Epheſino contra Neſtorium exercendas S. Cyrillo Alexandrino commiſit S. Cæleſtinus I, poteſtate facta in depoſiti Neſtorii locum alterum orthodoxum Antiſtitem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præficiendi, ut ex litteris S. Cæleſtini 11. edit. Cont. ad S. Cyrillum, & S. Cyrilli ad Clerum, & Populum Conſtantinopolit. adparet. Eaſdem vices per Africam Potentio Epiſcopo demandavit S. Leo M. epiſt. 87; & per Ægyptum, una cum facultate gradu deturbandi

Athanaſium hæreſi Eutychianæ implicatum, Eccleſiæque Alexandrinæ invaſorem Acacio Conſtantinopolit. commiſit S. Gelaſius, qui in epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ de eodem Acacio peſſime ſuis defuncto vicibus conqueſtus, *Cur*, ait, *non ad Sedem Apoſtolicam, a qua ſibi curam illarum Regionum noverat delegatam, referre curavit Acacius?* Eaſdem vices pro Eccleſiis Palæſtinæ, quas impia Monothelitarum hæreſis inquinaverat, Stephano Dorenſi Epiſcopo concredidit Theodorus Papa, facultatem ipſi impertiens e gradu dejiciendi Sergium Joppenſem Antiſtitem Monothelitica hæreſi aſperſum, qui in Sedem Hieroſolymitanam irrepſerat, ab eoque ſacrilege ordinatos Epiſcopos loco amotos in ordinem redigendi. Conſtat id ex ejuſdem Stephani libello ſupplici oblato S. Martino I. P. M., lectoque in Concilio Lateranenſi ſecret. 2. Sed & idem S. Martinus Papa eaſdem vices in Orientis Eccleſias, maxime in Antiochenam, & Hieroſolymitanam, quarum res valdequam afflictæ erant, ut videlicet Eccleſiis aut Paſtoribus deſtitutis, aut ab Hæreticis depravatis ſuccurreret, Johanni Philadelphienſi Epiſcopo demandavit epiſtolis datis ad ipſum, & ad alios Epiſcopos, & Archimandritas apud Harduinum tom. 3. pag. 639, & ſeqq. Nec minor ſollicitudo Romanos Pontifices ſemper inceſſit poteſtate haud impari communiendi probatiſſimos Epiſcopos, qui Occidentis Eccleſiis invigilarent, viceſque obirent ſuas. Ita, ut jam ſuperius innui, in Galliis Arelatenſibus Epiſcopis provinciam iſtam explendam contradidit Patroclo S. Zoſimus, de quo adeundus doctiſs. Berardi in ſuo Gratiano emendato par. 2. cap. 38; hanc a S. Hilario abſtulit S. Leo M. epiſt. 89, in edit. Queſnelli 11. ad Epiſcopos Provinc. Vien., ex parte vero reſtituit Ravennio S. Hilarii ſucceſſori; S. Cæſario detulit S. Symmachus; Auxanio, & Aureliano Vigilius; Sapaudo Pelagius I; & Virgilio S. Gregorius M.; poſt Virgilium vero Arelatenſis Epiſcopi Vicariatus Apoſtolicus ceſſavit, qui alioquin in iis perſonalis fuerat, non perpetuo ipſorum ſedi adfixus; quin etiam in Regno Clodovæi S. Remigio Remenſi fuerat a SS. Symmacho, & Hormiſda concreditus. Ita in Hiſpaniis Vicarium ſunm creavere S. Turibium Aſturicenſem S. Leo, in Provincia Boetica Zenonem Hiſpalenſem S. Simplicius; in Boetica, & Luſitania Saluſtium Hiſpal. S. Hormiſdas, qui in ceteris Provinciis id muneris Johanni Illicitano impoſuit.

Ita

Ita in Germania vices ſuas ut ageret S. Bonifacius Moguntinus, voluere SS. Gregorius II, Gregorius III, & Zacharias: in Germania deinde, & Gallia Drogo Metenſis Vicarius Apoſtolicus conſtitutus eſt a Sergio II, cujus litteras hac de re edidit Sirmondus tom. 3. Concil. Gall. Ita in Anglia vicibus Apoſtolicis induit S. Auguſtinum S. Gregorius M., quam tamen prærogativam Cantuarienſi Eccleſiæ perpetuo non adfixit, cujus Antiſtites non niſi diu poſt Vicarii Apoſtolici ſunt conſtituti, qui poſtremo veluti Legati nati Sedis Apoſtolicæ in Anglia habiti ſunt, ſicut ex epiſt. Alexandri III. ad S. Thomam Cantuar. colligere licet. Ita in Provinciis Aquilonaribus Daniæ, Sueciæ, Norvegiæ, Slaviæ, Islandiæ, Jutiæ &c. Apoſtolicas vices S. Anſchario Hamburgenſi, ac ſucceſſoribus conceſſere Gregorius IV, & S. Nicolaus I, & in Provinciis Norici, & Pannoniæ Archiepiſcopis Salisburgenſibus Agapetus II, & Benedictus VI: de quibus affatim, pro ut opus erat.

Jam operæ pretium eſt de Metropolitis, ſive de Archiepiſcopis, paucioribus tamen, quoad ejus fieri poterit, dicere, ac prius de nomine. Hoc itaque Archiepiſcopi nomine, (quo pridem deſignatum Epiſcoporum Primatem, qui non tam Epiſcopis ſimplicibus, quam ipſis Metropolitis præſideret, arguit ex S. Iſidoro Gratianus diſt. 21. Can. *Cleros, & Clericos*; nec abnuit doctiſs. Noriſius in diſſert. de Synodo V. cap. 10; quamvis poſtea a Græcis poſterioribus Archiepiſcopus poſt Metropolitam locari cœperit; apud Latinos autem paſſim cum Metropolitis confundatur), hoc, inquam, Archiepiſcopi nomine inſignitus legitur S. Damaſus P. M. a Fauſtino, & Marcellino in libello precum ad Imperat. tom. 5. Bibliot. PP. edit. Lugd. 1677: a Conciliis Epheſino act. 1, 2, 4, & 6. S. Cæleſtinus, & Chalcedonenſi act. 1, 3, & 5, nec non a Theodoſio Imp. in epiſt. ad Eudoxiam, & Marciano Aug. in epiſt. ad ipſum S. Leo M. Eodem Archiepiſcopi titulo deſignati habentur Alexandrini Præſules, uti S. Petrus a S. Epiphanio hær. 68. edit. Petavii; S. Alexander a Meletio in libello ipſi oblato; S. Cyrillus in Concilio Epheſino loc. indic.; & S. Proterius ab Ægyptiis in epiſt. 2. ad Leonem Auguſt. in Cod. Encyclio edit. Harduini tom. 2. pag. 691. Quin ab ipſo S. Athanaſio in apolog. 2. denominatus legitur Johannes Memphitanus,

& a S.Epiphanio loco cit. Meletius Lycopolitanus; in quo tamen hallucinatum S. Epiphanium affirmat Baronius ad annum 326. n. 10, in eis nempe Meletii, quæ ex Meletiano aliquo excripſiſſe putat, actis. Ab Auctore Synodici adverſus Tragædiam Irenæi, ſive a Collectore Latino actorum Concilii Epheſini eodem Archiepiſcopi nomine nuncupatur Johannes Antiochenus; & ab Euſebio Dorylæo S. Flavianus Conſtantinopolitanus in Synodo Conſtantinopoli ſub eodem celebrata act. 1. Denique illuſtri hoc Archiepiſcopi titulo condecorati leguntur celebriorum Urbium Antiſtites, a Sozomeno lib. 2. cap. 9. Simeon Seleucienſis; a Synodo Conſtantinopolitana ſub Menna Epiphanius Tyrius; a Liberato Brev. cap. 5. Flavianus Philippenſis; & a S. Gregorio M. lib. 1. epiſt. 26, 62, & 82; lib. 2. epiſt. 34, lib. 6. epiſt. 7, & lib. 7. epiſt. 19. vet. edit. Anaſtaſius Corinthius, Januarius Calaritanus, Euſebius Theſſalon., & Marinianus Ravennas: ſimili etiam titulo ſequioti ætate a Græcis donari cœperunt Epiſcopi Autocephali, qui ſcilicet juris ſui eſſent, ab omnique Patriarchæ cujuſpiam juriſdictione abſoluti, uti Bulgariæ, uti Cypri, uti Peſcii.

Nunc ad rem ipſam nomine importatam accedendo, in Eccleſiaſticarum Metropoleon inſtitutionem, originemque inquirere juvat, antequam de earumdem ratione, juribuſque ſermo inſtituatur. Dupinius de Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſacris ordinibus agens de antiq. Eccleſ. diſcipl. in diſſert. 1. §. 7. ex Notitia diviſionis Provinciarum Civilium, quam perperam a Conſtantino M. inductam autumat, peſſime arguit tum demum Provincias Eccleſiaſticas pariter fuiſſe diviſas, ideoque dignitatum Metropoliticarum originem ex diſtributione Imperii fore repetendam, refundendamque in ipſarum Urbium Civilem dignitatem, qua tum primum adauctæ ſunt. Propius ad veritatem accedit Petrus de Marca de Concord. lib. 1. cap. 3, & lib. 6. cap. 1. Metropoles Eccleſiaſticas jampridem ab Apoſtolis ipſis incepiſſe affirmans eo argumento, quod etſi Dupinio infirmum vocare placuerit, graviſſimum tamen æqui, juſtique æſtimatori videbitur, ſuffultus, quod S. Petrus epiſt. 1. cap. 1. in quatuor Provinciis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ Eccleſias inſtituiſſe traditur:

S. Pau-

S. Paulus quoque Eccleſias fundaſſe perhibetur Aſiæ 1. Corinth. 16.19; Achajæ Roman. 15.26; Arabiæ Galat. 1.17; Ciliciæ Act. 15.23, & 41, & Galat. 1.21; Cretæ ad Tit. 1.5, Cypri Act. 11. 19, 13.4, 15.39, & 21.3; Dalmatiæ 2. Timoth. 4.10, & Tit. 1.5; Galatiæ epiſt. ad Galat., 2. Timoth. 4.10; Phrygiæ Act. 18.23; Lycaoniæ Actor. 14.10; Macedoniæ 2. Corinth. 2. 13, & 8.1; Pamphyliæ Act. 14.24; Piſidiæ ibidem; Syriæ Galat. 1.21., & S. Johannes Eccleſias perinde conſtituiſſe legitur in Aſia ſeptem Epheſi, Smyrnæ, Thiatiræ, Pergami, Sardibus, Philadelphiæ, & Laodiceæ, ac in Patmos Inſula Apocalip. 1, 2, & 3. Ad hæc autem celebres in S. Scriptura evaſerunt Eccleſiæ ab Apoſtolis inſtitutæ, Antiochiæ in Piſidia Act. 13. 14; Athenis Act. 18.15; Beroeæ Act. 17.10; Cæſareæ Act. 10.1, & 21.8; Coloſſis in epiſt. ad Coloſſ.; Cyrene Act. 11.20; Corinthi epiſt. ad Corint.; Damaſci Act. 9.1, & Galat. 1.17; Jconii Act. 14.1; Lyſtræ ibidem 20; Lydde Act. 9.32; Melitæ Act. 28.1; Perge Act. 13.13; Philippis epiſt. ad Philipp., & Act. 16.12; Phœniciæ Act. 11.19; Ptolemaidæ Act. 21.7; Samariæ Act. 8.5; Theſſalonicæ epiſt. ad Theſſal., & 2. Timoth. 4.10; alibique plures aliæ, quarum Catalogum attexit Fabricius Salut. Luc. Evang. cap. 5. pag. 83, & ſeqq. Igitur Eccleſiis iſtis præfectos Epiſcopos fuiſſe, ac Epiſcopis Provinciarum Metropolitas pronum eſt inferre, confirmareque Tertulliani haud obſcuro teſtimonio, qui lib. de Præſcript. cap. 36, & lib. 4. adverſus Marcionem cap. 5, illuſtriores inter Eccleſias commemorat Corinthum, Philippos, Theſſalonicam, & Epheſum. Certe ab Apoſtolis conſtitutos Epiſcopos, certamque regulam de Epiſcopis conſtituendis, *Ut quum illi deceſſiſſent, miniſterium eorum, ac munus alii probati viri exciperent*, fuiſſe traditam auctor eſt Apoſtolis ipſis contemporaneus S. Clemens in epiſt. genuina ad Corinthios edit. Cout. pag. 30. n. 44. Quis igitur dubitet ab Apoſtolis pariter intentis quam maxime ad proſpiciendum futuris Eccleſiarum neceſſitatibus, quaſve ut prænoſcerent ſuperiori lumine illuſtratis, de hoc ipſo tam apto medio aut non cogitaſſe, aut non deliberaſſe, nempe de inſtituendis Metropolitis, deque ratione optima tradenda, qua iidem imposterum inſtituerentur; adeoque ut quæ ab Apoſtolis neglectæ

&a fuiſſet, tam opportuna alioqui, quam optima diſciplina fuerit deinceps inducta ?

Nec minoris momenti conjecturas capere licet ex Conciliorum actis, vetuſtiſque Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, quæ litterarum monumentis mandata ſunt, teſtimoniis. Et quidem expedita res eſset, ſi Canonibus Apoſtolicis integra ſtaret fides; ſiquidem in Canone 33. verſ. Gentiani Herveti uno, & altero verbo expreſsa tamen Metropolitarum mentio occurrit: qui nempe ibidem deſcribuntur, quod ii ſint primi, & Capita Provinciarum: *Epiſcopos uniuſcujuſque gentis noſſe oportet eum, qui in eis eſt primus, & exiſtimare ut caput; & nihil facere, quod ſit arduum, aut magni momenti, præter illius ſententiam.* Etſi enim ad hunc Canonem reſpexiſse videatur Antiochena Synodus anno 341. Can. 9, de qua paullo poſt, quia tamen Canones illi apud emunctioris naris Criticos fide valdequam laborant, nolim infirmo fundamento tam gravem molem ſuperſtruere; eoque magis quod firmiora non deſint monumenta, quibus cauſsam, quam ago, ſecurius confidam. Nicæna I. Synodus Can. 4, 6, & 7. prærogativis, juribuſque proſpiciens eorum, qui primos in Eccleſiaſtica Hierarchia gradus occupabant, Epiſcoporum, quamvis Romani, Alexandrini, Antiocheni, & Hieroſolymitani diſerte meminerit, non altero tamen eorumdem dignitatem, auctoritatemque deſignat nomine, aut titulo illuſtriori exornat, quam Metropolitæ: ita enim τὸ Μητροπολίτη, ut habet Græcus textus, *Metropolita* legitur in verſionibus Latinis Rufini, Dionyſii, Iſidori, in Cod. Mſ. antiquiſſimo Petri Pithæi; in Concilio Carthag. VI. ex verſ. Theilonis, & Theariſti, ſive Filonis, & Evariſti apud Harduinum tom. 1. pag. 1246, in verſ. Arabica Joſephi Ægyptii; & *Archiepiſcopus* habetur in Canonibus Arabicis 5, 6, 7, verſ. Echellenſis, & Turiani. Itaque Nicæna Synodus dubio procul ſupponebat jampridem Metropolitarum Cathedras, juraque adjuncta in Eccleſia obtinuiſse: atque ita profecto Synodi Nicænæ prælaudatos Canones intellexere S. Innocentius I. in epiſt. 18. ad Alexandrum Antioch.; S. Leo M. ſerm. in Nat. SS. Apoſtol. Petri, & Pauli; Theodoretus in epiſt. 86. ad Flavianum Conſtantinopolit.; Concilium ipſum Conſtantinopolit. I. Can. 2; aliique, de quibus dicere

dicere ſingulatim non præſtat. Conformiter Nicæno Concilium Laodicenum, quod, ut ex Codice vetuſtiſſimo Corbejenſi obſervatum jam abs me eſt tom. 3. art. 3. §. 1. pag. 206, poſt Nicænum celebratum fuit, Can. 12. relato diſt. 61. Can. 6. *Epiſcopum* Epiſcoporum electionibus Metropolitam præeſſe omnino præcipit. Canoni vero Apoſtolico 33, ut innui, conſentanee Antiochena Synodus anno 341. Canone 9. Epiſcopum quemlibet cuique Provinciæ præfectum non altero quam Metropolitæ nomine inſignit, cui totius Provinciæ curam, ac ſollicitudinem incumbere ait. Veterum Metropolum veſtigia in Oriente detegere etiam eſt in epiſtola S. Dionyſii Alexandrini, quæ apud Euſebium lib. 4. hiſt. Eccl. cap. 23. hanc præfert epigrahem: *Eccleſiæ, quæ eſt Gortynæ, aliiſque, quæ ſunt Cretæ*: quid enim cauſsæ fuiſſet, cur inter alias Cretæ Eccleſias Gortynenſis diſtingueretur, ejuſdemque Epiſcopus Philippus inter alios diſtinctim nominaretur, niſi Metropolitica dignitate ceteris emineret? Nec minus illuſtri documento eſſe poſſunt Synodi, quas in cauſsa Paſchatis circa ſæculi II. exitum paſſim in Oriente celebratas Euſebius commemorat lib. 4. cap. 23, Cæſareenſis in Palæſtina, cui præfuit Theophilus, Pontica, cui præfuit Palmas, Corinthiaca, cui præfuit Bacchylides, quos jure quidem Metropolitico præfuiſſe æſtimare pronum eſt: quo pariter jure pſeudo-Epheſinæ præfuiſſe dicendus eſt Polycrates. Quid autem quod Metropoleon nomine jam audiebant ſub Auguſto Antiochia in Syria, & Tarſus in Cilicia; ſub Trajano Heraclea; ſub Hadriano, & Gordiano Damaſcus, & Tyrus; Epheſus ſub Lucio vero; Cæſarea in Cappadocia ſub Septimio Severo; ſub Alexandro Severo, & Valeriano Anazarbus in Cilicia; atque ſub Diocletiano Cæſarea in Palæſtina? Id vero totum adparet ex Numiſmatibus ſub iiſdem Imperatoribus cuſis apud Vaillantium: ex quo proinde concidere oportet tum doctiſſ. Bacchinii opinionem, qua in diſſert. de Eccleſ. Hierarchiæ origin. par. 1. cap. 3. negat ante Conſtantini M. ætatem ullam in Oriente, Aſiaque Urbem Metropoleos Civilis jure exornatam, tum Dupinii errorem, quo affirmat ex diviſione Provinciarum Civilium ſub eodem Conſtantino, tum demum Metropoles Eccleſiaſticas exſurrexiſſe.

In

In Occidente ſerius etſi occepiſſe Metropoleos Eccleſiaſticæ videantur, non adeo ſera tamen earumdem origo æſtimanda eſt, uti nonnulli vellent, quin alicubi maturius, hoc eſt, ut ego auguror, in locis Romana a Cathedra remotioribus, jamdiuque obtinuerint. In Africa Carthaginenſem Antiſtitem ab uno, vel altero Eccleſiæ ſæculo ampliſſimo univerſim jure Metropolitico, ac Primatis quinimo potitum affatim demonſtratum eſt, demonſtratque ex epiſtolis S. Cypriani doctiſſ. Cardonus hiſt. ſacram. lib. 2. de Ordine cap. 5, ex iis potiſſimum, quibus oſtenditur ad Carthaginenſes Synodos ex tota Africas evocatos Epiſcopos, & ad Carthaginenſes Epiſcopos ex Africa tota delatas difficiliores Eccleſiarum cauſsas. In Gallia Synodo Lugdunenſi ob diſſidium circa diem celebrandi Paſchatis habitæ præfuiſſe S. Irenæum, quin etiam Galliarum Parochiis, (quo tum nomine deſignabatur Eparchia, ſive Diœceſis), eumdem fuiſſe præfectum auctor eſt Euſebius: quo autem, quæro, jure, niſi Metropolitæ, aut Primatis, ſi mavis? Sed de hoc jam ſatis ſuperius. In Hiſpaniis ſub initium ſæculi III. Epiſcopum extitiſſe, (eumque opinor, qui Ordinatione eſſet antiquior, quippe certo adfixa loco ejuſdem Cathedra non adparet), qui officio Metropolitico defungeretur, ex Concilio Illiberitano eruere licet. Porro uſque modo variæ fuerunt Eruditorum ſententiæ de Synodi iſtius veritate, loco, & epocha: donec hoc demum anno 1757. die 14. Junii, veluti ferunt litteræ e Granata exaratæ, dum vetuſtiſſimi Templi rudera effoderentur, repertæ tabulæ pleræque cum lapideæ, tum plumbeæ, inſcriptæque caracteribus Gothicis, quibus Concilii Illiberitani Acta autographa deſcribuntur, dubitationem omnem deinceps ſuſtulerunt: inventionis enim iſtius teſtes idonei utique acceſſerunt Urbis Granatenſis Epiſcopus, Magiſtratus, & Collegia. Ex his igitur Actis originalibus capita hiſtoriæ Eccleſiaſticæ complura elucidantur, & definiuntur. 1. Concilium revera celebratum fuiſſe Eliberis, ſive Illiberis, de quo tandiu diſputarunt Baronius, Bellarminus, Canus, Mendoza, Aguirræus, Natalis, Pagius, ac nuper Berardi Gratiani emend. tom. 1. par. 1. cap. 2, Illiberis, inquam, Urbe non in Gallia Narbonenſi, ſed in Regno Granatæ ſupra vicinum Collem conſita: ideoque jure merito Concilium illud factum quammaxime fuiſſe a Conciliis Moguntino ſub Rabano

bano anno 847. Can. 21; a celebratis apud S. Medardum ſub Carolo Rege, nec non a Toletano XI. anno 675. cap. 13. Nec vero Canone 36. Iconoclaſtarum hæreſim confirmari diſerte, ac dilucide demonſtrarunt adverſum Proteſtantes vice plus ſimplici viri Doctiſſ. Bellarminus lib. 2. de Imagin. SS. cap. 8; Scheleſtratius in diſſert. de diſcipl. arcani cap. 6. art. 3; Cardin. Bona rer. Liturg. lib. 1. cap. 16; Albaſpinæus, Mendoza, Aguirræus in Comment. ad eum Canonem, Pagius in Crit. ad annum 55. n. 5. & ſeq., ſexcentique alii de Schola Theologi. 2. Conſtat ex eiſdem Actis Concilio adfuiſſe 19. Epiſcopos, 36. Presbyteros, alioſque Diaconos, quorum nomina antea ignorata deſcribuntur ibidem: ex quo liquet ad veritatem propius expreſsos fuiſſe Codices Iſidori, Gratiani 11. diſtinct. 16, & Pariſienſem Harduini eumdem 19. Epiſcoporum numerum præferentes, præ Codice Pithœano eumdem numerum ad 43. adaugente. 3. In eiſdem Actis denotatur annus 304, quo celebratum eſt Concilium: ideo corruit opinio eorum, qui celebratum putant aut ante hæreſim Novatiani, & perſecutionem Decii, ut Morinus lib. 9. de pœnit., aut ante perſecutionem Diocletiani, & Maximiani, ut Ferdinandus Mendoza de confirm. Concilio Illiber., aut eadem perſecutione imminente, ut Natalis ad ſæcul. III aut ſub Conſtantio, & Galerio, uti Baronius, aut ſub Conſtantino M. circa tempus Concilii Nicæni, ut Hincmarus in opuſc. 33. cap. 20; aut circa annum 313, uti Panvinius in Faſtis, & Harduinus; multoque minus anno 794, uti Centuriatores contendunt. His prælibatis, quæ Lectori haud futura ingrata ejuſdem ex liberalitate confido, quod nunc proxime ad rem attingit, Canone Illiberitano 58. ſic habetur; *Placuit ubique, & maxime in eo loco, in quo prima Cathedra conſtituta eſt Epiſcopatus, ut interrogentur hi, qui communicatorias litteras tradunt, an omnia recte habeant, ſuo teſtimonio comprobati.* Quibus in verbis, ſi bene video, quædam emicat ſpecies expreſſa Metropoliticæ juriſdictionis, proprio nedum quidem nomine deſignatæ, neque certo loco conſpicuo defixæ, ab eo tamen exercendæ, qui primam inter Provinciæ Epiſcopos Cathedram occuparet, ideſt, aut ego fallor, qui Ordinatione prior eſſet, a quo proinde Formatæ, ſive Communicatoriæ litteræ accipiendæ erant. Parem vim nolo facere in ver-

bis. S. Athanaſii ad Solitarios ſcribentis, ſcribit autem conſona Theodoretus lib. 2. cap. 15. hiſt. Eccleſ. verſ. Valeſii, ubi nomine deſignantur Metropoleon Galliarum Paulinus Trevirenſis, Galliæ ſuperioris Euphratas Colonienſis, Sardiniæ Lucifer Calaritanus, & Italiæ Dionyſius Mediolanenſis: non enim me fugit hoc commode nomine Metropoles in diſpoſitione Civili dumtaxat accipi poſſe, qua de acceptione confer Pagium ad annum 332. n. 5, & ſeq. Denique ſicuti dixi nonniſi a S. Petro jure ſupremo Primatis inſtitutas fuiſſe Patriarchales Sedes in Oriente, ita non niſi a Romano Pontifice jure ſuperiori Patriarchæ inſtitui potuiſſe Cathedras Metropoliticas in Occidente: cujuſmodi inſtitutionis exempla pleraque in medium protuli: quibus non officit exemplum unum, vel alterum Metropoleon aut Mauritaniæ Sitifenſis in Concilio Carthaginenſi Cod. Can. Eccleſ. Afric. Can. 17, aut Lucenſis in Gallæcia in Concilio Lucenſi anno 569. inſtitutarum: nam id profectum ex facta a Pontificibus facultate, aut factum non abſque Pontificis, quæ poſtea acceſſerit, poteſtate ex dictis præſumere tum fas eſt, quam facile.

De Epiſcoporum inſtitutione nunc mihi diſputandum ſupereſt: quam diſputationem antequam ineam, præmoneo 1, quod dum audies abs me dictum inſtituendorum Epiſcoporum jus, ac rationem integram apud Pontificem ſtare, ne demum ita dictum accipias, quaſi divinam eorumdem inſtitutionem ego inficias eam, procul enim abs me tantus abeſt error: dependet inſtitutio Epiſcopalis a Deo, quatenus a Deo Epiſcopalis dignitas eſt inſtituta; pendet eadem inſtitutio a Pontifice, quatenus a Deo inſtitutus Epiſcopatus eſt cum dependentia a Pontifice, in quem poteſtatis Eccleſiaſticæ plenitudinem ita contulit, ut ex ipſo Epiſcopi participent omnes: verbo: duo in dignitate Epiſcopali diſtinguenda ſunt diligenter, Ordo, & Jurisdictio: ille a Deo profectus eſt dubio procul; hæc Romano Pontifici referri debet accepta: quo de argumento clarius adhuc, & copioſius infra. Præmoneo 2, quod Diœceſis nomen ad ſignificandam Regionem, in quam Epiſcopi jurisdictio effunditur, circa Sæculi IV. exitum dumtaxat obtinuit, ideſt a Conciliis Conſtantinopolitano I. Can. 2. relato a Gratiano Can. 8. *Epiſcopi* 9. Q. 2, & Carthaginenſi II. anno 393. Can. 11; antea

antea etenim Diœceſes dicebantur Parochiæ Can. 33. Apoſtolor., Ancyrano anno 314. Can. 17. a Gratiano deſcripro Can. *Si qui Epiſcopi* 6. diſt. 92, Antiocheno anno 341. Can. 9, & apud Euſebium hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 1, lib. 4. cap. 15, & lib. 5. cap. 22: unde erroris Socratem, dum lib. 5. cap. 8. ſcripſit a Concilio Conſtantinopolitano I. Patriarchas conſtitutos fuiſſe, diviſaſque Parochias, arguunt Baronius, Thomaſſinus, & Blancus tom. 4. lib. 2. cap. 1. §. 3, licet eum benigne excuſet, interpreteturque Valeſius; liquetque ex Synodica Orientalium ad S. Damaſum apud Theodoretum lib. 5. cap. 9; ex Sozomeno lib. 7. cap. 9, ex citato imo Canone, quo apertiſſime ſupponitur jampridem jura Patriarchalia, Metropolitica, & Diœceſana fuiſſe diſtincta, certiſque finibus definita. Præmoneo 3., quod jura Diœceſana, Metropolitica, & Patriarchalia ita certos intra terminos concluſa fuerunt, ut nihiloſecius Pontifici Romano liceat eosdem prætergredi limites, proque ſua, qua pollet ſumma, poteſtate amplificare, aut conſtringere. Profluit a Romano Pontifice jurisdictio in Epiſcopos, a Pontifice Romano profluxit itidem prima jurisdictionis Epiſcopalis diſcretio, teſte S. Leone M. in epiſt. 84, & 89. Quid igitur prohibeat, quin jurisdictionis majoris, aut minoris copiam pro bono placito facere Pontifex queat? *Plenitudo poteſtatis*, inquit appoſite S. Bernardus in epiſt. 131, *ſuper univerſas Orbis Eccleſias ſingulari prærogativa Apoſtolicæ Sedi donata eſt ... Poteſt, ſi utile judicaverit, novos ordinare Epiſcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Poteſt eos, qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictaverit; ita ut de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat, & e converſo, ſi neceſſe viſum fuerit*; Quam perinde in ſententiam concurrebat Jacobus de Thermis Abbas Caroliloci ejuſdem Ciſterc. Ordin. Pontificiam hanc poteſtatem in tract. contra impugnatores exempt., & privileg. hiſce efferens verbis: *Poſſet facere ex certa, & rationabili cauſſa, quod in Regno, vel in Regione, ubi ſunt Patriarchæ, Primates & Archiepiſcopi, non eſſet Primas, nec Archiepiſcopus, nec Patriarcha, ita quod omnes Epiſcopi ſibi immediate ſubeſſent*. Age modo dicta hujuſmodi documentis, factiſque comprobentur.

Principio Epiſcopos a S. Petro ubique gentium fuiſſe conſti-

tutos dubitare non ſinunt, quæ adhuc ſuperſunt Eccleſiarum monumenta, (etſi plura longe, ac præſtantiora inviderit temporum iniquitas), eaque potiſſimum, quæ paullo ſuperius attigi ex S. Scriptura. Non prohibebo quidem, quominus putetur, uti pronum eſt, ab aliis quoque Apoſtolis iis, quæ ſingulis in diviſione ſorte obtigerunt, (qua de diviſione conſuli poterunt Eucherius Lugd., ſive Auctor quæſt. in Acta tom. 6. Bibliot. PP. Lugd. pag. 852; Rufinus lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 9; Socrates lib. 1. cap. 19; pſeudo Dexter in Chron. ad an. 34, Bivarius ibidem; Auctuarium Martyrologii Uſuardi edit. Lubecæ, & Coloniæ; Petrus de Natalibus in catalogo SS. lib. 6. cap. 99; Baronius ad an. 44. n. 13, & ſeqq., Acta SS. Boſchii tom. 4. Julii ad diem 15; Pagius ad an. 42. n. 2, & Samuel Baſnagius ad an. 46. n. 24.), in Provinciis, ſicuti Eccleſias fuiſſe erectas, ſic Epiſcopos conſtitutos: atque per ſingulos obiter excurrendo, ita a S. Paulo Athenis poſt S. Dionyſium, uti ferunt Conſtitutiones Apoſtol. lib. 7. cap. 46, & Martyrologium Rom. die 26. Maji, Publium, de quo Martyrolog. die 21. Jan.; Betoæ poſt Timonem Martyr. 19. April. Oneſimum, Conſtit. Apoſt. ibidem; Cenchris Lucium Conſt. Apoſt.; Coloſſis Epaphram Martyr. 19. Julii, cujus loco ordinatus legitur Philemon in Conſt. Apoſt. loco indic.; Silam Corinthi apud pſeudo-Dorotheum, & Hippolytum; Titum Cretæ, ſive Gortynæ ad Tit. 1. cap. 5, Conſt. Apoſt., & Bolandus tom. 1. ad diem 4. Jan., Gortynæ tamen Philippum præfectum ferunt Acta SS. Henſchenii die 11. April.; Paphi in Cypro Tichicum Acta SS. Papebrochii die 11. Junii; Epheſi Timotheum, & poſt ipſum Oneſimum Bollandus ad diem 16. Febr., licet Epheſinus ordinatus Epiſcopus a S. Johanne Evangel. homonymus Johannes habetur in Conſt. Apoſt. lib. 7. cap. 46; Sagarim Laodiceæ Martyrol. 6. Octob.; Etaſtum Philippis Martyrol. 26. Jul.; & Carpum Troadæ Martyr. 13. Octob. Ita a S. Andrea in Scythia, Sogdiana, & Acaja, de quo adeundi Origenes hom. 3. in Gen.; Euſebius lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 1; S. Gregorius Nazian. orat. 25; Theodoretus in Pſal. 116; S. Chryſoſtomus, ſive Auctor hom. in 12. Apoſtolos tom. 8. edit. nov. in append.; S. Hieronymus in epiſt. 148. ad Marcellam; S. Sophronius Hieroſolym. in homil. de SS. Apoſtol. edit. doctiſs.

Jo: Fran-

Jo: Franciſci Albani, poſtea in Pontificatu Clementis XI. Rom. an. 1666; S. Gaudentius in ſerm. 17; Florentinius in Martyrolog. Hieronym. pag. 116, & ſeq.; Bollandus ad diem 5. Febr.; Andreas Sauſſajus de gloria S. Andreæ lib. 12. &c. Ita a S. Jacobo in Judæa, ubi eum partes Apoſtolatus expleſſe produnt S. Sophronius loc. indic.; Nicetas Paphlago apud Combefiſium tom. 1. Actuarii Bibl. pag. 347, & Acta SS. Papebr. tom. 1. Maji. Ita a S. Johanne in Aſia, de cujus geſtis agunt S. Irenæus lib. 3. cap. 3; Origenes apud Euſebium loc. cit., Nicephorus lib. 2. capp. 42, & 46; Andreas Cretenſis, aliique Græci apud Fabricium in Bibl. Græca tom. 9. pag. 98; & Thomas Smithæus in Not. 7. Eccleſ. Aſiæ. Ita a S. Philippo in Phrygia, Galatia, Myſia, & Lydia, de quo S. Sophronius ibid., V. Beda in Collect. tom. 3. oper. pag. 485, Nicetas pag. 379, ubi Combefiſius pag. 492. in Not., Menæa, & Acta SS. Papebr. tom. 1. Maji pag. 12. Ita a S. Jacobo Alphæi denominato in Palæſtina, in quem videndi Baronius ad annum 44, & Papebrochius tom. 1. Maji pag. 30; quemve non recte a S. Jacobo Minore etiam dicto diſtinguit Combefiſius tom. 2. Auct. pag. 840, & ſeqq., veluti oſtendunt Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. I. cap. 8., Tillemontius tom. 1. Monum. pag. 405, 663, & ſeq., & Jo: Henricus Michael in introduct. hiſt. Theolog. ad epiſt. S. Jacobi edit. Halæ Sax. 1722. Ita a S. Bartholomæo in India Orient., Armenia, Albania &c., cujus prædicationis Apoſtolicæ progreſſus deſcribunt S. Sopronius loc. cit., Nicetas pag. 395, Philoſtorgius lib. 2. cap. 6, Venantius Fortunat. in Carm.; & Ludolphus in Comm. ad hiſt. Æthiop. pag. 279; neque ejuſdem ad Indos profectionem niſi argumentis futilibus inficiatus eſt Samuel Baſnagius ad an. 46. n. 35. Ita a S. Matthæo in Æthiopia, ubi immere defunctum ajunt Rufinus lib. 10. hiſt. Eccleſ. cap. 9, & Socrates lib. 1. cap. 19; aut in Perſide, uti perhibet S. Ambroſius in epiſt. 45, viderique poteſt Florentinius in Martyrol. 6. Maji, & 21. Septemb.; aut in Parthia, & Media, ſicuti volunt S. Paulinus Nolan. in Carm. 27, & Menæa 16. Novemb.; aut in Syria ſuperiori, veluti ſcribunt Simeon Metaphr., Nicetas, pſeudo-Dorotheus, & Hippolitus. Ita a S. Thoma in Parthia, Media, Hircania, Perſide, Bactriana, Malabaria &c., de quo variant utique

que Origenes hom. 3. in Gen.; S. Ambroſius in Pſal. 45; S. Gaudentius ſerm. 17; S. Hieronymus in epiſt. 148; Baſilius Seleuc., & S. Chryſoſtomus apud Fabricium tom. 9. Bibl. Græcæ pag. 149, ſeqq.; S. Sophronius; Auctor Recognit. lib. 9. cap. 29; Metellus Tegerteenſis apud Caniſium antiq. lect. tom. 3. edit. nov. par. 2. pag. 130, & Mabillonium tom. 3. Actor. SS. Bened.; ac videndi, ſi placet, Kircherus Chinæ illuſt. cap. 79; Hayto Armenus Itiner. cap. 6; Hugo Linſchotanus Navig. cap. 15; Antonius Goveanus de Chriſt. S. Thomæ; Thomas Malvenda de Antich. lib. 4. cap. 10; aliique plures apud Fabricium Salut. Luc. Evang. cap. 36. Ita a S. Simeone Zelote non utique in Africa, veluti tradunt S. Sophronius, Nicetas pag. 408, V. Beda tom. 3. pag. 485, & Julianus Tolet. in cap. 1. Nahum; contra quos pugnat Baſnagius ad an. 46. n. 35, ſed verius in Meſopotamia, & Perſide, veluti tradunt S. Hieronymus in epiſt. ad Galat. cap. 4; & V. Beda Retract. in Act. Apoſtol. Ita a S. Juda Thadæo in Gallilæa, Samaria, Idumæa, aut in Arabia, Syria, & Meſopotamia, de quo non una opinio Nicephori lib. 2. cap. 40; V. Bedæ Retract. in Acta Apoſt.; Martyrolog. 28. Octob.; & Florentinii in Not. ad Martyrolog. Hieronym. pag. 171, & ſeq.; quem tamen haud confundendum cum Thadæo ex 70. Diſcipulis uno rite admonet Baſnagius ad cit. an. n. 36. Ita demum a S. Mathia in Æthiopia, ſive Habyſſinia, de quo S. Sophronius ibid.; Nicetas pag. 422; Authbertus Abbas ſerm. in eumdem; Florentinius pag. 176; & Bollandus tom. 3. die 24. Febr., de quibus omnibus vide Baronium ad an. 44. n. 16., & ſeqq.

Enim vero cum his optime cohærent, quæ Emin. Baronius ad annum 989. n. 9. de S. Alberto Apoſtolo ſcribit: *Ipſe ſciens Apoſtolatus munus non ſponte ſua a quoquam, ſed Dei nutu ab eo, qui primariam in Eccleſia Catholica retinet a Deo conceſſam auctoritatem, ſuſcipiendum, Romam* (ubi tum Pontificatum gerebat Johannes XV.) *ſtatuit proficiſci, ubi ſi Deus id vellet, (ut fecit), a Romano Pontifice acciperet ipſum ad Gentes Apoſtolatum*: quorum ſimillima habet ad annum 997. n. 3, & ſeqq. de Apoſtolatu S. Bonifacii ad Boruſſos accepto a Gregorio V. ex S. Petro Damiani agens; & ad annum 1124. n. 5. de Apoſtolatu differens, quem S. Ottoni Bambergenſi ad Pomeranos concrediderat, teſte Urſper-

ſpergenſi Abbate Calliſtus II. Nec erat propterea, cur Annalium parenti invidiam conflare conaretur Caſaubonus exercit. 14. n. 4., exemplaque opponeret Eunuchi Candacis, cui veniam prædicandi Evangelium Æthiopibus a S. Petro facta nullibi legitur: (cujus de prædicatione confer Euſebium lib. 2. cap. 2; Papebrochium ad 6. Junii tom. 1.; Tillemontium tom. 2. pag. 65, 490, & ſeq., & Baſnagium tom. 1. pag. 113, & ſeqq.); Pantæni, quem miſſum a Demetriano Alex. Epiſcopo prædicatum Evangelium ad Brachmannos, aliaſque gentes Orientales tradunt S. Hieronymus in epiſt. ad Magnum Orat., & Euſebius lib. 5. cap. 10., & Frumentii, quem ad Indos Chriſtianis Sacris imbuendos miſſum a S. Athanaſio perhibent Socrates lib. 1. cap. 19, Sozomenus lib. 2. cap. 24, & Theodoretus lib. 1. cap. 23. Subjungit (cur non ſubjungere Petrum Saracenis deſtinatum Epiſcopum a Juvenale Hjeroſolym., de quo Baronius ad an. 429. n. 44.), ex Procopio in hiſt. Perſica ad Barbaras gentes Euxinum, & Meotidem inhabitantes in fide excolendas, non ſecus ac ad Lazos, & Abaſgos profectos adparere Epiſcopos, ac juſſu quidem Juſtiniani Imperat., ac officio a Patriarcha Conſtantinopolit. impoſito. Quorſum enim hæc ſpectant, quam eó ut ſuadeant prædicandi Evangelii Provinciam, atque quidem per Orbem univerſum Apoſtolis, (quos ab ipſo Epiſcopos Oecumenicos appellari non invidebo, modo appellatione iſta ſobrie uti velit), a Chriſto D. fuiſſe demandatam, per ſingulas vero Diœceſes viris Apoſtolicis demandare in propriorum Epiſcoporum facultate eſſe poſitum? De quibus utique a Caſaubono edoceri non indigebamus, neque Baronio quæſtionem Novatoribus intendendi cogitatio inciderat; ſed hujus mens, quam Ariſtarchus ille aut non attigit, aut pro ingenio præpoſtero ſtuduit pervertere, in illud dumtaxat incumbebat, ut oſtenderet ad unius Romani Pontificis pertinere partes viros Apoſtolicos vice Apoſtolica adaugere, Epiſcopali dignitate adornare, annuntiatumque Evangelium, atque ubique gentium utique, deſtinare, ideſt jure Primatis in Orientem, ac jure Patriarchæ in Occidentem. Quæ præclara profecto ſententia, ſi perverſo Proteſtantium ingenio non arridet, næ ii toto oſtio abs veritate aberrant? Quid autem quod, ut in rectam viam redeam,

Pa-

Patriarchis ipſis Orientalis Eccleſiæ prærepta erat facultas præficiendi Eccleſiis pro libitu Epiſcopos, ſed horum electiones peragi in Synodis Provinciæ oportebat, quemadmodum fidem indubiam faciunt Conciliorum Canones, Nicæni Canon 4; Antiocheni anno 341. Can. 16, 19, & 23; Sardicenſis Can. 6; Laodiceni Can. 12; Conſtantinopolitani I. epiſtola Synodica ad Occident.; & Chalcedonenſis act. 13, ubi Nicænus Canon. 4. ſub num. 6. citatur; traditque Sozomenus lib. 1. cap. 8. de Nectario, & lib. 8. cap. 2. de S. Jo: Chryſoſtomo? Atqui anguſtos intra iſtos terminos nequaquam conſtringi Romani Pontificis poteſtas potuit, quin Eccleſiis ubique Epiſcopos, quum e re eſſet, præficeret, aut quum expediret, præfectos a Synodis Provincialibus gradu propria auctoritate deturbaret: quo de argumento mox.

Atque quidem a S. Petro, qui ſuo hujus in poteſtatis exercitio Pontificibus loco ſucceſſuris præivit exemplo, exordium capiendo, ſi fides adhibenda ſit Simeoni Metaphraſti, cujus Acta de SS. Petro, & Paulo ex Mſ. Medicæo Græco Regis Chriſtianiſſimi, & Jacobi Sirleti interpretatione latina Mſ. in Bibl. Vatic. deſcribit, commentarioque illuſtrat cap. 2, & 3. Janningus tom. 5. Junii ad diem 29, a S. Petro, inquam in Oriente Epiſcopos ordinatos adparet, ut de S. Evodio Antiochiæ, & de S. Marco Alexandriæ, de quibus dictum jam abunde, nunc nihil retexam, Prochorum Nicomediæ. Ilii, Trojæ ideſt, Cornelium Centurionem, quem tamen Cæſareæ Epiſcopum conſtitutum veriſimilior eſt conjectura; & ante Cornelium ordinatum Cæſareæ Zachæum publicanum dictum obſervat Cotelerius in lib. 7. Conſtit. Apoſt. cap. 46. Urbanum Tarſi, quamvis huic Urbi præfectum Jaſonem a S. Paulo ferunt pſeudo-Dorotheus, & Menologia ad Kal. Maji. Epaphroditum Andriacæ in Lycia, quem poſtinde Terracinæ admotum Janningus autumat; Coloſſis vero præpoſitus Epaphroditus a S. Paulo legitur in Martyrol. 19. Julii; e contra Philemon Coloſſenſis Eccleſiæ præfecturam egiſſe fertur lib. 7. Conſt. Apoſt. cap. 46. Epheſi Phygellum, quem Auctor Græcus a fide defeciſſe ſubnotat; licet Epheſinum conſtitutum Epiſcopum a S. Paulo Timotheum, ac poſt hunc Oneſimum apud Bollandum ad 16. Febr. conſpicimus; e contra Oneſimi loco a S. Johanne Evangeliſta

geliſta Epheſi ordinatus Epiſcopus homonymus Johannes traditur ab Auctore Conſt. Apoſt. loco indic. Smyrnæ Appellem S. Polycarpi fratrem; ante quem præfuiſſe Ariſto,& Stratæas perhibentur in Conſt. Apoſt. lib. 7. cap. 46, & poſt ipſos Polycarpus a S. Johanne præpoſitus habetur in Martyr. 26. Jan. Philippis Olympum unum e 70. Diſcipulis; cujus vice tamen Eraſtus a S. Paulo electus traditur in Martyr. ad 26. Julii. Jaſonem Theſſalonicæ; alias vero Ariſtarchum Martyr. die 4. Aug. Sillam Corinthi, de quo S. Dionyſius Corinth. apud Euſebium lib. 2. cap. 22. Lucium Cyrene Martyr. 6. Maji. Archippum Laodiceæ Conſt. Apoſt. lib. 7. cap. 46; alias Sagaris Martyr. 6. Octob. Thebis Rufum, de quo doctiſ. Janningus ad diem 29. Junii. Pergami Cajum Conſt. Apoſt. ibidem. Philadelphiæ Demetrium Conſtit. Apoſt. eodem loci. Bybli in Pœnicia Marcum, qui & Johannes, Martyr. 27. Septem. Tripoleos Maronem, de quo Cotelerius in locum in Conſt. Apoſt., ſin horum aliquorum ordinatio S. Paulo accepta ſit referenda.

Excurrendo obiter per Occidentis Eccleſias longe plures eiſdem a S. Petro Epiſcopos præfectos diſcemus ex earumdem Monumentis, non undique ſolidis, fateor, nec uſquequaque ſinceris, quorum tamen fruſtra deſideres meliora. Itaque in Italia a S. Petro, aut ipſius plane auctoritate, ab ejuſdem Diſcipulis Epiſcopi feruntur deſtinati Mediolanum S. Barnabas, de quo conſer Gualvaneum Flammam in Chron. Mediol. apud Muratorum tom. 11. pag. 539, & poſt ipſum S. Anathalo Martyr. Rom. 25. Septemb. ab ipſo ordinatus, a quo etiam Bergomi S. Narnus 27. Aug. Aquilejam S. Hermagoras 12. Julii, a quo Ticini conſtitutus S. Syrus 12. Sept.; adeundi vero Anonymus Ticin. tom. 11. Murat.; Saccius in hiſt. Ticin. tom. 3. Theſau. Ital. Græviani pag. 670, & ſeq.; Acta SS. ad diem 12. Julii tom. 3. pag. 251; quamquam ex figlinis prodiiſſe, quæ de S. Hermagora feruntur pleraque viri docti complures non dubitent. Ravennam S. Apollinaris Martyr. 23. Julii: præter Bacchinium in Pontif. Agnelli, & Rubeum hiſt. Raven. tom. 7. Theſ. Ital., S. Gregorius M. lib. 6. epiſt. 61. morem, ac formulam jurandi ad S. Apollinaris Lipſana refert. Thuſciam, ideſt Photilam, ſive Lucam a φως φωτος, Latinis lux, S. Paulinus: de quo Auctor Græcus in Act. SS. tom. 5.

Junii die 29, & tom. 3. Julii die 12. Nepetam S. Ptolomæus, Martyrol. 19. Octob., ibique Baronius, & Nardinus de Cath. Episcop. S. Ptolomæi Nepes. Fesulas S. Romulus 6. Julii. Videsis Ughellum tom. 3. Ital. Sac. pag. 212, ac junge Florentinium de Sacr. Thusciæ antiq. S. Prosdocimus Patavium 7. Novemb. S. Euprepius Veronam. Confer Panvinium lib. 4. antiq. Veron.; Mabillonium Analect. tom. 1. Episcop., & SS. Veron. monum.; Augustinum Valerium de Episcop. Veron. &c. Neapolim S. Asprenas: ita Anonymus scriptor vitæ S. Athanasii in prolog., quem tamen Sæculi XI. ætatem non antevertisse ostendit doctiss. Mazochius in dissert. de Ecclesia Neapol. par. 1. adnot. 29. pag. 36; Baronius in Martyrol. ad diem 3. Aug.; Cuperus in Act. SS. ad eamdem diem Aug.; Ughellus tom. 6. pag. 24: quibus junge Tillemontium tom. 1. Monum. pag. 199, & præc. Mazochium in dissert. de SS. Episcop. Neapol. Eccl. cultu par. 3. cap. 1., qui S. Asprenam a S. Petro quidem Presbyterum, a S. Clemente vero demum ordinatum Episcopum pugnat. Capuam S. Priscus Martyr. 1. Septemb. S. Rufus Martyr. 27. Aug. Rhegium in Calabria S. Stephanus, de quo consule-sis Paulum Gualtierum hist. lib. 1., Paulum Belli in brev. peregr. S. Pauli, & Johannem Florem Ord. Capp. Calabriæ illustrat. lib. 2. cap. 1. Atinam S. Marcus 28. Aprilis. Terracinam S. Epaphroditus, de quo vide Janningum ad diem 29. Junii. In Sicilia Mesanam post S. Paulum S. Bacchyllus ab eodem ordinatus, si fides adhibenda Græco Auctori apud Fabricium tom. 14. Bibliot. Græcæ pag. 36, & seq.; sed & confer, si placet, Octavium Cajetanum S. I. in Isagoge ad hist. Sicul. Panormi 1707, & tom. 2. Thes. Sicul. edit. Lugd. Batav. 1723. Catanam a S. Petro directus S. Birillus 21. Martii. Syracusas S. Marcianus 14. Junii. Tauromenium S. Pancratius 3. April. Videsis præm. Janningum ad diem 29. Junii, ubi de S. Maximo designato S. Pancratii successore, & Tillemontium tom. 1. Monum. pag. 200, ubi de S. Peregrino in Sicilia a S. Petro ordinato pariter Episcopo: de aliis quinimo Episcopis in Italia constitutis a S. Petro consulesis P. Dionysium de Rives Ord. Cappuc. in triplici tract. de verbo *Creo*, de sabbati in Dominicam mutatione, & S. Petri Primatu edit. Lugd. 1663, ac Illustriss. Sommier

hist.

hiſt. dogm. S. Sedis pag. 89. Nec repugnabo vero, ſi horum plurium ordinatio potius Romanis Pontificibus e veſtigio S. Petro ſucceſſoribus referatur accepta.

Quænam aliæ a S. Petro in Occidentis partibus Eccleſiæ fuerint fundatæ, quive eiſdem præfecti Epiſcopi, magis in obſcuro latet, nec facile præſtanda fides enarrationibus, de quibus fama percrebuit. Porro in Africam fidem inlatam a Creſcente S. Petri diſcipulo fert Græcus auctor apud Bollandianos ad diem 29. Junii, quem e contra in Galatia prædicaſſe vult Auctor Conſtit. Apoſt. lib. 7. c. 46; verius in Gallia ait S. Sophronius in orat. de SS. Apoſt. Nec propius ad veritatem appropinquant Græci in Menologio die 10. Maji, pſeudo-Dorotheus, & Hyppolytus, ac Nicephorus lib. 2. cap. 40, aliique, dum affirmant a S. Simone Zelote Africam Chriſtianis ſacris imbutam; ſed veri ſit ſimilior opinio Romanorum Pontificum opera poſt obitum S. Petri fidem Chriſtianam per Africæ Regiones fuiſſe propagatam. Hiſpaniæ Eccleſias quod pertinet, earumdem primordia tanta, tamque ſpiſſa obvoluta ſunt, obrutaque caligine, adeoque immenſis, animorumque æſtu adeo ingenti digladiantium, diſputationibus agitata, ut quæſtionem nec teſtimoniis ſatis certis innixam, nec traditioni ſatis conſtanti inſiſtentem, præterquamquod neque mihi ſatis virium ſuppetit, ut definiam, definire neque ſatis prudentiæ ſit: ideoque ſatius habebo illuſtriores (neque enim vellem etſi, valerem indicare, qui hoc in argumento partem in utramque pares ingenii vires experti ſunt, quorumque ingentem copiam memorant Bartholomæus Laurentius ſingulari edito indice, Nicolaus Antonius in Bibliot. Hiſp., Raphael Savonavola in Orbe terrar., & Fabricius Salut. Luc. Evang. cap. 26.), indicare, qui in partes oppoſitas pugnarunt, libereque in quam magis ego propendam, quin ulli, minuſque veritati inferam vim, pandere. Ergo S. Paulo in Hiſpanias profecto Eccleſiæ hujuſce celeberrimæ primam inſtitutionem acceptam fore referendam pugnant Baronius ad an. 816. pag. 633, & ſeq. edit. Antuerp. 1601; Chriſtianus Lupus in Scholiis ad cap. 20. lib. Tertuliani de Præſcript. pag. 192. edit. Ven. 1727.; Spondanus ad an. 44; Gaſpar Sanctius S. I. in diſput. de SS. Jacobi, & Pauli in Hiſp. adventu edita cum ejus

Comment. in Acta Apoſt. Lugd. 1616; Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. I. diſſert. 15; Maſſuetius in Not. ad S. Irenæum pag. 49; Michael a S. Maria Ord. S. Auguſt. in diſſert. ſingulari inſerta Commentariis Acad. Reg. Ulyſſip. 1722. 27. Aug.; Pearſonius in Annäl. Paulinis pag. 20, ubi affert teſtimonia S. Chryſoſtomi Orat. 7. in S. Paulum, & Theodoreti in Philipp. 1. 25; Grabbius in Not. ad S. Irenæum pag. 46; Wottonus in cap. 5. epiſtolæ S. Clementis ad Corinth., ubi teſtimonia congerit Theodoreti in Pſ. 116, & in 2. ad Timoth. 4. 17; S. Cyrilli Hieroſolym. Cathec. 17, & S. Ephiphanii hær. 27; quibus tamen parum, nihilque confici oſtendit Cuperus, de quo mox, aliique apud Cl. Mamachium orig., & antiq. Chriſt. lib. 2. cap. 23. E contra hunc Eccleſiæ Hiſpaniæ inſtitutæ honorem deferendum fore S. Jacobo Majori denominato tanquam pro aris, focisque defendunt Jo: Mariana de reb. Hiſp. lib. 4.; Gaſpar de Mendoza adverſ. Lupum, & Natalem; Aguirræus in diſſert. 9. tom. 1. appar. ad Concil.; Hieronymus Contador in diſſert. inſerta Comment. Acad. Ulyſſip. 1722; Cajetanus de Souſa in Comment. iiſdem 1727, & in tribus appendic.; Guillelmus Cuperus in Comment. hiſt. de S. Jacobo tom. 6. Julii par. 2., & in Vindiciis adverſus Michaelem a S. Maria ad calcem tom. ult. Julii; nec non doctiſſ. Cajetanus Cennius de antiq. Eccleſ. Hiſp. diſſert. 1. cap. 21.

Quo quidem loci obſervat 1. ab Emin. Aguirræo in diſſert. cit. n. 23. ad implexam hancce dirimendam quæſtionem fruſtra deſideratum olim Codicem Cardinalis Syrleti, in quo præferebatur opuſculum S. Hippolyti Portuenſis de 12. Apoſtolis, in eoque S. Jacobo adventus in Hiſpaniam tribui teſtatus fuerat Dux Seſſæ Caroli Regis Orator: ſiquidem nec eo in Codice, qui devenerat poſtea ad Cardinal. Sylvium Antonianum, ac poſtremo ad Bibl. Vaticanam, nec in ſimili Codice Bibl. Reg. Pariſien. edito a Combefiſio in hiſt. Monothel., nec in Cod. duobus aliis Vatican., nec in evulgato a Fabricio, nec in inſerto Bibl. PP. Lugd. tom. 3. pag. 265. S. Jacobo profectio in Hiſpaniam, ac prædicatio tribuitur, ſed magis S. Paulo: nihilotamen minus Aguirræum, qui hæc viderat, in opinione manſiſſe, eamque ad ſuſtentandam omnes induſtriæ nervos intendiſſe. Obſervat 2. Aliorum omnium argumenta potiora, quibus

bus S. Jacobi prædicatio in Hiſpania propugnatur, duo eſſe dumtaxat æſtimanda: S. Iſidori teſtimonium in opuſc. de vita, & morte SS., ac menrio in Hymno Breviarii antiqui Toletani. Atqui S. Iſidoro ſuppoſitum illud opuſculum ſæculo IX. ineunte, aut ſæculo VIII. exeunte, ex eo præſertim oſtendit, quod ibidem cap. 72. epiſtolam S. Jacobo Majori tribuit, quam cap. 76. Minori adimit; quem pariter errorem irrepſiſſe in Miſſale Moz- Arabicum tom. 3. Concil. Aguirræi pag. 275. adnotat. Simili etiam ſuppoſitionis morbo laborare Acta Concilii Bracarenſis anno 411., de quibus pariter dubitat Pagius n. 19., perindeque ex figlina prodiiſſe documentum translationis S. Jacobi, cui quammaxime cæteroquin innititur Cuperus par. 1. num. 35. Nec majorem fidem mereri Breviarium Moz-Arabicum Toletanum ex eo vir doctus animadvertit, quod in uno, & altero Codice Iſidoriano antiquiſſimo ex Archivo ampliſſimi Capituli Veron. in lucem educto a Cl. Joſepho Blanchinio nihil hujuſmodi extet; quodque in Eccleſia Hiſpana non ſecus, ac Gallicana, Mabillonio teſte de Liturg. Gallic. lib. 3, Ambroſianos hymnos obtinuiſſe uſque ad Sæculum VII. clare deducit ex Conciliis Agathenſi anno 506. Can. 30, & Toletano IV. anno 633. Can. 13., ideoque laudatum Breviarium Toletanum, quem ex antiquioribus hiſce interpolatum a Salvo Abbate Alvendenſi, qui diem obiit anno 962, ſuſpicatur, ætatem ſæculi X. non antevertere. Itaque ex una conſtanti Eccleſiæ Hiſpanæ de S. Jacobi adventu traditione a Jo: Mariana rer. Hiſp. lib. 4. cap. 2. nude expoſita ſuam vir eruditus ſententiam tuetur; ac ex inventione ſæculo VIII. exeunte corporis S. Jacobi facta a Theodomiro Irenſi Epiſcopo, de qua idem Mariana lib. 7. cap. 10, ſtabilit. Cæterum concludit, (quo perinde modo pugnantes ſecum ſententias egregie conciliat), a S. Jacobo prædicatum quidem Evangelium in Hiſpania, non etiam Hiſpaniarum fundatas Eccleſias: quod poſtremum uni Petro, aut Succeſſoribus Pontificibus tributum a SS. Innocentio I, & Grægorio VII. confirmat.

Itaque ſeptem Romæ Epiſcopos a S. Petro (ab aliquibus S. Paulus adjungitur) ordinatos in Hiſpaniam prædicatum Evangelium, ac fundatum Eccleſiam proficiſci juſſos, poſt annos ideſt vigin-

viginti a S. Jacobi Martyrio, conſtans traditio eſt, quam Martyrologia antiqua confirmant ad diem 15. Maji, in quam videnda Acta SS. Henſchenii, graviſſimoque ſuæ pondere auctoritatis comprobant mox memorati SS. Pontifices Innocentius I. in epiſt. 1. decret. ad Decentium, & Gregorius VII. lib. 1. in epiſt. 64. ad Alphonſum Caſtellæ, & Sancium Aragoniæ Reges. De ordine Miſſæ id Hiſpaniam inducto loquens S. Iſidorus Hiſpal. de Eccleſ. Offic. lib. 1. cap. 15. primum eum a S. Petro inſtitutum affirmat. Quì id fieri potuit, quam in Hiſpanias ab ipſius Diſcipulis fuerit invectus? Porro de iſtis fidei præconibus in Hiſpania ponit hiſtoriam in tuto Prudentius Sandovallius in lib. de fundationibus Monaſter S. Bened. par. 1. apud Jo: Pinium in tract. hiſt. Chronolog. de Liturgia antiq. Hiſpan. tom. 3. Theſauri Eccleſ. antiq. pag. 466, & tom. 6. SS. Julii cap. 1. n. 9. Nempe auctor eſt in Codice quodam Mſ. Conciliorum in Hiſpania celebratorum, qui juris erat Monaſterii S. Æmiliani, a quo deinde ad Scorialenſe deportatus eſt anno 1598, ſub titulo *De Miſſa Apoſtolica in Hiſpaniam ducta*, ſcriptoque exarata anno Æræ Hiſp. 965, Chriſtianæ 927, quam perinde Miſſam fuiſſe illuſtratam, (ideſt Cæremoniis adauctam, ut adnotat Card. Bona lib. 1. rer. Liturg. cap. 7.), a SS. Fulgentio, Petro, Leandro, Iſidoro, Ildefonſo, Fructuoſo, & Juliano refertur ibidem, (ex quo arguere licet Miſſam hancce digeſtam fuiſſe ſæculo VII. exeunte a Felice Juliani ſucceſſore, cujus etiam nomen eo ſub titulo præfertur), auctor eſt, inquam, tradi ibidem Romæ a SS. Apoſtolis Petro, & Paulo Sacerdotio ſuſcepto in Hiſpaniam adhuc gentili ſuperſtitione detentam contendiſſe, ac pro diſpenſanda Dei gratia per diverſas Urbes ſe diviſiſſe: quarum in ſortitione obtigerint Torquato Accis, Cteſiphonti Bergium, ſeu Vergium, Heſychio Carthesa, Indalecio Urcis, Secundo Abula, Euphraſio Eliturgis, & Cæcilio Eliberis: quorum Miſſionem in annum 64. Chriſti, aut ſeq. Cennius cap. 3. n. 5. confert. Confer & Tillemontium Monum. tom. 1. pag. 200. Ad hæc Italicæ in Hiſpania Apoſtolorum tempore Evangelium annuntiaſſe S. Geruntius traditur in Martyrolog. die 25. Auguſti; Sexifirmii S. Epænetus, de quo Tamajus in Martyr. Hiſp. 15. Julii; & Segoviæ S. Hierotheus, ut affirmat Gregorius de Argays in Co-

in Corona Reg. Hiſp., quem tamen refellit Johannes de Segovia in diſſert. Eccleſ. edit. Cæſaraug. 1671; ſcriptorem que commentitia ſcripta venditare delectatum obſervat Fabricius Salut. luc. Evang. cap. 16. pag. 377.

Neque minus vero Gallicanæ Eccleſiæ origines in obſcuro latent, quibus lucem ut affunderent aliquam jamdiu incumbunt, deſudantque viri doctiſſ. SanMarthani in Gallia Chriſt.; Jacobus Longevallius in hiſt. Eccleſ. Gallic., quam Fontæneus proſequutus eſt; Stephanus Paſquier in diſquiſit. Francic. lib. 3.; Franciſcus Boſquetus tom. 1. hiſt. Eccl. Gall.; Bernardus Labenaſius in diſſer. de tempore, quo primum in Gallia prædicatum Evang., & Religio ibidem ſtabilita; Gerardus Duboiſius de primis Gall. Eccl. lib. 1; Petrus de Marca in epiſt. ad Valeſium præfixa hiſtoriæ Euſebii, & in Act. SS. Papebrochii tom. 5. Junii die 30, quam oppugnavit Launojus; Tillemontius tom. 4. Monum. hiſt. Eccleſ.; Natalis hiſt. Eccl. ad ſæcul. I. diſſert. 16.; aliique, quibus adjungendus Jacobus Baſnagius hiſt. Eccl. tom. 1. lib. 5. cap. 2; de quibus agit in Bibl. hiſt. Struvius tom. 1. cap. 13. §. 23. S. Philippum Evangelio Gallias excoluiſſe qui affirmant, tam facile refelluntur a Tillemontio tom. 1. pag. 645, Launojo, & Baſnagio ad an. 46. n. 34; de qua re conſer Combefiſium in Not. ad Nicetam pag. 492, & Henſchenium ad diem 1. Maji. A S. Dionyſio Areopagita directo a S. Petro Gallicanæ, Pariſienſis quammaxime, Eccleſiæ primordia repetunt plerique Franciſcus Gerſon in epiſt. ad Sirmondum, & in apolog.; Jo: San-Blancatus in Galliæ palladio; Germanus Millet in vind. Eccleſ. Gall.; Hugo Menardus de unico Dionyſio adv. Launojum; Jacobus Doublet in hiſt. Chronol. Petrus Franciſcus Chifletius in opuſc. de S. Dionyſii ætate; Natalis hiſt. Eccl. ad ſæcul. I. diſſert. 16; Andreas Sauſſajus de myſticis Gall. ſcript.; Bernardus Labenaſius in defenſ. antiq. Eccleſ. Gall. adv. Laun.; Laurentius Cozza Ord. Min. in Vindiciis Areopag. &c. Repugnant vero Sirmondus tom. 1. Concil Gall., & in diſſert. de duobus Dionyſiis; Launojus in ſimili diſſert.; Morinus de Sacr. ordinat. par. 2. cap. 2, & ſeqq; Gerardus Duboiſius in hiſt. Eccl. Pariſ. lib. 1. capp. 5, & 6; Dupinius; Tillemontius tom. 4. pag. 439; Franciſcus Pagius tom. 1. Brev. hiſt. Crit. Chron. &c; aliique, de quibus videſis Jacobi le Long. Bibl. hiſt. Gall. pag. 36;

quo-

quorum in utramque partem argumenta expendit doctiſſ. Scheleſtratius Antiq. illuſt. par. 2. diſſert. 3. cap. 3. art. 3. Ut ut hæc ſe habeant, (nolo enim probandis hinc, improbandis illinc ſcriptis inſiſtere), de Pariſienſi Eccleſia, illud æquanimiter ferre nequeo, quod ex Eccleſiis a S. Innocentio I. in epiſt. ad Decentium nominatis, (expreſſe vero nominantur Gallicanæ), excipiendam Tillemontius exiſtimet Lugdunenſem, quam neque a S. Petro, neque a ſucceſſoribus Rom. Pontificibus primum Sacerdotem ſuum accepiſſe arbitratur. At enim a quonam S. Pothinus primus Lugdunenſis Præſul vel ordinatus fuerit, vel miſſus, ſibi incompertum eſſe fatetur, uti tacito ipſius nomine adnotavit Coutantius in hanc epiſt. n. 2: in re igitur ſibi haud explorata ſatius ei fuiſſet tanti Pontificis fidei integre ſe permittere: ſed de hoc argumento fuſius infra: interea doctiſs. Johannes de Fraiſe Canon. Carnot. in opuſc. de Orig. Eccl. Gall. cap. 5. S. Pothinum anno 140. a S. Teleſphoro ad Lugdunenſem Eccleſiam ablegatum exiſtimat.

Septem alias in Galliis a ſeptem Epiſcopis excitatas Eccleſias ſingularum earumdem vetus traditio eſt: ſcilicet ſi auſcultes Sulpitio Severo lib. 2. hiſt. cap. 46. a SS. Euphronio, Prætextato, Germano, Felice, Domitiano, Victorio, & Domnolo: ſin autem S. Gregorio Turon. lib. 1. hiſt. Fran. cap. 27, a S. Saturnino Toloſana, a S. Gratiano Turonenſis, a S. Trophimo Arelatenſis, a S. Paulo Natbonenſis, a S. Dionyſio Pariſienſis, a S. Aſtremonio Arvernenſis, & a S. Martiali Lemovicenſis inſtitutæ ſunt: utrumque locum Sulpitii, & S. Gregorii ſingulari diſſert defendit Launojus, nec diſſentiunt Tillemontius, & Bailletus in horum vitis Gallice deſcriptis, contigiſſe id tamen contendentes Decio, & Grato Coſſ., ideſt Chriſti anno 250: quibus nec ego quidem contraeniter, dum eorumdem Ordinatio, & Miſſio, quæ S. Petro eripitur, S. Fabiano accepta refertur. Nec deſpicienda tamen deſunt momenta, quæ ſuadeant a S. Petro revera illos miſſos; niſi iterum dicta ita velint intelligi, quod uſitato ſermone tantumdem eſt a S. Petro, ac ſi a Petri Cathedra illuc deſtinati dicantur. Confer interea de S. Saturnino Acta ejuſdem ſincera apud Ruinartium pag. 130., Surium ad 29. Novemb., Calmetium hiſt. Lotharing. tom. 1. lib. 3; ejuſque Epitaphium, (ubi ſimul extat ſimile S. Cerati Auſcienſis Epiſcopi), in Itin. Gallice edito Edmundi Marte-

nc a

ne, & Urſini Durandi tom. 2. par. 2. pag. 37. S. Throphimo, de quo S. Paulus 2. Timoth. 4. 20, omnium primo Apoſtolicas vices ab Apoſtolica Sede demandatas in Galliis exercendas, auctor eſt S. Zoſimus in epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliar., & 7. Provinc.; quin in eum a S. Petro vices ejuſmodi derivaſſe ſcripſerunt Synodi Arelatenſis Epiſcopi ad S. Leonem M., quæ inter Leoninas edit. Queſnelli eſt 41; quam in rem confer Pagium ad annum 401. n. 46. De S. Aſtremonio conſule Johannem de Fraiſe de Orig. Eccl. Gall.; de S. Gratiano Martyr. Rom. 18. Decemb.; deque S. Paulo Martyr. 22. Martii, & ibidem Acta SS. Bailletti, Henſchenii &c. Quo magis exagitatus, eo magis illuſtrior evaſit S. Martialis Apoſtolatus, de quo frequens quæſtio habita eſt in Concilius Pictavienſi anno 1023, Pariſienſi an. 1024, in duobus, uti rite diſtinguit Pagius, Lemovicenſibus anno 1029, & 1031; ipſi tributus a Johanne XIX. in epiſt. ad Jordanum Lemovic., quam deperditam Baronius exiſtimabat, ſed nunc extat tom. 9. Concil. Labbæi, & tom. 6. par. 1. Harduini pag. 837. A Baronio ad an. 1029. n. 14. ex Synodo Lemovicenſi (non priori tamen ut ipſe putat, ſed poſteriori, ut notat Pagius), teſtimonia proferuntur S. Simeonis Syracuſani, & Coſmæ viri Græci aſſerentium S. Martialem apud Græcos in 72. Diſcipulorum cenſu haberi. Videſis Pagium ad annos 1023. n. 2, 1024. n. 12, & ſeq., 1025. n. 10, 1029. n. 2, & 1032. n. 1, & 2, ubi Launojum perſtringit contendentem hanc de S. Martiali Apoſtolatu traditionem non prodiiſſe ante annum 900, nec ante Decii ætatem in Gallias eumdem advenisſe, ideſt ante annum 250; & ad annum 1034. n. 7. Denique pro Apoſtolatu S. Martialis pugnant Andreas Sauſajus adv. Petrum Molinæum de Myſtic. Gall. ſcript., & in Not. ad Martyr. Gallic. 3. Kal. Julii; Bonaventura de S. Amabili Carm. Excalc. in vita S. Martialis vol. 3, & Bernardus Labenaſius in defenſ. antiq. Eccleſ. Gall. adv. Laun. S. Martialis tamen epiſtolas duas ad Burdigalenſes, & ad Toloſanos ſpuriis adcenſent Nourrius in appar. ad Bibl. PP. tom. 1. diſſert. 9; SanMarthanus tom. 2. Galliæ Chriſt.; Barthius Adverſar. lib. 45. capp. 7, & 21; Varennius Rationarii par. 1. pag. 153, & ſeq.; Ittigius de Patribus Apoſtol. diſſert. pag. 72, & ſeq.; Oudinus tom. 2.

pag. 66, & ſeq., aliique. Quin etiam, quamquam, ut innui, deſpicatui haberi haud debeant, monumenta quibus S. Martiali Apoſtolatus a S. Petro acceptus tribuitur, ægre admodum non feram, dum tamen Apoſtolatus idem refertur a S.Fabiano demandatus, quod Launojus, Bailletus, Tillemontius, Johannes de Fraiſſe de origin. Eccl. Gall., & Johannes Cordeſius in ſingulari diſſert. Gallice inſerta operi Bonaventuræ de S. Amabili tom. 1. pag. 146, Latine vero hiſtoriæ Eccleſ. Gallic. Franciſci Boſqueti tom. 2. pag. 50, & Actis SS. Papebrochii tom. 5. Junii pag. 535, propugnent S.Martialem nec in numero 72. Diſcipulorum habendum; nec ante annum 250, ſed anno Imperii Philipporum ultimo, Decii primo, ipſoque Decio, & Grato Coſſ. in Gallias adveniſſe. Ex his quoque feratur, per me licet, judicium in partem, quæ libuerit, de S. Juliano Cenomanenſi, cujus Miſſionem repetit a S. Petro Jo: Blondonetus in vitis Epiſcop. Cenom., longe poſteriorem vero contendit Launojus. Videſis etiam Baronium, & Bollandum ad 27. Jan. De S. Maximino Aquenſi 8. Jun., cujus adventum in Provinciam cum SS. Lazaro, Martha, & Magdalena propugnant Jo: Scholaſticus Pittonus in diſſert. hiſt. de Eccl. Aquen., Natalis ad ſæcul. I. diſſert. 17, aliique, oppugnant autem Launojus ſingul. diſſert., Tillemontius tom. 2, Baſnagius ad an. 35. n. 25. & ſeqq. &c. De S. Frontone Petragoricenſ. 25. Octob.; de S.Creſcente Vienn. 27. Junii, de quo confer Millium in 2. Timoth. 4. 10, & Janningum ad 29. Jun.; de S. Martino etiam Vienn. 1. Julii; de S.Memmio Catalaunenſi 5. Aug.; de S.Sixto Remenſi 1. Septemb., quem Sueſſionenſem Epiſcopum facit Democharcs apud Baronium.

Germanicæ Eccleſiæ veſtigia vetuſtiſſima deprehendere quidem licet in S. Irenæo lib. 1. cap. 3, in Tertulliano lib. adv. Judæos cap. 7, &in Theodoreto de Therap. lib. 9. pag. 115, quibus ex locis Chriſtiana Religio in Germania exculta liquido adparet, unde dubitare non licet opera Rom. Pontificum, quibus ceu Patriarchis totius Occidentis Eccleſiarum ſingularis cura incumbebat, cum Religione inductam pariter illuc Eccleſiaſticam Hierarchiam; tametſi fatendum ſit latere adhuc in obſcuro, a quo primum, & quando ibidem occeperit. Cœpiſſe a tempore Apoſtolo-

ſtolorum, a Diſcipulis ideſt illuc a S. Petro, aut S. Paulo deſtinatis, particularium Eccleſiarum traditio eſt, qua fundatæ Eccleſiæ feruntur a S. Materno Colonienſis, de quo Baronius ad diem 14. Septemb., Bucherius in Belgio Eccl. lib. 5, Merſſæus apud Gruterum tom. 1. Chron. Eccleſ., Gelenius de Sac., & Civil. magn. Colon. lib. 1, Tillemontius tom. 6. pag. 701, & ſeq., Calmetius in hiſt. Lotharing. tom. 1. pag. 163, Bebelius in antiq. Germ. &c. a S. Euchario Trevirenſis, de quo Baronius ad 8. Sept., Bollandus ad 29. Jan., Brouverus in Annal. Trevir., Calmetius in hiſt. Lothar. tom. 1. de geſt. Trevir., Gloſcherus apud Dacherium tom. 12. Spicil. vet. edit., Chronographus Trevir. apud Leibnitium in acceſſ. hiſtor. pag. 37, Jovetus hiſt. Relig. tom. 1. pag. 190. edit. Ven. 1737, aliique: A S. Creſcente Moguntina, de quo adeundus Baronius ad 27. Junii, Nicolaus Serrarius lib. 1. rer. Mogunt. cap. 19, & lib. 2. cap. 1., & ſeq., Merſſæus loc. cit., Papebrochius tom. 5. Junii &c: a S. Marco Laureacenſis; a S. Lucio Ratiſponenſis; a S. Clemente Metenſis; a S. Beato Conſtantienſis; a S. Ægiſtio Bardevicenſis &c., de quibus Crantzius Metrop. lib. 1. cap. 1., Coſterus in Enchirid. cap. 2, Aventinus lib. 2. Annal. Bojor., Mayerus in hiſt. verſ. Germ. Bibl. Lutheri pag. 143, & Jovetus loco indic. Traditio eſt tamen haud certa, & conſtans, uti viſa eſt Tillemontio, Calmetio, aliiſque Criticis: conſtans eſt tamen, certumque Eccleſiaſticam Hierarchiam cum Religione Chriſtiana longe ante ætatem Caroli M. in Germania obtinuiſſe, qua de re paullo poſt. Helvetis Chriſtianam Religionem commendatam fuiſſe a SS. Beato, & Fridolino a S. Petro directis auctores ſe præbent Guillimannus de rebus Helvet. lib. 1. cap. 15, Caniſius in eorumdem vitis, & Henſchenius ad diem 9. Maji: contra pugnant B. Rhenanus lib. 3. rer. German. pag. 161, & Fabricius Salut. Luc. Evang. cap. 20. Quo loci ex Diario Belgico anni 1719. refert ab Erudito quopiam Anonymo ſingulari diſſertatione edita propugnatum in Belgio prædicatum Evangelium fuiſſe primum a Rufo, cujus Roman. 16, 13, Pudente, cujus 2. Timoth. 4, 21. a S. Paulo fit mentio, aliiſque, de quibus ibidem: quod tamen ipſi veri minus videtur ſimile.

Inter traditiones etiam minus certas, ac idoneis teſtimoniis

deſtitutas referendum exiſtimant emunctioris naris Critici, tum quod de inlata in Pannoniam ab Apoſtolis Luce Evangelii, ac de Scythis Europæis SS. Andreæ, & Philippi auditoribus prodidit Paulus Erneſtus Debrecerus in limine hiſt. Eccleſ. Reform., quam anno 1728. Fridericus Adolphus Lampe in lucem emiſit: tum quod Stanislaus Lubienskius Epiſcopus Plocenſis in vitis, & ſerie Epiſcop. Plocenſ. ſcribit de initiis fidei in Poloniam introductis, jactiſque a S. Andrea ibidem Chriſtianæ Religionis fundamentis. Confer Papebrochium in Ephemer. Græco-Moſchis ad tom. 1. Maji, & Theſauri Eccleſ. antiq. tom. 1. in Menſe Novemb. pag. 334. Traditione perinde nec magis conſtanti ſibi plaudere Ruthenos de Evangelii veritate accepta, aut ab eodem Apoſtolo, veluti de eiſdem referunt Sigiſmundus de Herberſtein in Comment. rer. Moſcovit., Jo: Faber Epiſcop. Vienn. de Moſcovit. Relig., Alexander Guaguinus Veron. in deſcript. Region., morumque Moſcov., & Paulus Oderbornius in vita Jo: Baſilidis lib. 1., aut a SS. Thadæo, & Bartholomæo, veluti denarrat Matthias Miechovius lib. 1. de duabus Sarmatiis cap. 2. Non dubitandum attamen ait Pagius ad annum 965. n. 6, & ſeq., quin a temporibus Apoſtolorum, ac deinceps per annos ferme 800. viri Apoſtolici univerſum Septentrionem Rheno, & Tanai magnis Europæ fluminibus circumfuſum luſtraverint, ac Poloniæ, Ruſſiæ, Bohemiæ, Daniæ, Sueciæ, Saxoniæ, Pomeraniæ &c. Regiones myſteriis Evangelicis imbuerint: ſed neque ſane tot populis opera defuiſſe ſua Romanos Pontifices fas eſt præſumere, quos tanta inceſſerat ſollicitudo de luce Evangelica propaganda in extremas Orbis partes. Porro Chriſti nomen jamdiu anditum inter Sarmatas, Dacos, Germanos, & Scythas teſtatur Tertullianus lib. adv. Judæos cap. 7. Idem nomen haud novum eveniſſe Sauromatis tradit S. Jo: Chryſoſtomus tom. 1. pag. 566, & ſeq.; Gothis, Beſſis, Getis, Hunnis, Scythis S. Hieronymus ſcribit in epiſt. 35. ad Heliod., & 57. ad Lætam; & Scythas, Sauromatas, Brittannos, Cimbros, & Germanos Chriſtianæ fidei lumine fuiſſe illuſtratos perhibet Theodoretus de Therap. lib. 9, quæ documenta ſunt plane antiquiſſimæ apud eas gentes Religionis.

Nec minus antiqua exinde adparent Eccleſiæ Brittannicæ exordia. Cl. P. Philippus Labbæus tom. 1. Concil. pag. 190, & ex

ipſo

ipſo doctiſs. Franciſcus Blanchinius Anaſt. tom. 2. in Not. hiſt. ad S. Petrum pag. 13, profert ex Vendelino Græcum Codicem Scriptoris Anonymi de certam., peregrinat., vita, & morte SS. Petri, & Pauli, quem Arundeliæ Comitis Sacellanus e Græcia ſecum advexit in Angliam, unde Patricius Junius illuſtrem hunc locum Græce produxit, ita Latine redditum a Vendelino. *Moratus Petrus in Brittania dies aliquot, quum multos illuminaſſet verbo gratiæ, Eccleſiaſque conſtituiſſet, poſtquam Epiſcopos quoque, Presbyteros, & Diaconos ordinaſſet impoſitis manibus, 12. Neronis anno iterum Romam rediit.* Quam profectionem adornandi S. Petro idoneam occaſionem præbuiſſe Legionis Italicæ ex Syria regreſſus, & in Britanniam tranſvexio cum ejuſdem Duce Cornelio Centuriône vir doctiſſ. autumat. Atqui S. Cornelius Centurio a S. Petro Cæſareenſi in Palæſtina Eccleſiæ præfectus Epiſcopus legitur in Martyr. Rom. 2. Febr., poſt Zacchæum tamen, ſi fides adhibenda Auctori Conſt. Apoſt. lib. 7. cap. 46, ubi confer Cotelerium; aut Ilii in Heleſponto Epiſcopus ordinatus a Græco Scriptore apud Janningum tom. 5. Junii ad diem 29, etſi veri minus ſimiliter, traditur: unde ſcriptor iſte, Metaphraſtes nempe, non adeo exploratæ fidei teſtis erat, quo tanquam idoneo vir doctiſſ. Scheleſtratius uteretur adv. Stillingfleetum ad hanc S. Petri in Britanniam profectionem urgendam, tuendamque. Præterea Græcus ille ſcriptor apud Vendelinum ſupponit pridem Romam adveniſſe S. Petrum, quó reducem ex Britannia tradit: parumque demum veri fieri ſimile videri facile poteſt, quod denarrat S. Petrum quidem in Britannia dies aliquot dumtaxat eſſe demoratum, interea tamen Eccleſias conſtituiſſe, & Epiſcopos ordinaſſe, poſtquam complures fidei Chriſtianæ lumine imbuiſſet: quod dierum aliquot dumtaxat opus eſſe nequibat. Ad hæc a Claudia, cujus in epiſt. 2. ad Timoth. cap. 4. v. 21. mentio occurrit, permotum S. Paulum, ut Britannos adiret prædicatum Evangelium, (conjectura etiam capta a S. Clemente in epiſt. 1. ad Corinth. cap. 5., ubi a S. Paulo Evangelii lucem diffuſam affirmat uſque *ad Occidentis terminos*, τὸ τέρμα δύσεως τῆς Britanniam accipiendo, cujus loco potius Hiſpaniam accipiendam contendit Pearſonius in diſſert. 1. de ſucceſſ. Epiſcop. Rom. cap. 8. §. 9.), diſputat Anonymus Scriptor tom. 4. Act. Erud. ſupplem. pag. 179,

pag. 179, de quo Fabricius ſalut. luc. Evang. cap. 10. At Britannicæ Eccleſiæ primordia S. Simoni Apoſtolo referunt accepta Nicephorus lib. 2. cap. 40, & pſeudoDorotheus, de quibus confer Florentinium in Not. ad Martyr. pag. 166. Placuit aliis repetere a Joſepho Arimathæo, quod haud minori fide laborat apud Uſſerium de Britan. Eccl. primord. cap. 2, & Stillingfleetum in Origin. Britan. cap. 1. Quin Guillelmus Muſgravius apud Auctores Memor. Trevolt. 1713. pag. 2016, & Fabricium cap. 18. a Pomponia Græcina uxore Plautii, a quo ſub Claudio Britanniæ pars Romano Imperio ſubjugata eſt, quamve Chriſti nomen dediſſe perſuaſit ſibi, in Britanniam fidei lumen primum inlatum pugnat. Potius ab Ariſtobulo Apoſtolorum diſcipulo Britannos fidem Chriſtianam accepiſſe tradunt Martyr. Rom. 15. Martii, Menologia Græcor., ac in libello de 70. diſcipul. impoſtor, qui ſub Hippolyti, & Dorothei larva delituit, de quo conſulesis Tillemontium tom. 1. Monum. pag. 460, & Fabricium in edit. Hamburg. 1714. pag. 488, & ſeq. ad calcem vitæ Moyſis.

Ad ſequioris ætatis igitur, at ſecuriora revolvi Monumenta præſtat, ex quibus liquido adpareat iſtius muneris partes, quas ceperat S. Petrus mittendi in Occidentem omnem Epiſcopos ad inſtituendas Eccleſias, numeris omnibus a Romanis Pontificibus expletas fuiſſe: atque a principio ad uſque ſæculi IV. circiter exitum Epiſcoporum electiones, & ordinationes celebrari conſueviſſe, etſi deinceps varia diſciplina pro varietate temporum obtinuerit. S. Innocentius I. in epiſt. decret. ad Decentium Eugub. auctor eſt liquidus in Occidente nullam inſtitutam Eccleſiam, niſi ab Epiſcopis a S. Petro, aut ejuſdem ſucceſſoribus Romanis Pontificibus ad eas inſtituendas deſtinatis: *Quum ſit manifeſtum in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, & Inſulas (Terraſque* ſupplendas, eoque nomine venire Germaniam, Britanniam, & Illyricum adnotat rite Coutantius) *interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos Ven. Apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes.* Qui teſtis quammaxime idoneus quominus habeatur, nihil officit utique, quin ut habeatur, omnino efficit ea, qua pollebat vetuſtæ traditionis peritia, cujus ſicuti retinentiſſimus, ita callentiſſimus erat. Religio tamen non fuit Tillemontio affirmandi a S. Pontifice, præ

ſtudio

ſtudio Eccleſias omnes ſaltem Occidentis Romanæ Eccleſiæ ritibus obſtringendi, pleraque ingeſta fuiſſe, de quibus dubitandi ingens foret locus: inter quæ 1. quod ab uno S. Petro in Occidente Evangelium ſit annuntiatum; quum pariter illud annuntiaverint SS. Paulus, & Johannes: 2. quod Occidentis Eccleſiæ omnes ab una Romana originem nactæ ſint, omneſque latini eloquii Nationes ab uno Petro, aut ſucceſſoribus Rom. Pontificibus Evangelii vocem acceperint; quum Eccleſia Lugdunenſis præ aliis a Romana profecto inſtituta non fuerit: 3. quod ab Apoſtolis diſciplinæ leges, Eccleſiarumque ritus dimanaverint: legibus vero ritibuſque a S. Petro traditis Romana adeo tenax adhæſerit, ut nihil unquam illis additum, vel detractum voluerit: 4. quod nemini Epiſcoporum fas ſit, inſitque facultas diſciplinæ ſua in Eccleſia frequentatæ addere, & detrahere; quum S. Baſilius in epiſt. 67. id ſibi licere liquido ſcripſerit; idque juris Epiſcopis inſidere utique faſſus ſit S. Gregorius M. lib. 7. in epiſt. 64; exemplo imo ſuo idipſum edocuerit Romana ipſa Eccleſia, quæ Pſalmorum cantum mutuavit ab Eccleſia Mediolanenſi, a qua is Orientali refertur acceptus; & ab Orientali itidem Eccleſia Monaſticum inſtitutum in ſe derivavit. At hominem a detrahendi libidine extra veritatis, & modeſtiæ limites raptum coercuit vir Cl. Orſius, uti ſuperius innuebam, oſtendens S. Innocentium longe præ Tillemontio perſpectas approbe habuiſſe, quæ eſsent S. Romanæ Eccleſiæ leges; a quibus eaſdem leges fuiſset edocta; quibuſque Apoſtolorum reliquæ Occidentis Eccleſiæ rem Chriſtianam referre acceptam deberent. Inter eas vero diſciplinæ corruptelas, quæ ne in Eccleſias inferrentur, ab Epiſcopis cautum ſummopere volebat, non eſſe adnumerandas certiſſime cum Monaſticæ vitæ inſtitutionem, tum Pſalmos canendi religionem. Atquæ hæc quidem traditio, quæ Tillemontio ſuſpecta erat, & ſuppoſita S. Innocentio nedum erat notiſſima, & certiſſima, ſed Galliarum Epiſcopis imo perſuaſiſſima intime, ac probatiſſima, de qua proinde gloriarentur quammaxime: in Synodo ſiquidem Troslejana anno 909. congregati ſub Herivæo Rem. cap. 15, quod eſt epilogus ad Epiſcopos, & generalis ad omnes allocutio, eadem ex S. Innocentio recitata ſententia: *Manifeſtum eſt in omnem*

Ita-

Italiam, *Gallias*, *& Hiſpaniam* &c., e veſtigio occaſionem exinde capiunt feſtive ſibi plaudendi: *Quoniam Eccleſia in noſtris quoque partibus ſuper hanc Petræ ſoliditatem non tantum fundata, ſed ab eo* (S. Petro), *ejuſque eſt Succeſſoribus etiam edocta* &c. Erat hæc eadem Hiſpanis Epiſcopis communis gloriandi, gaudendique cauſſa, unde nec erat utique, cur hanc ipſam S. Innocentii epiſtolam opinioni ſuæ de fundata Hiſpana Eccleſia a S. Jacobo contrariam reputaret doctiſs. Aguirræus Concil. tom. 1. pag. 156, ac repelleret. In genuina S. Iſidori Hiſpal. collectione veter. Canon. Eccl. Hiſp. eruta primum a Petro de Marca e duobns Codic. Mſs. Moñaſterii Rivipullenſis in Catalaunia, quam doctiſs. Cennius tom. 1. de antiq. Eccl. Hiſp. exhibet, ac hujuſmodi fuiſse fortaſse ſuſpicatur Codicem Vigilanum, quem extare ait Loaiſa in Monaſterio S. Laurentii, quin etiam duos Codices illos Toletanum, & Urgellenſem ab Aguirræo laudatos, tom. 1. Collect. Max. pag. 45 : quam etiam collectionem poſtmodum ex Codice accepto ab Illuſt. Joſepho de Taverner d' Ardene Epiſcopo Gerundenſi deſcriptam, collatamque cum aliis Codic. Mſs. Laudenſi, Noviomenſi, Bellovacenſi, & Sueſſionenſi Cl. Petrus Coutantius præf. ad epiſt. Rom. Pontif. pag. 117. inſeruit : quam imo Collectionem idem Aguirræus tom. 3. edidit, eidemque conformia duo exemplaria ſe inſpexiſse in Bibliot. Colbert., & Coislin. teſtatur Coutantius pag. 122. n. 149, in hac Collectione, inquam, præfata epiſtola Innocentiana par. 2. tit. 6, lib. 2. tit. 20, ac lib. 4. tit. 11, 15, 18, & 36. locum habet: quod indicium eſt ſane ab Hiſpanis jampridem maximo in pretio habitam eamdem fuiſse. Quin etiam S. Iſidorus prælaudatæ Collectionis ſive auctor, ſive continuator, qua de re videndus præcit. Cennius in præfat. eidem collectioni præfixa, lib. 1. de offic. cap. 15. Ordinem Miſsæ, qui pridem utique in Hiſpania obtinebat, primum fuiſse a S. Petro inſtitutum perhibet : quod non eſt aliud, niſi quod S. Innotius a Decentio ignorari noluerat; quin inficias tamen iret a S. Paulo, ac ſi velis, a S. Jacobo prædicatum in Hiſpaniis Evangelium fuiſse, cum quo ſtat optime a S. Petro, aut ejus ſucceſſoribus Rom. Pontificibus inſtitutas in Hiſpaniis Eccleſias, ſive eis ordinatos Epiſcopos.

Gene-

Generali hac in ſententia præiverat S. Siricius, atque propius ad Africanam Eccleſiam accedens epiſt. 4. decret. prohibet, ne abſque conſcientia Apoſtolicæ Sedis Epiſcopus ordinaretur: ideo utique, veluti S. Innocentio aſsenſus S. Gregorius M. in epiſt. 32. lib. 3. ad Dominicum Carthag. ſcribebat, quod Epiſcoporum ordinationes in Africa a Sede Apoſtolica exordium ſortitæ eſsent. Cujus etiam rei argumento negativo, velut ajunt, eſse poſsunt Tertullianus lib. de veland. Virgin. cap. 2, & S. Auguſtinus lib. de unit. Eccl. cap. 15, ubi de Eccleſiis ab Apoſtolis inſtitutis agentes, his Africanam haudquaquam adnumerant; quod feciſsent dubio procul, niſi exploratum fuiſset hujus prima fundamenta a S. Petri diſcipulis, ſive Succeſsoribus fuiſse jacta. Atque certe S. Gregorius VII. Romæ Hipponenſem Epiſcopum nomine Servandum conſecraſse legitur lib. 3. epiſt. 19, 20, & 21. Quominus in Illyrico pariter liberum Pontificibus, integrumque eſset Epiſcopos ordinare, eorumque electiones confirmare, aut infirmare, ſuſpicari, aut inficiari prohibent S. Bonifacius in epiſt. ad Rufum Theſsal. ſcribens Perigenis ordinationi Apoſtolicæ Sedis affatum adhuc deeſse; ejuſdemve ordinationem ſibi vindicans in epiſt. ad Illyrici Epiſcopos; & S. Gregorius M. lib. 4. in epiſt. 34. affirmans ab ſe Maximum Salonitanum in Dalmatia Epiſcopum fuiſse ſuſpenſum, ideo quia ſe inconſulto fuiſset ordinatus. Legere eſt etiam ejuſdem epiſt. 7, & 8. lib. 4, quibus Johanni primæ Juſtinianæ electo Epiſcopo gradum confirmat; & Johannis VIII. epiſt. 86. ad Cler. Salon., qua electi Epiſcopi conſecrationem ſibi aſserit. Epiſcoporum in Italia electiones, aut ordinationes ad unum Pontificem olim pertinuiſse indubium evadit ex epiſtola S. Cæleſtini I. ad Epiſcopos Calabriæ, & Siciliæ, quorum ordinationes ſibi tribuit; ex epiſt. 13. lib. 5. S. Gregorii M., qua Lilybitanæ in Sicilia Eccleſiæ Decium ab ſe Epiſcopum ordinatum memorat: a quo perinde complures ſive Metropolitas, ſive Epiſcopos ordinatos, qua in Italia, qua in adjacentibus Inſulis teſtis accedit Johannes Diacon. in ipſius vita lib. 3. cap. 7. Confer ejuſdem S. Gregorii lib. 1. epiſtolas 18, 55, & 56; lib. 2. epiſt. 15, 29, & 35; lib. 4. epiſt. 47; lib. 7. epiſt. 50; & lib. 9. epiſt. 74: Johannis VIII. epiſt. 102, 112, & 119: S. Gregorii VII.

lib. 2. epiſt. 38, & 41., lib. 5. epiſt. 3, 5, & 6; lib. 8. epiſt. 14; & lib. 9. epiſt. 24; & Hadriani IV. epiſt. 34, & 35. Regrediendo in Gallias, & Hiſpanias, unde deflexeram, ibidem par inerat Pontificibus in Epiſcoporum ſive electionibus, ſive ordinationibus, ſive confirmationibus auctoritas ampliſſima. S. Leo M. acceptis Epiſcoporum Prov. Vien. litteris, quibus renuntiabant ab ſe in locum defuncti S. Hilarii Arelat. electum Ravennium, rogabantque, ut electionem hancce ratam habere vellet, reſcribens epiſt. 106. ad 12. Prov. Epiſcopos: *Quod*, inquit, *in Arelatenſi Civitate defuncto ſa.mem. Hilario virum etiam Nobis probatum Fr. Ravennium ſecundum deſideria Cleri, honoratorum, & plebis unanimiter conſecraſtis, bonum Fraternitatis veſtræ opus noſtro judicio roboramus*. Ex quibus fit evidens perperam a Fleurio lib. 27. affirmatum in Galliis tum temporis electi, aut conſecrati Epiſcopi confirmationem a Pontifice conſuevisse nec expeti, nec expectari. De creando Meloduni novo Epiſcopo conſilia agitans Childebertus Rex ſcripſit hac de re Leoni Metropolitæ Senonenſi: qui reſcribens id profecto inconſulto Pontifice fieri nefas fore affirmavit apud Sirmondum tom. 1. Concil. pag. 258. Johannes VIII. electionem Hieronymi Epiſcopi Lauſanenſis irritam dixit epiſt. 243, 244, & 245; Optandum etiam Genevenſem ordinavit Epiſcopum epiſt. 281, 292, & 295. A Stephano VI. ordinatum Theutboldum Epiſcopum Lingonenſem refert Flodoardus lib. 3. cap. 1. Anicienſis Epiſcopi conſecratio Gregorio V. reſervata eſt in Concilio Romano an. 998. Can. 7. Benedictus IX. S. Odilonem Clun. Eccleſiæ Lugdun. præficere animo propoſuerat, niſi ille dignitati ſe ſurripuiſſet, auctore Glabro lib. 5. cap. 4. apud Baronium ad an. 1034. n. 27. Ivonem Dolenſem Epiſcopum, rejecto eo, qui fuerat electus, ſuis ipſe manibus conſecravit S. Gregorius VII, cujus hac de re legere eſt lib. 4. epiſt. 4, & 5. Urbanus II. Lambertum Atrebatenſem ordinaſſe Epiſcopum legitur apud Dacherium Spicileg. tom. 3. pag. 123, & tom. 5. pag. 540., & apud Harduinum tom. 6. par. 2. in append. epiſt. 3, & 7. pag. 1654, & ſeqq. Ivonem præterea Carnotenſem Epiſcopum conſecravit, quam ſuam conſecrationem ipſemet Ivo epiſt. 8. in tuto collocavit, hanc inter alias rationem adferens: *Quum ad ipſam* (ſcilicet Apoſtolicam Sedem) *principaliter pertineat*

tineat tam Metropolitanorum, quam ceterorum Epiſcoporum conſecrationem vel confirmare, vel infirmare. Petrum Bituricenſem Archiepiſcopum propriis inauguravit manibus InnocentiusII. teſte S. Bernardo in epiſt. 219, qui perinde de aliis electionibus confirmatis in Gallia ab Honorio II, Innocentio II, & Eugenio III. loquitur in epiſt. 13, 27, 164, 167, 170, 175, 249. &c. Et ſane ab Eugenio III. Epiſcopum Tornacenſem electum, & conſecratum conſtat ex epiſt. 63, & 64: non ſecus atque Lugdunenſem a Lucio III. refert Robertus in Actuar. ad Sigebertum apud Baronium ad an. 1181. n. 17. Equidem Thomaſſinus par. 1. lib. 1. cap. 55. pleraque exempla profert erectorum in Gallia Epiſcopatuum, ut Caſtelloduni, ut Laudüni, ut Ariſitæ, ut Duni, ut Ternodori, ut Sellis &c., quin adpareat prius impetrata a Pontifice licentia: de qua tamen præſumi debeat: nec prorſus dubitare fas ſit, quin præiverit, ſuæ fidei periculo affirmat cap. 56. n. 5.

In Hiſpanias ex Gallia concedo, ubi, poſtquam aditus patere cœpit, jamdiu commercio cum Romano Pontifice a Saracenis intercluſus, a S. Gregorio VII. ordinati leguntur Epiſcopi lib. 5. ep. 21, & lib. 9. ep. 2. Martinus V. Uladislao Poloniæ Regi conquerenti, quod Pontifex ſuo arbitratu Epiſcopatus conferret, quorum collationem prava opinione a politicis imbutus ad jus Regium pertinere arbitrabatur, reſpondit hæc non ad Principalem, ſed ad Pontificiam auctoritatem attinere, propoſito exemplo Regum Galliæ, Angliæ, Caſtellæ, & Aragoniæ aſſerens ſe in Anglia Epiſcopos quinque, in Gallia duos, alioſque perinde in Regnis Hiſpaniarum creaſſe, apud Raynaldum ad annum 1429. n. 14. Simile ab Eugenio IV. reſponſum retulit Alphonſus Luſitaniæ Rex apud eumdem Annaliſtam ad ann. 1440. n. 3. queſtus, quod ſe inconſulto Pontifex Eccleſiæ Viſenſi, ejuſdem poſſeſſore Ludovico deturbato, homonymum alterum cognomento Continum præfeciſſet, nempe Pontificii id utique juris partes eſſe, Regeſque Angliæ, Hiſpaniæ, & Galliæ Epiſcopales Sedes vacantes a Pontifice ipſo efflagitare, ſi quibus eaſdem conferri percuperent. Itaque hoc jure Pius II. Legionenſem Eccleſiam Cardinali de Turrecremata contulit, apud Raynaldum ad ann. 1460. n. 45, etſi non diſſimulo eam collationem Henrico Rege obnitente effectu caruiſſe. Ita & Alexan-

tius IV. Norvicenſem Epiſcopum ad Wintonienſem Cathedram tranſtulit apud Raynaldum ad an. 1244. n. 45: qui ad an. 1265. n. 74. refert S. Bonaventuram modeſtia ſua obſtitiſſe, quominus Eccleſiæ Eboracenſi a Clemente IV, veluti in votis ei erat, præficeretur. Porro doctiſſ. Lupus de Appellat. cap. 3. obſervat Epiſcopos Ultramontanos olim a Pontifice M. ordinatos eopſe a Metropolitarum juriſdictione evaſiſſe exemptos, ut ex lite colligit inter Giraldum Aldenburgenſem Epiſcopum, & Hartuvium Hamburgenſem, de qua Hemboldus Presbyter in Chron. Sclavor. agit.

Etſi igitur ab exercendo proprio jure Pontifices MM. nullo unquam tempore abſtinuerint, ex eorumdem cœteroqui conſenſu a ſæculi IV. exitu ad uſque ſæculi XIV. circiter medium ea inducta diſciplina eſt, ne Epiſcopi ſive eligerentur, ſive ordinarentur abſque Comprovincialium ſuffragiis, & Metropolitani conſenſu. Id compertum fit ex SS. Julio I. in epiſt. ad Orient. apud S. Athanaſium in apolog. 2; Siricio in epiſt. 4. ad Afric. Epiſcop.; Innocentio I. in epiſt. 2; Bonifacio I. in epiſt. 3; Cœleſtino I. in epiſt. 2; Leone Magno in epiſt. 84, 87, 89, & 92; Hilaro in epiſt. 2; Bonifacio II. in Synodo Rom.; Gregorio M. lib. 4. in epiſt. 34; Gregorio VII. in Synodo Rom. VII. Can. 6; & Paſchali II. in epiſt. 63. Ex S. Ambroſio in epiſt. 59, S. Auguſtino in epiſt. 261; Severo Sulpitio de vita S. Martini cap. 7; Sidonio Apollinari lib. 4. epiſt. 25, & lib. 7. epiſt. 3; S. Gregorio Turon. lib. 7. cap. 17, &c. Ex Conciliis Arelatenſi I. Can. 20; Carthaginenſi II. ſub Genethlio Can. 12; Carthaginenſi III. ſub Aurelio Can. 39; Cod. Can. Eccl. Afric. Can. 13, & 49; Regenſi Can. 2; Aurelianenſi II. Can. 1, & 7; Arvernenſi I. Can. 2; Aurelianenſi III. Can. 3; Aurelianenſi V. Can. 10; Pariſienſi III. Can. 8; Pariſienſi V. Can. 1; Remenſi I. Can. 25; & Cabilonenſi ſub Clodovæo II. Can. 10. De eodem more in Anglia recepto confer Thomaſſinum par. 2. lib. 2. cap. 34: quem viguiſſe pariter in Hiſpania patet ex S. Iſidoro de offic. Eccleſ. lib. 2. cap. 5; Ex Conciliis Tarraconenſi an. 516. Can. 5; Barcinonenſi anno 599. Can. 3; Toletano IV. Can. 19; Toletano X. in decreto I.: a Toletano XII. vero cap. 6. Epiſcoporum omnium Ordinationes Toletano Primati ſunt reſervatæ. Confer & Codic. vet. Canon. Eccl. Hiſp. lib. 1. tit. 34, 36, 39, 47, & 49. Johannes XIX. Monachis Abbatiæ Leirienſis privilegium contulit, quo ſoli Epiſcopum

pum Pompelonenſem eligerent, teſte Jo: Mariana lib. 8. cap. 24, qui lib. 9. capp. 5, & 17. auctor eſt quoque Epiſcopos Jacenſes in Aragonia ex Monachis Cœnobii Jacenſis ex decreto Concilii Aragonii, ſive Jacenſis anno 1060. eligi debuiſſe, & conſueviſſe. Alexander III. in epiſt. 53. ad Clericos Alexandrinæ Eccleſ. Capitulo jus eligendi Epiſcopum tribuit. Ab Innocentio III. Monachis Cantuarienſis Cœnobii jus eligendi Cantuarienſem Archiepiſcopum fuiſſe confirmatum ex Pariſio ad annum 1205. refert ad an. ſeq. n. 33. Raynaldus. Cœterum Epiſcoporum electiones ad Capitula revocatas liquet ex Cap. *Nullus* 1. Cap. *Cum terra* 14. Cap. *Cum Eccleſia* 31. Cap. *ſi Gens* 55. *de Elect.* Cap. *Cum dilectus de conſuetud.* Cap. *Nobis* 29. *de Jurepatron.*

Metropolitas ordinandi, aut confirmandi ordinatos poteſtas unum penes Romanum Pontificem integram ſtetiſſe perſpicuum evadit, de Aquilejenſi ex S. Symmacho epiſt. 1; de Mediolanenſi ex S. Gregorio M. lib. 2. epiſt. 30, & 31; de Theſſalonicenſi ex SS. Siricio, Innocentio, Bonifacio, Cæleſtino, Sixto, & Leone, epiſt. in Synodo Romana ſub Bonifacio II. relectis; de Arelatenſi ex SS. Zoſimo, Leone, Symmacho, Vigilio, Pelagio, & Gregorio in epiſtolis ſæpius memoratis. Ex SS. Simplicio epiſt. 1, & Hormiſda epiſt. 26. de Hiſpalenſi; ex S. Nicolao I. epiſt. 1. de Syracuſano; & ex S. Leone IX. de Carthaginenſi. Ideo B. Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi II. relatus Cap. 4. *Avaritiæ* Metropolitas ante confirmationem Eccleſiarum adminiſtrationi ſe ingerere prohibuit; & Nicolaus III. in decret. *Cupientes* tempus præfigit, intra quod confirmatio petatur. Ob nimiam tamen locorum diſtantiam Metropolitis deinde Illyrici, Africæ, Angliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, & Galliæ indultum eſt, ut dum a Sede Apoſtolica confirmationis decretum expectaretur, adminiſtrandis Eccleſiis manum interea admoverent. Facit pro Carthaginenſi Concilii Carthag. III. Can. 45; pro Theſſalonicenſi S. Leonis M. epiſt. 84. ad Anaſtaſium; pro Hiſpalenſi S. Hormiſdæ præcit. epiſt. ad Saluſtium; pro Arelatenſi S. Gregorii M. lib. 4. epiſt. 52. ad Galliar. Epiſcopos, atque univerſim pro Eccleſiis Ultramontanis, aut Ultramarinis Innocentii III. indultum in Concilio Later. IV. Cap. 26. *Nihil eſt*, lib. 1. decret. 44. de Elect. Alia ſub devexiori ætate circa Epiſcoporum electiones inducta eſt diſcipli-

na,

na, de qua diffuſe Cl. Thomaſſinus par. 2. lib. 2. cap. 3. & ſeqq., ubi capp. 6. 13, & ſeqq. de concurſu principalis conſenſus, ac Principum ad electiones Epiſcopales acceſſu agit. Nam Clemens IV. Eccleſias Cathedrales vacantes in Curia ſibi conferendas retinuit in 6. Decret. lib. 3. tit. *de Præbendis* cap. 2. Bonifacius VIII. Epiſcopatus omnes, ac Beneficia in Curia vacantia Sedis Apoſtolicæ collationi pariter reſervavit; eaque de re S. Ludovicum Ordin. Minor. Toloſanæ præfecit Eccleſiæ, Guillelmum Durandum Mimatenſem creavit Epiſcopum, & Ægidio Romano Bituricenſem contulit Eccleſiam: de quo videſis Thomaſſinum par. 2. lib. 2. cap. 33. n. 6. Præterea idem Pontifex Decret. *Injunctæ* prohibuit Epiſcopos etiam confirmatos ab adminiſtratione Eccleſiarum adeunda, antequam Pontificiis Bullis eſſent inſtructi. A Johanne XXII. omnes univerſim Cathedrales Eccleſias, quæ vacaſſent, ſibi providendas fuiſſe reſervatas affirmat Fleurius inſtit. Canon. par. 1. cap. 10: atque a beo utique Regulas Cancellariæ, uti vocant, exordium nactas eſſe, ſuum docet Jo: Baptiſta Rigantius in Comment. ad eaſdem Regulas tom. 1. in procem. n. 1, & ſeq. Certo certius proviſiones Epiſcopatuum, aliarumque Eccleſiarum in Provinciis Aquilejenſi, Mediolanenſi, Ravvennate, Januenſi, & Piſana ſibi reſervavit apud Raynaldum in append. tom. 15. ad annum 1322. Benedictus XII. Extravag. *Ad Regimen* lib. 3. tit. 2. cap. 13. eaſdem reſervationes ampliavit ad Beneficia, & Epiſcopatus Cardinalium, aliorumque Miniſtrorum Romanæ Curiæ, item omnium accedentium ad Curiam, vel ab ea recedentium, ſi in locis ultra duas diætas legales a Curia non diſtantibus decederent; quin etiam ad ea Beneficia, ad quæ electi, vel poſtulati electio irrita fuiſſet, vel poſtulatio repulſa, aut ab iiſdem facta renuntiatio a Romano Pontifice fuiſſet admiſſa. Proviſiones pariter Eccleſiarum omnium Cathedralium in Regnis Neapolitano, & Siciliæ ſibi reſervarunt Honorius IV, Clemens VI, & Innocentius VIII. apud Raynaldum ad annos 1285. n. 62, 1343. n. 83, & 1486. n. 14. Ad hæc Martinus V. Epiſcoporum electiones pro confirmatione deferri præcepit ad Apoſtolicam Sedem apud Harduinum tom. 8. pag. 877, & 889. De Regulis Romanæ Cancellariæ ſucceſſu temporum ſanctis, aliiſ-

aliisque de hac re decretis a Gregorio IX, Clemente IV, Gregorio X, Bonifacio VIII, Clemente V, Johanne XXII, & Benedicto XII. confer doctiss. Jo: Baptistam Rigantium in Comment. ad easdem Regulas, ac Josephum Catalanum in Comment. Concil. tom. 4. ad Concilium Lugd. II. Can. 21: de causis vero rationabilibus admodum, quibus permoti Romani Pontifices fuerunt ad ejusmodi reservationes faciendas, adi-sis doctiss. Lupum tom. 4. in Concil. dissert. 3; Fleurium Instit. Canon. par. 1. cap. 10, & Thomassinum par. 2. lib. 2. cap. 30. n. 11, & cap. 50. n. 2.

Postremo concordiæ, pacisque Sacerdotium inter, & Imperium conciliandæ gratia; in Galliis Pragmatica Sanctione abrogata, sancitisque Leonem X. inter, & Franciscum I. Regem Bononiæ Concordatis, jus nominationis ad Prælaturas Christianissimis Regibus collatum est: quæ Concordata Lateranensis Concilii V. Sess. 11. decreto confirmata sunt. In Hispania Hadrianus VI. in gratiam Caroli V. Imper., cujus præceptor fuerat, eidem, ac successoribus lege perpetua concessit jus præsentandi Episcopos Hispaniarum, qui antea precario a Romanis Pontificibus institui consueverant, teste Jo: Mariana de reb. Hisp. lib. 26. cap. 5, quod jus Regibus Castellæ pridem concessum a Sixto IV. perhibet lib. 24. cap. 16. Quoad Germaniam attinet, vi Concordatorum inter Nicolaum V., & Fridericum III, sive Nationem Germanicam anno 1448, quibus præluserant, eorumque præferebant speciem Concordata pridem inita inter Innocentium III, & Othonem IV, de quibus adeundus Raynaldus ad annum 1209. n. 10, Episcoporum electiones liberæ omnino Capitulis Ecclesiarum relictæ sunt: Sedi Apostolicæ tamen reservatis Beneficiis, de quibus Nicolaus III. in Decret. *Cupientes*, & Benedictus XII. in Extravag. *Ad Regimen*. Confer Germonium de sacr. immunit. lib. 3. cap. 12. De indultis nominandi ad Ecclesias vacantes Episcopos concessis aliis Regibus videsis Lupum tom. 4. dissert. 3. De jure prætenso, exercitoque a Regibus Angliæ disputat Thomassinus par. 2. lib. 2. cap. 34. De collato Regibus Sardiniæ dixi, pro ut operæ pretium erat, tom. 3. ad calcem Artic. 6. §. 1. De privilegio concesso Regibus Siciliæ, ac postea, sæpiusque a Romanis Pontificibus revocato adisis præcit. Thomassinum par. 2. lib. 2.

lib. 2. cap. 37; dignus profecto, qui & adeatur cap. 35. n. 9, quo loci Salgadum, alioſque Hiſpanorum Juriſconſultos perſtringit, refellitque, qui aliunde tam præpoſtere, quam perperam ad jus Regium nominandi Epiſcopos ad vacantes Eccleſias adſtruendum, potiuſquam a Pontificiis indulgentiis argumenta accerſunt. Tangit hoc idem punctum doctiſs. Cennius de antiq. Eccleſ. Hiſp. diſſert. 4. cap. 5, quantum opus eſt, ut repellat Garſiam Loaiſam in id pariter incumbentem, ut hoc jus Regium in electionibus Epiſcopalibus uſque ad tempora Regum Gothorum retrahat, & Apoſtolicis indultis antiquius oſtendat.

Novorum Epiſcopatuum erectiones per quinque priora ſæcula a Synodis Provincialibus ex Metropolitani conſenſu fieri Romani Pontifices indulſerunt, ne ſcilicet Eccleſiæ, dum Apoſtolicæ Sedis aſſenſus expectaretur, incommodis interea paterent. Conſtat id ex Codice Can. Eccleſ. Afric. Can. 98; ac præter alia pleraque ſuperius indicata loca, ex S. Auguſtino in epiſt. 261, a quo rogatus Numidiæ Primas Antonium Epiſcopum in Caſtello Fuſſalenſi millibus 40. ab Hippone diſſito conſtituit. Quia vero is in Africa invaluerat abuſus, ut in exiguis pagis Epiſcopi abſque delectu inſtituerentur, S. Leo M. epiſt. 87. id vetuit; quod ipſum pridem vetuerant Concilia Sardicenſe Can. 6, Laodicenum Can. 57. relato Cap. *Non debere* diſt. 80, & Carthaginenſe II. ſub Genethlio Can. 5. A ſæculo VI. autem, velut obſervat Thomaſſinus par. 1. lib. 1. cap. 54, & ſeqq., ad novos erigendos Epiſcopatus in Regnis etiam jam ante Chriſtianis, Metropolitæ nedum, Synodique Provincialis expetebatur conſenſus, ſed Romani Pontificis aſſenſus præterea expectandus erat. Ita S. Gregorius M. lib. 11. epiſt. 65, alias lib. 12. epiſt. 15. S. Auguſtino præcepit; ac permiſit in Anglia Epiſcopatus 24. erigere, quorum 12. Cantuarienſi Eccleſiæ, totidemque Eboracenſi obnoxii eſſent. S. Bonifacius Moguntinus facultate accepta a S. Gregorio III. tres in Bavaria Epiſcopales Cathedras, totidemque in Germania S. Zachariæ auctoritate conſtituit. Hadriani I. accedente conſenſu abſe Bremenſem Epiſcopatum erectum, eique admotum Villehadum auctor eſt Carolus M. in præcepto de inſtit. Epiſcop. per Saxoniam. *Roborante*, veluti loquitur, *Papa Gregorio IV. Apoſto-*

lica auctoritate, & Pallii datione Hamburgenſem Eccleſiam Metropolitica dignitate exornatam, eademque indutum S. Auſcharium a Ludovico Pio refert Adamus Bremenſis lib. 1. cap. 12, qui cap. 55. tradit a Danorum Rege, quem ad fidem Catholicam traduxerat Otho I. Imper., tres in Jutia Epiſcopatus Romani Pontificis auctoritate fuiſſe inſtitutos. Ab eodem Imperatore ſeptem Epiſcopatus in Synodo Regni Bohemiæ erectos, & Gaudentium Metropoli Slavorum ex Romani Pontificis licentia præfectum teſtatur Annaliſta Hildesheimenſis apud Ducheſnium tom. 3. pag. 517. Tres Epiſcopales Cathedras in Britannia minori a Nomenojo Duce conſtitutas ratas habuit S. Nicolaus I. Eduardo Angliæ Regi intentatis minis auctorem ſe dedit Formoſus, ut in Regione Geviſorum Epiſcopos ordinari curaret: a quo ſane curatum incunctanter eſt, ut ſeptem ordinarentur Epiſcopi, quinque quidem Geviſis, duo vero Auſtralibus Saxonibus, uti refert Willelmus Malmesb. lib. 2. de Regib. Angl. Epiſcopatum Merſemburgenſem ad preces Othonis III. in Synodo Romana tom. 9. Spicileg. Dacher. pag. 68. erexit Gregorius V. Atrebatenſem inſtituit Urbanus II. apud Dacherium Spicileg. tom. 3. pag. 123. Paſchalis II. Helienſem in Anglia petente S. Anſelmo, ut habet Eadmerus lib. 4. Willelmo Remenſi, ut novus in Caſtro Mocomenſi Epiſcopatus erigeretur, facultatem fecit Cæleſtinus III, confirmavitque Innocentius III. lib. 1. epiſt. 152, & 153. Apamienſem conſtituit Bonifacius VIII, de quo adeundus Raynaldus ad an. 1295. n. 52, & ſeq., & ad an. 1299. n. 25, non ſecus ac de aliis Thomaſſinus par. 1. lib. 1. cap. 58, & ſeq., ſed & horum pleraque ſimilia in proleg. habes congeſta, plurimaque adhuc ſubnectam.

In Regionibus pariter recens ad Chriſtiana Sacra converſis, ea jugiter ab omni ævo in Occidentali Eccleſia diſciplina obtinuit, ut Romani Pontificis cederet partibus illis de Epiſcopis providere, neque novi Epiſcopatus niſi de ejus auctoritate inſtituerentur, aut ab eo ordinati ad novas regendas Eccleſias deſtinarentur: quemadmodum nihil frequentius apud Auctorem libri Pontificalis, inque aliis de vitis priorum Rom. Pontificum hiſtoriis occurrit, quam Epiſcoporum Ordinationes, & ad Eccleſias inſtituendas Miſſiones. Quo pacto, Romanorum videlicet Pontificum opera inſti-

ſtitutæ, aut reſtitutæ in Occidente Eccleſiæ omnes æſtimandæ ſunt. Ita per illuſtriores obiter excurrendo, ad fidem propagandam in Galliis, & fundandas ubique Eccleſias deſtinatos Epiſcopos a S. Clemente P. M. ad Pariſienſes S. Dionyſium, ad Ebroicenſes S. Taurinum, ad Bellovacenſes S. Lucianum, S. Eutropium ad Santones, & S. Nicaſium ad Rotomagenſes refert Baronius ad annum 96. n. 7. S. Peregrinus Antiſiodorenſis primus Epiſcopus prædicatum Evangelium a S. Sixto I. miſſus legitur in Martylog. Rom. ad 16. Maji, ubi ad 9. Novemb. S. Urſini Bituricenſis eodem munere a S. Petri ſucceſſoribus ada ucti memoria recolitur. Nihil retexam nunc, quæ de ſeptem Epiſcopis a S. Fabiano in Gallias directis ſuperius attigi, de quibus confer Renatum Ovardum in defen. de antiq. tradit. Eccleſ. Gallic. Ad Rotomagenſes a S. Stephano I. miſſus Epiſcopus, Evangeliique præco S. Melanius traditur die 22. Octob.; nec abſque Romani Pontificis venia divini verbi diſſeminandi munere defuncti, ac Epiſcopali caractere regendas Eccleſias ſuſcepiſſe præſumendi ſunt, Lugdunenſem S. Pothinus, de quo Euſebius lib. 5. cap. 8, & Ruinartius in actis ſinc. pag. 62; Viennenſem S. Martinus ad 1. Julii; Senonenſem S. Sabinianus, de quo Sauſſajus lib. de Myſt. Gall. ſcrip. pag. 279, & ſeqq.; Remenſem S. Remigius; & Atrebatenſem S. Vedaſtus, de quo Ducheſnius tom. 1., & Bollandus ad diem 6. Febr. Morinos, & Nervios Chriſtianis ſacris imbuit S. Victricius Rotomag., haud inconſulto tamen, opinor, S. Innocentio I, a quo celebrem decretalem accepit, de qua confer diſſert. 4. in oper. S. Paulini: neque S. Cæleſtino I. inſcio prædicatum Evangelium, procuratumque chriſtianam rem profectionem fuiſſe adornatam, ſive ad Aremoricos a S. Germano Antiſiod., de quo Tillemontius tom. 15, ſive ad Burgondiones a S. Severo Trevir., de quo Valeſius rer. Franc. lib. 3. pag. 138, cui tamen repugnat Pagius ad an. 413. n. 4, augurari fas erit ex his, quæ infra ſubtexam. In Hiſpaniam S. Eugenium diſcipulum, ſive veriſimilius, S. Dionyſii Pariſienſis ſocium profectum eſſe, atque quidem, aut ego fallor, ex Pontificis ipſius munere, a quo eidem S. Dionyſio profectio in Gallias impoſita fuerat, ſuamque primo Toleti Sedem collocaſſe auctor eſt Maurolycus in Martyrolog. ad 7. Kal. Decemb. De hac tamen S. Eugenii Miſſione, & Epiſcopatu dubitant

bitant viri docti nonnulli ea moti ratione, quod Parisiis ejusdem obitum consignandum suadere videantur Stephanus Leodiensis in Synodo anno 903, & Jacobus Breulius in antiquit. Parisiens., dubitare tamen non sinunt Catalogi Tolet. Præsulum ab eodem S. Eugenio anno Christi 68. ad Paschalem anno 926. apud Aguirræum tom. 1. Concil. Hisp. pag. 22, & seqq.; vindicat vero, eamdemque Missionem defendit doctiss. Cennius de antiq. Eccl. Hisp. dissert. 1. cap. 3. Quam partem in Gothorum conversione a S. Leandro Hispal. peracta habuerit S. Gregorius M. augurari licet ex lib. 3. Moral. cap. 31, ex lib. 4. epist. 46, & lib. 7. epist. 126, & seq., sed & confer S. Isidorum lib. de scrip. Eccles. cap. 28, Nicolaum Antonium Bibl. vet. Hisp. lib. 4. cap. 4, & Henschenium tom. 2. ad 13. Martii. De S. Amando Trajectensi, qui Missionarii Apostolici munus etiam obivit ad Vaccejos (quos perperam cum Vasconibus circa Pyrenæos diffusis non nemo confundit, recte vero gentem fuisse Hispaniæ Tarraconensis Durii fluvii accolam, notat Valesius lib. 19.) dicam paullo post. Quam vero operam reparandæ christianæ rei in Hispania sub Saracenorum tyrannide collapsæ impenderint Urbanus II, & S. Gregorius VII. denarrat Rodericus Tolet. lib. 6. capp. 24, & 25; quam in rem confer & Pagium ad annos 1088. n. 6. seq, ac 1090. n. 1., & seq. De ingenti demum superstitum Saracenorum numero a Card. Francisco Ximenio ad sacra nostra traducto videsis in ejusdem vita Marsolerium, Flechierium, & Gomecium.

Eo major effulsit, quo magis effudit se se in Regiones Aquilonares Romanorum Pontificum hæc providentia quam præsentissima, tam propitia. Ad Bessos, Dacos, Getas, Scythasque Missionem non suscepisse, nisi ex Apostolicæ Sedis consultu S. Nicetam rite arguit Baronius ad annum 397. n. 16. Confer Bollandum ad diem 7. Jan., Tillemontium tom. 10. pag. 621, & seq., ac Pagium ad annos 396. n. 5, & seqq., & 397. n. 6, & seqq. Ex fide V. Bedæ lib. 1. cap. 4. ad erigendas in Anglia Ecclesias, dedicandasque Christiano nomine Lucio Rege obsecrante a S. Eleuthero directos SS. Fugatium, & Donatianum jam alibi retuli; quam ad Insulam Pelagiana ab hæresi expurgandam S. Cælestini P. M. jussu bis profectum S. Germanum Antissiodorensem, idest anno 429. comite

mite S. Lupo Trecenſi, & anno 447. ſocio adſcito S. Severo Trevirenſi ex idoneis teſtibus, fideque dignis comprobat doctiſſ. Pagius ad annos 429. n. 2, & ſeqq., & 435. n. 36, & ſeqq; obſervans ad hanc utique Miſſionem alluſiſſe S. Gregorium M. lib. 27. Moral. cap. 6. in Jobi cap. 36. Sed & de altera Miſſione S. Auguſtini ab eodem Pontifice imperata, & procurata dixi plus vice ſimplici, de qua confer, ſi placet adhuc, V. Bedam lib. 1. capp. 23, & 24, & lib. 2. capp. 2, & 3; Stephanum Birchingtonum in vitis Archiep. Cant. tom. 1. Angl. ſac. Warthoni; Bollandum 24. Febr., Mabillonium tom. 1. Act. SS. Bened., Papebrochium ad 26. Maji, & Niceronium de Converſ. Angl. S. Ninianum ſuis conſecratum manibus Apoſtolum Pictis Auſtralibus dediſſe S. Siricius legitur apud Capgravium in hujus vita, de quo pariter Alfordus, & Pagius ad an. 396. n. 4. De S. Birino ab Honorio I. in Britanniam miſſo adiſis Baronium tom. 8. pag. 337. Scotos a Paſchaſio, cui id curæ, operæque demandaverant SS. Victor, & Zephyrinus, in fide eruditos refert Uſſerius de antiq. Eccl. Britan. Paſchaſio eo in munere ſucceſſit S. Nicolaus Cudæus Epiſcopus: Epiſcopum demum ad Scotos Palladium deſtinatum a S. Cæleſtino I. perhibent S. Proſper, in Chron. ad an. 431, & lib. contra Collat. cap. 21. edit. nov., ac V. Beda lib. 1. cap. 13; confirmant vero Alfordus in Annal. Eccleſ., & Civil. ad an. 431, & Uſſerius cap. 16. Ab eodem Pontifice, ad Hibernos ut ſe conferret chriſtiana fide imbuendos, datum cum poteſtate Epiſcopos inſtituendi, S. Patritio ab ſe Epiſcopo conſecrato negotium teſtantur ex Probi, & Jocelini fide, qua digni profecto ſunt, Uſſerius loc. ind., & Henſchenius ad diem 17. Martii. De eadem ſpatta impoſita S. Folliano a S. Martino I, & S. Malachiæ ab Innocentio II, adeundus Molanus ad diem ult. Octob., agitque S. Bernardus. Friſiæ, & Daniæ Evangelii lucem intulere miſſi, Epiſcopali caractere exornati, juſſique a S. Sergio I., S. Willebrordus apud Surium tom. 2. ad diem 1. Martii; Henſchenium ad eamdem diem, & Mabillonium ſæculo III. Bened. par. 1; ab Hadriano I. S. Willehadus, cujus vitam a S. Anſchario deſcriptam exhibet Mabillonius ſæculo III. Bened. par. 2, recuditque Fabricius tom. 2. Memor. Hamburg. pag. 652. A S. Paſchali I, & Gregorio IV. ad Danos, Sueco-
Norve-

Norvegios, Farrios, Groelandos, Halſingios, Islandos &c. dignitate Epiſcopali adornati, Apoſtolicique vicibus adaucti, deſtinati ſunt S. Anſcharius Brem., & Ebbo Remen., teſte Eginhardo ad an. 823, cujus ſubinde vices ſubierunt, & S. Anſcharii comites adjecti ſunt Autbertus, & Rembertus, de quibus adeundi Lambecius tom. 1. Origin. Hamburg., Cointius tom. 8. Annal. pag. 116; Pontanus lib. 4. rer. Danic. pag. 98. Ducheſnius tom. 3 pag. 399; Bollandus ad diem 4. Febr.; & Jo: Vaſtovius in vitis SS. Regni Suevo-Gothi cum Notis Erici Benzelii. Partes eaſdem poſtea in Dania, Svecia, & Norvegia egere, abundeque explevere Sigurdus, Guibertus, & S. Sigfridus, apud Adamum lib. 1. cap. 1, Chronographum Norveg. pag. 161, & Henſchenium ad 15. Febr.

Pari modo a Pontificibus inſtitutæ pleræque in Germania Eccleſiæ ſunt, eorum ſcilicet opera, quos Epiſcopali caractere inſignitos deſtinare nunquam deſtiterunt. Nam ad Rhætorum Eccleſias conſtituendas, ſacriſque Chriſtianis imbuendas diverſis temporibus advenisſe, eamque ob rem Epiſcopos ordinatos SS. Apollonium Brixienſem, Valentinum Paſſavienſem, Gaudentium Brixienſem, & Vigilium Tridentinum narrant Bucelinus in Rhætia Sacra, & profana, Baronius ad annum 400. n. 8, & ſeqq., & Ruinartius in actis ſinc. SS. Martyr. Honorius I, & S. Martinus I. S. Amandum Slavis, & Flandris S. Eligium Evangelii præcones dedere apud Baudemondum in ejus vita, Surium, & Bollandum ad diem 6. Febr.; & Conon in Franconiam S. Kilianum prædicatum Evangelium miſit, de quo Surius tom. 4. ad 8. Julii, Caniſius tom. 4. antiq. lect., & Mabillonius ſæculo II. Bened. Ad Batavos, Friſones, & Boructeros ripam Orientalem Rheni inhabitantes a S. Sergio I. miſſi leguntur SS. Wlfranus, & Suitbertus apud V. Bedam lib. 5. cap. 12, Baronium ad an. 700. n. 2, Surium, & Henſchenium ad 1. Martii, & tom. 3. April. pag. 802, & ſeqq., Mabillonium tom. 2. SS. Bened., & Pagium ad an. 695. n. 2, & ſeqq. S. Rudbertus etiam ab eodem Pontifice ſpartam accepit erudiendi de fide Bavaros, & Francos, de quo Mabillonius ſæculo III. Bened. par. 1, Henſchenius ad 27. Martii, Raderus in Bavaria ſancta, & Valeſius rer. Francic. tom. 3. pag. 465, & ſeqq. Saxonibus, Thuringis, Haſſis, & Friſiis Religionem Chriſtianam fuiſſe commendatam

datam a SS. Wilfrido, Bonifacio, Ludgerio, Willebaldo, & Corbiniano, quos ad id operis SS. Agatho, & Gregorius II. delegerant, pluribus denarrant Henſchenius ad 26. Martii, Papebrochius ad 5. Junii, Mabillonius ſæculo III. Bened. par. 1., Surius ad 8. Septemb., ac 1. Decemb.; aliique apud Fabricium Salut. luc. Evang. cap. 19. S. Valentinus ad Noricos Miſſionem ante non adornaſſe, quam a Rom. Pontifice licentiam impetraſſet, legitur in ejuſdem actis apud Baronium ad an. 650. n. 3. Moravis Verbi Dei præcones, ac primos Epiſcopos SS. Cyrillum, & Methodium Orientales Monachos dedit Hadrianus II, uti videre eſt apud Johannem VIII. in epiſt. 194, 195, & 247, & apud Henſchenium ad 9. Martii. Gregorius V. rem Chriſtianam curandam, procurandamque in Bohemia, Boruſſia, Polonia, & Hungaria, obnixe commendavit SS. Adalberto, & Bonifacio, ad id operis exequendum Epiſcopis ordinatis; de quibus Ditmarus lib. 6, S. Petrus Damiani in vita S. Romualdi cap. 8, Bollandus ad 7. Febr.; Henſchenius ad 23. Aprilis, & Pagius ad an. 997. n. 1, & ſeqq. Sed & S. Bruno Ruſſorum Apoſtolus dictus, quod Ruſſis Pruſſiæ finitimis, quin etiam Hungaris Evangelium annuntiaſſet, gentibus illis Epiſcopus a Johanne XVIII. datus eſt, uti ſcribunt Ditmarus loc. indic., Ademarus in Chron., ac legere præſtat apud Bollandum ad diem 14. Febr., & Pagium ad an. 1008. n. 1, & ſeq. A Paſchali II. ordinatum Epiſcopum S. Othonem prædicatum Evangelium ad Pomeranos dimiſit Calliſtus II, teſte ſcriptore anonymo ejus vitæ apud Caniſium tom. 2. antiq. lect., & Sollerium ad diem 2. Julii. Denique ab Innocentio III. Chriſtianus Ciſtercienſis Monachus anno 1215. Prutenorum Epiſcopus conſecratus eſt, unaque cum Philippo confratre ad Boruſſos Evangelii prædicandi gratia miſſus, veluti refert ipſemet Lutheranus homo Jo: Albertus Fabricius Salut. luc. Evang. cap. 19. pag. 429. Haud imparem operam impenderunt, deſtinatis Apoſtolicis viris, dignitate Epiſcopali adornatis, in Livoniam Honorius III, de quo Raynaldus ad an. 1224. n. 38; & in Lithuaniam Innocentius IV. apud eumdem Annaliſtam ad annos 1251. n. 45, & 1254. n. 27. De Epiſcopatibus plurimis aliis Roman. Pontificum opera excitatis dixi ſuperius, de procurata vero ab iiſdem gentium omnium

ſalute

ſalute dicam alibi uberius. Confer autem, ſi placet adhuc, Jacobum le Long in Bibliot. hiſtor. Gallic. lib. 2. cap. 2; Petrum Merſſæum Cratepolium de SS. German., & Doctor.; Chriſtophorum Brouverum in Syderib. illuſt. Germ.; Marcum Hanſizium tom. 1. Germaniæ ſacr.; Jo: Jacobum Maſcovium de Primat., Metropol., & Epiſcop. Eccl. Germ. Lipſ. 1729, alioſque, quos ex Proteſtantibus etiam profert Gotthelfius Struvius in Bibl. hiſt. cap. 16. §. 28; nec non Cl. Thomaſſinum vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 55, & ſeqq.

Quemadmodum igitur per univerſam Europam olim, atque Africam, qua parte ad Occidentem vergit, Epiſcopos ordinare, novoſque Epiſcopatus inſtituere Apoſtolicæ Sedis curæ, jurique cedebat, parimode ſequioribus ævis partium earumdem fuit, quas a Pontificibus numeris abſolutas fuiſſe omnibus dubitare nefas eſt, qua in Provinciis Europæ, & Africæ una cum labefactata fide Eccleſias delapſas reſtaurare, & reſtituere, qua in vaſtiſſimas Aſiæ, & Americæ Regiones, vulgo Orientales, Occidentaleſque Indias Evangelium inferre, & Epiſcopales Cathedras erigere. De reſtitutis in Europæ Regionibus Eccleſiis, quæ lapſu temporum pariter in deterius prolapſæ fuerant, dicebam modo: ad Africam vero, (quam ab Afare Midianis filio denominatam ſcripſit Anaſtaſius Sinaita quæſt. 28; quamve ab Aſia ſinus diſtinguit Arabicus), diſcurrendo, S. Gregorius VII. haud ſatius habuit lib. 1. epiſt. 22. Carthaginenſes hortari, ut ab injuriis Cyriaco Epiſcopo inferendis abſtinerent, patienterque Saracenorum impetus ferrent, ſed ad collapſam rem Chriſtianam reparandam, quo magis poſſet, ſtudio incumbens, partemque, quam poſſet, a Saracenica ſuperſtitione expurgandam, lib. 3. epiſt. 19, 20, & 21, Servandum Epiſcopum conſecravit, riteque edoctum in Africam remiſit, iis duobus, qui ibidem Epiſcopi remanſerant, adſociatum, atque in procuranda re Chriſtiana participem laboris factum, & operæ. Poſthac in Africa prævalente Almohadum ſecta ſub Abdelmumeno Principe anno Hegiræ 544, Chriſt. Æræ 1149. Chriſtianorum nemini parcente, Eccleſiaſque ubique Chriſtiano nomine dedicatas ſolo exæquante, Religionem Chriſtianam ibidem penitus extinctam, profligatamque obſervat

Pagius ad an. 1149. n. 8, & ſeqq., inque falso pedem fixiſſe, qui Jacobi de Vitriaco fidei ſe committentes, quales Jo: Baptiſta Grammajus lib. 2. de Africa illuſt., Scheleſtratius in diſſert. 4. de Eccl. Afric. cap. 7, & Raynaldus tom. 13, & 14. Annal., ſub id temporis adhuc in Africa Eccleſiaſticam Hierarchiam viguiſſe exiſtimarunt, ac in Barbaria Archiepiſcopos 3, Epiſcopos vero 10. audiviſſe Patriarchæ Alexandrino parentes. Quamquam ſecta Almohadum ad interitum incumbente, novam Chriſtianitatem in illis Provinciis inſtituere Romani Pontifices tum deinceps non deſtitere, Epiſcopos titulares deſtinando, atque ubi pateret aditus, Epiſcopatus novos erigendo. Quum in Mauritania ingentibus virorum piorum ex Ord. Min. ſudoribus, profuſoque ſanguine irrigata feliciter adoleſceret Chriſtiana Religio, tum Gregorium IX. cogitatio inceſſit, curaque novellæ illi Eccleſiæ præficiendi Epiſcopum, in ſpem erigebatur ſiquidem fore, ut eadem diligenter exculta latius in dies amplificaretur. Videſis Raynaldum ad an. 1237. n. 28. Poſtquam Evangelii præcones in Æthiopiam Occidentalem, ſive Guineam, aliaſque incognitas Africæ oras, amplificandæ fidei gratia prærogativis multis adaucti a Martino V, Eugenio IV, & Pio II. miſſi fructum laborum uberem retuliſsent, a Sixto IV. Epiſcopus expetitus eſt, qui novam Eccleſiam moderaretur, qua de re adeundus Maffejus hiſt. rer. Indic. lib. 1. Pari ſucceſſu in Æthiopia Orientali, ſive Abyſſinia propagata chriſtiana Religio Clementem VII. permovit, ut ad Eccleſiaſticam Hierarchiam erigendam Patriarcham Latinum; alioſque Epiſcopos dirigeret. Quam in curam ſubingreſſi Julius III, & Paulus IV. eiſdem Æthiopibus Patriarcham dedere Jo: Nunnium Baretum, ac Epiſcopos Andream Oviedum, & Melchiorem Carnerum: ad quos miſſus deinde a Gregorio XIII. Alphonſus Mendezius ejuſdem Soc. J. Patriarchali dignitate inſignitus. Confer Goezium tom. 2. Hiſp. illuſt., Maffejum lib. 2, & Raynaldum ad annos 1555. n. 10, & 1556. n. 44. In Inſulis Fortunatis, ſive Canariis ab anno 1417. Epiſcopus eſt conſtitutus: concedente Nicolao V. Angrenſis in Terceris Inſulis Epiſcopalis ſedes erecta: in Inſula Madera Funchalenſis ab anno 1514, & in Inſula S. Thomæ Epiſcopus alter ab anno 1610. conſedere cæperunt. Videſis Anto-

nium Cajetanum de Souſa in Catalogo Epiſcop. inſerto Comment. Acad. Reg. Ulyſſip. an. 1721. Congi, finitimarumque Regionum incolis ad Religionem Chriſtianam converſis datus a Clemente VIII. Epiſcopus eſt, erectuſque in Urbe S. Salvatoris Epiſcopatus: deſtinari deinceps ad hanc uſque diem Vicarii Apoſtolici in quaslibet Africæ plagas ad rem Chriſtianam procurandam non deſtiterunt: quod geſta Pontificum revolventi facile patebit, quin omnia perſequi oratione pergam.

Neque perinde denegari poteſt ipſis laus magna, & par ſtudii paganas in Aſia ſuperſtitiones abolendi, aut priſcam multis hæreſibus oblimatam Religionem expurgandi, cujuſce ſtudii, non ſecus ac juris ſummi, quo uſi ſunt, teſtes locupletes accedunt, quæ variis in locis erectæ Cathedræ Epiſcopales majori cum rei chriſtianæ emolumento in dies magis emicant. In Aſiam itaque, ſeu Indiam Orientalem, ad quam, non multo poſt quam ad Americam ab Hiſpanis apertus ingreſſus eſt, per Luſitanos facilior patuit aditus, fidem orthodoxam inlaturos ex Ordinibus Religioſis Miſſionarios mittere, & Epiſcopatus inſtituere ad inlatam fidem enutriendam, firmandamque ſummi Pontifices ſummopere curarunt, & procurarunt. Id poſt quam in Japponia ex voto ſucceſſit, Bungo anno 1588. a Sixto V. Epiſcopus eſt conceſſus, in Urbe Nangaſaci ejuſdem Cathedra conſtituta. In Tartariæ ampliſſimas Regiones miſſi a Clemente V. ſeptem viri Miſſionarii ex Ord. Minor. ſunt, antea Epiſcopi ordinati: quibus juſſum, ut Johannem de Montecorvino ejuſdem Ordinis ad eas Orientis plagas a Nicolao IV. pridem directum, remque fidei optime agentem, (quippe longe, lateque in Perſide, Æthiopia, India, & Tartaria prædicato Evangelio innumeras gentes ſacro fonte expiaverat), Archiepiſcopum Cambalienſem inaugurarent: de quo Wadingus tom. 3. ad an. 1307: quibus ſubinde laboris ſocios, & Epiſcopali caractere inſignitos tres alios ejuſdem Ordinis adjunxit. Ex his Hieronymum Flor. Caſſenſi Eccleſiæ admovit Johannes XXII. apud Raynaldum ad an. 1322. n. 45., & Johanni vita functo in Archiepiſcopatu Cambalienſi Nicolaum alterum Minoritam ſuffecit. Præterea in Gezaria Voſprenſem Epiſcopatum excitavit, quem Franciſco a Camerino Ord. Præd. concredidit; & in Gochia Cerſonen-

ſonenſem, cui præfecit Richardum Anglum ejuſdem Ord., de quibus agit Raynaldus ad an. 1333. n. 36, & ſeqq. Nankinenſem, & Pekinenſem Epiſcopatus in Sinarum Imperio extruxit Alexander VIII; quibus præficiendos Epiſcopos jus nominandi Portugalliæ Regibus attribuit, veluti videre licet in ejuſdem Conſtit. 16, & 17. Atqui Diœceſibus adeo amplis par illud dumtaxat Epiſcoporum impar erat; unde Innocentius XII. per Diœceſum illarum diverſos tractus Apoſtolicos Vicarios conſtituit, qui regiminis Eccleſiaſtici partem obirent. In Orientali India ab Indo ad Gangem a Paulo III. Goanus Archiepiſcopatus erectus eſt, eique Suffraganei duo poſtmodum attributi a Paulo IV. Malacenſis, & Cochinenſis, quibus alter a Gregorio XIII. adjectus Macaitamus, ac poſtremo quartus Meliaporenſis a Paulo V, ut nihil de Nangaſacenſi pariter ſubjecto a Sixto V. nunc ſubtexam: primus autem Goanae Eccleſiæ præfectus eſt Johannes Albuquerquius Ord. Min., ex eodem Ordine Socio itineris, ac laborum adſcito Vincentio Govea. Angamalenſem poſthac Archiepiſcopum Chriſtianis in Malabariæ ora præeſſe voluit Paulus V: de ſparta vero ſæpius Goano Archiepiſcopo impoſita curandi pro virili portione chriſtianam rem a Gregorio XIII, Sixto V, & Clemente VIII. conſuleſis Ludovicum de Bavia in hiſt. Pontif. & Cathol. Hiſpane adornata tom. 3. pag. 269, & ſeq. Philippinis Inſulis primum Epiſcopum dedit Gregorius XIII., cui poſtea tres adjuncti ſunt Cebuenſis, Luzonenſis, & Caſerenſis, ac Maniliano Archiepiſcopo ſubjecti. Videſis Philippi Bonanni Numiſmata Pontif. tom. 1. pag. 443. In Perſidem directum a Johanne XXII., atque in Soltanienſem Archiepiſcopum ordinatum Francum Peruſinum Ord. Præd., eidem Suffraganeis attributis ſex aliis ex eodem illuſtriſs. Ordine aſſumptis diſces ex Raynaldo ad annum 1318. n. 4, & ſeqq. In Georgia Tephlis Epiſcopalis Cathedra inſtituta pariter eſt ab eodem Pontifice, eique præfectus Johannes Florentinus ejuſdem Ord. Præd., de qua præf. Annaliſta ad an. 1329. n. 94.

In Americam, ſeu Indiam Occidentalem felicioribus ſicut auſpiciis fides invecta eſt, ita ſucceſſibus eſt propagata; poſtquam anno 1492. detectam Alexander VI. P. M. Conſt. 2., quæ incipit *Inter cetera* tom. 1. Bullarii Cherub., & apud Bzovium ad an-

num 1493, inter Hiſpanos, Luſitanoſque ita diviſit, ut a Polo ad Polum ducta per Picum Montem linea, quæ ad Orientem vergeret, Luſitanis cederet, quæ ad Occidentem ſita eſſet, Hiſpani occuparent. Quæ diviſio quo demum recto accipi ſenſu debeat, ad omnem prorſus, quam hinc Pontificiæ auctoritati invidiam conflare Proteſtantes aggrediuntur, amovendam, propulſandamque, explicat doctiſs. Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 5. cap. 2. Primus itaque Evangelii præco in ampliſſimas Regiones illas proficiſci a Pontifice juſſus eſt Bernardus Boilius Ord. Min., veluti liquet ex Pontificiis litteris poſt laudatam Conſtit. deſcriptis a Raynaldo ad annum 1493. n. 24, non vero ex Benedictina familia, uti perperam ſcripſit Abbas Conſtantinus Cajetanus: a quo, aliiſque duodecim Sociis ex eodem Min. Ordine delectis, ac Miſſionariis deinde aliis ingens hominum numerus Chriſtianæ Religionis ſacris imbutus eſt. Novello gregi excolendo variis in locis novi Epiſcopatus ſunt excitati, ac primo quidem a Leone X. quinque, uti legere eſt apud Raynaldum ad annum 1514. n. 110, quorum deinde numerus adauctus eſt, juxta quod amplificata indies re Chriſtiana Chriſtifidelium numerus excreſcebat: quamquam eorumdem numerum ad ſexcentos exaggeratum, ac paucorum quidem annorum flexu, quo alioqui progreſſam longe, lateque fidem non inficiar, a doctiſs. Lindano in præfat. Apolog. pro Eccleſ. in fide Evang. Concord. apud præl. Annaliſtam ad an. 1532. n. 97. putaverim. Indubium eſt tamen in America Septentrionali, atque in Mexico Archiepiſcopatum conditum, eique a Paulo III. Suffraganeos attributos 11. Epiſcopatus recens inſtitutos apud Aguirræum tom. 4. Concil. Hiſp. pag. 412. & ſeq. In Inſula S. Dominici inter Antillas conſtitutus Archiepiſcopus eſt alter, ſub quo erectæ Cathedræ 5. Epiſcopales. Quebeci in Canada demum a Clemente X. Cathedra Epiſcopalis eſt conſtituta: de quibus videſis Raynaldum ad annos 1534. n. 13, 1535. n. 59, 1536. n. 48, & 1539. n. 36. In America Meridionali a Pio IV. Archiepiſcopus S. Fidei inſtitutus eſt, quatuor ipſi tributis Suffraganeis, apud Raynaldum ad an. 1563. n. 58. In Paraquaria Argentinus de la Plata Archiepiſcopus a Paulo III, cujus juriſdictio in quinque ei ſubmiſſos Epiſcopos ſe extenderet. In Peruvia Archiepiſco-

epiſcopalis Sedes a Paulo III. pariter erecta Limæ, alias in Civitate Regum, cui poſtea adjuncti Suffraganei ſex. In Chili perinde Archiepiſcopum S. Jacobi Pius IV. inſtituit, cui parere juſſit duos Suffraganeos: de quibus confer Raynaldum ad an. 1561. n. 70, & Frezierum in Itin. edit. Amſtel. 1717. pag. 94. In Braſilia denique Soteropolis, ſeu Urbs S. Salvatoris Epiſcopali dignitate inſignita a Julio III., & Archiepiſcopali deinde adaucta, quatuor præeſt Epiſcopis, quorum Catalogum texit Antonius Cajetanus de Souſa in Comment. Acad. Reg. Ulyſſip. an. 1722.

Horum Epiſcoporum adjuvandis partibus Vicarios Apoſtolicos, Titulareſque Epiſcopos admovere, & adjungere Summis Pontificibus ſolemni poſitum in more erat. Titularium Epiſcoporum originem vetuſtiſſimam eſſe, Eccleſiæque infantiæ coævam non minus vetuſta docent teſtimonia, & demonſtrant exempla. Apoſtolos Epiſcopatum quidem geſſiſſe, nulli tamen peculiari Eccleſiæ addictum, ſed iis in Eccleſiis, quas fundabant, alios ſecundarios Epiſcopos conſtituiſſe, qui quoad ipſi præſentes eſſent Apoſtoli, ab Epiſcopali poteſtate exercenda abſtinerent, veluti ſi titulo tenus Epiſcopatum gererent, non ita tamen dum iidem abeſſent, probabilis valde quam opinio eſt, de qua Æneas Sylvius lib. 1. act. Concil. Baſileenſis, naſcentis Eccleſiæ neceſſitati id exigenti innixa. Quin etiam plures eidem Eccleſiæ præfectos Epiſcopos, aut ita tamen ut parti uni præeſſet unus, alterius vero curam gereret alter, aut veriſimilius ita ut dum unus præeſſet, ab officio alter penitus abſtineret, ſed unus alteri ſibi viciſſim ſuccederet. Itaque Romæ a S. Petro Epiſcopos ordinatos Linum, Cletum, & Clementem, non ita quidem, ut in ſocietatem fuerint aſſumpti Epiſcopalis officii, ne dum prædicandi Evangelii gratia peregre ipſum proficiſci contingeret, Epiſcopo Roma careret, veluti S. Epiphanio hæreſi 27. n. 6. viſum eſt, quam opinionem refellit doctiſſ. Petrus Coutantius in epiſt. Rom. Pontif. n. 9. pag. 3.; nec ita ut iidem Epiſcopatus partes agerent, dum ipſe S. Petrus Apoſtolatus impleret officium, ſicuti ſcripſit Rufinus in præf. ad lib. Recognit.; neque etiam ita ut ii Chorepiſcopi dumtaxat ordinati fuerint, ordinationeſque Presbyterorum ipſis fuerint demandatæ, uti habet Rabanus in lib. de Chorepiſcop. apud Labbæum

tom. 8. pag. 1853; neque demum, ſicut vult Stephanus Moynius in proleg. ad Varia ſacra, ita ut eorum unus Epiſcopus Petri eſſet, alter Pauli, unus Circumciſionis, alter Præputii, unus Judæorum, alter Gentium, unus Latinorum, alter Græcorum, ſed ita ut ex SS. Irenæo lib. 3, Tertulliano de præſcrip. cap. 32, Euſebio lib. 3. capp. 2, & 4, S. Optato lib. 2, S. Hieronymo de vir. Illuſt. cap. 25, S. Auguſtino epiſt. 53, alias 165, Photio Cod. 113, Johanne III. in epiſt. ad Epiſcopos Germ., & Leone II. apud Marianum Scotum docent Baronius ad annum 69. pag. 640. edit. Rom. 1588.; Coutantius loco cit. n. 6. pag. 2., Henſchenius tom. 1. Febr. in Comm. ad acta S. Ignatii, Boſchius in hiſt. Patriarch. Antioch. in S. Evodio, aliique; quo de argumento pariter agunt, multaque Proteſtantium more perturbant Beveregius in Codic. Can. Eccl. cap. 11; Seldenus in Eutychio Alex., Pearſonius in opere Chronolog. diſſert. 2. cap. 3, & Stephanus Moynius in proleg. ad Varia ſacra, ita ut, inquam, nulli tunc Eccleſiæ fuerint alligati, ſed unice ut Petro, prout opus eſſet, in Eccleſiaſticis rebus agendis opere adeſſent, parteſque adjuvarent: quo demum fatis functo Pontificali in officio Cleri ſuffragiis accedentibus, ſibique invicem ſuccederent. Sic Antiochenæ Eccleſiæ ordinatos Epiſcopos a S. Petro Evodium, & Ignatium obſervatum jam abs me eſt. Sic Hieroſolymis duos conſtitutos Epiſcopos, unum ex Judæis, qui Judæorum, alterum delectum ex Gentibus, qui Gentium curam gereret, S. Epiphanio, ut eſſet, pariter indicavi. Sic circa ſæculi II. exitum Cajum ex Presbytero Romanæ Eccleſiæ ordinatum Epiſcopum Gentium ſub SS. Victore, & Zephyrino, quatenus prius Epiſcopalis officii exercitio probatus, quum occaſio ſe offerret, ad Gentes erudiendas dirigi, certæque implendæ ſedi deputari ſecure poſſet, affirmat doctiſs. Blanchinius in Not. hiſt. ad S. Eleutherum tom. 2. Anaſtaſii pag. 142; exindeque progreditur ad refellendum Pagium ad an. 67. n. 21, quo loci adverſus Henſchenium in appar. ad Chronolog. Pontif., & Papebrochium in Conatu Chron. hiſt. ad Catalog. Rom. Pontif. alios præterea Vicarios Rom. Pontificum inducentes propugnat Vicariatus hujuſmodi per tria priora ſæcula eſſe ſuppoſititios. Prætermitto multo plura horum ſimilia exempla, quæ num etiam vigere apud Patriarcham Græcum Conſtantinopolit.

polit. Titulares Epiſcopos nominandi ad veteres GræciæEccleſias tradit Ricautius in hiſt. de præſ. ſtatu Eccleſ. Græciæ, & Armen.; quæque perſequuta videri poſſunt a Lupo in Comm. ad Can. 6. Chalced., & a Thomaſſino par. 1. lib. 1. capp. 26, 27, & 28, ut taceam de Moynio loco indic.,&Baſnagio hiſt.Eccl.lib.1. cap.4.

Immutata eſt deinde iſthæc diſciplina, nec ullus hodie conſecratur Epiſcopus, niſi ut certæ admoveatur Eccleſiæ, aut re ab ipſo adminiſtrandæ, ſi ad eam pateat aditus, aut ſpe, aut jure ſaltem adminiſtrandi non careat, ſi ad eam ſub Infidelium jugo detentam accedere præpediatur. Ita enim docet eruditiſs. Pontifex Benedictus XIV.de Synodo Diœceſ.lib.13.cap.8.jubens hac de re adiri epiſtolam ſuam ad Cardinalem de Lanceis Bullarii ſui tom. 2. n. 36; ac ita cautum ſacris Canonibus obſervat loco cit. doctiſs. Thomaſſinus, permiſsum tamen a Concilio Later.V.ſub Leone X. ſeſs. 9, neque prohibitum a Tridentino, ſed imo poſt ipſum a S. Pio V. indultum Emin. Cardinalibus, quibus commendatæ eſſent Cathedrales Eccleſiæ, ut Epiſcopos Titulares, qui Suffraganei jam vulgo denominantur, eaſdem adminiſtrarent. Quin etiam Sixtus V. Conſt. 117. S. Congregationi negotiis, & conſultationibus Epiſcop., & Regul. præpoſitæ facultatem attribuit, Eccleſiarum neceſſitate exigente, in Italia præſertim, Vicarios Apoſtolicos deputandi, qui Pontificis auctoritate communiti demandatas Eccleſias gubernent. Colophonem diffuſe hactenus diſputatis imponet par hominum doctrina, virtuteque præſtantium S. Bernardus, & Petrus Cellenſis, quibus arcte perſuaſum erat divino plane conſilio Apoſtolatus, & Epiſcopatus Principatum, ſummamque poteſtatis in Romano fuiſſe Pontifice collocatam, totiuſque Ovilis per Orbem totum diffuſi curam, ac regimen commendatum, ut qui in partem regiminis, curæque deinde aſſumerentur, Epiſcopi, virique Apoſtolici ad Religionem Chriſtianam rite procurandam, lateque propagandam, a Romano Pontifice tam vices, poteſtatemque acciperent, quam pariter vires, & pondus: ille quidem in vita S. Malachiæ ſententiam hanc ſuam ejuſdem exemplo confirmans, qui de rebus Eccleſiaſticis, & Chriſtianis diſponere, Ethnicoſque docere nec conſultum ſatis, nec tutum habebat, niſi Apoſtolicæ Sedis auctoritate communiretur:

Viſum

Visum sibi non tute satis actitari ista absque Sedis Apostolicæ auctoritate: iste vero apud Alexandrum III. lib. 6. epist. 6. supplex accedens, & sequester, ne Episcopo cuipiam fidei zelo conflagranti, & ad Infidelium conversionem se comparanti Apostolica benedictione deesset, ut opera convalescere posset sua: *A Vobis exigitur auctoritas vestra cum ipso, & in ipso operans, ut facilius ei ab Incredulis credatur.*

Ex Jure dicto, & exercito in Patriarchas, Exarchos, Primates, Metropolitas, & Episcopos.

§. II.

Dilutius non incumbam, ut rem demonstrem satis probatam, quæ ex præcedentibus suapte fluit, quorum proinde neque frustra profusior fuerim, ac quam par esset, in demonstranda origine, ac dependentia, quam a Romana S. Petri Cathedra habent Cathedræ reliquæ ubique terrarum constitutæ. Præter opus præterea operosum esset, quæcumque huc congruerent, velle congerere, satiusque habebo conglomeratim, indigesteque ex innumeris pauca hinc illinc delibare, & attingere, quæ rem ipsam veluti digito ostendant. Quæ vix plurimis alter conficeret, paucis complexus est, & explicuit S. Gelasius in epist. 7. edit. Hard. ad Episcopos Dardaniæ compluribus in medium prolatis tum testimoniis hanc Apostolicæ Sedis insignem particulam juris evindicans, tum exemplis conglobatis evincens nihil unquam fuisse, quo Decessores sui Romani Pontifices a distringendo vice plus simplici in Patriarchas Orientis jure prohiberentur. Atque ex his quidem, ut ordinem temporum consequar, S. Stephanus I. a S. Cypriano epist. 67. edit. Pamelii sollicitatus legitur, quatenus Marciano Arelatensi dejecto, alterum eo meliorem sufficeret Episcopum. *Dirigantur in Provinciam, & ad Plebem Arelate consistentem a Te litteræ, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur.* Quin etiam hoc pariter de argumento ad eumdem Pontificem conscriptas a Faustino Lugd., ceteriscque Provinciæ Episcopis litteras fuisse suspicari exinde fas est, quod forte si-

quidem

quidem Pontifex faciles, pronaſque non ſtatim præbuiſſet ipſis aures, ſemel, ac iterum ſtimulos S. Cypriano adjecerint, ut apud Pontificem operam interponeret ſuam. At S. Cyprianus adeo non dubitabat, quin Pontifex officio haud defuturus ſuo eſſet, ut & quis fuiſſet ſubſtitutus, ſibi ſignificari ſimul rogarit. Quare S. Cypriani ſententia, quam perperam ſiniſtrorſum inflectere Pearſonius conatus eſt, poſitum in Pontificis erat poteſtate Epiſcopos gradu alios deprimere, alios extollere. Juxta ordinem juris rite, convenienterque ab Aureliano Imp. conſtitutum affirmabat Euſebius lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 30, ut ex duobus altercantibus, Paulo Samoſateno exauctorato, & Domno Antiochenæ Eccleſiæ ſubſtituto, alter Patriarchium aut retineret, aut reciperet, cui demum fuiſſet a Romano Pontifice, tum S. Felice I, adjudicatum. Exploratiſſimum ſcilicet erat, neque Synodis ipſis graviſſimas Patriarcharum cauſſas aggredi, Pontificis Romani abſque conſcientia, fas eſſe: quod argumento pariter fuerat Antiocheni Concilii Synodica ad S. Dionyſium P. M. de ejuſdem Pauli depoſitione, & electione Domni. Liquidum, ac locuples eſt hacce de re S. Julii I. teſtimonium in epiſt. ad Orient. affirmantis, ſine prævia ad Apoſtolicam Sedem relatione, ejuſque præcedente licentia, Patriarcham nullum deponi poſſe a Diœceſeos, aut Provinciæ Synodis, iſtamque eſſe perennem Eccleſiæ conſuetudinem, & Apoſtolicum Canonem. Quod autem ipſe ſignatim de Alexandrino definiebat, idipſum de Antiocheno denuntiavit ſubinde in Epheſina Synodo act. 4. Juvenalis Hieroſolym. Antiſtes: *Mos eſt ex Apoſtolico ordine, atque traditione, ut Sedes Antiochena apud Romanam dirigatur, & judicetur*. Dictum denique ſuum facto abunde compenſavit idem S. Julius: nam a Synodo Antiochenæ gradu dejectos S. Athanaſium Alex., Paulum Conſtantinopolit., Marcellum Ancyr., Aſclepam Gazen., & Lucium Adrianop. ſuis Sedibus reddidit.

Pulcherrimam iſtiuſmodi poteſtatis ſpeciem præbuit haud ſemel S. Damaſus, approbe conſcius ſe in perſona S. Petri, cui ex aſſe ſucceſſerat, eam a Chriſto D. accepiſſe. Itaque, ut verbo dicam, Auxentium, Urſacium, Valentem, & Gajum Epiſcopali dignitate exuit, & ab Eccleſiis ejecit; digno propterea mactatus

elogio a S. Athanaſio in epiſt. ad Afros, & ad Epictetum. Perſpicaſſimo alioqui Pontifici fucum facere Vitali, & Timotheo ex voto ſucceſſerat, qua in re eumdem excuſant tam pie, quam vere S. Gregorius Nazian. in epiſt. 2. ad Cledonium, Leontius ad calcem libri contra fraudes Apollin., & Facundus lib. 7. cap. 3. At hæreticorum hominum comperta fraude, utrumque gradu detruſum fugiendum omnibus denuntiavit. S. Petro Alexandrinam, & Paulino Antiochenam Cathedram confirmavit: e contra prioris pervaſorem Lucium depoſuit; poſteriori vero præfectum Flavianum ſua abſque conſcientia, & conſenſu Romam ad cauſſam dicendam evocavit: pro quo tamen apud Pontificem ſequeſtres interceſſiſſe Theophilum Alex., & S. Jo: Chryſoſtomum tradunt Socrates lib. 5. cap. 15, & Sozomenus lib. 8. cap. 3. Conſtantinopolitana ab Eccleſia Maximum cognomento Cynicum a Damaſo depulſum negat Baluzius in append. lib. 5. de Concor. cap. 21, affirmat Coutantius in Not. ad ipſius epiſt. 8. ad Epiſcopos Maced. Viam, qua conciliari utraque opinio commode queat, me aperuiſſe memini, unde ab hac nunc quæſtione libenter abſtineo. Non omittendum tamen, quin obiter ſaltem obſervetur S. Damaſum, tum ut Timotheum deponeret, & depelleret obnixis precibus fuiſſe a Patribus Concilii Conſtantinopolit. I. obſecratum, ipſomet teſte in epiſt. ad Orient., tum ob Lucium depoſitum, & depulſum juſtis laudibus ab Eutherio, & Helladio in epiſt. ad S. Sixtum III. celebratum. E Galliis Maximum Valentinum Epiſcopum a Clericis ejuſdem Eccleſiæ ad Apoſtolicæ Sedis Tribunal, tanquam multorum criminum reum, ac maxime hæreſi Manichæa involutum, SS. Innocentius, & Zoſimus a Gallicanis Epiſcopis dijudicandum dimiſerant: quorum conſpectui, quem ſemel, ac bis quæſito colore declinaverat, ſe demum ſiſtere, omnique tergiverſatione ſummota, judicium ſubire compulit S. Bonifacius I. epiſt. 3. edit. Cout. ad Galliar. Epiſcop., Judicibus ipſis interea illud oneris imponens, ut exactam geſtorum ejuſmodi in cauſſa ſeriem, confirmandæ gratia ſententiæ ab ipſis latæ, e veſtigio ad ſe tranſmittere haud negligerent. *Quid quid*, inquiens, *veſtra caritas de hac cauſſa duxerit decernendum, quum ad Nos relatum fuerit, noſtra, ut condecet, neceſſe eſt auctoritate firmetur*. Quibus aper-

apertam vim inferri oportet ab iis, qui ſuprema Epiſcoporum judicia Synodi Provincialis ſententia concludi, & definiri contendunt. Quid enim imo, quod S. Cæleſtinus I. ab ſe decretæ in Neſtorium ſententiæ executionem Synodo Epheſinæ demandavit, ſtatuto die, quo id exequi abſque cunctatione deberet? Polychronium Epiſcopum Hieroſolym. e Throno dejectum a S. Leone tum Archidiacono, viceſque S. Sixti III. agente, ferunt Acta ejuſdem Pontificis inſcripta nomine. At hæc plurimo laboris fruſtra conſumpto ad veritatis lineam ullo revocari poſſe modo diffidit Baronius ad an. 433. pag. 643. edit. Rom. 1594; ex eadem vero prodiiſſe officina, qua pleraque nullam veri ſpeciem præferentia ſacris Marcellini, Silveſtri, & Liberii nominibus fuere ſuppoſita, docet Coutantius in append. ad hæc Sixti geſta pag. 111, & ſeqq. Ex ejuſdem Pontificis tamen epiſtolis ad S. Cyrillum Alex., & Johannem Antioch., reciprociſque horum ad ipſum indubium evadit Johannem, Orientaleſque alios pleroſque Antiſtites ejuſdem partium, qui Synodi Epheſinæ judicium minus fuerant reveriti, ſupplici legatione miſsa cum fidei profeſſione ſollicitos quam maxime fuiſſe, ne in ſe ab Apoſtolica Sede jus diſtringeretur ſummum, a quo defenſionem non eſſe non dubitabant.

Libenter nunc accedo ad S. Leonem quam re, tam nomine ter Magnum, a quo plura longe, ac præſtantiora hujuſmodi poteſtatis exertæ indiſcriminatim in Epiſcopos experimenta jure expectes. Utar vero compendio, ne ultra, quam oportet, metas excurrens oratio mea tædium creare incipiat, & moleſtiam. Converſa itaque in Africam cura, Potentium ablegavit, qui vice ſua jus diſtringeret in Epiſcopos, ac violatorum Canonum vindictam caperet epiſt. 87. veter. edit. Donatum Salicinenſem ex Novatianis caſtris cum plebe ſua converſum, emiſſa fidei profeſſione, amiſſo priſtino in Eccleſia loco reſtituit. Italiæ Epiſcopis intentat extrema, niſi ab ſe, ſuiſque Deceſſoribus canonice decretis juſta dependant obſequia, epiſt. 1, & 85. In Gallia S. Hilarium Arelat. proprii juris limites prætergredientem carpit, & ab extendendo in Provinciam Vien. coercet. Celidonium loco ab eo dimotum reſtituit, ac Projecto ſuperordinatum Epiſcopum dejcit epiſt. 68, & 89. Hiſpaniarum quoſdam Epiſcopos, quibus Priſcil-

hanorum dissimulatio non displicebat, asperrime perstringit, & deterret; datis litteris, designatisque Legatis, qui suo præessent loco, ad Concilium eosdem cogit, & ad exactam Canonum executionem, quos ad eam hæresim excindendam condiderat, epist. 93. Ab Occidente revoluta ad Orientem sollicitudine per Julianum Coensem, & Hilarium Diac. potestate super Episcopos omnes summa perfungitur, leges evulgans, & pœnas infligens, epist. 10, & 11. Theodoreto Cyrensem, & Eusebio Doryleensem ereptas Ecclesias restituit epist. 39, 47, 63, & 68. Anatolii Constantinopolit. ambitum, quo secundum post Romanum Pontificem honoris gradum affectabat, comprimit, & in officio constringit: quem tamen justis votis obtinuerat, locum confirmat, quin etiam Apostolicis vicibus adauget epist. 53, 54, 55, 56, 58, & 62. Bassianum Ephesinum dignitate exspoliavit, si fides stat ejusdem æmuli Stephani in Concilio Chalced. act. 11: Anastasio vero Thessal. acerbe sævitiam exprobat, qua sua absque conscientia Atticum in Epiro veteri Episcopum a sacris Ecclesiæ adytis extraxisset, inauditisque afflixisset injuriis epist. 84. Juvenalem Hierosolym. Palestinæ inhiantem Primatui cohibet, intraque æqui, justique orbitam constringit, cui subinde recuperatam sedem confirmat, & gratulatur epist. 62, & 72. Maximo Antiocheno, & Protherio Alexandrino locum confirmat, a quibus per litteras conventus earumdem Ecclesiarum commodis præsentissima sollicitudine prospicit epist. 62, & 69. E solio Ægypti ut vi detrudatur Timotheus Ælurus Leoni Imp. auctorem se præbet epist. 73, & 99: ejus autem in locum electum cognominem, ac cognomento Salofaciolum constabilit, deque officio commonefacit epist. 101, & 103. Ex Ægypti Episcopis S. Leonem quatuor Æluro devoti subinsensum experti sunt; quindecim adversa fronte pro fide decertantes propitium habuere epist. 76, & in Cod. Encyclio epist. 5. Confer Baronium ad an. 453, ubi plurima horum similia habet.

Vestigiis his utique invulse hærebat S. Simplicius, qui Acacii superbiam supra ceteros Patriarchas supercilio elato incedere exambientis fregit, & protrivit epist. 15, & apud S. Gelasium epist. 11. Insigni Ecclesiasticæ districtionis exemplo in Timotheum Ælurum, Petrum Fullonem, Johannem Apamenum, & Paulum Ephe-

Epheſinum animadvertit: & quidem Æluro amoto Cathedram Alexandrinam Salofaciolo reddidit, amotoque Fullone Antiochenæ Calendionem reſtituit epiſt. 3, 5, 10, & 13. Præterea Gregorio Mutinenſem gubernandam Eccleſiam concredidit, & Johannem Raven. de vi eidem adhibita redarguit, in pœnam onere impoſito certæ pecuniæ annuatim ei perſolvendæ epiſt. 16. Quam juſtam poſtea S. Felici III. dederit pertinaciæ, ſuperbiæque pœnam Acacius, dictum jam alibi. Sed nec eidem pepercit S. Gelaſius, a quo propterea Illyrici Epiſcopi ab obedientia Theſſalonicenſi impendenda ſunt abſoluti: Euphemius quoque Conſtantinopolit. Sacrorum conſortio eſt interdictus epiſt. 8, & 9. Epiſcopos lapſos S. Hormiſdas qua redarguit, & ad officium revocat epiſt. 13; fortes in fide confirmat, & ad diſciplinam informat epiſt. 14. Contumelioſum Rejenſem Epiſcopum multis criminibus involutum loco dimoviſſe legitur Johannes II. epiſt. 4, 5, & 6. Supra modum ſollicitus de Africana Eccleſia S. Agapetus in Reparato Carthag. Metropolitica jura reſtaurat epiſt. 2: cum Epiſcopis vero Arianis partibus aliquando implicatis, cum aliis benigne, & ſuaviter, prout decebat, ſevere, diſtricteque cum aliis agit: itaque Epiſcopatum Achilli indulget, Stephano abdicit epiſt. 3. Ex Act. 1. Synodi ſub Menna explorata ſit cunctis decretoria ſententia, quam in Severum, Petrum, & Zoaram diſtrinxit. Demum e Throno Eccleſiæ Conſtantinopolit. Anthimum exturbat, ad eumdem Mennam extollit epiſt. 5. Venio ad Vigilium, cujus in laudem haud parvam vergit infelicitas temporis, qua ſua ipſi uſu poteſtas venit: quod videlicet Juſtiniani vultum nihil vetitus, ejuſque nec ad gratiam inflexus, nec ad minas, cum Zoilum Alex., tum Mennam Conſtantinopolit. datam revocare ſyngrapham compulit: quod in Theodorum Cæſareenſem Apoſtolico diſtricto gladio animadvertit; Theodorique Mopſveſteni damnatam memoriam devovit Collat. 5. Synodi V.: quod Eutychium Conſtantinopolit., quod Apollinarem Alex., quod Andream Epheſ., quod Petrum Tarſ., Græcoſque alios Præſules non ante gratiæ ſuæ participes fecit, quam ad ſuæ voluntatis arbitrium demiſiſſent ſe ſe, eamque ſincera fidei profeſſione demeruiſſent. A Pelagio I. tum S. Silverii procul dubio vicibus defungente, Paulo

Paulo Alex. Pallium ablatum perhibet Liberatus Brev. cap. 23. De Salonio, & Sagitario Sedibus ſuis reſtitutis a Johanne III. ex S. Gregorio Turon. lib. 5. cap. 21. alibi retuliſſe me recordor. Superbam Iſtriæ Schiſmaticorum factionem, ac pertinaciam, quam eruditiſſimis litteris perdomare nequiverat, ſæculari in adjutorium adſcita poteſtate, ideſt Smaragdi Exarchi opera adhibita, Pelagius II. confregit, Paulo Diac. teſte lib. 3. de geſt. Langob. cap. 27: Johannis quoque Jejunatoris faſtum, quo ad Oecumenici Epiſcopi titulum adſpirabat, graviſſimo ſuæ pondere auctoritatis compreſſit.

Age vero a S. Gregorio M., cujus maxima eſſe non nequit auctoritas, ut ut ei invidere maledicus Oudinus non ſit veritus, cum invictis teſtimoniis, tum lucidis exemplis ſupremam ſæpiſſime juriſdictionem in Epiſcopos ubique omnes exercitam paullo luculentius pateſiat. Imprimis itaque quatuor Patriarchalibus ſedibus Apoſtolicam poreſtate longe præſtare affirmat lib. 1. epiſt. 30, 37, & 71. indict. 9; idque liquido comprobat lib. 4. ind. 14. epiſt. 32, & lib. 6. ind. 15. epiſt. 37. Eccleſiæ univerſæ a Chriſto D. Romanam fuiſſe prælatam tam honore, quam auctoritate demonſtrans, qua perinde ipſe uti frequenter in Epiſcopos ubique non deſtitit. In Epiſcopos Italiæ, quos vel ad Syno dum cogit lib. 1. ind. 9. epiſt. 16; vel Romam contendere jubet epiſt. 19; vel proprii officii commonet epiſt. 22., vel eorum Eccleſias conjungit lib. 1. ind. 10. epiſt. 20, & 31; vel eorumdem electiones confirmat epiſt. 15, 29, & 30; vel eorum judicia infringit epiſt. 26; vel cum eis benigne diſpenſat lib. 6. epiſt. 13; vel judicia liberaliter demandat lib. 7. indict. 2. epiſt. 10; vel ad ſe deferri diſtricte jubet lib. 11. ind. 6. epiſt. 33. In Epiſcopos Siciliæ, quibus nunc ſuas concredit vices lib. 1. epiſt. 1., & lib. 2. ind. 10. epiſt. 4; nunc Romam ſtato tempore advenire mandat lib. 6. ind. 15. epiſt. 19. In Epiſcopos Corſicæ, quos privilegiis exornat lib. 1. ind. 9. epiſt. 79. In Epiſcopos Sardiniæ, ad quos Legatos a latere dirigit lib. 7. ind. 2. epiſt. 2. Item in Epiſcopos Africæ, ex qua Epiſcopos Romam properare, aut Romam Epiſcoporum cauſſas referri imperat lib. 2. indict. 9. epiſt. 72, ind. 10. epiſt. 33, lib. 5. ind. 14. epiſt. 61, & lib. 7. ind. 1. epiſt. 32; aut Epiſcoporum cauſſas per

ſe

ſe finit, eorumdemque Synodo finiendas Clericorum permittit lib. 10. ind. 5. epiſt. 8, 32, & 34. In Epiſcopos Hiſpaniæ, quorum aliquos loco movet, alios pœnis aliis mulctat, & afficit lib. 11. ind. 6. epiſt. 50, & 53. In Epiſcopos Galliarum, ex quibus aliis quidem vices ſuas defert lib. 4. ind. 13. epiſt. 51, 52, & 53; alios dignitate adauget lib. 7. ind. 1. epiſt. 112; alios de corrigendis abuſibus inſtanter admonet lib. 9. ind. 4. epiſt. 48, 49, 50, 54, 55, 57, & 64. In Epiſcopos Angliæ, quibus Eccleſias Cathedrales erigi curat lib. 12. ind. 7. epiſt. 15; quoſve de Eccleſiæ Romanæ diſciplina, ritibuſque diligenter inſtruit lib. 9. ind. 4. epiſt. 58, & 71. In Epiſcopos Dalmatiæ, quibus nunc jus dicit, ac minas intentat lib. 1. ind. 9. epiſt. 19, & lib. 2. ind. 10. epiſt. 14; nunc electiones ſuſpendit, electos projicit, & eligentes plectit lib. 3. ind. 12. epiſt. 15, & 20; nunc de electionibus cognoſcit, eaſque ad ſe mitti pro confirmatione jubet lib. 2. ind. 11. epiſt. 22, 35, & 38. In Epiſcopos Corcyræ, quorum ſententiam calculo ſuo comprobat, veluti ſacris Canonibus conſonam lib. 12. ind. 7. epiſt. 2, & 8. In Epiſcopos Illyrici, quibus præcipit, tum ut delegato Apoſtolicæ Sedis obedientiam dependant lib. 4. ind. 14. epiſt. 9; tum ut reprobatos ab Apoſtolica Sede procul ab ſe repellant lib. 5. ind. 14. epiſt. 26, & 48; tum delatas ad ſe cauſsas ab iis cognoſcendas remittit lib. 10. epiſt. 33. In Epiſcopos Græciæ: ex quibus Thebani appellationem admittit, irritumque declarat judicium Epiſcopi primæ Juſtinianæ lib. 2. ind. 2. epiſt. 6; Thebanam Eccleſiam a Lariſſenſis juriſdictione eximit epiſt. 8; Epiſcopo primæ Juſtinianæ vices ſuas impertit lib. 4. ind. 13. epiſt. 15; Epiſcopum Corinthi Pallio condecorat epiſt. 55; eique ſubmiſſos eſſe juber Epiſcopos Provinciæ Helladenſis epiſt. 56; Epiſcopo Epiri privilegia tribuit, propitiumque ſe exhibet lib. 5. ind. 14. epiſt. 7. Epiſcopo Conſtantinopolitano obediendi Romano Pontifici onus incumbere plus vice ſimplici oſtendit lib. 2. ind. 11, epiſt. 52, & 64, lib. 5. ind. 14. epiſt. 14, & ſeqq., epiſt. 36, & 60, & lib. 7. ind. 2. epiſt. 63, & 64; ejuſdem vero ſuperbiam, qua ad ſuperiorem gradum aſcendere, Univerſaliſque titulum uſurpare audebat, non ſemel corripuit, & compreſſit lib. 4. ind. 13. epiſt. 32, 34, 36, 38, & 39, & lib. 6. ind. 15. epiſt. 28, 30, 31, & 37.

Alexan-

Alexandrinum Epiſcopum de Sedium præeminentia edocet, deque officio adimplendo admonet lib. 6. ind. 15. epiſt. 37, & lib. 11. ind. 6. epiſt. 49. Quibus perinde partibus apud Antiochenum defungitur lib. 4. ind. 13. epiſt. 36, lib. 6. ind. 15. epiſt. 24, & lib. 7. ind. 2. epiſt. 48. Confer Emin. Baronium ad an. 590. uſque ad an. 604, ubi horum longe plura habet cumulatiſſima.

Poſt quæ tam liquida ſupervacaneum videri poſſet alia in hanc rem adhuc conferre: quamquam, ſi gravate non feras, neque huic labori parcam, quin tamen perſequar omnia, ſed potiora dumtaxat obiter perſtringendo. Ingreſſus itaque in S. Gregorii veſtigia Bonifacius II. Cyriaci Epiſcopi Conſtantinopol. faſtum a titulo *Univerſalis* temperare ſibi neſcientis, Phocæ opera adhibita, compeſcuit, referente Paulo Diac. lib. 4. cap. 11. Honorius, in quem adeo illiberaliter non tam ipſius, quam Romanorum indiſtinctim Pontificum hoſtes indignantur, Iſacio Ravennati Exarcho auctorem ſe dedit, ut puniendos Romam mitteret Præſules Ciſalpinos, quorum favore factum fuerat, ut Adalvaldo Catholico Rege detruſo, ad ejuſdem ſolium elevaretur Ariovaldus Ariana pece inquinatus Princeps, apud Baronium ad an. 626. pag. 279. edit. Rom. 1599. Fortunato Patriarcha Gradenſi ob hæreſim dejecto, ejus in locum ſubrogavit Primogenium: qua de re datas litteras ad Epiſcopos Venet., & Iſtriæ ex Chronico Mſ. Andreæ Danduli Baronius deſcribit ad an. 630. pag. 299; qui ad an. ſeq. duos ab Honorio Scotis ordinatos Epiſcopos commemorat, non ſecus atque ad an. 633. ex V. Beda lib. 2. cap. 19. litteras indicat, quibus Scotos Epiſcopos erroris in celebrando Paſchate coarguebat: cui errori perinde e Scotia eliminando ſedulo incubuit Johannes IV. apud V. Bedam præcit. loco. Quamvis graviſſimo premeretur Saracenorum jugo Palæſtina, hæreſumque incendio Hieroſolyma conflagraret, a quonam alio quæſitum exundantibus malis remedium, quam a Romano Pontifice Theodoro, ad quem proficiſci ab Epiſcopis Palæſtinæ juſſus Stephanus Dorenſis, rogaturus, ut pro ea qua ubique poteſtate vigebat, hæreticos pſeudo-Epiſcopos ab Eccleſiis, quas in Palæſtina occupaverant, procul expelleret, legitur in Synodo Later. ſub S. Martino I. ſecret. 2.? Jam neminem latet terribilis ſententia, qua idem Theodorus

dorus geminos illos hæreticos, qui jamdiu Eccleſiç Conſtantinop. incubabant, Pyrrhum, & Paulum confodit, & confixit. Qui ejus in vices e veſtigio ſucceſſit, S. Martinus l. robuſtæ mentis indefeſſo induto robore, litteris, & legationibus ad omnem chriſtianum Orbem luſtrandum confeſtim ſe convertit, converſa præſertim ad Epiſcopos cura, lapſos erigens, ſtantes confirmans, perfidos damnans, adverſantes redarguens, errantes admonens, forteſque conſolidans, veluti loquitur Emin. Annalium Eccleſ. parens. Ex his hæreticos ab hæreticis admotos Eccleſiæ Antiochenæ Macedonium, Alexandrinæ Petrum, & Theſſalonicenſi Paulum Sacerdotiis, chriſtianiſque Sacris interdixit epiſt. 5, 11, 12, & 13. Imperio haud impari uſus S. Vitalianus Petro Conſtantinopolit. ſalutarium monitorum aſſiduum ſe dedit: Paulum Cretenſem extra juſti, æquique metas excurrentem coercuit epiſt. 1: Mauro Ravennati ſuperbam, quam contra ſe erigebat frontem, confregit, ac Sacerdotii, quo indignus erat, inſignia detraxit, ut habet Rubeus hiſt. Raven. lib. 4. De jure exercito in Epiſcopos Angliæ a S. Agathone, S. Sergio I, & Johanne VI; Hiſpaniæ a SS. Leone II, Benedicto II, & Leone III; Germaniæ a S. Gregorio II, a quo præterea Anaſtaſium Patriarcham Conſtantinopolit. Sacerdotio exſpoliatum denarrat Anaſtaſius Bibl., a SS. Gregorio III., & Zacharia; Galliæ a Gregorio IV, Sergio II, & S. Nicolao I; Italiæ a Stephano III, & Hadriano I; & Græciæ ab ipſo Hadriano, S. Paſchali I, ad quem legenda S. Theodori Studitæ epiſt. 12. lib. 1. apud Sirmondum tom. 5, a S. Nicolao I, Hadriano II, Johanne VIII, & Stephano V. data opportunitate alibi jam ixiſſe me memini.

Producto ad ſæculum IX. ſermoni infigendus eſt clavus, qui prolixior ut eat, non amplius eſt opus, ſiquidem hinc inducta obtinere diſciplina cœpit, veluti ſcite obſervat Cl. Thomaſſinus par. 1. lib. 1. cap. 48. n. 11, ut de criminalibus Epiſcoporum cauſſis primum judicium, ſive in prima inſtantia, veluti vocant, Romano Pontifici reſervaretur. Reſervationis porro iſtius quæ cauſſa fuerit, late eodem loci vir doctus exponit, rite demonſtrans eam haud refundendam in Pontificum Romanorum cupiditatem, qua ſua non creverint auctoritate, niſi detrimento alienæ, neque niſi

breviorem in gyrum redacto alieno jure, ſuummet conſuetas extra metas amplificaverint. Reſervationi vero cauſſam primi dediſſe profecto videntur Galliarum Præſules, ex quo tum inter ipſos æmulatione exorta, conflagrare invicem odiis cœpere, & alter in alterius vindictam intendere, tum in Romanum Pontificem inſurgendi libido inceſſit, temereque de poteſtate aut in eum diſtringendi, aut cum eo diſputandi. Ergo Gregorius IV. ſuomet experimento edoctus, dum in Galliis diverſaretur, tum ad commiſerationem S. Aldrici Cenomanenſis ignominioſe a Comprovincialibus ſuis divexati commotus, data anno 839, aut ſeq. graviſſima ad Epiſcopos Galliæ, Germaniæ, univerſæque Europæ epiſtola, ex qua complura Gratianus in ſuam Decret. Collectionem intulit, quamque ex Mſs. Cod. Vatic., & S. Mariæ ſuper Minervam deſcriptam exhibet Baronius ad an. 839. n. 2, & ſeqq., & poſt ipſum Sirmondus tom. 2. Concil. pag. 569, fruſtra vero inficiatur Cointius ad an. 839. n. 36, & ſeqq., ab Aldrici cauſsa definienda eos abſtinere diſtricte præcepit: *Sed ſi quod grave, intolerandumque ei objectum fuerit, noſtra erit expectanda cenſura*: generatim deinde graviores Epiſcoporum cauſsas ad Apoſtolicæ Sedis Tribunal deferendas eſse affirmans: *Quum nulli dubium ſit, quod non ſolum Pontificalis cauſatio, ſed omnis etiam Religionis relatio ad Sedem Apoſtolicam, quaſi ad Caput Eccleſiarum, debet referri, & inde normam ſumere, unde ſumpſit exordium, ne Caput inſtitutionis videatur omitti, cujus auctoris ſanctionem omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apoſtolicæ Petræ, ſuper quam Chriſtus Univerſalem fundavit Eccleſiam, ſoliditate divelli.* Non moror autem Petrum de Marca lib. 7. cap. 21, aut Baluzium in præfat. ad Gratian., quibus pugnantibus Synodorum Provincialium rata, fixa, inconcuſſaque ſtare judicia ſatis, ſuperque opinor, offendi. Epiſcoporum depoſitiones Apoſtolicæ Sedi reſervandi alteram occaſionem dedit S. Nicolao I. Rothadi Sveſſ. reſtitutio, cui obfirmata fronte refragantibus Gallis Epiſcopis ex adverſo offendens infracta animi fortitudine Pontifex, data graviſſima epiſtola 40. deſcripta a Baronio ad an. 865. n. 11, & ſeqq., pluribus diſputat de veterum Pontificum Decretalibus, quarum autographiam, auctoritatemque illi explodebant, ex quibus depoſitiones Epiſcoporum inter ma-

jores

jores cauſſas reputandas Apoſtolicæ Sedi reſervatas concludit, definitque: *Inter BB. Apoſtolos*, S. Leonis verbis incipiens, *in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & quum omnium par eſſet devotio, uni tamen datum eſt, ut ceteris præemineret. De qua forma Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio; & magna ordinatione proviſum eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent* &c. Quibus præmiſſis ſic pergit: *Quomodo non omnes vobis omnia vendicatis, qui judicia Epiſcoporum, quæ merito inter majora numerantur negotia, veſtræ deliberationi tribuiſtis? An modicum vobis eſſe videtur Fratres, & Coepiſcopos veſtros, præter Apoſtolicæ Sedis conſenſum, depoſitioni ſubjicere? Quod ſi damnationes Epiſcoporum non inter majora negotia dinumeratis, quorum jam cauſſas inter majora computatis negotia? Quomodo... ad unam Petri Sedem univerſalis Eccleſiæ cura confluit, qui de majoribus deponendis Epiſcopis nihil ad ejus notitiam deferri curatis &c.* Quam ſubinde præclaram ſententiam pluribus congeſtis ex germanis utique epiſtolis SS. Innocentii, Gelaſii, & Bonifacii locis confirmat. Ex quibus adparet ſcite a Baronio obſervatum a Collectione Iſidori conſulto eum abſtinuiſſe, velut ab adventitiis, quibus non egeret Eccleſia, ex iiſque dumtaxat adhibuiſſe documenta, de quibus in Eccleſia nunquam fuerat dubitatum. Qui ſi generatim pariter veterum Pontificum Decretales indifferenter laudavit, quæ poſtea in Decretum Gratiani receptæ ſunt, in hoc quod facti erat, & hiſtoriæ, probe excuſatione dignus oſtenditur a Papebrochio in Conatu Chron. hiſt. n. 107, quod ita tunc ferret temporis opinio, nemoque eſſet, qui de iis dubitaret, ac litem intenderet. Præſtat & legere ipſius epiſtolam 8. edit. Hard. ad Michaelem Imp., ubi octo Patriarchas ex una Conſtantinopolit. Eccleſia dinumerat a Romanis Pontificibus depulſos: quibus adjungendus Photius ab ipſo depoſitus.

Porro antehac Gallicanis Epiſcopis indubium fuiſſe, quin dejectis Epiſcopis intercipi nequiret jus appellandi ad Sedem Apoſtolicam, ad quam perinde Metropolitarum judicia deferenda forent, liquido patet ex epiſtola Hincmari ad eumdem Pontificem apud Flodoardum lib. 3. cap. 13, & Baronium ad cit. an. n. 34, & ſeqq. Poſthinc in Gallias pariter a S. Nicolao inducta eſt diſcipli-

na, ut Episcoporum causſæ etiam in prima instantia Romano Pontifici reservarentur; utque induceretur, locum dederat ipsemet Hincmarus, qui plurimis Episcopis in partes tractis Rothadum deposuerat, ejusque depositionem præfracte defenderat. Quam perinde disciplinam, etsi difficiliter invectam, pedetentim obtinuisse, radicesque defixisse argumento sunt Decretales Cap. *Majores* de Baptismo; Cap. *Omnes* 2. Q. 6; Cap. *Multis* distinct. 17; Cap. *Dudum* 3. Q. 6; & Cap. *Inter Corporalia de Translatione Episcop.*, ubi Episcoporum judicia ad Apostolicam Sedem omnino deferenda esse decernitur: Decretum vero, & Decretalia idem jus Gallicanæ, quod Ecclesiis ceteris, tradiderunt, atque in Gallia, peræque ac gentium ubique, viguerunt. Documento præterea sunt Pragmatica Sanctio, & Concordata Bononiensia titulo 5. de Causſis, ubi majores causſæ Romano procul dubio reservantur Pontifici. Postremo confluunt in hanc sententiam ex Gallis Jurisperitis Durandus Mimat. in speculo juris par. 1. tit. de Legatis; Rebuffus in tract. Concordat. rubr. de Causſis; & Puteanus in probat. libert. Eccles. Gallic. cap. 38, majores causſas ab Episcopis nec cognosci posse, nec decidi propugnantes, sed soli Pontifici reservari. Hanc ipsam disciplinam in Bulgariam, postquam confirmassent in Gallia, inferre curarunt, integramque custodire Hadrianus II, & Johannes VIII. Bulgaris recens ad fidem convetsis primum Episcopum Silvestrum nomine præfecerat Hadrianus, non Matinum, quem Rex postulaverat, ut in ipsius vita Guillelmus Bibl. habet: quum vero pulso Silvestro, Bulgaris Episcopum alterum sufficere ausus fuisset S. Ignatius Constantinopol. inque jus Bulgariæ irrumpere, gravissimis litteris non absque minis ab utroque Pontifice deterritus est, & prohibitus. Georgium præterea Acridæ Episcopum Johannes VIII. epist. 21. edit. Hard. ad Michaelem Bulg. acriter exagitavit, quod Sergium quemdam multis irretitum flagititiis Belogradensem ordinasset Episcopum, quem ideo gradu ab se depositum Regi denuntiat. Sed & idem Pontifex Methodium in Pannonia Episcopum apud se experiri judicio jussit epist. 90, & Sfentopulcro gentis Principe petente Wichinum Nitrensi præfecit Ecclesiæ epist. 107. Inlatæ, jamdiuque in Italia invalescentis disciplinæ istius splendidum dedere experi-

perimentum Anſpertus Mediol., Athanaſius Neapolit., & Romanus Raven. dignitate ab eodem Johanne dejecti epiſt. 102, 116, & 122; nec non Ethelbertus, quem ab Eccleſia Ravennate a Benedicto VIII. depulſum tradit Ditmarus lib. 1. Eamdem diſciplinam in Eccleſiam Africanam intuliſſe legitur S. Leo IX. epiſt. 3, & 4. *Hoc*, inquiens, *nolo vos lateat, non debere præter ſententiam Romani Pontificis... Epiſcopos damnari, vel deponi*. Mitto cetera, quæ eódem recidunt, ut brevitati conſulam, neve moleſtior, quo longior, evadam.

Nec vero refert, quidpiamque faceſſit negotii, quod obtudit Baſnagius ad annum 536. ex dejectione quorumdam Patriarcharum e ſolio Conſtantinopolit. peracta a Romanis Pontificibus horum Primatum ſupra illos haud rite concludi: etenim & Timotheum Ælurum ab Alexandrino Throno dejecit Anatolius, ab eodem itidem Moggum, & ab Antiocheno Cnaphæum deturbavit Acacius: quin propterea Primatus jura Conſtantinopolitano Præſuli ſupra Alexandrinum, & Antiochenum ſint adſtruenda. Vetum latum diſcrimen intercedit, ac diſpar ratio, quam dilucide pridem, ac diffuſe oſtenderunt SS. Gelaſius, & Nicolaus I. Diſtinguendum eſt jus a facto, cujuſmodi ex confuſione deceptus Baſnagius voluit decipere. Quod ad jus attinet, in prædones illos ab uno Pontifice M. exerendum erat: atqui facto erat opus, quo a pervaſis Eccleſiis iidem propellerentur: poſtremam hancce provinciam, ſive ſententiæ executionem cum Anatolio, & Leoni Aug. S. Leo M. epiſt. 126, & 128. edit. Queſnelli, tum Acacio, & Zenoni Imp. S. Simplicius epiſt. 8, & ult. edit. Labbæi tom. 4. pag. 1039. demandaſſe, & commendaſſe leguntur. Quis hinc probe non videat Patriarchis ceteris poteſtate Romanum Pontificem longe præſtare? At hæc videre impudentiſſimus Sycophanta dettectavit, ut hunc cum illis ad parem auctoritatis gradum impune detrudetet. Quorſum autem quidam alii, quam in hoc genere Eccleſiaſticorum judiciorum Pontificibus ſummis facile ſupra Patriarchas deferunt, poteſtatem infra Provinciales Synodos poſtea deprimunt, a quibus Metropolitarum judicia pendere ita pugnant, ut hinc prolata, & definita fruſtrandi deinceps, infringendique pars nulla juris Pontificibus inſit? Hanc nobiliſſimæ

mæ politiæ ſpeciem a priſca ad devexiorem ætatem in Gallias obtinere, neve obſoleſceret unquam, Gallicanam Eccleſiam ſollicitudine quammaxima jugiter incubuiſſe: itaque repetitis inſtantiis, atque ſalutaribus decretis a Conciliis Gallicanis cautum fuiſſe, conſultumque, ut Metropolitarum cauſſæ Synodorum Provincialium ſententia finirentur, poſt quam alter refugii non pateret aditus: ita ab Aurelianenſi III. Can. 4; ita ab Aurelianenſi V. Can. 17; ita ab Arvernenſi II. Can. 16. Quid imo, ſubjungunt Apoſtolicæ Sedis oſores, qui præ ingenio præpoſtero obtrectandi, per devia rapi, extraque veritatis rectam per obliqua abripi ſe permittunt, quid, inquam, quod juri deponendi ſimplices Epiſcopos, intento a nobis nervo uni Pontifici M. adjudicato, obſtant quammaxime ſacri Conciliorum Canones, quibus Epiſcopos ſemper dijudicari in Synodis debere proſpectum vice plus ſimplici, & præſcriptum eſt, veluti etiam a nobis vel nolentibus viſum eſt, & alio in loco relatum, cui diſciplinæ profecto Gallicanam Eccleſiam indivulſe, pro inſito ſibi propoſito haud diſcedendi a privatæ legibus politiæ, jugiter adhæſiſſe jam nemo ignorat?

Atqui fruſtraneo deſudant labore, operamque fruſtra ludunt, qui ad hæc intendunt, atque hiſce contendunt; in quibus vim ineſſe nullam vel ut ipſi ſentiant, ſi tamen ſenſus inſit, ſic efficio, quod factu plane eſt perquam facile. Principio quidem non diffitear olim quandoque in Galliis Metropolitanorum cauſſas in Synodis Provincialibus diſcuſſas fuiſſe, ac dijudicatas: Eam tamen diſciplinam, (de nova non loquor ex Pontificum indulgentia procul dubio inducta, de qua jam dictum), temporum calamitati deberi, quo nunc ſub barbarorum Regum jugo Gallicana Eccleſia gemebat; nunc Gothorum, ac Langobardorum incurſionibus non tam divexata, quam devaſtata miſerum videbatur in modum; nunc reciprocis Regum cladibus, belliſque civilibus conflictabatur, & conflagrabat, de quibus adeundi Sidonius Apollinaris lib. 7. epiſt. 6. ad Baſilium, & S. Gregorius Turon. lib. 2. cap. 25, & lib. 4. capp. 47, & 48, unde Epiſcopis e Regno egreſſu interdicto, ne Metropolitarum crimina impunita remanerent, Synodorum Provincialium judicio fuerant ſubjicenda, ut ea quam ferret iniquitas temporis, ratione Eccleſiaſticis rebus conſuleretur.

retur. Significavit id non abſque dolore S. Avitus Vien. in epiſt. ad Fauſtum, & Symmachum Senat. ſuo, Galliæque Epiſcoporum nomine exarata: *Primum*, inquiens, *fuerat talis ſtatus rerum deſiderandus, ut ipſi per nos Urbem Orbi venerabilem pro dependendis divinis, humaniſque expeteremus officiis. Sed iſtud jamdudum per rationem temporum fieri poſſe ceſſavit ..... Sed hujus nos voti compotes reddit Provincia præfixis Regnorum determinata limitibus* &c. Cæterum antehac judicia in Metropolitanos in prima etiam inſtantia, velut ajunt, atque in Gallia utique exercuiſſe Romanos Pontifices Eccleſiaſtica pleraque monumenta manifeſte produnt. Nam Proculum Maſſilienſem in Provinciam Narbonenſem 2. jus Metropoliticum extendentem coercuit S. Zoſimus, locoque abegit epiſt. 7, 10, & 11. Scitum eſt, quam diſtricto in S. Hilarium Arelat. jure S. Leo M. animadverterit. Leontio Arelat. epiſt. 7. graviſſime ſuccenſuit S. Hilarus, quod Hermetis Narbonenſis exceſſus ad Apoſtolicam Sedem corrigendos deferre neglexiſſet: Hermetem vero caſtigavit ab Epiſcoporum ordinationibus amovens ep. 8. Ad hæc S. Mamertum Vien. alienæ Provinciæ jura invadentem in ordinem redegit epiſt. 9. S. Symmachus Æonio Arel., & Heſychio Vien. epiſt. 1, & 2. diem dixit, quo Romam pet Vicarios ſuos cauſsam dicturi, de qua jamdiu, multumque contendebant, ſuum in conſpectum venire deberent. Poſtquam autem Carolus M. Gallicanam Eccleſiam priſtinam in libertatem aſſeruit, Sedi quoque Apoſtolicæ ſua reſtitnit integra jura, ac per eumdem deinceps Romanis Pontificibus licuit in Galliarum Metropolitas jus diſtringere. Propterea dum ab Hadriano I. privilegia Remenſis Eccleſiæ inſtaurari curavit, id itidem cautum valdequam voluit, ne Remenſis Antiſtes coram altero impoſterum, præter Romanum Pontificem, ad judicium ſubeundum compelleretur. Hadriani de hac re Diploma refert Flodoardus lib. 2. cap. 17: cujuſve rei exemplum alibi dedimus in Ebbone Remenſi. Præterea Ludovicus Pius Gradenſem Antiſtitem læſæ Majeſtatis quamvis reum, Romam ab Eugenio II. dignas ſubiturum pœnas remiſit, teſte Eginhardo ad an. 824. Denique poſtea quam in Galliis, ita exigente in deterius collapſa Eccleſiaſtica diſciplina, Primatus a Rom. Pontificibus inſtitutus eſt, tum primum Epiſcopis

copis integrum fuit, ac fas Metropolitas ſuos apud illum vocare in judicium, veluti liquet ex lib. 7. Capitul. cap. 241.

Quamquam nec diu hujuſmodi politia viguit, quandoquidem graviſſimæ inſtiterunt cauſſæ, ut cauſſæ univerſæ Epiſcoporum graves Romanam ad Curiam retraherentur, uti jam ſuperius inſinuatum eſt. Inſtitit diſciplinæ huic a deceſſoribus ſuis non tam inductæ, quam inſtauratæ, veteri jure uſus Johannes X, qui epiſt. 3. ad Epiſcopos primæ Narbonenſis conſcripta apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 557. ab Eccleſia Narbonenſi Geraldum pervaſorem expulit, locoque votis legitimis ſuffectum Agapium confirmavit, & Pallii honore adauxit. Ab Agapeto II. a Remenſi Eccleſia abdicatus eſt Hugo, quem ab eadem viciſſim dignitate abegit Johannes XII. Summo jure ſuo agendi cum pervaſore iſto Pontifici neceſſitas incubuerat: circa eum enim diviſa Epiſcoporum ſtudia, enitentibus aliis, aliis renitentibus, ne ad locum Hugo regrederetur, eò devenerant, ut Synodi communi ſuffragio ad Romanum Pontificem cauſſa dirimenda fuerit delata. Viden, ut talia incidant tempora, quibus velint, nolint, Pontificum jus invocare cogantur iidem ipſi, quorum ingenium fuerat Pontificio juri refragari, intraque breviores, quas poſſent, anguſtias, conſtringere! Ita Flodoardus, & Hugo Flavin. in Chron. Meldenſis Synodi an. 962. Acta deſcribentes, atque ex ipſis Harduinus tom. cit. pag. 625, & ſeqq. Juvat ad hæc confirmanda agendi ratio, quam erga Gallos Epiſcopos retinendam duxere Johannes XV, & Gregorius V. Arnulpho Remenſi perduellionis in Hugonem Regem accuſato in Synodo Remenſi dicta eſt dies, ac Synodica miſſa Johannes XV. admonitus, a Regeque rogatus, ut auctoritate ſua Arnulphum comprimeret, aut deponi permitteret. Aut negligente Pontifice, aut Hugone morarum impatiente, gradu detruſus eſt Arnulphus, eique ſubrogatus Gerbertus: quo accepto Johannes ſacris interdixit Epiſcopis omnibus, qui Synodo interfuerant, ac Leone legato miſſo alteram Synodum anno 995. cum Moſomii, tum Remis habuit, in qua Gerberto depulſo, Arnulphus redintegratus eſt. Hugo nihiloſecius Arnulphum in carcere detinuit, donec Gregorius V. habito Ticini Concilio, veluti colligitur ex altero Romano celebrato anno 998. in ſuppl. Manſii, Arnulphum

phum ſuæ reſtituit Sedi, & a Roberto tum in Galliis regnante dimitti non abſque minis obtinuit. Confer acta in hac cauſſa apud Aimoinum in vita S. Abbonis Floriac. capp. 11, & 12, & apud Harduinum tom. 6. Concil. par. 1. pag. 729, & ſeqq. Ex quibus inferre licet vel contranitentibus Gallicanis Synodis Romani Pontificis auctoritatem in Metropolitarum cauſſis plurimum valuiſſe, neque potuiſſe, ſicuti volebant tunc, ſic etiam nunc, ſacrorum Canonum intra cancellos ita conſtringi, quin ampliſſima Pontifex auctoritate liberrime pro libitu uteretur. Qua pariter uſus S. Gregorius VII. Manaſſem Remenſem Archiepiſcopum e dignitate Sacerdotali depoſuit, ut ipſemet denuntiavit lib. 7. epiſt. 20, & lib. 8. epiſt. 18, 19, & 20. Pari ab eodem Pontifice ſententia damnati Herimannus Viennenſis in Synodo Rom. III, & Petrus Narbonenſis Eccleſiæ pervaſor leguntur in Synodo Romana VII. anno 1080. cap. 3. Confer Apologeticum Synodi I. Romanæ cap. 22. apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 1547.

Qui ſi ad Regiones alias reflectimur, diſciplinæ hujuſce documenta urgere ſe ſe undique adeo magna turba reperiemus, ut haberi delectus, locuſque dari vix poſſit. Dandus principio tamen S. Damaſo, qui e Synodo Romana epiſtola ad Gratianum, & Valentinianum Imperat. exarata auctorem ſe dedit, ut Metropolitas Romam, aut ad eos, quos Romanus Epiſcopus Judices deſignaſſet, contendere abſque dilatione judicium ſubituros juberent. Poſt hunc pauca ex innumeris in aciem inſtruam, quæ ultro ſe offerant, nullo diſcrimine adhibito, ordineque ſervato. S. Gregorius M. lib. 7. epiſt. 8. Sardiniæ Epiſcopos admonet eorumdem Metropolitam nonniſi apud Sedem Apoſtolicam fuiſſe accuſandum, experirique in judicio oportere. Huic diſciplinæ hærebat adeo tenaciter, ut neque ad Mauritii Imp. repetitas preces infracti animi Pontifex Maximus Salonitanum alterius judicio, præter Pontificium, ſubjacere unquam ſit paſſus. Aribertum Mediolan. Antiſtitem Benedicto IX. inter legitimos proculdubio Pontifices dinumerando juſtas perduellionis dediſſe pœnas refert Echardus in Annal. Saxon. Viciſſim Alexander II. ab eadem Eccleſia Gothofredo depulſo Athonem ſuffecit, S. Gregorio VII. teſte lib. 1. epiſt. 15. Sed & Stigandum Cantuarienſis Cathedræ invaſorem de-

jecit in Synodo Wintonienſi anno 1070, ſuffecirque loco S. Lantfrancum, veluti referunt Rogerus ad hunc annum, & Ordericus Vitalis lib. 4, quin ipſemet Lantfrancus in epiſt. ad eumdem Pontificem. Ex S. Gregorio VII. multo plura hujuſce poteſtatis experimenta depromere liceret, pauca hæc accipe, ex quibus cetera intelligas. Lib. 1. epiſt. 12, 15, 26, & 27. Athoni confirmato Mediolanenſi Archiepiſcopatu, Gothofredum ejuſdem pervaſorem diris cunctis devovit. In Synodo Romana III. Sigefridum Mogunt., Willelmum Traject., & Robertum Bamberg. Sacerdotio exuit, & in Synodo VII. ab Eccleſiis Mediolanenſi Tedaldum, & Ravennate Guibertum amovit, eadem in criminis ſocios Arnulphum Cremon., & Rolandum Tarvic. extenſa pœna. Pari vindicta animadvertit in Lemarum Bremenſem lib. 1. epiſt. 28, & in Herimannum Bambergenſem epiſt. 76, & lib. 3. epiſt. 1, 2, & 3. Præbuit haud obſcura poteſtatis hujus argumenta Paſchalis II. erga Florentinum, Gualenſem, & Rotomagenſem Epiſcopos epiſt. 88, 95, & 97. Idem ſummum jus redolent Innocentii II. epiſtolæ 4, 6, 8, & 46. minarum plenæ in Eccleſiarum Præſules inobedientes. Confer acta præterea in Concilio Piſano apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1197. Eugenius III. Eboracenſi ab Eccleſia Willelmum ejecit, Henrico ei ſuffecto. S. Thomam Cantuar. a ſuis Suffraganeis in judicium vocari, nec in Synodo judicari potuiſſe, ſed id pertinere ad ſe ſcripſit Alexander III. lib. 1. epiſt. 49. inter editas a Chriſtiano Lupo. Huic ſimile argumentum vexant Cæleſtini III. epiſtolæ 2, & 5. edit. Harduini loco cit. pag. 1912, & ſeqq. Sed hæc ſatis eſt deduxiſſe ad ea uſque tempora, quibus Summorum Pontificum Decretalibus firmata hujuſmodi politia firmiſſima in Eccleſia evaſit.

Neque cum politia hacce nova pugnat vetus, quoad Epiſcoporum depoſitiones attinet, juxta quam eædem peragi in Synodis Provincialibus ſolebant. Procul equidem dubio ſiquidem jure divino uni D. Petro, ejuſque ex aſſe ſucceſſoribus Rom. Pontificibus juriſdictionis Primatus in Eccleſia univerſa, vel ipſo Maimburgo in tract. de prærog. Eccleſ. Rom. cap. 4. fatente, collatus fuit, juriſdictionis appendix iſtius, ac pars non exigua Epiſcoporum cauſſas, gravioreſque quammaxime, judicandi erat. At quia iis

iis omnibus judiciis perſemet exercendis par eſſe vix poterat Romanus Pontifex, nihil mirum, quod ut Eccleſiarum bono facilius, promptius, & opportunius proſpiceretur, ab ipſis Pontificibus juriſdictionis hujuſce particula Synodis Provincialibus commiſſa fuerit, ultroque permiſſa: donec novis emergentibus cauſſis eamdem denuo ad ſe retraherent. Quamquam ſub ea, & ſequiori deinceps ætate ab eodem perſemet exercendo jure Pontifices ipſi nunquam deſtiterint, quemadmodum infinita propemodum exempla nos docent, atque ex prælibatis adparet, quibus nunc pauca ſi adhuc ſubtexam, gravate, ſpero, pro liberalitate ſua lector non feret. Ergo Britonum Epiſcopos ſimoniaca labe conſpurcatos Romam in judicium accerſitos, ac culpam ultro confeſſos, moderate objurgatos, ad ſuas remiſiſſe Sedes S. Leo IV. legitur in vita S. Convojonis Abb. apud Mabillonium par. 2. ſæculi IV. Bened. Argrinum Lingonenſem Antiſtitem, quem pravorum hominum fraudes, & perſecutio a ſua ſecedere Sede compulerant, Clerus, Populuſque ſibi reſtitui apud Johannem IX. ſupplicaturus appulit, litteraſque ex Labbæo ab Harduino deſcriptas tom. 6. par. 1. pag. 479. facile impetravit, quibus Argrino integrum manere locum imperabat. Earumdem vero executio quum ad annum 900. fuiſſet dilata, Benedictus IV. repetitis viciſſim litteris ibidem legendis pag. 493. adimpleri demum mandata Apoſtolica obtinuit. Anno 920. a Clero, Populoque Tungrenſi electus Epiſcopus fuerat Richerius, cui tamen Eccleſiæ Henrico I. Germaniæ Rege favente Præfectus eſt Hilduinus Abbas Prumienſis, ab Herimanno Colonienſi ordinatus. Re ad Johannis X. tribunal delata, juſſit Herimannum, una cum Hilduino, & Richerio, Apoſtolicæ Sedis comparere conſpectui. Ergo Richerio jus evindicatum eſt, quem ab ſe met conſecratum Tungrenſi admovit Eccleſiæ, exinde ſubmoto Hilduino, in quem imo anathematis telum intorſit. Refert hæc Flodoardus in Chron. ad cit. an., liquentque ex litteris Johannis præcit. Harduini romo regeſtis pag. 554. Nicolaus II. epiſt. 2. Bellovacenſem, & Silvanectenſem Epiſcopos ſimoniaca labe, infectos Sacerdotio exſpoliavit. Ab Alexandro II. hanc, aliaſque ob cauſſas gradu dejectos Carnotenſem, Aurelianenſem, Micer-

nium, Sueſſionenſem, Nucerinum, & Santonenſem diſces ex epiſt. 23. edit. Hard., & Regiſtro ibidem pag. 1114.

Pro eo, quo libertatis Eccleſiaſticæ a poteſtate laica vindicandæ conflagrabat, ſtudio, zeloque, quo contra poteſtatis Eccleſiaſticæ pervaſores, temeratores, ac proditores ultorem ſe præbuit, S. Gregorius VII. ab exercendis frequenter Canonicis Epiſcoporum judiciis, defendiſque ab iis gladio, & igne turpiſſimis, quæ tum graſſabantur, ſchiſmatis, ac ſimoniæ maculis non deſtitit. Itaque lib. 1. epiſt. 56, 65, & 67. Catalaunenſem, Raguſinum, & Siſtaricenſem Epiſcopos coram ſe in judicio ſiſti juſſit. Viciſſim lib. 2. epiſt. 2, 3, 4, & 6. Pictavienſi, Pragenſi, & Moravienſi diem dixit, quo cauſſam dicturi Romam accedere deberent. Epiſtola 50. ad Sancii Aragoniæ Regis preces indeflexum ſe præbuit, quove minus ad Epiſcopatum Aragoniæ promoveretur Clericus illegitimis procreatus natalibus, impedivit: epiſt. 54. Dionyſium Placentinum depoſuit, & 56. depoſitionem minitatus eſt Catalaunenſi. In Synodis Roman. II, III, & VI. ſeveram in plures Eccleſiarum Præſules diſtrictionem per ſemet exercuit, quam exercendam perinde in longe plures Legatis ſuis demandavit. Lib. 4. epiſt. 9. Rainerium Aurel. Romam ad ſubeundum judicium vocavit, depoſitionis vero ſententiam tulit in Robertum Carnot. epiſt. 14, & 15, ac in Stephanum Anicien. epiſt. 18, & 19. Epiſcoporum Franciæ, & Burgundiæ cauſſas diſcuſſit, ac diremit lib. 5. epiſt. 17. Ab Epiſcopali officio Parmenſem abſtinuit lib. 6. epiſt. 18; dignitate vero Cenomanenſem detruſit lib. 7. epiſt. 22. Auctor ipſius vitæ apud Papebrochium ad 25. Maji cap. 4. ex duabus epiſtolis, quæ in ejuſdem Regiſtro deſiderantur, ab eodem Pontifice Othonem Conſtantienſem gradu deturbatum fuiſſe demonſtrat. Mitto cetera complura a S. Gregorio egregie geſta, ut locum paucis aliis præbeam: in quibus Eugenius III. Epiſcopis qua Galliæ, qua Hiſpaniæ ſui juris ſummi juſtiſſimum timorem incuſſiſſe legitur in epiſt. 68, 73, 76, 77, & 79. apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1281, & ſeqq. Intentatas ab eodem minas in Bracarenſem innovavit Hadrianus IV. epiſt. 33. Hugonem intruſum in Eccleſiam Sant-Andreanam in Scotia ejecit Alexan-

Alexander III. epiſt. 55, & 56. edit. Harduini, apud quem confer in append. 1. epiſt. 15, ac geſta in Concilio Veneto an. 1177. eodem tom. 6. par. 2. pag. 1665, & ſeq. Depoſitionem Hugonis ratam deinde habuit Clemens III. epiſt. 1. ad Epiſcopos Scotiæ. Ab Honorio III. duos fratres Monaſterienſem Epiſcopum, & Oſnaburgenſem electum de nece S. Engelberto illata delatos, nec ſuſpicionem Canonica purgatione eluentes, gradu fuiſſe detruſos refert Cæſarius apud Surium ad diem 7. Nov. Urbanus IV. ſuis vicibus Turritano Antiſtiti traditis inquiri juſſit in Epiſcopos Sardiniæ, & Corſicæ, quoſque doctrina, aut virtutibus dignitati impares deprehendiſſet, ſibi ſtatim denuntiaret judicium ſubituros. Vide Raynaldum ad an. 1264. n. 29. Tuendi non tam juris proprii, quam puritati Eccleſiaſticæ proſpiciendi zelo inflammatus Clemens IV. in Toloſanum, Ruthenenſem, & Quinqueccleſienſem inſigni ſeveritatis juſtæ exemplo animadvertit: de quo Raynaldus ad an. 1266. n. 37. Poſtulatus judicio Majeſtatis, ſibique paratæ necis a Johane XXII. Geraldus Cadurcenſis, Sacerdotio exutus, ac brachio ſæculari puniendus extremo ſupplicio traditus legitur apud eumdem Annaliſtam ad an. 1317. n. 54. Paulo III, & Gregorio XIII. Colonienſium Antiſtitum par, Hermannus a Weda, & Gebhardus Truſcheſius, ad Lutherum ille, ad Calvinum iſte delapſus, juſtiſſimas hæreſis pœnas dependit: ambobus enim Chriſtiana communio eſt adempta, dignitaſque cum Eccleſiaſtica, tum ſæcularis abjudicata. Adeundi Raynaldus ad an. 1546. n. 103, & ſeqq., ac Thuanus hiſt. lib. 78, & 79. Pari ſupplicio impuriſſimam Calvini hæreſim in 7, aut 8. Galliarum Epiſcopos Pius IV, & S. Pius V. expiaſſe leguntur apud Raynaldum ad an. 1563. n. 133, & 180, Spondanum, Bzovium, Laderchium ad an. 1566, Gabutium, & Pagium in S. Pio V. Pluta non conferam, quæ apud præfatos Annaliſtas facile poſſunt adiri: de quibus omnibus conferendum tandem Concil. Trident. de Refor. ſeſſ. 13. cap. 7, & ſeſſ. 24. cap. 5. Ex his hinc, & illinc corrogatis, indigeſtimque congeſtis illud demum exurgit, omnique ex parte fit evidens ab eodem principio juriſdictionem in Epiſcopos profluere, ex quo privatio ejuſdem procedit. Qui igitur fieri poteſt, ut quidam illud prius inficientur, poſterius iſtud affirment, quin ultrices in Epiſcopos inferri

ferri a Pontifice manus æquanimiter ferant, ut a Pontificiæ exundanti poteſtatis copia in eoſdem derivari particula dicatur impatientiſſime audiant? Age vero experiri juvat, num vel ab invitis extorqueri valeat aſſenſus.

Ex Juriſdictione in Patriarchas, Primates, Metropolitas, & Epiſcopos.

ARTICULUS VIII.

§. I.

DUo ſane diligenter in Epiſcopis ſunt diſtinguenda, Ordo, & Juriſdictio, quorum ex confuſione inter gradus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ diſcernere facile non ſubveniet, quos olim confuſos ab Hæreticis obſervat Tertullianus lib. de Præſcript. cap. 41. Ordinem Epiſcopatus profecto juris eſſe Divini, ſive a Deo immediate eſſe profectum, inſtitutumque; atque Epiſcopos præterea jure Divino ſuperiores eſſe Presbyteris, ſive Divina inſtitutione Epiſcopatum Ordinem eſſe Presbyteratu ſuperiorem, præſtantioremque, lato calamo, eruditoque adverſus Aerium, de quo S. Epiphanius hær. 75, cujus hæreſim ſubinde inſtaurarunt Wicleſus, a quo eamdem hauſit Calvinus lib. 4. Inſtit. capp. 4, & 19, nuperoſque Aerianos Seldenum, Salmaſium, Blondellum, Budæum, Walchium, alioſque Anglos de Presbyterianorum, ſive Puritanorum Secta Proteſtantes erecta fronte propugnant Dominicus de Dominicis Epiſcop. Brixien. lib. de Dignit. Epiſcop. par. 4. pag. 169, & ſeqq. edit. Rom. 1757, Bellarminus lib. 1. de Cleric. cap. 14, Petavius in diſſert. Eccleſ., & in libris de Hierarch. Eccleſ., Morinus de Sac. Ordin. par. 3. exercit. 3. cap. 3, Thomaſſinus vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 50, & ſeqq., Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. IV. diſſert. 44, Iſaacus Habert in Pontif. Græc. pag. 163, Cotelerius in epiſt. S. Ignat., Duguetus Collat. Eccleſ. diſſert. 3, Witaſſius de Sacr. Ord. par. 2. ſect. 3, Mamachius Orig., & antiq. Chriſt. lib. 4. cap. 2. §. 5, cap. 3. §§. 5, & 7, & cap. 4. §. 11., Chardonus de Sacr. Ordin. lib. 2. capp. 1, & 2,

& 2, Berti de Theolog. diſcipl. lib. 36. cap. 11, ſexcentique de Schola Theologi: ex Proteſtantibus quin etiam Angli Epiſcopales Beveregius in Cod. Can. Eccl. primit. lib. 2. cap. 21, Pearſonius in Vindic. Ignat. par. 2. cap. 13, Hammondus de Epiſcop. juribus diſſert. 3. cap. 4, Dodvvellus in diſſert. Cyprian., Thorndicius origin. Eccleſ. cap. 16, Hallus Epiſcop. par. 1. cap. 8, Saravius de diverſis Miniſt. Eccl. gradibus lib. 1. cap. 20, Bilsonus de perpet. Eccl. gubern., Cavæus diſſerr. de veter. Eccl. Anglic. regim., Uſſerius de orig. Epiſcop., Wottonus diſſert. de divinitus inſtituto Clero, Parkerus de Regim. Chriſt. Eccleſ., Pridæus in faſciculo Controv. inter ejus opera Theolog. cap. 4, Binghamus Orig., & antiq. Eccleſ. lib. 2. cap. 1. §. 3, aliique multi. Theologis noſtratibus hoc in dogmate adſtruendo prælnſerant, facemque prætulerant veteres Eccleſiæ Patres, quorum loca præcipua indicaſſe ſat habeo, quæ integra a præfatis Scriptoribus hoc in argumento diligenter verſatis recenſentur.

In hunc itaque cenſum veniunt S. Clemens Rom., qui in epiſt. ad Corinth. Presbyteris Epiſcopos præpoſitos edocet. S. Ignatius, qui in epiſt. ad Magneſ. primo in Eccleſia gradu Epiſcopos ceteris præſidere, Deique locum tenere affirmat; in epiſt. ad Tralian. Epiſcopo ſubjectos eſſe debere tanquam J. Chriſto; neve quidpiam abſque Epiſcopo agere præſumant in epiſt. ad Philadelph. admonet. Confer ejuſdem Acta edita ab Uſſerio, & Ruinartio. S. Polycarpus in epiſt. ad Philipp. ſe primo loco diſtinctim a Presbyteris inſcribit. S. Dionyſius Corinth. apud Euſebium lib. 4. cap. 23. in epiſt. ad Gnoſianos de Pinyto Epiſcopo loquitur, tanquam de homine poteſtatem habente Presbyteros ſuis obſtringendi legibus. Quorum ſimillima habet idem Euſebius lib. 5. cap. 4, & lib. 6. cap. 19. S. Irenæus lib. 3. cap. 3. ex Epiſcoporum nunquam interrupta ſerie invictiſſimum ad hæreticos exagitandos argumentum deſumit, & lib. 4. cap. 26. Presbyteros obaudire Epiſcopis, & obedire debere explicate docet. Refert hinc utraque epiſtola Eccleſ. Vienn., & Lugdun. de SS. Pothino, & Irenæo apud Euſebium lib. 5. cap. 4. S. Juſtinus in Apolog. 1. ſingularem Præpoſitum Chriſtianis eſſe commemorat, cui omnes parere officio ducant. Clemens Alex. lib. 6. Strom. pag. 667. diſcrimen

crimen tam inter Episcopum, & Presbyterum statuit, quam inter hunc, & Diaconum; & lib. 3. Pædagogi cap. 12. in sacris Libris alia præcepta Episcopis data, alia Presbyteris adnotat. Origenes hom. 2. in Jerem. Principatum Ecclesiasticum super Presbyteros constitutum agnoscit. Confer & eumdem, si placet, tract. 1. in S. Matth., ubi docet Episcopos in persona S. Petri potestatis Claves a Christo accepisse. Tertullianus lib. de Bapt. cap. 17. Episcopum Summum Sacerdotem denominat, a quo Presbyteros dependere oportere, ut omnia in Ecclesia sint integra, subjungit, & lib. de Præscript. cap. 32. ex defectu successionis Episcoporum apud hæreticos occasionem hos egregie arripit exagitandi. Quo pariter ariete ad eosdem prosternendos opportune usi sunt Auctor Carm. adv. Marcion. lib. 3, S. Optatus lib. 2, S. Epiphanius hær. 27, & S. Augustinus epist. 53, nunc 165. S. Cyprianus in epist. 11, 27, 55, & 69. Episcopis honorem deberi a Presbyteris admonet; super Episcopos Ecclesiam esse ædificatam; ab Episcopis omnem Ecclesiæ actum gubernari; eosdem in vices ingressos Apostolorum, & a Deo Capita Ecclesiarum fuisse constitutos affirmat. Quæ quo demum accipi sensu debeant, suo dictum est loco. Archelaus Episcopus in Mesopotamia in disput. cum Manete apud Cl. Zachagnium Episcopos inter, & Presbyteros ingens discrimen statuit. S. Athanasius in epist. ad Dracontium Episcopatum distinctim a Christo D. institutum scribit: & in Apol. Ischyram neque Pesbyterum fuisse affirmat, quod a Colutho Presbytero fuisset ordinatus. S. Ambrosius lib. 3. de Sacr. cap. 1. exordium ministerii ducit ab Episcopo, quem Sacerdotem summum denominat. S. Pacianus in epist. 1. Apostolorum nomine nedum Episcopos condecorat, sed auctoritate etiam, sed Christi D. imo induit. S. Optatus lib. 1. loco supra Presbyteros longe honoratiori Episcopos ponit. S. Epiphanius hær. 27. Aerio Episcopis Presbyteros exæquanti propterea infamiæ dicam conscribit. S. Jo: Chrysostomus in Orat. adv. Judæos Vaticinio illo Isaiæ 9. 17. *Ponam Præpositos tuos justitiam* præfiguratos Episcopos fuisse explicat, quos ipse *Præfectos Ecclesiarum* in Orat. de S. Philogonio appellat, Principes Regibus honoratiores in hom. 3. ad Popul. Antioch., Præpositos in hom. 34. ad Hæbr. 13. 17, summamque pote-

poteſtatem habere in Eccleſia perhibet lib. 3. de Sacerd. S. Auguſtinus in epiſt. 82. ad S. Hieronymum Presbyteratu Epiſcopatum præſtare expreſſe tradit: ideo hoc inficiantem Aerium lib. de hær. num. 53. hæreſis nomine traducit. S. Hieronymus in epiſt. 52, alias 2. ad Nepotian. *Eſto*, ſcribit, *ſubiectus Pontifici tuo*; in epiſt. 41, olim 54. ad Marcellam hoc inter Catholicos, & Cataphrygas diſcrimen collocat: *Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent, apud eos Epiſcopus tertius eſt*. Epiſcopos *Stare loco Pauli, tenere gradum Petri*, re petit in epiſt. ad Heliod. In Dialogo adv. Lucif. Eccleſiarum unitatem ab Epiſcopis repoſcit, in quibus juriſdictionis ſummam reponit. In lib. 1. adv. Jovin. Presbyteros inter, & Epiſcopos latum diſcrimen ponit: hos cum Aarone, illos cum Aaronis filiis confert in epiſt. 34. ad Nepot. Penes Epiſcopos Presbyteros conſtituendi poteſtatem ſtare deducit ex epiſt. ad Titum cap. 1. S. Hilarius in ſerm. de S. Honorato plurimo Sacerdotii intervallo a Presbytero diſtare Epiſcopum docet. Plura non opus eſt perſequi, quæ apud prælaudatos Theologos adiri facile poſſunt; a quibus exinde eximium operæ pretium eſt factum oſtendendo fruſtra laboraſſe Presbyterianos, ut SS. Clementem, Chryſoſtomum, & Hieronymum in profligatiſſimi erroris partem raperent: operam perinde luſiſſe, ac perdidiſſe Grotium, ſive Claudium Fontejum in diſſert. de antiquo jure Presbyter. in Regimin. Eccleſ. capp. 7, & 9, ſive Petrum Jannonum lib. 1. hiſtor. Civil. Neapol. cap. ultim., ut ſuaderent demum Epiſcoporum ſuperioritatem inductam ſupra Presbyteros ad exemplum Ethnicorum, apud quos ſive Græcos, ſive Latinos diverſi inter Sacerdotes gradus diſtinguebantur. Recole dicta art. ſuper. §. 1. de Epiſcopis in diverſis Orbis partibus a S. Petro, ceteriſque Apoſtolis Eccleſiarum adminiſtrationi præfectis; ex quibus valdequam confici res iſta poteſt, oſtendique loco profecto ſupra Preſbyteros eminentiori fuiſſe poſitos. At confecta res eſt a Concilio Tridentino Seſſ. 23. de Sac. Ordin. Can. 6, & 7.

Juriſdictionem Epiſcoporum quod nunc attinet, principio impudentiſſime Puffendorfius, a quo procul non abfuit Petrus Jannonus, in Commentat. ſuper Bullam Clementis IX. effutivit Chriſtianam Religionem furtim in Civitates contra ſummarum Poteſta-

tum juſſa irrepſiſſe ; ex Religionis vero Doctoribus præcipuos aſſumpto Epiſcopi nomine primas in chriſtiana plebe ſibi partes vindicaſſe . Refragantur ei etenim facilioris ingenii Proteſtantes ipſi paullo ſuperius indicati divinæ inſtitutionis Epiſcopalem dignitatem eſſe convenientes , ac ipſe met Grotius , ejuſque Commentator Coccejus de jure Belli , & Pac. lib. 2. cap. 22. §. 14. a Chriſto D. poteſtatem omnem Eccleſiaſticam fluere profitentes : ſplendideque demum in verbo ſuo mentitum recenſita mox SS. Patrum teſtimonia revincunt . At mihi cum Heterodoxis nunc res non eſt, ſed cum noſtræ communionis hominibus eſt concertatio . Epiſcoporum ergo juriſdictionem eſſe immediate a Deo plerique quidem pugnant, contra tamen illam immediate a Pontifice Romano proficiſci multa oppido ſuadent , oſtendunt , evincunt . Atque primo ut ad proximam iſtius originem eluctér , propiuſque ad fontem , unde fluit , pertingam , ex S. Scriptura ordiendum mihi , & ordinandum eſt . Si etenim ſacris in Scripturis Eccleſia modo Regno Cœlorum ſimilis dicitur , modo Ovile Ovium nuncupatur , nunc Caſtrorum aſſimilatur Exercitui , nunc cuidam comparatur Familiæ , palam fit , quod quandoquidem Romanus Pontifex hujuſmodi Regni ſupremus eſt Monarcha, Ovilis hujuſce præcipuus eſt Paſtor, generis iſtius Exercitus ſummus eſt Dux , atque Familiæ hujuſcemodi eſt Pater , propterea non ſecus atque Monarcha in Regnum, Paſtor in Ovile , Dux in Exercitum , & Pater in Familiam ſumma potiuntur auctoritate , adeo ut ſubjecti modis omnibus ſint , eſſeque debeant in Regno Regi ſubditi , in Ovili Paſtori Oves, in Exercitu Duci Milites , in Domo Patri Filii , adeoque quidem , ut pro cujuſque modo agendi ab illis quiſque facultatem accipiat , pari modo Pontifex Max. in omnem , qua late patet , Eccleſiam ſuprema gaudet poteſtate , adeo ut ab ea pendere , & dependere , quotquot in Eccleſia ſunt , Epiſcopi debeant, ab eodem in eoſdem officio fungendi manare , & promanare facultatem oporteat , ideſt a ſuperiori in inferiores juxta ſingulorum gradum , quem in Eccleſia obtinent , ita ut in ſingulis juriſdictio particula quædam ſit poteſtatis illius , cujus ſummam Pontifex M. tenet . Divinæ hujuſce diſpoſitionis ſplendidiſſimam haurire ſpeciem licet ex Numer. 11. 16, ubi Moyſi ad Synagogam Judaicam admi-

adminiſtrandam ſeptuaginta viri leguntur adjuncti, non ita tamen ut privato quiſque ingenio Reipublicæ regimini ſe ingereret, ſed ut de eodem ipſo Moyſis ſpiritu particeps dependenter a Moyſe partem ageret unam. Pariformiter Romano Pontifici in Reipublicæ Chriſtianæ regimine Eccleſiarum ſingularum Epiſcopi in adjutorium ita Deo volente vocati ſunt, & venerunt, ut de poteſtate, cujus plenitudo confluxerat in Pontificem, ipſi participarent, atque a Pontificiæ redundantia veluti a fonte, & origine in ipſos quidam veluti rivulus juriſdictio profluereț.

Mirabili hoc modo Romano Pontifici Principatum in Eccleſia gerenti ſubordinatos evadere Eccleſiarum Præſules, qui in illo velut in ſummo vertice comprehenſi, & complicati, ab illo, qui univerſæ præeſt, poteſtatis ad Eccleſias proprias regendas particulam ſinguli pro cujuſque modulo hauriant, quo mutuo ex glutine, ſacratoque fœdere unum in Eccleſia exiſtat Caput, Epiſcopatus exſurgat unus, unum Catholicæ Eccleſiæ corpus coagmentetur, auctores ſe præbent Romani ipſi Pontifices. S. Siricius in epiſt. Synodica ad Epiſcopos Africæ certiores eos faciens geſtorum in Synodo Romana ab ipſo habita prope Confeſſionem S. Petri: *Per quem*, ſubjungit, *& Apoſtolatus, & Epiſcopatus in Chriſto cæpit exordium*: ut inſinuaret exinde manare diſciplinæ leges, quas tum Africanis Epiſcopis obſervandas denuntiabat, unde Epiſcopalis dignitas in Africam dimanaverat. Ad hanc ipſam originem S. Innocentius I. revocabat Epiſcopos Concilii Carthaginenſis, ſcribens ita ſentiendum de ſumma auctoritate, quam penes Apoſtolicam Sedem S. Petrus depoſuit, deque ipſo Principatu, quem in eadem Sede S. Petrus geſſit, tanquam de eo: *A quo ipſe Epiſcopatus, & tota Auctoritas nominis hujus emerſit*. Eamdem memoriam refricabat Milevitanis: *Quoties*, inquiens, *fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres, & Coepiſcopos noſtros nonniſi ad Petrum, ideſt ſui nominis, & honoris auctorem, referre debere*. Quam demum poſt deceſſorem ſuum Africanis Epiſcopis ingerere ſtuduit S. Innocentius, eamdem ſententiam Gallicanis etiam inſinuare non deſtitit in epiſt. Decretali ad Victricium Rotomagen. cap. 2, eumdem de Eccleſiaſticæ diſciplinæ legibus edocere ab his incipiens verbis: *Incipiam*

adjuvante S. Petro Apoſtolo, per quem Apoſtolatus, & Epiſcopatus in Chriſto cæpit exordium. Ab hinc haud abludebat S. Bonifacius I. in epiſt. 14. edit. Cout. ad Epiſcopos Theſſaliæ ſcribens: *Inſtitutio univerſalis naſcentis Eccleſiæ de B. Petri ſumpſit honore principium, in quo regimen ejus, & ſumma conſiſtit*. Non tam ſuam, quam veritatis, Eccleſiaſticæque unitatis cauſſam agebat S. Leo M., dum ſerm. 3. anniverſ. ſuæ aſſumpt. in hæc diſſerebat. *Unus Petrus eligitur, qui .... omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, omnes proprie regat Petrus*. Qui itaque Epiſcopos regit, iiſdem regendi alios juriſdictionem tribuit. *Magnum*, ſubjungit, *& mirabile huic Viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit Divina dignatio, & ſi quid cum eo commune cæteris voluit eſſe Principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negavit*. Viden, ut explicita ſententia adeo ſit, ut nullo gloſſemate indigeat! cui ſane locum neque linquunt verba ſequentia: *Ut nihil in quemquam ſine illius participatione tranſierit*. Nihilominus his majorem adhuc lucem affundent, quæ habet in epiſt. 89, in edit. Queſnelli 10. ad Epiſcopos Prov. Vienn. *Hujus muneris*, inquit ibi, *Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium voluit pertinere, ut in Beatiſ. Petro Apoſtolorum omnium Summo principaliter collocaret, ut ab ipſo, quaſi quodam Capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet*. Mitto alia pleraque, quæ ex S. Leone adhuc ſuppeterent loca, ut locum faciam Vigilio, qui in epiſt. ad Profuturum ejuſdem S. Leonis tam veſtigiis, quam verbis inſiſtens, *Nulli*, inquiebat, *dubium eſt, quod Eccleſia Romana fundamentum, & forma ſit Eccleſiarum, a quo omnes Eccleſias principium ſumpſiſſe nemo recte credentium ignorat*. Propter hęc Galliæ, & Germaniæ Epiſcopos graviſſime redarguit Gregorius IV. relatus Cap. *Decreto* 2. q. 6, quod extra præſtitutos ſibi poteſtatis limites egrederentur, pluſque arrogarent, quam accepiſſent a Sede Apoſtolica, a qua ſumma cum diſcretione, quantum regendis Eccleſiis opus ſit, in fruſta velut diſtributam ejuſdem poteſtatis ſingulis Epiſcopis particulam impartiri conſueviſſe affirmat: *Romana Eccleſia vices ſuas ita aliis impertitur Eccleſiis, ut in partem ſint vocatæ ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*. Quæ ipſiſſima erat ſen-

ſententia S.Leoni M.inſita in epiſt.84;exinde inferens ad Eccleſiam Romanam Eccleſiarum graviores Religionis cauſsas referri oportere finiendas: *Et inde normam ſumere, unde ſumpſit exordium.* Neque locum ſuspicandi dicta hujuſmodi eó dumtaxat collineare, ut ſuadeant ab Eccleſia Romana ceteras in Occidente excitatas Eccleſias originem nactas eſſe ſuam, ſinunt ullatenus explicatiſſima teſtimonia cum Stephani V. in epiſt. ad Baſilium Imp., ubi: *Omnium*, inquit, *in Orbe terrarum ordo, & Pontificatus Eccleſiarum a Principe Apoſtolorum Petro originem accepit* &c; tum Eugenii IV. in Conſt. 15. *Non mediocri* ad Henricum Archiep. Cantuar. §. 9, quo loci *Omnes*, inquit, *Patriarchales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, Cathedrales, aliaſque dignitates Romana fundavit Eccleſia, ſicutque licuit, uni Eccleſiæ amplam, alii ampliorem, & alii ampliſſimam, prout expedire judicavit, tradidit poteſtatem. Omnes enim tanquam unius arboris rami ab una, eademque radice, & ut diverſi aquarum rivuli ab eodem fonte prodierunt, licet unus alio copioſior, atque uberior.* Qua pariter ex ſimilitudine præclaram aſſumpſit ſpeciem ad eamdem perſuadendam ſententiam Leo X. in Bulla de Privileg. Regul. Confer & Sixti V. Conſtit. 74. §. 1.

Conſpirabant uno conſenſu, unanimique contentione in eamdem veritatem Eccleſiæ veteres Patres, a quibus nec abludunt Nuperi, Scriptoreſque Eccleſiaſtici: atque dimiſſo quidem pſeudo-Dionyſio Areopagita, cujus admodum fluxa eſt fides, S. Cyprianus acerrimus ille auctoritatis Epiſcopalis aſſertor, & vindex lib. de Unit., poſtquam divina diſpoſitione factum dixiſſet, ut in S. Petro una Cathedra, & unitatis Centrum collocaretur, unde ei ceteri Eccleſiarum Epiſcopi indivulſe ſubnexi, & innexi unum Epiſcopatum, & unam Eccleſiam exprimerent, radiorum, ramorum, & rivulorum aſſumpta ſimilitudine, *Unum*, inquit, *Caput eſt, & Origo una, & una Mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa*: ut deſignaret videlicet diffuſam in corpus Eccleſiæ poteſtatem omnem derivari, ac profluere a Romana, quam Eccleſiæ univerſæ *Radicem, & Matricem*, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt, in epiſt. 45, & 55. appellat. Eadem ſimilitudine utitur S. Optatus Milevit. lib. 2. pag. 33, qui lib. 7. pag. 101. obſervat ad unitatem Eccleſiæ conſtringendam plurimum retuliſſe, ut S. Petrus a Chriſto

ſto D. ceteris præferretur Apoſtolis, ab eoque Claves acciperet ceteris communicandas. *Bono unitatis B. Petrus præferri omnibus Apoſtolis meruit, & Claves Regni Cælorum communicandas ceteris ſolus accepit.* Clavium autem nomine Eccleſiaſticam auctoritatem venire nemo neſcit. Inſedebat eadem ſententia S. Paciano, qui in epiſt. 3. ad Sympron. *Ad Petrum*, ait, *loquutus eſt Dominus, ad Unum, ut Unitatem fundaret*: & S. Gregorio Nyſſeno in orat. adverſus eos, qui caſtigationes ægre ferunt, ubi clarius adhuc ſe explicat: *Nihil falſi*, inquiens, *aut mendacii ſcriptum eſt in Evangeliis; neque Chriſti prædicatio exitum fallacem habet: per Petrum Epiſcopis dedit Claves Cæleſtium honorum.* Eodem recidit, quod S. Jo: Chryſoſtomus regerit in Johan. ult. *Committit Petro præſidentiam Fratrum, ut ab illo derivetur in reliquos*: & quod S. Cæſarius Arelat. in epiſt. ad S. Symmachum ſcribit: *A perſona B. Petri Epiſcopatus ſumit initium.* Neque hinc longius abeſt Stephanus Lariſſæus in libello oblato Bonifacio II. P. M., lectoque in Synodo Rom. apud Harduinum pag. 1111. paſcendi Eccleſiam univerſam poteſtatem a Chriſto D. in S. Petro accepiſſe Rom. Pontificem affirmans, ab ipſo vero partem ejuſdem poteſtatis ceteris Epiſcopis ad paſcendas Eccleſias particulares contradi. *Quia Domino*, inquit, *dicente tertio*: Amas me? Paſce Oves meas *tradidit prius Vobis mandatum oſtendens, & per Vos deinde omnibus per univerſum Mundum SS. Eccleſiis condonavit.* Redargutus aſperrimis a S. Gregorio M. Johannes Ravennas, quod faſtu tumidus adverſus Romanam Eccleſiam frontem erigeret ſuperbam, hanc ab ſe amoliri culpam hiſce enititur in epiſt. 67. lib. 3. *Quibus auſibus ego ſanctiſſimæ illi Sedi, quæ univerſali Eccleſiæ jura ſua tranſmittit, præſumpſerim obviare?* Propriam faciens, quæ præclara fuerat olim S. Leonis, ſententiam Auctor libri de Divin. Off. ſub Alcuini nomine cap. 19. *Religionis*, inquit, *cultum ſic Dominus inſtituit, ut in Beatiſſimo Petro principaliter collocaret, atque ab ipſo, quaſi capite, dona ſua vellet in corpus omne manare.* SS. Patrum cohortem claudat S. Bernardus, qui lib. 3. de Conſid. cap. 8. his Eugenium III. alloquebatur. *Ergo juxta Canones tuos alii in partem ſollicitudinis, Tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus, Tua exten-*

tenditur & in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonne ſi cauſſa extiterit, Tu Epiſcopo Cœlum claudere, Tu ipſum ab Epiſcopatu deponere etiam, & tradere Satanæ poteſt? Confer & epiſt. 131; nec non Jacobum de Termis in tract. adv. Impug. Exemp., & Privileg., & S. Odonem Clun. lib. 4. collat. cap. 19, ubi a Chriſto D. Eccleſiæ Rectoribus poteſtatem in B. Petri perſona conceſſam tradit. Junge pariter, ſi non piget, Synodicam Concilii Aquilejenſis ad Gratianum Imp., ubi de Apoſtolica Sede loquens: *Inde*, inquit, *in omnes venerandæ Communionis jura dimanant*. A S. Petro utique profluiſſe eam, qua potiebantur, auctoritatem perſuaſum erat Piſtenſis Synodi an. 869. Epiſcopis, quum ajebant: *Secundum auctoritatem, quam in B. Petro accepimus &c.* Hinc ſummo Apoſtolicam Sedem loco, & honore ideo habendam docebat Synodus Triburienſis anno 895. cap. 30, quod Epiſcopalis dignitas eidem referri deberet accepta, exinde recte inferens: *Ut quæ nobis Sacerdotalis Mater eſt dignitatis, eſſe debeat Magiſtra Eccleſiaſticæ rationis*. Quæ præclara ſententia perinde Capitularibus ſuis a Carolo M. inſerta, & a Gratiano diſt. 19. Cap. 3. *In memoriam*, acceptiſſima evaſit Synodo Remenſi ſub Herivæo anno 900, a qua excommunicationis ſententia in occiſores Fulconis Rem. hiſce concepta verbis legitur: *In nomine Domini, & virtute S. Spiritus, nec non auctoritate Epiſcopis per B. Petrum Principem Apoſtolorum collata ipſos a S. Matris Eccleſiæ gremio ſegregamus*. Verſat hoc idem argumentum S. Gregorius VII. in Apologet. Decretorum in Synodo Romana I. an. 1074. cap. 23. liquido demonſtrans a Romano Pontifice in Epiſcopos diviſam ita poteſtatem fuiſſe, ut potiorem tamen, ac ſupremam ſibi retinuerit: exemplo ducto a poteſtate Regia, quæ in diverſos ita dividitur, ut in Rege ipſo nihil diminuatur: quo pariter exemplo appoſite uſi ſunt Card. Perronius in Replicat. ad Regem Angliæ lib. 1. cap. 33, & Sirmondus in Propemtico lib. 2. cap. 10. Facit huc denique formula, qua Epiſcopi præfici Eccleſiis a Romano Pontifice ſolent, uti patet ex Pontificali Romano, & ex Brevibus Collationis Epiſcopalis dignitatis. *Providemus*, inquit Pontifex, *Eccleſiæ N. de perſona N., & præficimus eum in Patrem, & Paſtorem, & Epiſcopum talis*

Eccle-

Eccleſiæ, committentes ei adminiſtrationem in temporalibus, & Spiritualibus in Nomine Patris &c.

Elevare non tam iſta, quæ in poteſtate facta ampliſſima S. Petro fundamentum habent, quam eludere conantur adverſæ opinionis fautores, & patroni, contendentes in perſona S. Petri aliis etiam Epiſcopis immediate a Chriſto D. Claves Regni Cæleſtis fuiſſe collatas, quia illas S. Petro contulit, quatenus Eccleſiæ perſonam gerebat, ac proinde ceterorum quoque Epiſcoporum quamdam præferebat ſpeciem, qui idcirco Apoſtolorum nedum, ſed ipſius S. Petri Succeſſores, ac Vicarii denominati ſæpe leguntur a S. Hieronymo in epiſt. 85, V. Beda in cap. 15. S. Matth., Petro Cellenſi lib. 7. epiſt. 8, Carolo M. Capitul. lib. 5. cap. 163, Jona Aurel. de inſtit. Regia cap. 23 Hincmaro tom. 1. pag. 738, & tom. 2. pag. 196. &c. Quam interpretationem, ceteris anteferendam judice Fabricio Salut. Luc. Evang. cap. 50, cui ad ingenium ſapiebat quam maxime, ſtatuminare congeſtis abſque delectu ex Patribus locis adnituntur, ex Tertulliano in Scorp. cap. 10, S. Cypriano lib. de Unit. Eccl., S. Optato lib. 7, S. Paciano epiſt. 3, S. Auguſtino ſerm. 108. edit. vet., nunc 295. edit. PP. Maur., & tract. 118. in Johan., ſive ult. tom. 3. oper. pag. 597, S. Ambroſio lib. de dignit. Sacerd. cap. 2, Chriſtiano Druthmaro, Carolo M., Synodo Cabilonenſi II. Can. 51, aliiſque, quorum loca ſuſque deque pervertunt, ut ſuam demum in opinionem pertrahant, Richerius de Sac., & polit. poteſt. cap. 2, Launojus par. 2. in epiſt. 4. ad Vallantium, Dupinius &c., ex quibus imo Launojus eó progreſſus eſt audaciæ, ut ſapientiſſimis viris Johanni de Turrecremata, Dominico Jacobatio, Thomæ Cajetano, Roberto Bellarmino, eorumque Sectatoribus, quibus dignitate alioquin Illuſtriſſimis doctrinæ laude certe ipſe longe ibat inferior, impune inſultandi fas ſibi arrogaverit. Ipſo vero modeſtior, ac moderatior viſus eſt Dupinius, qui a compluribus in hanc rem a Launojo conglomeratis indigeſtim locis abſtinere ſatius habuit, quibus utpote vim nullam, aut parvam oppido ineſſe non videre nequibat. Utinam autem & Richerio, & Launojo, & Dupinio ea ſaltem uſu tandem veniſſet ſobrietas, quæ Arnaldum demum, & Queſnellum inceſſit: ille etenim in hiſt. Janſ. ex S. Auguſtino

ſerm. 129.

ſerm. 129. de temp., qui Maurinis utique dubius eſt, ipſe tamen indubium haber, agnovit, agnoſcereque oportuit, S. Petri perſonæ Eccleſiæ Claves a Chriſto D. fuiſſe concreditas, Eccleſiæ certe, ſive Epiſcopis communicandas: iſte vero in epiſt. ad Rom. Pontif. in calce libri Gallice inſcripti: *Plainte, & proteſtation du P. Queſnel contre la Condemnation des cent' une Propoſition* fateri ſe, & profiteri affirmat Romanum Pontificem *Apoſtolici Primatus hæredem, Principis Apoſtolorum ſucceſſorem, & ſupremum Chriſti Vicarium*, ideoque plane illum, cui in perſona S. Petri immediate ſuprema poreſtas, Clavium deſignara nomine, fuerir concredita.

Arqui roto oſtio abs veritate, germanaque illorum Patrum intelligenria aberrare adverſarios iſtos facile valdequam eſt oſtendere. Principio enim S. Petro a Chriſto D. Claves fuiſſe collatas; ideſt juriſdictionem, quatenus perſona erat particularis, ac principem locum ſupra ceteros Epiſcopos ſibi a Chriſto D. delatum tenebat, affirmanr ex Græcis Origenes hom. 5. in Exod., in Pſal. 1, & ad Rom. 6, Theophilus Antioch., ſive Auctor lib. 1. Allegor. in Evang. Marc. tom. 2. Bibl. PP; S. Epiphanius in Anchor., & hær. 51, S. Baſilius lib. 2. adv. Eunom., in proæm. de jud. Dei, orat. 3. de peccar., & in cap. 2. Iſa., S. Gregorius Nyſſen. loco cit., S. Gregorius Nazian. orat. 9, & 26, S. Aſterius Amaſ. apud Combefiſium tom. 1., & 7, ſi is ramen eſt auctor, in Feſto SS. Apoſt. Petri, & Pauli; S. Jo: Chryſoſtomus orar. 5. in Jud., orat. in SS. Petrum, & Paulum, in homil. de Perro, & Elia, hom. 38, & 83. in Matth., hom. 87. in Johan., 9. de pœnit., & 80. ad Popul., S. Cyrillus Alex. in Johan. lib. 2. cap. 12, & lib. 12. cap. 64, Theodoretus in cap. 1. ad Galat., Srephanus Dorenſis in Concilio Later. ſub S. Martino I. ſecret. 2., S. Iſidorus Peluſiora lib. 1. epiſt. 142, & lib. 2. epiſt. 58, & 90, Sergius Cyprius ibid., S. Johannes Damaſc. in Parallel. pag. 591, & homil. de Transf., S. Theodorus Scudites lib. 1. epiſt. 33, & lib. 2. epiſt. 72, 139, & 146. Ex Latinis S. Irenæus lib. 3. cap. 18. edir. Maſs., Tertullianus de Præſcript. cap. 22, de pudicit. cap. 21, & de Monog. cap. 8, S. Cyprianus lib. de Unit., in epiſt. 50, 55, 69, 71, & 73. edit. Pamel., S. Zeno Veron. lib. 1. tract. 13, & lib. 2. tract. 13. edit. Ballar., & apud Dacherium tom. 2. Spicileg., & Labbæum tom. 2. Concil.

pag. 509, S. Hilarius Pictav. in Matth. 16, in Pſal. 131, & lib. 6. de Trinit. n. 20. edit. Cout., S. Ambroſius in Pſal. 40, & 43, in Luc. lib. 10. cap. 24, & lib. de Virg. cap. 16., S. Hieronymus in cap. 16. Matth., lib. 1. adv. Pelag. cap. 4, lib. 1. contra Jovin., & epiſt. 54. ad Marcellam, S. Optatus loc. cit., S. Pacianus cit. epiſt. 3. in Bibl. PP. tom. 4, & apud Aguirræum tom. 3. Concil. pag. 89, S. Auguſtinus tract. 50. in Johan. edit. Maur. tom. 3. par. 2. pag. 460, lib. 2. de bapt. contra Donat. cap. 1, de Agone Chriſt. capp. 30, & 31. tom. 6, in Pſal. contra partem Donati, alibique ſæpe, Hilarus Sardus quæſt. vet., & novi Teſtam. 75. in append. 3. tom. S. Auguſt., S. Maximus Taurin. ſerm. in Nat. SS. Petri, & Pauli, & homil. 2, 3, 4, & 5, Auctor lib. de vocat. gent. ſub nomine S. Proſperi, cui revera opus tribuit Gerardus Voſſius in hiſt. Pelag., lib. 2. cap. 28, S. Petrus Chryſologus ſerm. 154, S. Ennodius Ticin. lib. 5. epiſt. 10, & 13, lib. 9. epiſt. 19, & in libello apolog. tom. 9. Bibl. PP. edit. Lugd., S. Iſidorus Hiſpal. de offic. Eccleſ. lib. 2. cap. 5, V. Beda in feſto SS. Apoſt. apud Combefiſium tom. 7. Bibl. Conc. pag. 234, S. Petrus Damiani ſerm. de S. Petro apud eumdem Combef. tom. eodem, Hugo Victor. ſerm. 64. de Apoſt., aliique innumeri, quorum plurium loca dedi, ac par. 1. Vind. in proleg. §. 1, & ſeqq., nec non fuſe Artic. 7, & 8. deſcripſi; quibuſque hanc revera ſententiam inhæſiſſe, ſed & hanc indubie ex S. Scriptura Matth. 16. v. 18, & 19. hauriri lato, diſertoque calamo oſtendunt Joe de Turrecremata in Summa de Eccleſ. lib. 2. cap. 75, Albertus Pighius Hierar. Eccleſ. lib. 3, Franciſcus Combefiſius Bibl. Conc. tom. 7. in vigil. SS. Apoſt. Petri, & Pauli, Philippus Anaſtaſius Archiep. Surrentinus lib. 1. de immediato ſubjecto Clavium cap. 9, & ſeqq., aliiſque dimiſſis innumeris, Cl. Mamachius Orig., & antiq. Chriſt. lib. 4. par. 1. cap. 1. §. 1, & ſeqq.

Hæc autem SS. Patrum loci illius: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram &c., & Tibi dabo Claves &c.* interpretatio, qua eumdem locum de ſingulari perſona S. Petri intelligendum eſſe docemur, veritati adeo innititur, obvioque, ac litterali ejuſdem loci ſenſui inhæret, ut ne dubitandum quidem voluerint Michael Rouſſellus, ipſique cæteroqui SS. Patrum traditionem flocci, nauci-

naucique facientes e Proteſtantium grege homines in Pontifices MM. felle pleni Camero, Hammondus, Clericus, Grotius, aliique, a quibus eſt obſervatum ideo a Chriſto D. S. Petro ita dictum ante fuiſſe: *Beatus es Simon filius Jonæ*, ſive Johannis, quam ipſi diceret: *Et Ego dico Tibi, quia Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram* &c. *Et Tibi dabo Claves* &c., ut ex primis verbis illis ſingulari Petri perſonæ dictis intelligi recte darentur verba poſteriora: *Tu es Petrus* &c., & *Tibi dabo* &c., dicta videlicet etiam fuiſſe de Petro, prout ſingularis erat perſona. Hinc faceſſant Caſaubonus exercit. 15. in Baronium n. 18, & Fabricius loco cit., quibus utique non invidebo, nec moleſtiam inferam, ut cum Elſnero, Windeto, & Wolfio ſentiant poſteriora verba illa: *Et portæ Inferi* &c. pro interitu, cui nunquam obnoxia futura ſit Eccleſia, fore accipienda, nam eodem recidit ſententia iſta, ac ſi dicatur fore, ut nunquam Eccleſia hæreſi depravata depereat: quominus tamen prioribus verbis illis: *Tu es Petrus* &c. vim inferant, præpoſteraque interpretatione a germana abducant intelligentia, & ad ſiniſtrum intorqueant ſenſum, per me utique immobiliter ut ſtet, religio efficit, quam SS. Patribus Eccleſiæ debeo, quos in hanc unanimiter conſpirare doctrinam video. Ne itaque a tot, tantiſque Patribus, quin imo ab ſeipſis met diſſentire dicantur Patres in objectione laudati, præſtat dicere ipſos accipi eo debere ſenſu, non qui perperam ipſis affingitur, quia nempe in perſona S. Petri Claves illæ ceteris pariter Epiſcopis immediatæ a Chriſto D. fuerint collatæ, ſed quod ita S. Petrus uti perſonam gerens Eccleſiæ Claves illas acceperit, ut ab ipſo poſtea Epiſcopi Claves eaſdem accipere deberent. Hunc enim germanum eſſe, genuinumque illorum SS. Patrum intellectum ex eo fit iterum evidens, quod iidem Patres iiſdem locis affirmant iccirco collatas S. Petro Claves fuiſſe, quia perſonam gerebat Eccleſiæ, hanc vero ut gereret, Eccleſiæ unitati expediiſſe. *Primatus*, inquit pro omnibus S. Cyprianus, *Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur*: ideo S. Auguſtinus inquit: *Has Claves non homo unus, ſed unitas accepit Eccleſiæ*. Quocirca ſi S. Petrus Caput Eccleſiæ, unitatiſque Eccleſiaſticæ Centrum a Chriſto D. eſt conſtitutus, ut cum eo, & in eo Epiſcopi omnes in Eccleſia

connectantur, & innectantur, ideſt, ac ſi fons, & origo Eccleſiaſticæ auctoritatis conſtitutus dicatur, ex quo in ceteros Epiſcopos jurisdictio veluti rivulus quidam, aut ramus, aut radius dimanet. *Eccleſia Domini*, eodem loci lib. de Unit. S. Cyprianus ſubjungit, *luce perfuſa per Orbem totum radios ſuos porrigit, unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur: ramos ſuos in univerſam Terram copia ubertatis extendit, profluentes largitur, rivos latius expandit, unum tamen Caput eſt, & virgo una, & una Mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa.* Quibus hunc opportune gloſſema apponit Duvallius in elencho lib. de poteſt. Eccleſ., & polit. pag. 35. *Vult ergo Cyprianus Claves Unitati datas in finem Unitatis; ita ut Eccleſia non ſit id, quod Claves habet, ſed ad quod poteſtas, & uſus Clavium, tanquam in proprium finem, refertur.* Quo perinde ſenſu accipiendum S. Auguſtinum docet idem Duvallius: quin etiam tam vere, quam commode accipi debere ceteros Patres, aut ego fallor, probe alioquin auguror. Atque hoc utique ſenſu Petrus Bleſenſis ſcribebat epiſt. 45. *Quod ſtipiti rami, quod capiti membra, quod ſoli radii, quod fonti rivuli, hoc Apoſtolicæ Sedis eminentiæ debent omnes Eccleſiæ, quas ubique terrarum Religio chriſtiana fundavit.* Tetigerant pridem hoc ipſum punctum Epiſcopi Africani in epiſt. ad Theodorum P. M.

Jam vero in hac perſuaſione intima SS. Patribus adſtipulantur illuſtriores de Schola Theologi ſexcenti, Albertus M., & Alexander Alenſis, qui apud Jo: de Turrecremata in Cap. *Omnes* diſt. 22, & in Summa de Eccleſ. lib. 2. cap. 54. poteſtatem jurisdictionis in Epiſcopos derivari immediate a Rom. Pontifice, non a Chriſto docent. S. Thomas, qui lib. 4. contra Gent. cap. 76. *Soli Petro*, inquit, *promiſit*: Tibi dabo Claves &c; *ut oſtenderetur poteſtas Clavium per eum ad alios derivanda ad conſervandam Eccleſiæ unitatem*. S. Bonaventura, qui in opuſc. de prædic. FF. Minor. tom. 7. oper. edit. Lugd. 1668, *Eccleſiæ Rectores*, ait, *curam, & totam poteſtatem, quam habent ſuper ſubditos, ab ipſo* (Pontifice) *accipiunt mediate, vel immediate*. Scotus, qui in 4. diſt. 19. §. *de quinto*, *Nullus*, inquit, *inferior Papa auctoritate propria poteſt excommunicare, ideoque quilibet inferior excommunicat ex commiſſione*

ſione illius, cui tenentur omnes alii obedire. Ægidius Biturícenſis Archiep., qui in opuſc. contra exempt. cap. 2. indubium habet omnes Epiſcopos inſtitutos eſſe a Summo Pontifice, ſubjiciens: *Quia per eum, vel per auctoritatem ejus ſunt aſſumpti in partem ſollicitudinis.* Petrus Bertrandus Epiſcopus Auguſtod., qui lib. de Orig., & uſu juriſd. Bibliot. PP. tom. 4. par. 1. contra Petrum Cunerium diſputans, *Origo*, ait; *hujuſce poteſtatis fluit a Deo immediate, videlicet a Chriſto tradente eam certæ perſonæ, ſcilicet Petro, proſe, & ſuis Succeſſoribus, a quibus in alios derivatur.* Thomas Argentinas in Summa Theolog. diſtinct. 25. q. 1. art. 2, ubi docet juriſdictionis ſpiritualis plenitudinem unum eſſe penes Rom. Pontificem: *A quo pendet tam in fieri, quam in conſervari; quamque quotidie dare poteſt, & auferre.* Petrus Alliacenſis de Orig. Eccleſ. poteſt. Concl. 2. ubi ex verbis illis, *Paſce Oves meas*, clare deducit S. Petro factam poteſtatem diſponendi Miniſtros Eccleſiæ, determinandique eorumdem juriſdictionem, unde ſubjungit: *Quamvis Apoſtoli initio eamdem habuiſſent a Chriſto poteſtatem, & æqualem Clavium, & juriſdictionis, non tamen juriſdictionem, ſive materiam ſubjectam, ſecundum aliquos, niſi Petrus, & cui committere voluit.* Gerſonius ipſe, qui in tract. de ſtat. Eccl. tit. de ſtat. Prælat. conſid. 3. *In Pontifice* affirmat *eſſe plenitudinem fontalem auctoritatis.* S. Antoninus par. 2. Summ. Theolog. tit. 22. cap. 3. §. 5, ubi ingreſſus in veſtigia Natalis Hervæi in tract. de poteſt. Pap. docet poteſtatem omnem Eccleſiaſticam Papali ſubeſſe, neque ſolummodo *Quantum ad correctionem abuſus*, ſed etiam *Quantum ad inſtitutionem, & collationem ipſius poteſtatis inferioris.* Johannes de Turrecremata locis paullo ſupra laudatis hanc plurimis ſententiam propugnat, pro qua perinde tanquam pro aris, focisque decertavit Ambroſius Catherinus in Concilio Trid. de juriſd. Epiſcop. diſputans. Andreas Duvallius, qui in tract. de poteſt. ſupt. Rom. Pontif. par. 1. q. 3. *Petrus*, inquit, *accepit Claves Eccleſiæ, quæ ab illo in reliquos Eccleſiæ Paſtores, tanquam a fonte, Capite, & radice, erant derivandæ.* Jacobus Almainus, qui de poteſt. Eccleſ. cap. 3. apud eumdem Duvallium in elencho lib. de poteſt. Eccleſ., & polit. pag. 155. haud ſibi dubitandum fore duxit, quin affirmaret: *Uni Petro*,

Petro, & Succeſſoribus ejus data eſt poteſtas conſtituendi Canones, & Dignitates Eccleſiaſticas per univerſum Orbem: laudatoque ex S. Matth. 18. loco *Quæcumque alligaveritis* hanc interpretationem ſubjungit: *Nulli ſuppoſito tunc dedit poteſtatem juriſdictionis, ſed ſolum quando Jo: ult. poſt Reſurrectionem dixit Petro*: Paſce Oves meas; *etiamſi eſſent aliqui Sacerdotes*, (in Cœna ſcilicet conſecrati). Genebrardus Aquenſis Archiep., qui lib. 3. apud eumdem Duvallium *Eccleſiæ*, ait, *ſupra Petrum fundata eſt, unus Epiſcopus in Catholica Eccleſia, a quo ceteri pendere debeant*. Johannes a Celaja Doctor Pariſ. in 3. diſt. 25. q. 7, ubi multis hoc argumentum verſat, atque a Romano Pontifice in ceteros Epiſcopos poteſtatem Eccleſiaſticam defluere demonſtrat. Nicolaus Coeffetellus Epiſcop. Maſſil. in diſcuſſione cap. 5. lib. 2. M. Antonii de Dom. contra ipſum pugnans non a Deo, ſed a Romano Pontifice immediate Epiſcopalem juriſdictionem proficiſci. Johannes Puteanus, qui in 22. S. Thomæ q. 1. art. 6. dub. 3. inter alia ſic habet. *Nihil accipit Pontifex M. ab Eccleſia, ſed a ſolo Deo: Eccleſia autem illud omne, quod habet, a Pontifice M. proxime, & immediate mutuatur, remote vero, & mediate a Deo*. Eamdem in ſententiam manibus, pedibuſque deſcenderunt Mauclerus de Monarch. par. 2. lib. 4. cap. 10; Gamachæus in tract. de Sacr. Ordin. cap. 9., ita Clariſs. Theologos ſentire fide affirmans ſua; Johannes Lomedæus in tract. privileg. cap. 3. apud Doviatium in ſpecim. juris Eccleſ.; Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. capp. 24, & 25; Suarez de Legib. lib. 4. cap. 4; Vargas de juriſd. Epiſcop., Gravina tract. 4. Cathol. præſcrip. par. 2. diſp. 1. q. 2. art. 7; Fagnanus in 1. ad Cap. *Perniciosam* de offic. Ordin. n. 30, & ſeqq., ubi plures alios recenſet; Leo Allatius de Conſ. lib. 1. cap. 8; Guarnieri de Eccleſ. Milit. lib. 2. cap. 9; Cornelius Janſenius Epiſcop. Gandav. cap. 66. in Evang.; Jadertinus introd. ad lect. Theolog. offic. diſp. 2. art. 6; Pinſecus praxis Epiſcop. par. 2. cap. 1. art. 1; De Racconis de ſum. auctor. Petri cap. 5. ration. 2. §. 6; Jo: Faber de poteſt. ſum. Pontif. cap. 3; Dominicus a Sanctiſſima Trinit. Bibliot. tom. 3. ſect. 4. cap. 2; Matthæucius Controv. 6. cap. 8, aliique plures apud Cl. Viros Mamachium Orig., & antiq. Chriſt. lib. 4. p. 2, & Roncaliam animad. in Natalis hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. I. diſſert. 4. §. 4.

Gra-

Graviſſima ſuffragantur huicce ſententiæ Theologica momenta, quæ in verbo Dei ſcripto, & tradito fundamentum habent. Atque principio quidem faceret huc argumentum petitum ex forma Regiminis Monarchici, quod veluti Democratico, & Ariſtocratico longe excellentius a Chriſto D. in Eccleſiam inductum, & in S. Petro inſtitutum deducitur liquido ex verbis illis: *Tu es Petrus* &c., *Tibi dabo Claves* &c., *Paſce Oves meas* &c: exinde enim illud exurgeret, quod ſicut in Civili Republica a ſumma poteſtate, quæ in Rege integra reſidet, in Provinciarum Præfectos, ac Judices ſuppedaneos juriſdictionis reſecta particula diſtribute promanat, ita in Chriſtiana longe excellentiori poteſtatis Eccleſiaſticæ plenitudo in unum confertim Romanum confluxit Pontificem, cujus ex copia exundanti in particularium Eccleſiarum Præſules quædam particulæ reflectuntur, eidem Pontifici demum refundendæ, ex quo profluxerunt. Emanationis iſtius egregiam ſpeciem mox ſuppeditatam vidimus a S. Cypriano, & Petro Bleſenſi in fonte, ex quo rivuli, in ſole, ex quo radii, in ſtipite, ex quo rami: ſed quia de hac præſtantiſſima Regiminis Monarchici forma, quam par. 1. art. 1. totius operis baſim conſtitui, abunde, opinor, eſt dictum, ab hoc retexendo argumento manum retraham, & ad alia lectori nondum perſpecta in lucem proferenda gradu feſtino me referam. Confer tamen eruditiſ. Benedictum XIV. de Synodo Diœc. lib. 1. cap. 4. n. 2, quo loci egregie hoc argumentum verſat. Plurimum ad hæc confirmanda præterea conferrent, quæ præcedenti in Articulo profuſe de jure Epiſcopos inſtituendi, deſtituendique diſputavi, quod invictis, puto, documentis Romano Pontifici adſerui, uniuſque peculiare demonſtravi: ubi abs me dictis conſona habet Urbanus II. apud Baluſium Miſcell. lib. 1. pag. 238. *Solius*, inquiens, *Apoſtolici eſt Epiſcopatus conjungere, & conjunctos disjungere, aut etiam novos conſtruere*. Concordant Textus in Cap. *Perniciosam* de Offic. Ordin., quo loci Epiſcoporum jurisdictio intra Diœceſium limites cohibetur: in Cap. 1. *Cleros* diſt. 21, ubi inter Epiſcoporum jura diſcrimen ſancitur; & in Cap. 24. *Salonitanæ* diſt. 63, quo loci hæc regula habetur, quod *Ab eo quis inſtitutionem accepit, a quo deſtitui poteſt*, ac vice verſa. Congruit & Concilium Tridentinum Seſſ. 14. de

de Sacr. Pœnit. cap. 7, ubi *Merito*, inquit, *Pontifices Max. pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare*: quod non eſt aliud, quam eaſdem juriſdictioni Epiſcoporum ſubducere, iſtamque certos intra terminos coercere, ac temperare. Concurrunt denique Bulla *Cœnæ Domini* edita a Sixto V. anno 1586, atque ad veteres Canones, & proceſſus Gregorii XI. exacta; declaratio Gregorii XIII. de hæreſi etiam occulta, de qua confer eruditiſs. Benedictum XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 9. cap. 4; Decretum juſſu Clementis VIII. a Sac. Congregatione an. 1602. die 26. Novemb. adornatum, Gregorii XIII. Conſtitutionem *Ad tollendam*, Gregorii XIV. Conſtitutionem *Cum alias nonnulli*, Canonem *Si quis ſuadente* 17. q. 4., innovans, aliaque reſervans crimina; Decretum Alexandri VII. die 24. Sept. 1665., & Conſtitutio 20. Benedicti XIV. *Sacramentum Pœnitentiæ* Kal. Jun. anno 1741. evulgata, quibus derogatum eſt Decreto Concilii Tridentini ſeſſion. 24. de Reform. cap. 6, pluresque caſus ab Epiſcoporum poteſtate derepti Romano Pontifici reſervantur. Atqui, qui Epiſcopatus conſtruendi, & deſtruendi, conjungendi, & disjungendi poteſtate præſtat, poteſtque Epiſcopis jurisdictionem diminuere, vel adaugere, cohibere, vel adimere, is profecto eamdem juriſdictionem Epiſcopis conferre reputandus eſt. Hinc huic in aliis ampliori, arctiori in aliis, in his diminutæ, in illis adauctæ poteſtati, ac Romano in Pontifice ampliſſimæ, perbelle alludebat S. Auguſtinus lib. contra duas epiſt. Pelag. ad Bonifac. cap. 1. ſcribens: *Quum communis ſit omnibus nobis, qui fungimur Epiſcopatus officio, quamvis ipſe* (Pontifex) *in ea præemineas celtiori faſtigio, ſpecula Paſtoralis, facio, quod poſſum, pro mei particula muneris.* Heic Potho Prumienſis de Statu domus Dei lib. 4. illud quoque punctum pertractat de Legatis a Latere, qui a Rom. Pontifice vicibus ſuis adauctos in Provincias deſtinari jamdiu conſueverunt cum poteſtate ampliſſima ſuper ipſoſmet Epiſcopos. *Ab ipſa Apoſtolica Sede*, inquiens, *quæ eſt omnium Pontificalium Sedium prima, mittitur Legatus aliquis, cui poteſtas datur auctoritate Sedis Apoſtolicæ per omnia uti in eos, ad quos miſſus eſt.* Sed hæc, horumque ſimilia ſummis tetigiſſe digitis ſufficiat; & ad alia, in quibus

bus plus roboris inſit, quin & jucunditatis, ſermo properet noſter.

Validiſſima ea mihi videtur ratio, qua oſtenditur in Epiſcopis Ordinem a Juriſdictione reapſe ſecerni, ſacrumque in eis characterem integrum ulla abſque juriſdictione conſiſtere, quod ut diſtincte, ordinateque demonſtretur, revocanda eſt in medium antiqua in Eccleſia Chorepiſcoporum memoria, quorum ſane quamvis ante ſæculi IV. exordium nulla in Eccleſiæ monumentis occurrat mentio, eaque tantummodo illorum prima fiat in Conciliis Ancyrano an. 314. Can. 13, & Neocæſareenſi circa idem tempus Can. 13. in verſ. Dionyſii, ſequentibus tamen temporibus uſque ad ſæculi IX. circiter exitum, ſub quo a Leone III, & Conciliis Ratiſponenſi, ac Metenſi eorum ordo oblitterari, ſupprimique cœpit, donec ſub medio circiter ſæculo X. prorſus extinctus eſt, eorumque officiis ſuffecti Archidiaconi ſunt, ut indicat Sigebertus in Chronico agens de Damaſo II, frequens de Chorepiſcopis litterarum monumentis traditus eſt ſermo. Porro antequam propoſitum ingrediar in argumentum, illud diligenter animadvertere juvat, & intereſt, Chorepiſcopos omnes ordinatione ſua Epiſcopos non fuiſſe, ſed meros Presbyteros, dictos etiam Vicanos, ſeu Villanos apud Hincmarum opuſc. 33, Vicis, Pagis, ac minoribus Oppidis præfectos, velut indicant Canon Nicæno-Arabicus 8, & Concilii Antiocheni anno 341. Canon 10, aliquo etiam juriſdictionis Epiſcopalis munere adauctos, puta juriſdictione in Parochias Vicorum, eorumque Presbyteros, poteſtate viſitandi Eccleſias, eaſdemque benedicendi &c., quo in officio ſequiori ſub ætate ſubrogatos Archipresbyteros, Archidiaconos, quoſque nunc vocant, Vicarios Foraneos, diſces ex Conciliis Londinenſi an. 1237. Can. 2, Lambethano an. 1261. cap. 31, Colonienſi an. 1266. Can. 14, Audemarenſi an. 1279. Can. 21, Exceſtrenſi an. 1287. Can. 31, Monumentiſque aliis congeſtis a Thomaſſino vet., & nov. diſcipl. par. 2. lib. 3. cap. 76. Chorepiſcopos, inquam, Epiſcopali charactere inſignitos non omnes fuiſſe plurimis demonſtrant præ aliis Turrianus in Not. ad Can. 54. Nicæno-Arabicum; Eſtius in 4. ſent. diſt. 24. §. 30; Anton. Auguſtinus epit. juris Can. lib. 6. tit. 1. capp. 8, 11, & 13; Morinus de ſacr. Ordin. exercit. 4; Thomaſſinus par. 1. lib. 2. capp. 1, & 2, & Natalis in

append. ad diſsert. 44. hiſt. Eccl. ad ſæcul. IV: inter quæ 1. Quod Chorepiſcopi dicebantur ad ſimilitudinem 70. Diſcipulorum creati, ut a Conciliis Neocæſareenſi Can. 13, Pariſienſi VI. an. 829. Can. 27, & a S. Iſidoro lib. 2. de offic. cap. 6. At Epiſcopos ordinatione ſua Apoſtolis ſucceſſiſſe communis in Eccleſia ſententia evaſit. 2. Quod Chorepiſcopi non niſi Pagis, & Villis præficiebantur, uti conſtat ex præc. Can. 10. Antiocheno, & Can. 8. Nicæno-Arabico. At Epiſcopos in Pagis, Oppidiſque parvis conſtitui vetabant Canones Conciliorum Laodicæni 57, Sardicenſis 6, Toletani XII. Can. 4, Francofordienſis 22, & S. Leo M. epiſt. 87; quam in rem confer Lupum in ſcholiis ad cit. Canonem Sardicenſem pag. 255; Can. *Epiſcopi*, Can. *Illud ſane* diſt. 80, & Cap. *Epiſcopalia de Privileg.* 3. Quod Chorepiſcopis permiſſum fuerat quidem ordinare Exorciſtas, Lectores, & Subdiaconos, uti liquet ex Conciliis Antiocheno Can. 10, Aquiſgranenſi an. 789. Can. 9, & Meldenſi an. 845. Can. 44, ac S. Iſidoro de offic. lib. 2. cap. 6: ipſi tamen prohibebantur Diaconos, ac Presbyteros ordinare, Chriſma conficere, Chriſmate Baptizatorum frontes conſignare, Eccleſias conſecrare, & Virgines benedicere, veluti patet ex S. Leone M. in epiſt. 88. ad Epiſcopos Germ., & Gall., quam tamen S. Leoni ſuppoſitam probat Queſnellus in diſſert. 11; ex Leone III. in reſp. ad Epiſcopos Germ., & Gall. tom. 2. Concil. Gall. edit. Sirmondi; ex S. Iſidoro loco ind.; ex Conciliis Ancyrano Can. 12, Hiſpalenſi Can. 7; Ratiſponenſi an. 800, ut habetur in Capitul. tit. 4. cap. 1. præc. tom. 2. Sirmondi; Aquiſgranenſi Can. 9; ac legitur in Cap. Caroli M. lib. 7. capit. 228, & 229; Pariſienſi VI. Can. 27, Meldenſi Can. 44; & Metenſi an. 889. hanc in rem laudante Decreta SS. Damaſi, Innocentii, & Leonis. At id Epiſcopis utique non fuiſſet vetitum. 4. Quod in libris Pontificalibus Maronitarum apud Morinum de Sacr. Ordin. par. 2. pag. 415. habetur Ritus ordinandi Chorepiſcopum, qui longe diverſus eſt a ritu ordinandi veros Epiſcopos, qui ibidem deſcribitur pag. 417, ſimiliſque ei eſt, quo Archipresbyteri, & Archidiaconi inſtituuntur; quorum ordinatio dubio procul cæremonialis dumtaxat eſt, ſacramentalis nullo modo. Quid autem, quod Chorepiſcopi ab uno tantum Epiſcopo ordinabantur, uti ex cit. Canone 10. Antio-

tiocheno adparet? Atqui Epiſcopos a tribus omnino Epiſcopis ordinandos eſſe traditio eſt Apoſtolica in hodiernum uſque diem vigens, & in Eccleſia univerſa religioſe ſervata, cujus liquidi teſtes, locupleteſque accedunt Clemens Alex. lib. 6. Inſtit. apud Euſebium lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 1; Concilia Arelatenſe I. an. 314. Can. 20; Nicænum Can. 4; Antiochenum Can. 19; Carthaginenſe II. ſub Genethlio Can. 12; Carthaginenſe III. ſub Aurelio Can. 39; Regenſe an. 439. in Decreto adv. Armentarium Ebred. a duobus Epiſcopis dumtaxat ordinatum; Arauſicanum I. Can. 21; Can. *Epiſcopi*; Can. *Epiſcopum* diſt. 64, & Can. *Porro* diſt. 66; S. Cyprianus in epiſt. 68. ad Plebes Hiſp. hoc ex defectu Baſilidis, & Martialis ordinationes redarguens; & Syneſius in epiſt. 67. ad Theophilum ordinationem Siderii in Palæbiſcum Epiſcopum a ſolo Philone Cyrenenſi celebratam exagitans.

Eapropter a duobus ſaltem Epiſcopis ordinationem Epiſcopi peragi omnino oportere, adeoque ut ab uno dumtaxat peracta illicita nedum, ſed invalida ſit, (valere tamen, ac licere autumat Piette Theolog. quæſt. par. 6. de Sacr. Ord. q. 13, ſi Romani Pontificis accedat diſpenſatio), pugnant Habertus obſervat. 2. in Pontif. Græcor., Morinus de Sacr. Ordinat. par. 3. exercit. 4. cap. 2, Tournellius de Sacr. Ord. q. 6. art. 1, aliique. Quamquam longe probabilior, tenendaque prorſus opinio eſt oppoſita, quam propugnant Diana to. 4. tract. 8. reſol. 27, & ſeqq.; Azorius Inſtit. Moral. par. 2. lib. 3. cap. 30, Lupus in append. ad Can. 4. Nicænum; Thomaſinus par. 2. lib. 2. cap. 12; Cabaſſutius in Not. Eccleſ. ſæcul. IV. in not. ad Nicæn. Can. 4; Hallier de Sacr. Ordin. par. 2. ſect. 5. cap. 2. art. 2; Vaneſpennius Jur. Eccleſ. par. 1. tit. 15. cap. 1; Boucatius de Ordin. inſtit. diſp. 6. ſect. 6; Gavardus de Ord. q. 1. art. 3, Juveninus de Sacr. diſſert. 9. q. 1. cap. 4; Card. Gotti tom. 15. q. 5. de Epiſcop. dub. 4; Berti de Theolog. diſcipl. lib. 36. cap. 13. §. 7; Catalanus tom. 1. ad Pontific. Rom. pag. 198, & ſeqq., ac præ omnibus Benedictus XIV. de Synodo Diœc. lib. 13. cap. 13. n. 4, & ſeqq., ordinationem Epiſcopi ab uno dumtaxat habitam illicitam quidem, (niſi Pontificis M. adſit indultum), validam tamen probantes hiſce præſertim momentis. 1. Quod ab Apoſtolis, primiſque Apoſtolorum diſcipulis alterius

Episcopi absque interventu ordinatos fuisse Episcopos proclive sit existimare ex epist. 2. ad Timoth. cap. 1, ut observat Estius in cap. 4. pag. 776. 2. Quod exempla non desint Episcoporum ab uno dumtaxat ordinatorum, quorum tamen dubio procul valida fuerit ordinatio: quale de Evagrio ab uno Paulino Antioch. ordinato successore refert Theodoretus lib. 5. cap. 23. edit. Val., de quo videndi Lupus loc. cit., & Coutantius in Not. ad epist. 5. S. Siricii cap. 2. pag. 654, pleraque alia conferentes exempla. 3. Quod hac in re dispensare posse Rom. Pontificem, videlicet ut ab uno Episcopus ordinetur, sententia fuerit S. Congregationis Concilii requisitæ a S. Pio V, de qua Benedictus XIV. loco prælaudato. 4. Quod Romani Pontifices non ab heri, aut nudius tertius, sed olim, ac nuper potestate hac usi sint, veniamque feciſſe, gravissimis urgentibus causis, ut Episcopi ab uno dumtaxat ordinarentur, duobus Presbyteris adsistentibus, legantur S. Gregorius M. epist. 64. lib. 10, in quam legendus Berti loco citat., Alexander VII, de quo Benedictus XIV. n. 6, & 9, ubi & hanc sententiam Clementi XI. fuisse probatam litteris datis an. 1718. die 26. Novemb. idoneus quammaxime testis accedit, V. Innocentius XI. die 29. Dec. an. 1686, veluti refert Gavardus tom. 6. Theolog. pag. 526, & ex ipso Berti, ac demum Innocentius XII. anno 1691, de quo Pagius Junior in S. Leone II.

Gravior heic movetur quæstio de Romano ipso Pontifice, num videlicet solus ab uno Episcopo ipse ordinari Episcopus, & Pontifex olim consueverit, quemadmodum solum absque Episcopis aliis ordinare Episcopum, ordinandique facultatem impartiri posse indubium nunc videtur. Porrò dubitandi occasionem præbuit S. Augustinus, qui in Brevic. collat. contra Donat. affirmat veteri in more positum, ut Romanum Pontificem ordinaret non aliquis Metropolitanus, sed Episcopus Ostiensis. Et certe Episcopo Ostiensi ideo Pallium collatum a S. Marco ob insignem prærogativam consecrandi Rom. Pontificem observant Baronius ad annum 336, Vicecomes lib. 4. cap. 12. volum. 4. de Ritib. Missæ, Pagius, & Sandinus in S. Marco. Quin etiam hodie dum Episcopum Ostiensem utroque honore potiri, ideſt Pontificem ordinandi, & in hac functione dumtaxat gestandi Pallium, ideoque

quum

quum Pontifex Oſtienſi Epiſcopo Pallium elargitur ad eumdem hæc dirigere verba: *Ut eo utaris in conſecratione Summi Pontificis*, adnotant Card. Petra tom. 5. ad Conſt. 3. Pii II, Altaſerra in Comment. ad cap. *Cum in Juventute de præſumpt.*, Benedictus XIV. de Synodo Diœc. lib. 13. cap. 15, & Catalanus in Comment. ad Pontif. Rom. par. 1. tit. 14. §. 3: in his autem ne veſtigium adparet Epiſcoporum aliorum eidem ordinationi adſiſtentium. Difficultatem adauget Ferrandus Diacon., qui in Breviar. Can. cap. 6. ex Concilio Teleptenſi refert Decretum S. Siricii Papæ, quo jubet: *Ut unus Epiſcopus Epiſcopum non ordinet, excepta Eccleſia Romana*. Qua porro exceptione peculiaris Romani Pontificis indicari videtur prærogativa, ut ſolus Epiſcopus ordinetur. Queſnellus hæc verba *Excepta Romana Eccleſia* ab Impoſtore quopiam aſſuta exiſtimat, eo quod in nulla Siricii epiſtola legere eadem ſit: eademque verba additicia, fraudeque alicujus interpolatoris Siricio fuiſſe ſuppoſita exiſtimat quoque Cotelerius in Not. ad Conſt. Apoſtol., quin imo eadem verba ab ipſomet Ferrando mutata, interpolataque opinatur Coutantius in Not. ad epiſt. 5. S. Siricii ad Epiſcopos Afric. n. 2. pag. 654. Verumtamen Mabillonius tom. 2. Muſæi Ital. in Comment. prævio ad Ordinem Rom. cap. 16. auctor eſt in antiquiſſimo Codice Mſ. Corbejenſi, ante annos mille exarato, varia Concilia cum Ferrandi breviatione continente, eadem verba *Excepta Romana Eccleſia* reperiri. Itaque exinde Baluzius in diſſert. de Concilio Telept. ad calcem lib. de Concord. edit. 1704. pag. 1352. hæc verba referri conjicit ad Rom. Pontificis ordinationem, cujus ea ſit peculiaris prærogativa, ut ab uno poſſit ordinari Epiſcopo. Cui in ſententia præiverat Sigonius de Regno Ital. ad an. 682. ſcribens ante S. Leonem II. a ſolo Epiſcopo Oſtienſi, ſecluſis aliis Epiſcopis, Pontificem Romanum conſecrari conſueviſſe. Atqui alteram ex præfatis verbis hauſerunt ſententiam Lupus in append. ad Canonem Nicænum 4, & Mabillonius loco cit., obſervans in Ordine Rom. 9, & in vulgato, in quibus agitur de ordinatione Epiſcoporum, a Pontifice Romano peragenda, altum eſſe ſilentium de aliis Epiſcopis Pontifici eadem in ordinatione adſiſtentibus. Itaque Romanum Pontificem ſemper a tribus Epiſcopis conſecrari conſue-

ſueviſſe exiſtimant Mabillonius eodem loci oſtendens in Ord. Rom. trium Epiſcoporum ad conſecrationem Pontificis concurrentium mentionem occurrere, idemque expreſſis verbis tradi ab Anaſtaſio Bibliothecario in vita S. Leonis II. adnotant Pagius uterque, Senior ad annum 682. n. 6, Junior in S. Leone II, & Maſejus in Not. ad Johannem V. tom. 4. Anaſtaſii edit. Blanchinii pag. 119. Confirmatur id vero totum ex facto ipſius Novatiani, de quo S. Cornelius in epiſt. ad Fabium Antioch. apud Euſebium lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 43. refert, quod tres accitos Epiſcopos, ſeductos, & crapula oppreſſos ſe in Epiſcopum inaugurare coegit.

Cæterum regrediendo nunc in viam, ex qua paullulum deflexeram, Chorepiſcopos aliquando Epiſcopali charactere quoque fuiſſe inſignitos negari omnino nequit, atque ſententia eſt, quam tenent Bellarminus lib. 1. de Cler. cap. 17; Petrus de Marca lib. 2. Concord. cap. 13; Hallier de Sacr. Ordin. ſect. 5. cap. 2. art. 2. §. 5; Lupus in append. ad Concilium Epheſinum pag. 210. edit. Ven. 1724; Cabaſſutius Not. Eccleſ. ſæculi IV. in Can. 13. Ancyranum; Morinus ipſe, & Thomaſſinus locis ſuperius indicatis, Natalis etiam in reſponſ. ad objectiones; Dufreſnius V. *Chorepiſcopi*; Juveninus diſſert. 9. q. 2; Witaſſius in append. ad diſſert. de Epiſcopis art. 3; Drouticus lib. 8. ſect. ult.; Tournellius q. 6. art. 1, quamvis omnes indiſcriminatim Epiſcopos ordinatione fuiſſe exiſtimat; Berti de Theolog. diſcipl. lib. 36. cap. 10, aliique: Ex Proteſtantibus vero Beveregius in Not. ad Can. 13. Concilii Ancyrani, Blondellus, Vendelinus, Salmaſius, Binghamus Origin. Eccleſ. lib. 2. cap. 14, Cavæus, & Baſnagius lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 5, modum excedentes tamen in aſſerendo Chorepiſcopis omnibus indiſtinctim Epiſcopali ordine. Principio enim Can. 13. Ancyrano, Can. 10. Antiocheno, & Can. 9. Aquiſgranenſi ſub Carolo M. prohibentur Chorepiſcopi Presbyteros ordinare, aut Diaconos abſque Epiſcoporum licentia: fallor? Ergo de eorumdem licentia Diaconos, & Presbyteros ordinare poterant: erant igitur præditi Epiſcopali charactere. Verumtamen ſimplices Presbyteros ex diſpenſatione Pontificis M. Diaconatum, ac Presbyteratum conferre poſſe docuere apud Morinum exerc. 4. de Chorepiſcopis cap. 3. Innocentius IV. in Cap. *Quanto de Conſuetudine*;

ne; Silveſter ab Innocentio ibi laudatus; Hoſtienſis, & Panormitanus in idem Cap. *Quanto*; B. Angelus a Calvaſio in Summa V. *Ordo*; Hugo, & Hugolinus a S. Raymundo laudati; Bernardus in Decretalia; Guillelmus Antiſiodorenſis lib. 4. ſummæ tract. 8. q. 1; Aurelius in 4. diſt. 24; & Nicolaus de Orbellis in 4. diſt. 7. qu. 1; eamdem vero opinionem probabilem cenſent Vaſquez in 3. p. diſp. 245. p. 3., & 4; Præpoſitus de Sacr. Ordin. q. 1; Meratius diſp. 8. de Ord. ſect. 2; & quoad Diaconatum ſpectat, (quoad Preſbyteratum enim haud recedendum a S. Thoma q. 38. ſuppl. art. 1. ad 3. docente ex Divina inſtitutione Presbyteratum ab uno Epiſcopo poſſe conferri, recte admonet), eamdem probabilem habet noviſſime P. Berti de Theolog. diſcipl. lib. 36. cap. 13. §. 4, eo non contemnendo momento innixus, quod Innocentius VIII. conceſſerit Johanni Abbati Ciſtertii, & Abbatibus quatuor Monaſteriorum ejuſdem Ordinis Ciſtercienſis facultatem conferendi ordines Subdiaconatus, & Diaconatus ſui Ordinis Clericis: quod privilegium hinc inde diviſis Theologis, ab aliis uti genuinum vindicatur, ab aliis ut pſeudo epigraphum rejicitur. Qui priori adhærent opinioni, ajunt 1. Illud privilegium, quod in nullo Roman. Pontificum monumento publico legitur, quodque Tridentino ſeſſ. 23. cap. 8, quo Diaconorum ordinationes Epiſcopis reſervantur, & cap. 10, quo Abbatibus Ordines Minores dumtaxat conferendi fit poteſtas, adverſatur, pro ſuppoſititio habendum eſt. Ita Hallerius ſect. 1. de Miniſtr. ordin. art. 2, & Silvius in ſupplem. S. Thomæ q. 31. art. 1. 2. Illud privilegium, quo Ciſtercienſi Abbati facultas conceditur conferendi Subdiaconatum, de Diaconatu vero alte tacetur, quodque ab ſe viſum affirmat Victoria in Summa n. 235: item illud privilegium, in cujus prima parte Abbas Ciſtercienſis ſupplicat, ut ſibi renovetur privilegium conferendi Monachis Tonſuram, & Minores Ordines; in poſteriori vero parte legitur eidem Abbati ſupplicanti conceſſa facultas conferendi etiam Subdiaconatum, & Diaconatum, quodque ſe vidiſſe in Collegio Complutenſi refert Vaſqueſius diſp. 245. in 3. p. cap. 4, vel non eſt ipſum, de quo agitur, vel interpolatum eſt. Ita Tournellius de Sacr. Ordin. q. 4. art. 2. concl. 2. 3. Illud privilegium, quod interpretari ea ratione poſſumus, quod ſcilicet Abbati Ciſtercienſi

cienſi indultum ſit, ut litteras dimiſſorias Monachis ſuis dare poſſet, quibus poteſtas fieret cuilibet Epiſcopo, nulla habita Diœceſum ratione, Monachos Ciſtercienſes ordinandi, quodque ita interpretatus eſt Benſonius lib. 2. de anno Jubilæi cap. 23, atque hoc ipſo ſenſu interpretati ſunt, referente eodem Benſonio, Clemens VIII. in Conſtit. *Ut ea* Ciſtercienſibus data, & S. Congregatio Concilii Tridentini interpres an. 1592; imo ita interpretatos fuiſſe Abbates ipſi Ciſtercienſes dicendi ſunt, ut qui in Gallia præſertim eo privilegio nonnunquam uſi ſunt teſte Silvio laudato, genuinum quidem eſt, ſed ad rem non facit: nec a Romano Pontifice id poteſtatis ordinandi Diaconos ſimplici Presbytero poſſe fieri probat.

Qui vero contra pugnant, illudque privilegium germanum eſſe, adeoque rite a Pontifice Ciſtercenſibus conceſſum, aliiſque poſſe concedi propugnant, reponunt 1. Illud privilegium tanquam germanum eſt habendum, quod a viris fide dignis refertur: refertur vero a Chryſoſtomo Henriquez Ciſtercienſi in Bullario ejuſdem Ordinis tom. 1. pag. 190; ab Emanuele Roderico Ord. Minor. in ſua Collect. Bullarum pag. 254; & a Vaſqueſio affirmante illud extare in Collegio Complutenſi, atque ab ſe viſum. Ita Major in 4. diſt. 7; Navarrus lib. 5. Conſilior. n. 13; Henriquez in Summa addit. ad lib. 10. de Ordine; Iſambertus diſp. 6; & Meratius diſp. 8. 2. Illud privilegium ſane genuinum eſt agnoſcendum, quo Abbates Ciſtercienſes uſos fuiſſe conſtat: at eo uſi hactenus ſunt teſte Morino exercit. 4. cap. 3; & Abbas Generalis Ciſtercienſis eo Romæ uſus eſt an. 1662. ſciente, & conſentiente Alexandro VII, teſte Berti loco cit., & Gandavi anno ſequenti teſtibus Vanroi tom. 5. cap. 4. q. 1., & Henno tom. 2. q. 6. art. 3. 3. Illud privilegium perperam interpretati dicuntur Clemens VIII, & S. Cardinalium Congregatio; quandoquidem Clemens VIII. in Conſt. *Ut ea, quæ pro* &c. die 10. Martii an. 1592. data Ciſtercenſibus, & in qua continetur, & confirmatur declaratio S. Congregationis Concilii Tridentini interpretis, Bullæ Innocentii VIII. non meminit; indulgetque quidem Abbatibus facultatem Monachos ſuos ordinandi ad Tonſuram, & Minores, at nec revocat, nec expenit privilegium peculiare ab Innocentio VIII. Abbati Ciſtertii, & qua-

quatuor antiquiorum Monaſteriorum conceſſum. 4. Privilegium illi ſimile conceſſum Prælatis Franciſcanis in India referunt Henriquez in Summa in additionibus ad lib. 10. de Ordine, Herinex, Tannerus, & Vaſquez apud Hennum, & Morinum locis citatis. Utut ſit de hac controverſia, ſane communis, eaque, (ut de Diaconatu taceam) certa Theologorum ſententia eſt, Ordinem Presbyteratus ſaltem nonniſi ab Epiſcopis conferri poſſe, ut ex S. Scriptura, & conſtanti Traditione ab eiſdem demonſtratur, ac inter alios a Doctiſs. Tournellio loc. cit, Natali Theolog. Dogmat. Mor. lib. 2. tract. de Sacr. Ordinat. cap. 3. prop. 2, & Anacleto in Jure Canon. lib. 1. Decretal. tit. 13. n. 17; ubi tamen poſſe ex privilegio, ſeu delegatione Pontificis Sacerdoti non Epiſcopo poteſtatem competere conferendi Ordines Subdiaconatus, & Diaconatus affirmat, eamque ſententiam probabiliorem vocat, pro eadem laudans, ultra ſupracitatos, Engel tit. de temp. Ordinat. §. 2, Pirringhium eodem tit., Tannerum diſp. 7. q. 3, Barboſam lib. 1. juris Eccleſ. cap. 11, & in Collectan. ad cap. *Quanto*, Turrianum in addit. ad Concilium Nicæn. cap. 4, ea addita ratione, quod poteſt Pontifex Sacerdoti non Epiſcopo facultatem facere conſecrandi Eccleſias, & Sacramentum Confirmationis adminiſtrandi, ut fieri poſſe docuit Eugenius IV. in Decreto Unionis; & factum fuiſſe a S. Gregorio M. cum Sacerdotibus Sardiniæ conſtat ex epiſt. 26. lib. 4. ad Januarium Calaritanum Epiſcopum; ab Hadriano VI. cum Franciſcanis in Indiam proficiſcentibus, conſtat ex Reſcripto autographo, quod ſervatur in Cœnobio Hiſpalenſi; ab Johanne XXII, Eugenio IV, Nicolao IV, Urbano V, Leone X. &c. cum iiſdem Franciſcanis ad Indias Orientales, Occidentaleſque abeuntibus, referunt Wadingus in Annalibus ad an. 1444, 1447, & 1521; Arcudius lib. 2. cap. 15; Morinus de Sacr. Confirm. cap. 15, & alii: a Gregorio XIII. cum Patribus Societatis Miſſionariis referunt iidem apud Berti de Theolog. diſcipl. lib. 32. cap. 7. *Cur ergo*, ſubinfert Anacletus, *non idem potuit facere reſpectu collationis dictorum Ordinum?* Chorepiſcopi igitur, quibus facultas fieri poterat ordinandi etiam Presbyteros, juxta hæc dubio procul ordinatione ipſi Epiſcopi erant.

Ad hæc Canone 8. Concilii Nicæni Epiſcopis Novatianis ab

hæreſi redeuntibus locus inter Chorepiſcopos conceſsus eſt; idemque decretum fuiſse de Epiſcopis Meletianis, indultumque ad Eccleſiæ unitatem regredientibus inter Chorepiſcopos locum, colligere licet ex ejuſdem Concilii epiſt. Synodica apud Socratem lib. 1. cap. 9. Ex Act. 6. Concilii Epheſini conſtat Quartadecimanos in ſua ſecta Chorepiſcopos habuiſse. Canone 2. Chalcedonenſi Chorepiſcopi ordinatio ſimoniaca, non ſecus ac Epiſcopi, Presbyteri, aut Diaconi, prohibetur. Can. 18. Concilii Antiocheni Epiſcopis e ſuis Sedibus expulſis de aliquo Chorepiſcopatu providendum præcipitur. In Concilio Regenſi Armentarius Epiſcopus e gradu dejectus in Chorepiſcoporum ordinem redactus legitur. Can. 13. Conc. Neocæſareenſis Chorepiſcopis conceditur, quod Presbyteris erat denegatum, ut præſente Epiſcopo Sacrificium offerrent, & Euchariſtiam diſpenſarent. Can. 8. Concil. Antiocheni Chorepiſcopis prærogativa, quæ Epiſcoporum propria erat, indulgetur Canonicas, ſeu Commendatitias, & Pacificas, ſeu Formatas epiſtolas concedendi, & contradendi Presbyteris viatoribus, & peregrinis: Chorepiſcopi igitur oportet Epiſcopali fuerint charactere inſigniti. Quid quod S. Baſilius epiſt. 181. ad Chorepiſcopos ſuæ Diœceſeos acriter quidem eos redarguit, quod abſque Epiſcopi licentia, & antequam in eorumdem mores diligenter inquiſiiſsent, de iiſque ad Epiſcopum retuliſſent, Presbyteros ordinarent; poteſtatem tamen Presbyteros ordinandi illis non abſtulit? Rabanus Maurus primum Fuldenſis Abbas, poſtmodum Archiepiſcopus Moguntinus in epiſt. ad Drogonem Metenſem de Chorepiſcopis inſcripta, quam Baluzius poſt lib. 4. Concord. Sacerd., & Imp. vulgavit, Epiſcopos illos aſperioribus verbis objurgat, qui Diaconorum, & Presbyterorum ordinationes a Chorepiſcopis factas irritas eſſe, & inanes pronuntiaverant. S. Nicolaus I. in epiſt. ad Rodulphum Archiepiſcopum Bituricenſem ſcripſit prohibendos quidem fore Chorepiſcopos ab ordinationibus Diaconorum, & Presbyterorum faciendis præter Epiſcoporum conſcientiam, factas tamen non eſſe irritas, nec eſſe iterandas. A Chorepiſcopis ergo Ordinationes factæ Presbyterorum erant validæ, etſi illicitæ: ii ergo Epiſcopi erant. Non neſcio a Petro de Marca, & Natali dici Nicolai I. Reſcriptum a Canonibus, & a doctrina veterum,

rum, ſuorumque Deceſſorum alienum; a Thomaſſino par. 1. lib. 2. cap. 2, & Roncalia in Not. ad Natalis locum cit. ſuppoſititium, ac pſeudo-ephigraphum haberi. Quibus autem id argumentis ſuadent? Hoc illi, quod Leo III, & Concilia Meldenſe, & Ratiſponenſe ordinationes Presbyterorum factas a Chorepiſcopis irritas, iterandaſque declaraverint. Hoc iſti, quod S. Nicolaus ea ratione dixerit validas eſſe ordinationes Presbyterorum factas a Chorepiſcopis, eo quod 70. Diſcipulis, qui Epiſcopi fuerant, in Eccleſia ſucceſſerint. Verum non erat cur S. Nicolao Pontifici M. eam ob rem vel conflaretur injuria, vel ab eo abjudicaretur epiſtola. Nam principio S. Nicolaum a veterum traditione, & doctrina minime deflexiſſe conſtat ex dictis, ac ſi ab alterutris erratum fuiſſe dicendum foret, præ Nicolao potius Leo III, & Patres Conciliorum Ratiſponenſis, & Meldenſis erraſſe dicendi eſſent, ut qui omnes ſententiam ſuam ex ſuppoſitis epiſtolis SS. Damaſi, Leonis I, & Johannis III. repetunt, qui Chorepiſcopos fuiſſe Presbyteros dumtaxat, nullo modo Epiſcopos, ſcripſiſſe ſupponuntur. At vero cum S. Nicolao facili negotio concilianiur Leo III, & Concilia Ratiſponenſe, & Meldenſe, ſi dicatur ut ſupra, ſolideque dictum eſt, ex Chorepiſcopis aliquos ordinatione fuiſſe etiam Epiſcopos; atque de hiſce loquutum Nicolaum; alios fuiſſe Presbyteros tantum, de quibus ſint loquuti Leo III, ac Patres Synodorum Ratiſponenſis, & Meldenſis. Nec vero te moveat, quod S. Nicolaus 70. Diſcipulos ab Apoſtolis Epiſcopos fuiſſe conſecratos dixerit, id enim dixerat antea Synodus Neocæſareenſis Can. 13. Ecquis vero dubitet, ſi non omnes, ſaltem inter illos permultos, ac præcipuos, ut Barnabam, ut Joſephum Barſabam, ut Thadæum alterum ab Apoſtolo, ut Jacobum, ut Johannem ab Apoſtolis hujuſce nominis alios, ut Marcum, ut Lucam &c. ab Apoſtolis charactere Epiſcopali fuiſſe inſignitos? Adde quod Hincmarus ep. 17. apud S. Nicolaum I. de Goteſcalcho Chorepiſcopo Rhemorum, qui Presbyterum ordinarat præter Epiſcopi conſcientiam conqueritur, eam tamen ordinationem nec irritam, nec irritandam declaravit. Poſtremo cauſſa nec levis, ut mihi videtur, erat, cur Chorepiſcoporum aliqui charactere Epiſcopali aliquando inſignirentur: nimirum hæretici Cathari, ut conſtat ex Nicæno

Concilio Can. 8; Ariani, ut conſtat ex S. Athanaſio Apolog. 2; Novatiani, ut conſtat ex Sozomeno lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 19; Donatiſtæ, ut conſtat ex Collatione 1. cum illis habita lib. 1. apud S. Auguſtinum, in Pagis, Villis, parviſque Oppidis Epiſcopos ſuos locaverant, cui malo ut occurrerent Epiſcopi Catholici, ii sdem in locis conſtituendos eſſe Chorepiſcopos duxerunt, qui ſi opus fuiſſet, de conſcientia Epiſcopi, qui nonniſi in Civitate erat conſtitutus, Diaconos, ac Presbyteros ordinaret.

Ex his ergo, quæ fuſius, & quidem fortaſſe plus quam par fuiſſet, proſequuti ſumus, illud colligere eſt jurisdictionem Epiſcopalem non ſemper cum Epiſcopali dignitate fuiſſe conjunctam, ut patet ex dictis de Chorepiſcopis illis, qui Presbyteri dumtaxat erant, officiis tamen nonnullis Epiſcoporum perfungebantur: iterum Epiſcopos non ſemper potitos juriſdictione Epiſcopali fuiſſe, ut patet ex dictis de Chorepiſcopis illis, qui ab ordinandis Diaconis, & Presbyteris, Eccleſiis conſecrandis, juredicundo in Eccleſiaſticas cauſsas, & perſonas prohibebantur. Adde quod, ut obſervavit Bailletus, cumplures olim Epiſcopi conſecrati a Romano Pontifice, aut etiam a Patriarchis, nulli Eccleſiæ deputabantur, ut proinde *Regionarii* vulgariter appellarentur, ſed prædicatum Evangelium in Gentes dirigebantur: cujuſce generis fuere SS. Panthænus, Frumentius, aliique oppido plures, quos a S. Petro, ac Romanis Pontificibus deſtinari conſueviſſe paullo ſuperius dicebamus. Congruit huc appoſite, quod obſervavit Cl. Lupus in ſchol. ad Can. 6. Chalced. olim Epiſcopos nonnullos ſolius honoris gratia fuiſſe conſecratos in compenſationem vitæ pie anteactæ, laborumque pro Religione ſtrenue exantlatorum: cujuſmodi fuiſſe SS. Barſen, Eulogium, & Lazarum tradunt Sozomenus lib. 6. cap. 34, & Nicephorus lib. 11. cap. 40. Quamquam Barſem Edeſſenæ poſtea Eccleſiæ præfectum ex epiſt. S. Baſilii duabus ad eumdem arguit Valeſius in Annot. ad cit. Sozomeni locum. Eodem modo apud Hiſpanos Egila ordinatus legitur a Wilichario Legato Hadriani I. in epiſt. 97. Hadriani in Codice Carolino, & hujuſmodi Epiſcopos in Hibernia ordinari paſſim abſque ulla juriſdictione conſueviſſe, ſed ſolo honoris titulo, conqueſtus eſt apud Angliæ Regem S. Anſelmus lib. 3. epiſt. 147.

Non

Non itaque adeo Epiſcopali dignitati adhæret juriſdictio, quin ab ea ſecerni poſſit. Quid ad hæc, quod Monaſteriis præfecti ſæpius, ac pridem Epiſcopi ſunt, quin ulla ipſis in plebem laicam ſuffragaretur poteſtas, adeoque ut Diœceſis loco Cœnobii ambitus dumtaxat eſſet? In Oriente illuſtrioribus Monaſteriis Epiſcopum ab Epiſcopo Civitatis conſecrari conſueviſſe conſtat ex epiſt. 15. Marciani Aug. poſt Synodum Chalced., & Styliani Neocæſar. epiſt. ad Eccleſ. Conſtantinopolit. ad calcem Synodi VIII. De Cantuarienſi, & Jacenſi non loquar, quorum juriſdictio etiam extra Cœnobii Clauſtra effundebatur. Monaſterio S. Dionyſii Pariſienſi Epiſcopum proprium conceſſum a Stephano II, & confirmatum ab Hadriano I. refert ex Sirmondo Harduinus tom. 3. Concil. pag. 2021. In Suburbio Cantuarienſi Epiſcopus olim Cœnobio præerat, quem a S. Lantfranco poſtea extinctum narrat ſcriptor ipſius vitæ cap. 13. Epiſcopos etiam præfectos fuiſſe Monaſteriis S. Martini Turonenſis, & Augienſi, quos demum Urbanus II. abolevit; Caſſinenſi item, quem abrogavit Urbanus V; Lobbenſi, aliiſque obſervat Thomaſſinus par. 1. lib. 3. cap. 41. Bobienſi præterea Epiſcopum præfuiſſe refert Ughellus tom. 4. nov. edit. pag. 929.

Sed ſi parum habeantur hæc, proferam adhuc, quæ planum faciant ab Epiſcopali charactere juriſdictionem tam facile poſſe disjungi, quam frequens, præſertim a Rom. Pontificibus, fuit reapſe disjuncta. Eamdem Eccleſiam duos Epiſcopos, diviſa proculdubio poteſtate, haud raro adminiſtraſſe conglomeratis documentis oſtendit doctiſs. Thomaſſinus par. 1. lib. 1. cap. 29, & par. 2. lib. 2. cap. 55. Antiochenæ Eccleſiæ eodem tempore, nec admodum invitis Rom. Pontificibus, præfuiſſe Meletium, quem Flavianus excepit, & Paulinum, cui ſucceſſit Evagrius, cunctis eſt exploratum, ſed conſulendus S. Ambroſius in epiſt. 78; qui epiſt. 79. Baſſo Epiſcopo alterius ſuperinducti in Eccleſiæ adminiſtratione meminit. Duos Epiſcopos admotos Eccleſiis adminiſtrandis, Capuanæ a Johanne VIII. ſcribit Leo Oſtienſis Chron. Caſſin. lib. 1. cap. 43. Rer. Ital. Script. tom. 2. pag. 248, Marſicanæ a S. Leone IX. refert Ughellus tom. 1. pag. 890, & Reatinæ a Nicolao II. leginus apud Harduinum tom. 6. part. 1. pag. 1067. Ab eo tem-

eo tempore, quo Latinorum armis Græcorum Imperium ſubactum eſt, inter Latinos pariter, & Græcos dividi juriſdictio Eccleſiaſtica cœpit, ſacriſque in eadem Eccleſia Græcorum unus, Latinorum alter præeſſe: donec in Concilio Later. IV. ab Innocentio III. decretum eſt Cap. *Quoniam de officio Judicis Ordinarii*, ne in una, eademque Urbe duo eſſent Epiſcopi, ſed unum penes Latinum integra rei factæ ſumma ſtaret, Græco vero Suffraganeum, ſive Vicarium dumtaxat habere liceret. In Cypro pariter Græcos inter, & Latinos diſcreta erant jura, donec eadem coadunavit, & integra in Latinos tranſtulit Cæleſtinus III. Alexander IV. quatuor ſedere quidem Græcos Epiſcopos, a Græcis electos, & Græcorum Chriſtianis præfectos permiſit, ea lege tamen ut Latinis ſubeſſent: de quibus agit Raynaldus ad an. 1260. n. 35, & ſeqq. In Rhodo Inſula duos obtinuiſſe Metropolitas, Latinum, & Græcum liquet ex ſubſcriptionibus Concilii Florentini, & Spondano ad an. 1438. n. 29: ſed Sixtus IV. Græcum Latino tanquam Apoſtolicæ Sedis delegato ſubjugavit. In Sicilia, & Calabria Græcis Epiſcopis in Græcos jurisdictionem exercere per Romanos Pontifices diu licuit: donec a Pio IV. Conſt. 74. *Romanus Pontifex* an. 1564. die 16. Febr; ac deinde etiam a Benedicto XIV. Conſt. 57. Latinis Græci ſubmiſſi ſunt. In Inſula Corſicæ Græcis degentibus permiſsus eſt Græcus Epiſcopus, qui tamen Vicarii Apoſtolici nomine ſacras eorum res curaret, obnoxius interea Sagonenſi Epiſcopo declaratus a V. Innocentio XI. die 12. Maji an. 1685. Poſtremo Græcis in Diœceſi Varadinenſi exiſtentibus peculiaris Vicarius Apoſtolicus, ſive Suffraganeus, Epiſcopali charactere inſignitus a Benedicto XIV. die 12. Julii 1748. juxta Decretum Innocentii III. conceſſus eſt, de Synodo Diœceſ. lib. 2. cap. 12. Unum viciſſim Epiſcopum duos eodem tempore Epiſcopatus adminiſtraſſe ex Monumentis Eccleſiaſticis diſcimus, quorum multa diligenter collegit, digeſſitque Cl. Thomaſſinus par. 2. lib. 3. capp. 2, & 3. S. Gregorius M. lib. 2. epiſt. 31. Miſenatem, & Cumanam Eccleſiam uni Epiſcopo adminiſtrandam contradidit, gravi certe ex cauſa, qua abſente ab his indulgentiis elargiendis abhorrebat quam maxime, voluci liquet ex lib. 2. ind. 11. epiſt. 20, & 25, lib. 5. epiſt. 9, & lib. 9. epiſt. 41. A S. Medardo Noviodunenſis,

& Tor-

& Tornacenſis Eccleſia procurata legitur apud Surium ad 8. Junii; a quo pariter ad 15. Octob. traditur S. Oſuvaldus Eboracenſem, & Vorceſtrenſem rexiſſe; & a S. Dunſtano Vorceſtrenſis, & Londinenſis adminiſtrata refertur ad 19. Maij. Abſalon ex licentia Alexandri III. Roskildenſem, & Lundenſem gubernavit, uti teſtatur Saxo Gramat. lib. 14. Mitto vero dicere de abuſu, quo Pontifice inſcio, & invito plerique Epiſcopi plures Epiſcopatus retinere non ſunt veriti, de quibus adeundus Thomaſſinus loco indicato.

Accipe nunc aliud documentum, quod ad hæc illuſtranda haud parum juvat. Epiſcopos aliquando deſtinatos Urbibus nondum ſubactis pluribus demonſtrat Cl. Pagius in Crit. ad annum 894. n. 9, & ſeqq. ex factis præſertim Formoſi P. M., & Gelaſii II; quod non eſt aliud, quam oſtendere Epiſcopalis dignitatis individuam non ſemper eſſe juriſdictionem, ab eaque indiviſibilem. E contra ad eamdem Chriſtianis ſacris curandam Urbem, exercendamque juriſdictionem Eccleſiaſticam Epiſcopis Coadjutores Epiſcopos adſcire in veteri, qui impræſentiarum durat, more poſitum erat. Itaque a Narciſſo Hieroſolym. Coadjutor aſſumptus S. Alexander legitur apud Euſebium lib. 6. cap. 9, & Papebrochium in hiſt. Chronolog. Epiſcop. Hieroſolym. §. 34. Theſ. Eccleſ. antiq. tom. 1. pag. 277. Exinde Coadjutorias cum futura ſucceſſione exortas exiſtimat Ruinartius in actis S. Alexandri. Ita Johanni Apamienſi Coadiutorem datum Stephanum aMeletio Antioch. narrat Theodoretus lib. 5. cap. 4, & a Macario Hieroſolym. Maximum Dioſpolitanum delectum Sozomenus lib. 2. cap. 8. Ita a Valerio Hippon. in Coadjutorem ſe adſcitum tradit S. Auguſtinus epiſt. 213, olim 110, referens idipſum præſtitum ab ſe cum Eradio, & a Severo pariter Milevitano: de quo videſis Petrum de Marca lib. 6. Concor. cap. 8. Non loquar autem de pleriſque aliis Coadiutoribus Pontifice M. inſcio, invitoque præter neceſſitatem, utilitatemque Eccleſiarum devexiori ſub ætate aſſumptis, de quibus fuſe agit Thomaſſinus par. 2. lib. 2. cap. 57. Quorum certe in cenſum non venere Coadiutores ii, qui nonniſi graves ob cauſſas a viris Sanctitatis laude inſignibus, nec abſque Rom. Pontificis conſcientia delecti leguntur, quales a S. Auguſtino Caſtuar. Laurentius

tius apud V. Bedam lib.4. cap. 4; a S. Burchardo Herbipol. Mengingaudus apud Cointium ad an. 751. n. 57; a S.Remberto Brem. Adelgarius apud Surium ad diem 4. Febr.; a S. Uldarico Auguſt. Adalbero apud eumdem ad 14. Julii. A Gregorio V. in Synodo Romana anno 998. ideo exauctoratus fuit Stephanus Anicienſis, quod a Guidone proprio arbitratu Coadiutor fuiſſet aſſumptus, apud Dacherium Spicileg. tom.9. pag. 69. Confer Cap. *Paſtoralis* in 6, & Cap. 5. *Extra de Clerico ægrot.* Coadiutorias denique concedere uni Pontifici reſervatum eſt a Concilio Tridentino Seſs. 25. de Reform. cap. 7. Conferunt præterea ad hæc confirmanda, planumque faciendum a Romano Pontifice in Epiſcopos juriſdictionem immediate profluere, eorum pleraque, quæ §. ſeq. congeram, poſtquam contrariæ opinionis Patronis offenderim.

Contra pugnant Dupinius, Boſſuetius, Natalis &c. Epiſcoporum juriſdictionem a Deo immediate derivari propugnantes, ajuntque id ex S. Scriptura, & Traditione conſtare 1. Quidem ex S. Scriptura: Nam Actor.20. *a Spiritu S. poſitos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei* a S. Paulo eſt dictum: atque ab eodem ad Epheſ. 4. dicitur a Chriſto datos: *Quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Paſtores* &c. ſeipſum vero ad Galat. 1. Apoſtolum dicit, *Non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum* conſtitutum. Apoſtolis autem univerſim, quos a Chriſto D. immediate juriſdictionem accepiſſe res eſt extra omnem dubitationis aleam poſita, patetque ex Johannis 20. *Sicut miſit me Pater, & Ego mitto vos*, Epiſcopos ſucceſſiſſe docent S. Cyprianus epiſt.69, S. Hieronymus epiſt. 85, S. Nicolaus I. epiſt. 47, Eugenius IV. in Decreto Unionis; declaravit Concilium Aquiſgranenſe cap. 9, & definivit tandem Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 4, & Can. 6. 2. Ex Traditione: nam S. Symmachus in epiſt. 2. *Ad Trinitatis inſtar*, inquit, *cujus una eſt, atque individua poteſtas, unum eſt per diverſos Antiſtites Sacerdotium.* S. Ignatius Martyr. in epiſt. genuina ad Epheſios: *Epiſcopi*, inquit, *per terminos terræ definiti ex Jeſu Chriſti ſententia ſunt.* S.Cyprianus in epiſt.69. *Apoſtolis*, ait, *Vicaria ordinatione ſuccedunt*, & epiſt. 63. *Epiſcopos*, ſubdit, *Eccleſiis Dominicis in toto Mundo divina dignatione præpoſitos*; idem lib. de Unit. inſinuat: *Epiſcopatus, unus eſt, cujus a ſingulis in ſoli-*

in ſolidum pars tenetur; Et in Concilio Carthagin. III. apud Harduinum tom. 1. pag. 159. Epiſcopum dixit ab alio judicari non poſſe, quum nec ipſe poſſit alterum judicare: *Sed expectamus D. N. J. Chriſti judicium, qui unus, & ſolus habet poteſtatem & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro judicandi*. S. Ambroſius lib. de dignit. Sacerdot. cap. 2. de paſtura Ovium a Chriſto commiſsa loquens, *Non ſolum*, inquit, *tunc B. Petrus ſuſcepit, ſed & nobiſcum eas ſuſcepit, & cum illo nos ſuſcepimus omnes*. S. Auguſtinus tract. ult. in Johan. *Eccleſia*, ait, *quæ fundatur in Chriſto, Claves ab eo Regni Cœlorum accepit in Petro, ideſt poteſtatem ligandi, ſolvendique peccata*. S. Bernardus lib. 3. de Conſid. cap. 10. *Erras*, loquebatur ad Eugenium III, *ſi ut ſummam, ita & ſolam inſtitutam a Deo veſtram Apoſtolicam poteſtatem exiſtimas: ſi hoc ſentis, diſsentis ab eo, qui ait*: Non eſt poteſtas, niſi a Deo .... *Non ergo tua ſola poteſtas a Domino, ſunt & mediocres, ſunt & inferiores*. Patres Concilii Toletani VIII. cap. 7, a quibus auctoritas Epiſcoporum vocatur: *Epiſcopalis eminentiæ Divina auctoritas*. Epiſcopus Signinus in Concilio Later. V. ſub Leone X, quum Pontifex in Bulla de privilegiis Regular. dixiſset: *Epiſcopos in partem ſuæ ſollicitudinis aſsumptos*, reclamavit, repoſuitque ſcribendum, ac dicendum: *Quod Epiſcopi aſsumpti fuerant a Chriſto*. Eam ob rem Epiſcopi omnes olim, ac nunc ſe nominant *Dei gratia Epiſcopos*, ad ſignificandum a Deo immediate ſibi juriſdictionem collatam. Eaque de re ſacra Theologica Facultas Pariſienſis ſæpe tum propoſitiones, quibus Apoſtolos alios a S. Petro, non a Chriſto immediate, ſed a Petro ipſo poteſtatem Epiſcopalem accepiſſe aſſerebatur, tum propoſitiones, quibus Epiſcoporum juriſdictio dependere a Pontifice immediate propugnabatur, veluti Dei verbo ſcripto, & tradito contrarias proſcripſit, earumque aſſertores ad retractationem compulit, uti referunt Natalis in Scholio 2. poſt diſsert. 4. hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. I, Juveninus in Comm. hiſt. de Sacr. diſſ. 9. q. 2. art. 3, aliique ejus ſententiæ homines.

Ad hæc nos reponimus Adverſarios hæc objicientes gravi in errore obverſari, nec illis ſatis noſtram perſpectam eſſe ſententiam. Duo ſiquidem diſtinguenda ſunt: atque quidem aliud eſse

inſtituere poteſtatem, ſeu juriſdictionem, & aliud inſtituere aliquem in iſtjuſmodi poteſtate, & juriſdictione: primum a Chriſto D. inſtitutum fatemur, non etiam ſecundum, (Apoſtolis exceptis): ſcilicet a Chriſto inſtitutum Epiſcoporum Ordinem non modo in ſpecie, ſed etiam Epiſcoporum juriſdictionem in genere, quam proinde juris eſſe Divini non inficiamur: idque evincunt laudata S. Scripturæ loca ab Adverſariis; videlicet voluiſſe Chriſtum in Eccleſia eſſe non ſolum Pontificem, ſed alios præterea Paſtores. Verumtamen in individuo Chriſtus ſolummodo D. Petro, ejuſque Succeſſoribus juriſdictionem in Eccleſiam univerſam contulit; non item ſingularibus Epiſcopis, ſed horum juriſdictionem a Pontifice pendere voluit, & profluere, in quem juriſdictionis plenitudinem detulerat, quem juriſdictionis veluti caput, & fontem deſignarat; a quo in omnes Epiſcopos juriſdictio in individuo diffluereț, ideſt, ut in eo veluti in radice, fonte, capite, & centro Epiſcopi omnes comprehenſi de ipſius plenitudine acciperent: idque evincunt laudata a nobis S. Scripturæ teſtimonia. Quod ut luce uberiori affundatur, ac optimo in loco ſtabiliatur, peto: Eccleſiæ nomine aut venit Eccleſia univerſalis, aut veniunt Eccleſiæ particulares? Si prius, certum eſt quemlibet Epiſcopum a Spiritu S. poſitum nequaquam fuiſſe ad regendam Eccleſiam univerſalem; poteſtas enim regendi univerſalem Eccleſiam ſoli S. Petro, & Romanis Pontificibus concredita eſt, quibus ſolis dictum: *Tibi dabo Claves* &c., *Paſce Oves meas &c.* Si poſterius, certum quoque eſt quemlibet Epiſcopum a Spiritu Sancto poſitum non fuiſſe ad regendam particularem aliquam Eccleſiam; quandoquidem id a Romani Pontificis voluntate pendet, qui Epiſcopos ſingulis particularibus Eccleſiis præficit, eoſque quandoque ad alias transfert, & illorum jurisdictionem mox ampliat, mox coarctat, nunc adimit, nunc reſtituit, modo adauget, modo imminuit: quandoquidem imo Chriſtus D. neque inter Apoſtolos ipſos Populos, Eccleſias, aut Provincias diviſit, ac diſtribuit, quibus dumtaxat dixit: *Docete omnes Gentes*, *Baptizantes* &c. Matth. ult.: *Euntes in Mundum univerſum prædicate Evangelium &c.* Marci ult. *Sicut miſit me Pater, & Ego mitto vos* &c. Joha. 20; ſed diviſis inter ſe Provinciis, ſinguli certas in Regiones prædica-

tum

tum Evangelium profecti ſunt, ut opportune obſervavit Coriolanus in Breviar. ad an. 44. De Provinciis vero, quas Apoſtoli ſortiti Chriſti legatione functi ſunt, ſi ſcire aveas, adiſis Natalem hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. I. cap. 8, ac recole adnotata ſup. Art. VII. §. 1. pag. 236. & ſeqq. Dixi ſuperius *Apoſtolis exceptis*: nam in Apoſtolis principio duo diſtinguenda ſunt, Apoſtolatus, & Epiſcopatus, quæ duo non ſimul inceperunt, nec duo in Epiſcopos ſimul transfuſa ſunt. Apoſtoli ſiquidem inſtituti ſunt ante Cœnam Lucæ 6: *Vocavit Diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit*. In Cœna vero etſi Sacerdotes ordinati ſint, non tamen Epiſcopi, ut non rite ſcripſit Serry exercit. 51. §. 7; ſed Epiſcopi poſt Reſurrectionem veriſimilius ſunt conſtituti Johan. 20: *Sicut miſit me Pater, & Ego mitto vos, accipite ſpiritum Sanctum* &c. Præterea obſervandum eſt Apoſtolatus tria fuiſſe privilegia, primum Evangelium prædicandi ubique gentium, cum poteſtate ubique ligandi, & ſolvendi: ſecundum dogmata fidei, morum, ac diſciplinæ ſtabiliendi: tertium inſtituendi Eccleſias ubique terrarum. Trina hæc poteſtas, atque prærogativa, quam pro ſuo præpoſtero ingenio vexant, turbantque M. Antonius de Dom., Caſaubonus, Salmaſius, Richerius &c., vindicant autem, & illuſtrant Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 2. cap. 12, Labbæus tom 2. Bibl. Mſ., Petavius, Sauſsajus de Myſticis Gall. ſcript., aliique oppido multi, trina hæc prærogativa, inquam, in S. Petro erat ordinaria, quæ proinde ad Succeſsores tranſiit: in Apoſtolis erat extraordinaria, quæ in Epiſcopos derivatur, ut optime notavit Petavius lib. 1. de Eccleſ. Hier. cap. 5. Epiſcopatus vero duas fuiſſe, ſicut nunc ſunt, prærogativas, Ordinem ſcilicet, & Jurisdictionem: Ordinem non modo, ſed & Jurisdictionem generalem in Eccleſiam univerſam Apoſtolos a Chriſto D. accepiſse, cum dependentia tamen a S. Petro exercendam, certo certius eſt. At in Epiſcopis idem Ordo quidem, diſpar autem Jurisdictionis ratio, ſive quoad modum accipiendi, ſive quoad modum exercendi, ut mox oſtendo.

Quibus præmiſſis, objectis primo loco reſpondent aliqui in Apoſtolatu nullos utique in Eccleſia vitos Apoſtolis ſuccedere, unum eſse Romanum Pontificem, qui S. Petro ſuccedat, ejuſque

gerat perſonam, & Primatum: qui proinde ſolus ubique terrarum valeat jus dicere, cauſsas fidei finire, leges diſciplinæ ſancire, morum regulas ſtatuere, & inſtituere Eccleſias. In Epiſcopatu vero Apoſtolis ſuccedere Cardinales, & Epiſcopos, ſed diverſa ratione: prout enim Ordo eſt, & Jurisdictio in particulares Eccleſias adnexa eidem eſt, ita Apoſtolis ſuccedere Epiſcopos: prout vero Jurisdictio erat in univerſam Eccleſiam, ita Apoſtolis ſuccedere Cardinales: quippe Apoſtoli, inquiunt, antequam a S. Petro ſejuncti, certaſque Provincias ſortiti, in illis Epiſcopale munus exercerent, eidem S. Petro in Regimine univerſalis Eccleſiæ adſiſtentes Cardinalitio fungebantur officio: quo circa Apoſtoli prius re Cardinales Eccleſiæ univerſalis, quam Epiſcopi certarum Diœceſium fuerunt: quemadmodum S. Petrus prius fuit Papa Orbis, quam Epiſcopus Urbis. Propterea ſicuti diſperſis in Orbem Apoſtolis ad Diœceſes certas regendas, S. Petrus Romæ defixa Cathedra ad regendam univerſam Eccleſiam Apoſtolorum loco conſiliarios, ac coadjutores adhibuit Linum, Cletum, & Clementem; ita nunc, inquiunt, adhibentur a Pontifice Cardinales ad regimen Eccleſiæ univerſæ, Epiſcopi vero certis Diœceſibus regendis dumtaxat ab eo affiguntur. Quare Apoſtolis quoad juriſdictionem in Eccleſiam univerſam, ſeu quatenus S. Petri in regimine univerſæ Eccleſiæ coadjutores, & conſiliarii erant, ſuccedere Cardinales, qui ea de re Epiſcopis præcellunt: Apoſtolis quoad ordinem, & jurisdictionem in Eccleſias particulares, ſeu quatenus a S. Petro jurisdictio in certas Diœceſes illis facta eſt, ſuccedere Epiſcopos concludunt. Adiſis hanc in rem Petrum Alliacenſem in tract. de auctor. Eccleſ. alibi a nobis laudato; Jo: de Turrecremata lib. 1. de Eccl. cap. 30; S. Antoninum 3. par. tit. 21. cap. 2; Ciacconium in vita S. Hygini; Bellarminum de memb. Eccl. Milit. lib. 1. cap. 16; Eugenium IV. Conſtit. 15. *Non mediocri* §. 4; Sixtum V. Conſtit. 50. *Poſtquam* tom. 2. Bullar. Rom.; Cap. *Verum 6.* qu. 1; & Cap. *Conſtantinus 96.* diſt., ſi tamen hoc poſtremum non eſt adſcriptitium. Etſi dubium eſſe non debeat, quin Emin. Cardinalium dignitas in Eccleſia Romana, quoad nomen non utique, ſed quoad rem, antiquiſſima fuerit, ac S. Petro ejuſdem fundatori coæva, veluti augurari fas eſt ex Anaſtaſio Bibl. in S. Cleto ſect. 3, in S. Evariſto

riſto ſect. 6, & in S. Marcello ſect. 31; ex Johanne Diacono in vita S. Gregorii M. lib. 3. capp. 7, & ſeqq.; ex Synodis Romana ſub Stephano III. edit. Cennii apud Gratianum Can. 5. *Si quis* diſt. 79, & Romana ſub S. Leone IV. in allocutione ad Synodum apud Harduinum tom. 5. pag. 75; copioſeque oſtendunt viri doctiſs. Thomaſſinus par. 1. lib. 2. cap. 115, Nicolaus Antonellus in diſsert. de Titulis a S. Evariſto diſtributis a num. 1. ad 6, Philippus Bonanni de Hierarch. Eccleſ. cap. 100, Jo: Andreas Tria Archiep. Tyri in Not. ad Hieronymi Plati de Cardin. dignit., & offic. cap. 2. §. 1, & ſeqq., ac Cajetanus Cennius in præf. ad tom. 3. par. 1. Antiq. Ital. Muratorii, & in Not. ad ejuſdem diſſert. 61. tom. 3. par. 2. contra Muratorium contendens ab officio, quod eorum proprium erat, qui Parochiis, aut Xenodochiis præficiebantur, eam dignitatem longo admodum intervallo diſtitiſſe, eminentiorique loco, officioque fuiſſe diſtinctam. Qui tamen de ejuſdem Divina inſtitutione diſcordant, deque Apoſtolica ſucceſſione valdequam dubitant, hanc loco diſtinctionem adhibent, quæ re eódem recidit: videlicet duo conſideranda volunt, & diſtinguenda in juriſdictione, ejuſdem inſtitutionem, quam juris Divini concedunt, & collationem, quam pertinere ad jus Pontificium contendunt: aliter juriſdictionem conſiderant in genere, abſolutam, ac indeterminatam, aliter in individuo, dependentem, ſubordinatam, ac determinatam: ita loquuntur Toſtatus in Cap. 16. S. Matth. q. 74, Navarrus de pœnit. in Cap. *Placuit* diſt. 6. reſp. ad 4, Vaſquez in par. 2. q. 95. diſp. 125. cap. 3, Campegius, aliique apud Anaſtaſium lib. 1. de immed. ſubjecto Clavium art. 7, & Perrimezzius in diſſert. 4. ad Concil. Trident. Juxta hæc itaque Apoſtolis Epiſcopi ſuccedunt in juriſdictione quoad inſtitutionem, non quoad collationem: ideſt in illis juriſdictio generalis erat, & a Chriſto D. collata, in iſtis particularis eſt, & a Rom. Pontifice accepta, eique ſubordinata.

Ad 2. reponimus ex dictis mox pateſcere facillimam reſponſionem: Patrum, ac Conciliorum proinde eam eſſe ſententiam, atque profecto eam germanam eorumdem interpretationem, (ut propterea ſe irridendum propinarit Spalatenſis, dum laudatis SS. Patrum locis ſe triumphum de Catholicis reportaſſe putavit

ad-

adverſus Primatum Romani Pontificis, quaſi mente Patrum omnes Epiſcopi ſint ipſi æquales; unde viderint Adverſarii alioqui Pontifici Primatum non ablegantes, ne præpopere, ac præpoſtere agant, dum eadem adhibent argumenta, quibus a Spalatenſi Primatus potius impetitur), eam, inquam, eſſe ſententiam, interpretationemque, quod Epiſcoporum cum Ordo, tum Juriſdictio quoad inſtitutionem, & in genere juris quidem Divini ſint, & a Deo in Eccleſia inſtituta; cum quo tamen ſtat, quod jurisdictio quoad collationem, ac in ſpecie, aut in individuo perſonæ ad Epiſcopatum evectæ non proxime a Deo, ſed immediate a Pontifice dimanet. Vel quod (atque in idem recidit) juriſdictio, ac poteſtas Epiſcopalis, non minus quam dignitas in radice Divina ſit, quum nitatur ordini Divino a Chriſto D. inſtituto, ſitque ſpiritualis, & ſacra, neque humani juris, ſed Divini. Quare dum a Pontifice confertur, ab eo confertur non quatenus ab homine, ſed quatenus a Chriſti D. Vicario, ac Dei perſonam, viceſque in humanis gerente, adeoque divina eſt, non humana. Quo dicendi modo conciliantur dicta illorum Patrum, tum cum iis, quæ a nobis prolata ſunt, tum cum iis, quæ invicem pugnare in ſpeciem videntur. Quoad formulam ſpectat, qua olim Epiſcopi inſcribebant ſe *Dei gratia Epiſcopos* reponimus, quod nunc Epiſcopi ſe *Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia* Epiſcopos nuncupant, qua ſignificent ſe a Deo quidem *mediate*, *immediate* vero ab Apoſtolica Sede Epiſcopatus honorem, & juriſdictionem adeptos. Porro formula iſthæc *N. N. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus*, ſi Thomaſſino vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 60 fidem adhibeas, non admodum eſt antiqua; uti quam omnium primi, in ſignum equidem vel clientelæ ſuæ, vel obſervantiæ ſingularis, vel conjunctionis cum Apoſtolica Sede, uſurpaverint Epiſcopi Latini Inſulæ Cypri. Ita enim iſto nomine uſos Archiepiſcopos Nicoſienſes ſuis in Conſtitutionibus editis ab anno 1251. apud Harduinum tom. 7. pag. 1721, 1731, 1753, & 1760. notat. Tranſcriptum non multo poſt tempore ab Epiſcopis Italiæ eumdem titulum; eodemque Archiepiſcopos Ravennates ſe induiſſe jam inde ab annis 1310, 1314, & 1317. obſervat. Hos proxime fuiſſe imitatos ab anno 1251. Archiepiſcopos Narbonenſes;

ſes; poſthinc ab anno 1365. Turonenſibus acceptum evaſiſſe, ac ſubinde ab anno 1417. Salisburgenſibus animadvertit. Viro doctiſs. de vocibus litem non moveo, ſiquidem rem teneam: nec enim una eis ratio erat præclaro hoc titulo ſibi plaudendi: quippe, ut ipſemet optime conjicit, Epiſcopi Cyprii eatenus ſe Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopos inſcribere gloriabantur, quod ab Apoſtolica Sede juriſdictionem in Latinos non modo, ſed in Græcos, ſed in Armenos, ſed in Maronitas accepiſſent: itaque pari nunc de cauſſa, pervulgatoque more jam Epiſcopi omnes hanc formulam adhibent, qua plane fateantur a Romano Pontifice in ſe juriſdictionem proxime transfundi. Quamquam multo vetuſtiora, quam viderit Thomaſſinus, hujus moris in Italiam inducti exempla deprehendit doctiſſ. Manſius in animad. ad hunc locum, ubi ex Ughello tom. 7. nov. edit. pag. 533, ac in Epiſcopis Fulgin. pag. 696. adnotat jampridem ab anno 1093. S. Amatum Nuſcanum in Hirpinis, uti habetur in fronte ſui Teſtamenti; & ab anno 1174. Anſelmum Nucerinum ſimul, & Fulginatem, ſicuti legitur in Charta donationis ab eo factæ Monaſterio S. Petri de Landelina, *Apoſtolicæ Sedis gratia* ſe ſe Epiſcopos inſcripſiſſe. Perperam igitur, ac peſſime Juveninus diſſert. 9. de Ordine in ſpecie cap. 1. art. 3. objicienti hanc ipſam formulam, quæ jam uſu recepto Epiſcopis venit, repoſuit eamdem ab Epiſcopis omni tempore non fuiſſe uſurpatam; neque huc uſque apud Orientales uſurpari: extra rem enim poſterius hoc eſt, quod in Eccleſia Orientali etiam num inſolita formula iſthæc ſit, ſiquidem, uti ſuper. Art. viſum eſt, Orientalis Eccleſiæ Patriarchis, ac Synodis Provincialibus ex Apoſtolicæ Sedis indulgentia fas incumbebat, & facultas inerat Epiſcopos inſtituendi. Quod ſi vero nec in Eccleſia Occidentali vetuſtiori ſub ætate mos iſte viguit, quo Epiſcopi ſe *Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia* Epiſcopos nuncuparent, vigebat tamen mos æquivalens multiplex, cujuſmodi erat Metropolitarum, ac Epiſcoporum creatio, & conſecratio Pontifici reſervata, Epiſcopatuum inſtitutio, & conjunctio, & translatio &c.; Pallii collatio, amplioris poteſtatis cum Apoſtolicis vicibus commendatio &c.; æqualis etiam conſuetudo relucebat, velut obſervat Gravina in tract. 4. de Cathol. præſcript. par. 2. diſp. 1. q. 2. art. 7.

art. 7, sivè in litteris Formatis, & Canonicis, quas a Romano Pontifice Episcopi accipiebant, tum in tesseram unitatis in fide, officiisque charitatis, tum in argumentum potestatis acceptæ cum dependentia ab ipso exercendæ, de quibus par. 1. Art. 6. in Prolog. abunde dictum est; sive in formulis juramenti, fideique, quibus Episcopi Romano Pontifici obedientiæ canonicæ justissima obsequia dependere, antequam ad participatæ jurisdictionis functiones peragendas accederent, parteſque omnes impositas fideliter adimpleturos se fore polliceri debebant, de quibus paullo post sermo instituetur.

Ad id, quod postremo loco ex Censuris Sacræ Parisiensis Facultatis objectum est, nihil id negotii facessere doctrinæ, quam tanto pondere firmatam hactenus defendi, confidentissime repono, utque ita reponam, nec una, nec levis efficit ratio. Jacobus du Vernant doctor germane Catholicus, vereque pius anno 1658. librum ediderat Gallice inscriptum: *Defense de notre Saint Pere le Pape* &c., quo jus spirituale Romani Pontificis gravibus momentis undequaque decerptis e S. Scriptura, e Traditione, e Conciliis, e Doctoribus orthodoxis, ac e Theologicis dogmatibus pro virili portione defendit. Libri hæc doctrinæ summa. A Christo D. potestatem omnem, quam ipse pro Ecclesiæ regimine a Patre acceperat, in S. Petrum, ejusque Successores Romanos Pontifices, circa ea, quæ ad Ecclesiæ regimen pertinent, fuisse transfusam; eamque propterea a nulla altera potestate, quæ Divina sit inferior, coarctari posse. Conciliorum etiam generalium Canones a Pontifice M. confirmari oportere, utpote a quo jurisdictio proxime in Episcopos profluit; quam imo conferre ipse Episcopis amplam plus, minusve possit, prout expedire judicaverit; in qualibet Episcoporum quoque Diœcesi, absque Ordinariorum consensu, Episcopalia munera aliis obeunda demandare. Pontificis Romani præterea judicium in caussis fidei, aliisque gravioribus supremum esse, ac finitivum, a quo provocari nequeat: eumdemque in fidei definitionibus prærogativa infallibilitatis gaudere, qua pernegata, pernegandam fore *Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*. In hujusmodi doctrinæ capita censorium strinxit calamum Sorbona, variasque infamiæ notas inflixit: quo jure

aut em

autem, quove exitu, ſi abs me quæras, paucis accipe. Erat ne ergo Cenſura illa Pontificis Romani privilegia Divina inſtitutione ſubnixa ſubvertens magnifacienda? Næ, qui eam non parvipenderet, is magnum in errorem prolaberetur? Ergo in eam calamum e veſtigio perſtringens optimæ cauſſæ a Doctore illo ſuſceptæ defenſor Anonymus, libro edito de veteri Theologorum Pariſienſium doctrina, Vernantii librum a calumnia vindicavit, & Cenſuram omnino eluit, eidem oppoſitis Sacrorum Conciliorum Decretis, SS. Patrum teſtimoniis, Summorum Pontificum Conſtitutionibus, Theologorum doctrinis, explicatiſque Angelici, Seraphici, Henrici Gandavenſis, de Racconis, Petri Alliacenſis, Johannis de Turrecremata, Maucleri, Almaini, Iſamberti, Duvallii, Gamachæi, Baillii &c. ſententiis, ac demum ejuſdem Facultatis aliàs latis adverſus gliſcentes hæreſes Cenſuris Theologicis. At præpoſtera Cenſura illa non tam petebatur Vernantii privata doctrina, quam impetebatur Summa Apoſtolicæ Sedis dignitas, cujus univerſo Orbi venerandas prærogativas Theologorum parva manus deprimere, & intra propriæ, jamdiuque profligatæ opinionis cancellos conſtringere contendebat. Quocirca Alexander VII. data Conſtitutione, quæ incipit: *Cum ad aures noſtras*, præfatam Cenſuram vi omni expertem, qua revera erat, nedum declaravit, ſed præterea nigro, quo erat ſane digna, ſtigmate aduſſit.

Quid autem, proh Superos? non audet ſuperbus hominum in ſuo abundans, ac ſe ſuper ſe extollens ſenſus, qui ſemel in tranſverſum agi ſe ſinat? Anno 1666. Monaſterii edita Typis ſunt Excerpta Cenſurarum Facultatis Pariſienſis errorum immaniun cumulatiſſima, invectivarumque in Alexandrinam Conſtitutionem exundantia: digniſſima propterea, quæ Senatus Pariſienſis decreto igni devoverentur. Parum erat Pontificiam Conſtitutionem tamquam rem inviſo monſtro ſimillimam probris laceſſere, ac proſcindere: parum eidem Conſtitutioni, veluti a regulis diſciplinæ omni ævo receptis, a legibus morum Orbi Chriſtiano ſacratis, a dogmatibus fidei in Oecumenitis Conciliis definitis enormiter exorbitanti, multas infamiæ dicas appingere, & tamquam Evangelio contrariam, & in Eccleſiæ Catholicæ everſionem conſarci-

natam, explodendam deprædicare: nisi in ipsum Pontificem M. elato supercilio, incredibilique superbia insurgerent, de Divina inspiratione temere præsumentem eum traducerent, de prætensæ indefectibilitatis privilegio frustra sibi blandientem irriderent, insimu larentque fraudis ad simplicium fidem decipiendam, falsitatis ad sacræ Facultatis dogmata divexanda, imprudentiæ demum, impietatisque ad eam præcipitanter Constitutionem procudendam, veteribusque novos, prioribusque pejores errores accumulandos: neque desinunt, donec hæresis maculam iterum Honorio, & Johanni XXII. denuo irrogarent, hoc est toties recoctam crambem obtruderent. Præstigiatorum, & insolentium hæc non tam sunt, quam profligatorum, & insanientium: in quod interea barathrum arcte semel infixus animo error superbos demum homines non dejicit, & detrudit? At ejusdem furfuris, ac furoris refertissima est Apologia Censurarum ejusdem Academiæ, cui ut calculo accederent suo, Doctores septem desiderati non sunt. Quod autem dictu, audituque horrendum est, Excerpta istihæc consarcinata sunt ex operibus Lutheranorum, & Calviniſtarum, quorum erroribus undique exuberant, & exundant, quæ cæteroquin jampridem apertissimæ falsitatis invictissime evicerant doctiss. præ aliis Perronius, & Coeffetellus. Quod imo admirationem omnem superat, Lutheranis ipsis, & Calviniſtis impudentiores facti Auctores Excerptorum, & Apologiæ, longe pejus in Innocentium X, & Alexandrum VII. debacchati sunt, quam Heideggerus in hist. Pap. ætat. 7, Leydecherus in hist. Jasen., ac Petrus du Molin filius in libello inscripto: *Sermo cujusdam Civis Parisiensis de legatione Cardinalis Chigii* Londini Typis cuso an. 1665, qui a præfatis Pontificibus dicteriis lacessendis, vellicandisque longe magis se temperant. Hæc denique monumenta digna erant, ex quibus Franciscus Bruys in hist. Pap. tom. 5. pag. 335, & seqq., homo in Pontifices felle plenus, uberem furoris hauriret copiam, quam aggere expanso in Alexandrum P. M. infrænis effunderet. Sed hæc tam horrenda tantumdem est indicasse, quantum exsecratione omni digna demonstrasse.

Ex Jure

Ex Jure ſibi obedientiæ ſacramento obſtringendi Patriarchas, Primates, Metropolitas, & Epiſcopos.

§. II.

QUemadmodum ex principio illo præpoſtere intellecto, quod Religio, utpote liber, propriuſque animi actus, & aſſenſus, imperari invitis, perque vim impetrari tam non poteſt, quam non debet, pro quo utique principio collato veluti pede, acieque inſtructa pugnant, non eo tamen debitæ diſcretionis adhibito a Catholicis modo, ex Proteſtantibus M. Antonius de Dom. de Repub. Eccleſ. lib. 7. cap. 8; Adamus Scherzerus de Magiſt. polit. §. 13; Hugo Grotius de jure B., & P. lib. 2. cap. 20. §. 48, & Coccejus uterque in Not. ad hunc locum; Petrus Bœlius Comment. philoſoph. in Luc. 14. 23; Gaſpar Caillardus in eumdem locum; Johannes Crellius in Vindic. pro libert. Relig.; Nicolaus Vedelius differt. 6. de libert. Conſcient.; Johannes Lokius epiſt. de Tollerant.; Gerardus Noodt Orat. de Relig. jure gentium libera; Conradus Goerizius differt. de ſubditis ad Religionem non cogendis, aliique plures, de quibus par. 1. Art. VI. in proleg. ſermonem intexui, ex illo principio, inquam, morem quam jamdiu inolitum, tam religioſe retentum, quo ad Chriſtianorum Caſtra ab hæreſi, aut ſchiſmate reducibus fidei profeſſionem certa ſub formula edendam præſcribere Eccleſia conſuevit, impetendi, improbandique perperam anſam Proteſtantes alii complures arripiunt, ideo quod unicuique fas eſſe velint fidem amplecti, mutareque velut induſium, quam affectent, & malint: haud multum abſimiliter noſtræ Communionis nonnullis inviſum obtigit illud obedientiæ ſacramentum ſcripto datum, quod a Romano Pontifice exigi ab Epiſcopis cœpit, quo ita nempe Romano Pontifici fidem Epiſcopi obligent ſuam, & deſpondeant, ut ab ejuſdem deinceps voluntatis nutu dependere omnino oporteat, nec amplius ab ejus decretis vel latum unguem diſcedere liceat, ſed una impoſterum Epiſcopis pro ratione Romani Pontificis ſtet voluntas. Quam autem abs vero procul aberrent Proteſtantes, oſtendere pretium operæ loco

opportuniori faciam; ubi & quantum ſufficit ad hunc, qui poſterius Orthodoxorum nonnullis adhęſit, errorem profligandum, eliminandumque, ſuppeditabo: interea tamen juvat hunc errorem quam ſupinum, & craſſum, tam exitioſum, ac turpem procul e Chriſtiana Republica propellere, eorumque ab animis prorſus abſtergere, qui forſan eo fuiſſent aſperſi.

Inuſitatam hactenus itaque, ac heri dumtaxat, aut nudius tertius invectam vocant conſuetudinem iſtam, qua ad obedientiæ Canonicæ obſequia Pontifici Romano præſtanda Eccleſiarum Prę-ſules adiguntur. Neque imo hanc intra menſuram ſe continent aliqui, ut novitatis tantummodo accuſent, niſi etiam temere novi oneris titulo mactent hanc fidei profeſſionem ſyngrapha propria conſignatam, qua ſe Pontifici mancipant Epiſcopi: factum hinc denique blaterantes, ut eo minus in iſtis libertatis priſtinæ remanſerit uſus, quo illius magis crevit imperium. In hunc turpiter impegerunt errorem Petrus de Marca lib.6. Concord.cap.7, Dupinius de antiq.Eccl.diſcipl. diſſert.1. §.12, Duguetus in epiſt. die 25. Julii ann. 1724. ad Epiſcopum Monſpelienſem exarata, Petrus Jannonus hiſt. Reg. Neap. lib.3. cap. ult., aliique hujuſce ingenii erga Pontifices MM. homines: neque ſatis ab hoc ſcopulo conſuluit ſibi doctiſs. Thomaſſinus, vir cæteroquin erga Rom. Pontifices animo optime comparatus, dum par.2. lib.2. capp.44, & 46. juramenti Pontifici Romano præſtandi formulam tardiori nimis ſub ætate conſignat, ac novitatis imo inſimulare non abſtinuit. Quamquam ob id laude quammaxime dignum ſe præbuit, quod ad calumniam Pontificibus conflatam propulſandam egregie ſe conferens dilucide oſtenderit poteſtatem hinc nec Pontificis creviſſe, nec decreviſſe Epiſcoporum, quin hinc plurimum incrementi potius horum priſtinæ libertati acceſſiſſe, majoremque in ſplendorem dignitatem aſſurrexiſſe: invectæ ſervitutis inanes ſuſpiciones eſſe excutiendas: triſtiſſima, quæ inciderant, tempora, turpiſſimæ, quæ graſſabantur, hæreſes, ſchiſmata, quibus implicabantur Epiſcopi, cauſſas fuiſſe graviſſimas, quibus Romani urgerentur Pontifices ad conſulendum puritati Religionis hiſce fidei præſcriptis formulis, atque hujuſmodi juramenti ſacramentis innodandos Epiſcopos: hanc itaque diſciplinam, ita temporum

rum iniqua ratione exigente, inductam, etsi nova esset, veteris tamen juris habendam esse innovationem, non etiam novi oneris impositionem. His a viro doctiss. observatis haud parum ponderis ex modo dicendis accedet.

Quocumque itaque tempore tandem hæc lex de præstando fidei sacramento fuerit inducta, indubium est attamen inductam fuisse ideo, ut Romano Pontifici tanquam Ecclesiæ Capiti, & Centro indivulse conglutinati, & coagmentati Episcopi ad unum omnes, arctius ita Unitati Ecclesiasticæ, & Communioni illigarentur, quo ex mutuo nexu, & connexu unus coalesceret Episcopatus, & una consurgeret Ecclesia Catholica. Quis igitur, obsecro, has suspicetur fuisse Pontificum strophas ad suam præter fas amplificandam potentiam, & vicissim ad Episcopalem gradu deprimendam adinventas? Quis grave, intollerandumque hoc servitutis interpretetur jugum, quo non tam Pontifici deservitur, quam Religioni, & Deo collum devote submittitur? Quis gravate ferat hæc sacramenti, fideique valida, & fortissima adhiberi vincula ad Ecclesiæ Unitatem firmissime colligandam? Quis libertatem conqueratur ademptam, dum non tam fastui Pontificis famulari cogitur, si recte cogitet, quam fidei puritati, quam Religionis honori, quam Dei legibus justissima obedientiæ debitæ obsequia dependere? Procul dubio Pontifici, utpote Ecclesiæ universæ Primati, Christifidelium omnium Patri, Christi D. Vicario, & Catholicæ Unitatis Capiti, a Christianis omnibus demisso mentis affectu obediendum est: obedientia ergo multo magis debetur ab Episcopis speciali modo eidem devinctis, a quo in partem regiminis sunt advocati: obedientia vero ista, ex Verbo Dei Scripto, & Tradito alioquin justa, ac jussa, objectum jamdiu evasit juramenti, & voti. Apage itaque inanes illas novæ servitutis invectæ, novique oneris superinducti suspiciones, quæ tam procul absunt abs veritate Evangelii, quam implicent cum probitate, æquitateque, quæ Rom. Pontificum semper propria fuit, atque perpetua! Verumtamen nupera etsi lex esset, vetustissima tamen erat obligatio dignitati ipsi Episcopali coæva, agnata, & concreta: eodem enim tempore Christus D. & Episcopos constituit, & Caput illis præfecit, & Membra Capiti coagmentavit.

Per-

Pervulgata, trita, probataque Toletanæ Synodi XI. Patribus ea lex erat a S. Leone M. in epiſt. 84. indicta: *Qui ſcit ſe quibuſdam eſſe præpoſitum, non moleſte ferat aliquem ſibi eſſe prælatum, ſed obedientiam, quam exigit, etiam ipſe dependat*: juxta quam ibidem Can. 10. relato a Gratiano Cap. 6. *Quamquam* diſt. 23. a Clericis profeſſionem exegit obedientiæ propriis Epiſcopis præſtandæ, quam ipſi viciſſim Epiſcopi Metropolitis ſuis præſtare juſſi ſunt. Porro jamdiu hunc invaluiſſe uſum, ut fidei ſacramento Primatibus Metropolitæ, atque his Epiſcopi ſe obligarent, luculenter oſtendit Thomaſſinus par. 2. lib. 2. cap. 44, & ſeqq. Præterea, jampridem increbuerat ea, quæ arcte poſtea Hincmaro perſuaſio hæſit, homini alioqui, quem auctoritatis Pontificiæ aſſentatorem, plurimumque aſſertorem nemo arbitretur, qui Canonicas litteras ab ſe datas ad Ordinatores Hedenulfi Laudunenſis Epiſcopi his exorditur: *Sicut B. Papa Innocentius docet*, (in epiſt. 2. Decret. edit. Cout. ad Victricium Rotomag. cap. 1.) *oportet hoc nos ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit, a quo principium ſacræ inſtitutionis nos accepiſſe dubium non eſt*. Nempe hoc primo inſitum, perſuaſumque intime electo recens Epiſcopo volebat, ut ei proſpere cuncta in Eccleſiæ regimine ſuccederent, quo demum tota conſpiravit inducta lex de obedientia Pontifici Romano impendenda.

Non heſterna igitur, ſed vetuſtiſſima hæc lex erat, ſive obligatio dignitati, & officio eorum illigata, & adnata, qui eminentiorem in Eccleſia locum ſortiti eſſent, ab ejus dicto pendendi, ejuſque obedientiæ integre ſe permittendi, qui univerſæ Eccleſiæ præeſt, reique chriſtianæ ſummam prægeſtat. Pulchertimam legis hujus præferebat ſpeciem pervetuſtus mos ille ſacer, quo Patriarchæ Orientales actutum, atque fuiſſent inaugurati, ad Romanos Pontifices, veluti ad veritatis Magiſtros, chriſtianæque Univerſitatis Præſides, ſinceram fidei ſuæ profeſſionem inſcribere officio, religionique ducebant, quo de more dixi, prout oportebat, ſup. Art. 7. §. 1. pag. 165, & ſeqq. Hanc primam de fovendo cum Romano Pontifice fœdere, firmandaque ipſius infallibilis Magiſterii ope fide, curam ante induebant, quam eamdem ad proprias Eccleſias diſtenderent. Præluſerat lex illa perinde, juxta quam cum Pal-

Pallii collatione dignitatis inſigni loci in Eccleſia adepti confirmationem petere a Romano Pontifice Metropolitis priſco in more poſitum erat: quibus profecto neque beneficium iſtud concedebatur, quin prius formulæ præſcriptæ fidei ſubſcripſiſſent, veluti hac par. 2. Art. 1. §. 1. pag. 35, & ſeqq. diſſerebam. Hac ideo vero Metropolitæ ſollicitudine angebantur, hoc diſtinebantur ſtudio quammaxime, hacce re nihil habebant antiquius, non tam ut Pallio induti honoratiores incederent, viderenturque ab hominibus illuſtriores, quam ut præfiguratam in Pallio expreſſiſſimam circumferrent, & commonſtrarent ejus imaginem fidei, obedientiæque, qua ſe Romano Pontifici conglutinatos, obſtrictoſque feſtive gloriabantur. Non mirum proinde, quod particulatim Epiſcopis olim ſacramenti hæc obligatio non indiceretur; dummodo Metropolitis Pontificis vicem referentibus penderetur: ſub hac enim lege Epiſcoporum electio confirmabatur a Metropolitis, Metropolitarum autem a Rom. Pontifice, poſt acceptas litteras Synodicas cum profeſſione fidei. Prælucebat hæc ipſiſſima lex in fidei profeſſionibus, quæ ad omnem prorſus ſive hæreſis, ſive ſchiſmatis eluendam, amoliendamque ſive labem, ſive ſuſpicionem veteri recepto, tenaciterque retento more, ac religioſe obſervato, certa ſub formula præſcripta, libelloque propria ſyngrapha confirmato, exigebantur ab omnibus indiſtinctim, qui ſuperni luminis ductu ad frugem regrederentur, antequam eis locus in Eccleſia reſtitueretur: quo de argumento, copioſe, ſi Deus me adjuvet, opportuniori in loco agam.

Juxta hanc igitur diſciplinam, quam ſæpe variaſſe mox dicebam, ex veteri tamen, multiplici, variaque forma politiæ Eccleſiaſticæ profluxiſſe, fundamentum vero in intima, & penitiſſime inſita omnibus, peculiariter autem Epiſcopis, obligatione habuiſſe, S. Bonifacius Moguntinus ſolemni fidei ſacramento Romano Pontifici, tum S. Gregorio II, perſoluto, tempore ordinationis ſuæ obſequio devinxit ſe ſe, & obedientia devovit. *Promitto ego Bonifacius &c. Tibi B. Petre Apoſtolorum Princeps, Vicarioque Tuo B. Gregorio Papæ, & Succeſſoribus ejus, per Patrem, & Filium, & Spiritum S., Trinitatem inſeparabilem, & hoc ſacratiſſimum Corpus tuum, me omnem fidem, & puritatem ſanctæ fidei*

fidei Catholicæ exhibere, & in unitate ejuſdem fidei, Deo operante, perſiſtere, in qua omnis Chriſtianorum ſalus eſſe ſine dubio comprobatur &c. *Hunc indiculum ſacramenti ego Bonifacius ſcripſi ponens ſuper Corpus Sanctiſſ. S. Petri* &c. apud Baronium ad an. 723. n. 4. Sacramento hoc ſcilicet obligabat ſe ſe ad obſervantiam Decretorum, quæ ab Apoſtolica Sede emanarent, & ad defenſionem fidei, quæ integra, & pura in Romana Eccleſia vigebat. Atqui in epiſt. 105. ad Cudbertum Archiep. Cantuar. ipſe met pariter fide affirmat ſua eamdem perinde pollicitationem ſervandæ fidei, & Canonicæ diſciplinæ, quæ a Pontifice fuiſſet præſcripta, ſive profeſſionem inconcuſsæ conſtantiæ in fide, unitate, & obedientia Sedis Apoſtolicæ, ejuſque Decretorum obſervantia, expreſſam ab omnibus Epiſcopis ſuffragio communi fuiſſe in Synodo Germanica anno 742. *Decrevimus in noſtro Synodali Conventu, & confeſſi ſumus fidem Catholicam, & unitatem, & ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ, ſine tenus vitæ noſtræ velle obſervare: S. Petro, & Vicario ejus velle ſubjici... Metropolitanos Pallia ab illa Sede quærere, & per omnia præcepta Petri ſequi, canonice deſiderare... Iſti confeſſioni univerſi conſenſimus, & ſubſcripſimus, & ad Corpus S. Petri Principis Apoſtolorum direximus &c.* apud Harduinum tom. 3. Concil. pag. 1925. Eopſe, quo in Gallia collapſa diſciplina reſtaurari ad priſtinus decus occepit, uſu frequentiori venire cœperunt fidei profeſſiones, obedientiæque canonicæ Romano Pontifici ab Epiſcopis præſtitæ. Inter Formulas antiquas profeſſionis a Metropolis emittendæ ſub ætate Caroli Calvi procuſas, a Sirmondo tom. 2. Concil. pag. 655, & ſeq. ex Mſs. Bibl. Floriacenſis deſcriptas, & ab Harduino regeſtas tom. 5. in append. pag. 1444, & ſeqq., extat Formula generalis, qua præmiſſa fidei orthodoxæ profeſſione, hæc perinde de obedientia Pontifici M. impendenda profiteri quiſque Metropolita debebat. *B. Petro, & Vicario ejus debitam ſubjectionem, & obedientiam me exhibiturum profiteor.* Ad Formulam Bonifacianam exactam hanc fuiſſe nemo non facile videt: cui perquam ſimiles quoque erant formulæ in Pallii collatione præſtari conſuerat, ſicuti videre licet apud Martenium pariter de antiq. Eccleſ. Ritib. tom. 2. lib. 1. par. 2. cap. 8. Recolitur eodem priori loco Adelberti futuri Epiſcopi Morinenſis

rinenſis profeſſio Hincmaro Rem. Metropolitæ ſuo ante ordinationem oblata; qua poſt explicitam articulorum fidei profeſſionem, quod ad obedientiam Summo Pontifici obſervandam attingebat, ſubjungitur: *A ſacris Canonibus, atque regularibus Decretis Apoſtolicæ Sedis me per contemptum pertinaciter non deviaturum profiteor.* Hinc, aut ego fallor, augurari fas eſt a Metropolitis pro Apoſtolica Sede fidei, obedientiæque profeſſionem ab Epiſcopis ante ordinationem accipi conſueviſſe. Quum in Eccleſia Pariſienſi ordinandus eſset Æneas Epiſcopus a S. Prudentio Trecenſi tractoriam epiſtolam tum fuiſse exaratam auctor eſt Hincmarus in poſteriori opere adverſus Goteſcalchum, qua profecto in epiſtola ea conditione ſe Æneæ ordinationi conſenſum præbere ſuum profitetur: *Ut is, qui ordinandus eſt, Apoſtolicæ Sedis omnibus inſtitutis, & BB. Patrum Innocentii, Zoſimi, Bonifacii, Sixti, Leonis, Gelaſii, Cæleſtini, Gregorii, &c. dictis confitendo ſubſcribere, & ſubſcribendo confiteri voluerit.*

Qui omnem contulerat operam, ut in Gallia præſertim Romani Pontificis auctoritatem priſtinum in ſplendorem aſſereret, S. Nicolaum I. putaſne minorem animo induiſſe ſollicitudinem de retinendis Italiæ Epiſcopis in obedientiæ canonicæ ſibi debito obſequio? Ne id putes, ſane prohibet Anaſtaſius Bibliot. in ejus vita, ubi auctor eſt S. Nicolao fuiſse nihil antiquius, quam ut morem in Italia jam tum inolitum obedientiæ juſta obſequia ſacramento dato Pontifici dependendi, ſumma ſua corroboraret auctoritate, & communiret. Juramento illi illigatas certas fuiſse cautiones affirmat, quarum vim eludere aliquando Ravennates Archiepiſcopi tentaverint: in quibus Johannem S. Nicolaus adegit expungere quidquid adulterini priori ſacramento ſuo inſpergere ſtuduerat. Sacramenta adeo ſtricta a Ravennatibus Epiſcopis deinceps exigendi cauſsam dediſse eorumdem ſuperbiam, qua ad autocephaliam vehementer adſpirabant, ideoque ne jugo, quo Romanæ Eccleſiæ tenebantur obligati, ſe deinceps eriperent, hac ratione fuiſse refrænandos, cohibendoſque in officio, Cl. Thomaſſinus opinatur cap. 45. Quamquam anteriori cauſsæ alteri, præſtantiorique inſtiuſmodi præſcriptas juramenti formulas acceptas fore referendas nullus dubitem, quis attamen hinc non per-

ſpiciat nunquam perquamſimiles defuiſſe cauſsas, quibus Romani Pontifices non tam ad novas procudendas ſacramenti formulas, quam ad veterum confirmandum, procurandumque uſum, atque ad eumdem urgendos Epiſcopos permoverentur. In Pallii maxime collatione opportunitas ſe porrigebat exigendi a Metropolitis haſce fidei profeſſiones, quibus eo magis in obſequio Romanæ Eccleſiæ confirmarentur, quo magis honore, decoreque ampliori cohoneſtabantur. At privatis ab Epiſcopis perinde ejuſmodi ſacramenta exigendi alterius genus frequens ſuberat cauſsa. Hanc unam fuiſse graviſſimam, faſtum nempe Photii, quo tumens frontem ſuperbam adverſus Romanam Eccleſiam erexerat, & ad parem aſsurgere gradum exambierat, cur diſtrictiſſime a Græcis Epiſcopis in Photii partes raptis chirographa ſacramenti exigenda duxerint, & decreverint S. Nicolaus I, & Hadrianus II, non dubium videri debet. Non loquor heic, ſed loquendi ſuus erit alibi locus opportunus, de formula profeſſionis Synodo VIII. ſubſcribenda præſcripta, occaſione ſchiſmatis a Photio excitati, ad quod Græci proclives, facilioreſque ambitionis faſtu proprii extra officii orbitam efferri, hac ratione in obedientia Romanæ Eccleſiæ coercerentur, qua propterea ſe impoſterum Apoſtolicæ Sedi indivulſe adhæſuros, ejuſdem ſe obtemperaturos decretis, ejuſque denique communioni immorituros profiteri debebant: ſed loquor de formula, quæ Juri Orientali inſerta tom. 1. pag. 441. legitur. Ea deſignatus Epiſcopus ſcripto dato ſacramento, poſt fidei orthodoxæ confeſſionem, promiſſionemque complectendæ pacis Eccleſiaſticæ, atque obedientiæ Patriarchæ ſuo impendendæ, profiteri debebat, & polliceri: *In omnibus obſervaturum, & conſenſurum Nicolao Sanctiſſimo, & Univerſali Patriarchæ.* Probabile eſt autem quammaxime Patriarchis ipſis chirographa ejuſmodi pro Romano Pontifice ab Epiſcopis fuiſse exhibenda.

Novis in dies cauſſis emergentibus, novas etiam cautiones adhibendi non una ſuberat ratio, & neceſſitas. In Eccleſia Occidentali perſæpe in declivi poſitæ res ſacræ, ac in deterius quotidie prolabentes, eó infelicitatis devenerunt, ut Pontificibus ſummis quammaximam ingeſſerint ſollicitudinem de quærenda aptiori, quæ reperiri poſſet, ratione occurrendi tot malis, & Chriſtia-

ſtianam Rempublicam erigendi. Inter harum calamitatum hiſtorias unam vel alteram ſeligam, unde in hanc rem argumenta traham. Itaque ingentia, quibus tum affligebatur Eccleſia, ſchiſmatis, ac ſimoniæ facinora, quæque ad Cleri inferioris decus omne conſpurcandum videbantur confluxiſſe, diræ, diutinæque factiones, quibus Epiſcopi complures non iam inter ſe ſe diſcerpti, mutuo invicem conflagrabant odio, quam a debita S. Romanæ Eccleſiæ obedientia deficere, quin etiam in Pontificem ipſum ſuperbiſſime inſurgere non verebantur, id remedii S. Gregorio VII. ad hæc redimenda mala inſinuarunt, ut Epiſcopos arctiori ſacramento fidelitatis ſibi conſignaret, & ad Canonicam obedientiam conſtringeret. In Synodo igitur Romana VI. anno 1079. habita omnium primo ab Henrico Patriarcha Aquilejenſi, qui Henrici IV. Imper. ſchiſmaticas partes fuerat conſectatus, ipſiuſque favore, & opera Aquilejenſem Eccleſiam adepius, ad omnem ſchiſmatis labem abſtergendam hoc chirographum exegit, quod habetur lib. 2. Decret. tit. 24. Cap. 4. *Ego, de Jurejurando*, ac legere eſt apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 1586: *Ab hac hora, & in antea fidelis ero B. Petro, & Papæ Gregorio, ſuiſque ſucceſſoribus &c. Papatum Romanum, & Regalia S. Petri adjutor ero ad retinendum, & defendendum &c.* Qui paullo poſt tamen perjurus ad ſchiſma relapſus, in eoque pertinax mortem oppetiit, teſte Bertholdo in Chron. ad an. 1084. Porro formulam prælaudatam S. Gregorio II. tribuendam fore exiſtimat Franciſcus Hallier de ſacr. Elect. par. 1. ſect. 6. art. 1; viciſſim Cæleſtino II, vel III. putat Andreas Sauſſajus in panopl. Epiſcop.; verius tamen vindicat S. Gregorio VII, acceptamque referendam, etſi non integram, oſtendit doctiſs. Blancus de poteſt., & polit. Eccleſ. tom. 5. par. 1. lib. 3. cap. 3. §. 1. Viciſſim inſolita viſa eſt pleriſque animo erga Pontifices haud æque affectis hæc a S. Gregorio VII. propoſita formula profeſſionis; qui eò progreſſi audaciæ præterea ſuni, ut palam, & impune dictis laceſſere non deſtiterint. Atqui Gregoriana illa Formula etſi gravioribus verbis concepta, expreſſaque videretur, reveraque eſſet, re ipſa tamen non differebat a veteri in Eccleſia uſurpata; cujus paullo ante exemplar præbuerat Gervaſius Remenſis Archiep. in epiſt. ad Nicolaum II. apud Ducheſnium tom. 4.

pag. 206, & Harduinum cit. tom. pag. 1060. haud obscure indicans more jam obtinente Metropolitas saltem omnes Romano Pontifici obedientiæ canonicæ vinculo se obligare solitos: *Ego*, inquiens, *subjectionem meam Vobis profiteor*; *& quicumque illam Vobis negaverint, cujuslibet Ordinis sint, mihi communicare non poterunt*. Ejus postinde exemplo S. Gregorio VII. pariter fidem despondisse suam scripto dato Gandulphus Regiensis, & Robertus Carnotensis Episcopi leguntur apud Labbæum tom. 12. pag. 595, & 631, & Harduinum cit. tom. 6. pag. 1563, & 1586. Cur vero formulæ illi juramenti strictiores adjicerentur cautiones, ac si velis, novis vinculis obligarentur Episcopi, graviſſimæ præterea urgebant causſæ, puta simoniæ exundantis expurgandæ, effrænis incontinentiæ cohibendæ, schismatis pertinaciſſimi compescendi, investituras laicorum abolendi; quæ certe causſæ nulla efficaciori ratione altera æque compensari potuissent.

Qui a præjudicata opinione liberum, pacatumque applicuerit animum ad infeliciſſima, difficilima, ac triſtiſſima, quæ tum inciderant tempora, ejusque menti intime sint insita ejus tot affectæ malis ætatis conditio, situs, calamitates, mores, incommoda, non ita judicium feret iniquum sicuti de ea, quam S. Gregorius VII. tenuit, agendi ratione, quave utique non tam sejunctim suam, quam Ecclesiæ causſam evindicabat, non secus de eo, ad quod arripiendum Paschalem II. pariter temporis iniquitas compulit, remedio, de quo ipsemet loquitur in epist. 5, aut 6. edit. Hard. tom. 6. par. 2. pag. 1768, relataque lib. 1. Decret. tit. 6. Cap. 4. *Significasti de Electione, & electi potestate*: *Hoc nimirum malo, & necessitate compellimur juramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere*. Hoc nempe necessario fræno coercendos fuisse existimabat Episcopos, qui exitiali frequenter schismate, cum propriarum Ecclesiarum ingenti pernicie, ab Ecclesia Romana se se abscindebant. Eam porro epistolam a Paschali I. fuisse exaratam ad Panormitanum Archiep., quam revera inscriptionem præfert cit. Decret. loco, putat Emanuel Gonzalezius in Not. ad cit. Cap. *Significasti*; eamdem vero, aut ei persimilem ad Archiep. Poloniæ conscriptam a Paschali II. ex Codice Vatic., qui inscribitur *Liber Censuum*, sive ex Collect. Cencii Cameralis opinatur

Baro-

Baronius ad an. 1102. n. 10; at verius ab eodem Paſchali datam ad Archiepiſcopum Colocienſem in Hungaria pugnant Franciſcus Florens ad tit. *De uſu, & auctoritate Pallii*, Baluzius in ſupplem. lib. 5. de Concord. cap. 48, Pagius in Crit. ad an. 1102. n. 2, & Blancus loc. cit. Epiſtolæ huic occaſionem dederant Hungarorum querelæ adverſus formulam juramenti a Paſchali in Concilio Lateranenſi an. 1102. procuſæ, juxta quam Epiſcopus quilibet profiteri debebat, ac Pontificis M. obedientia devincire ſe ſe verbis hiſce: *Anathematizo omnem hæreſim, & præcipue eam, quæ ſtatum præſentis Eccleſiæ perturbat, quæ docet, & adſtruit anathema contemnendum, & Eccleſiæ ligamenta ſpernenda eſſe. Promitto autem obedientiam Apoſtolicæ Sedis Pontifici D. Paſchali, ejuſque Succeſſoribus, ſub teſtimonio Chriſti, & Eccleſiæ, affirmans, quod affirmat, damnans, quod damnat ſancta, & univerſalis Eccleſia*, apud Conradum Urſpergenſem de rebus geſtis in hac Synodo, Baronium ad cit. an. n. 2, & Harduinum tom. cit. pag. 1859. Hoc, inquam, fidei juramentum nullo in Canone fundamentum habere, nulloque exemplo firmari Hungari querebantur: quas tamen querelas tam injurioſas, quas inanes præcit. epiſtola propulſavit, exploſitque Pontifex, inter alia illis in memoriam id revocans, & menti inſcribens: Romanam Eccleſiam nullo Canone, nullaque Concilii lege ligari, quum omnia potius Concilia, omneſque prorſus Canones ab eadem Romana Eccleſia auctoritatem, ac robur accipiant, ac eadem in eis expreſſe excipiatur. Ultra ipſos vero degere Saxones, Danoſque ſubjungit, ab iis tamen hujuſmodi juramentum ultrocitoque nuncupari.

Salubrius certe conſilium inſederat S. Anſelmo Cantuar. Archiep., qui lib. 3. epiſt. 36. ſe, dum in Eccleſiaſticam dignitatem inauguraretur, Pontifici Urbano II. obedientiam profeſſum tam affirmat, quam ſibi plaudit: *Sub profeſſione obedientiæ Romani Pontificis me conſecrarunt*. Atqui multo æquanimiter minus ferri poteſt, quod a peſſime feriatis quibuſdam eidem Paſchali II. ingenti crimini vertitur, quaſi nempe jura Principalia violaverit, quum Principibus laicis Inveſtituras prohibuit, idque genus juramenti, quo Eccleſiaſticis Beneficiis Epiſcopi inveſtiendi Principibus ſemet obſtringere non dubitabant, graviſſimis ſub pœnis interdixit,

& ab

& ab Eccleſia prorſus eliminare pro virili parte enixus eſt. Nunquid culpa erat a culpa tam grandi Eccleſiam abſtergere? Nunquid infringi aliena jura dicentur ab eo, qui propria in libertatem aſſerere cogitur, & qui a ſacrilega uſurpatione hoſtes deterret, vim legitimis heris intuliſſe dicetur? Igitur qui hac de re Paſchalem in culpam vocat, vocet pariter Victorem II, & S. Gregorium VII, qui fidelitatis juramentum laicis Principibus ab Epiſcopis præſtari diſtrictiſſime prohibuere, ipſorumque veſtigiis inhærentes complures quin etiam Synodi. At hujuſce furfuris homines ſuis in præſtigiis, deterrimoque ſuo in errore dimitto, ut ad mea redeam, & me revocem ad explodendas magis querelas, quæ contra ejuſmodi formulas juramenti Pontificibus impendi ab Epiſcopis ſolitas effundi ſolent; tumque ad oſtendendas Formulas ejuſmodi juri, æquitatique omni ex parte conformes eſſe me conferam. His itaque haud abſimiles erant, eiſdem imo ferme verbis conceptæ formulæ, quæ procuſæ fuere, ac propoſitæ ab Alexandro III. quidem a Schiſmaticis ſubſcribendæ apud Pagium Juniorem, de quibus opportuniori agam ego in loco, atque ab Innocentio III, cujus geſtis inſerta pag. 64. legitur formula ſacramenti, juxta quam Patriarchæ Primatibus, Primates Metropolitis, & Metropolitæ Epiſcopis onus non tam hoc, quam honorem Pontifici Romano impendendum debebant imponere: *Faciant illi jurare, ut Romano Pontifici, & Eccleſiæ Romanæ perpetuam obedientiam, & debitum honorem impendat*. In Concilio præterea Lateranenſi IV. Cap. 5. ab eodem Pontifice lege lata ſancitum eſt, ut quatuor Patriarchæ alii Pallium acciperent a Papa *Præſtito ſibi fidelitatis, & obedientiæ juramento*, utque ipſi viciſſim poſt Palliis donare poſſent Metropolitanos quiſque ſuos *Recipientes pro ſe profeſſionem Canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab iiſdem*. Refertur lib. 5. Decret. tit. 33. *de Privilegiis* cap. 23. *Antiqua*. Juxta hæc ipſa Gregorio IX. apud Raynaldum ad annum 1233. n. 65, juramentum præſtaſſe, fidemque obligaſſe ſuam Archiepiſcopi Cantuarienſis, Upſalenſis, Rotomagenſis, & Legionenſis leguntur, quin tamen novum ſibi impoſitum a Pontifice onus dolerent, aut levem ſuæ libertati inlatam injuriam dicere ſomniarent. Quid vero, quæſo, dicerent, aut dolerent, dum idem

uſus

uſus jam tum increbuerat valdequam ubique, ut fidei ſacramentum Primates a Metropoltis, Metropolitæ ab Epiſcopis, Epiſcopi a Clericis diſtricte exigerent, uti videre licet apud Thomaſſinum par.2. lib2. capp.44; & ſeqq., cujuſque juramenti deinde in Gregorianis Decretalibus innumera extant exempla Lib.1.tit.9.cap.14; tit.33. capp.10, & 13; Lib.2. tit.24. capp.4,& 5; tit.27. cap.13.; & Lib. 5. tit. 31. cap. 6, & tit. 40. cap. 19: pudorem enim prorſus exuiſſe oporteret eum, qui de obedientia ſibi ab inferioribus ſuis impendenda fuiſſet quammaxime ſollicitus, eamdem rependere vero ſuperiori viciſſim ſuo, omniumque ſupremo Pontifici ſummo ægre tuliſſet, aut pejus etiam detrectaſſet.

Referebat magnopere, quis dubitet? ad Eccleſiaſticæ Hierarchiæ unitatem, ſubordinationemque conſolidandam, ut vinculis hiſce viciſſim Clerici Epiſcopis, Epiſcopi Metropolitis, Metropolitæque Primatibus conglutinarentur: oportebat igitur pluſquam omnibus Romano Pontifici tanquam Eccleſiaſticæ Communionis vertici, & centro obedientia devinciri, & obſtringi quid ni omnes. Hujus rei gratia Clemens VI, & Urbanus V. apud Raynaldum ad an. 1370. n. 20. in id ſedulo incubuerunt, ut quæ jam uſu in Eccleſia ubique religioſo venerat, fidei, juramentique formula in Gallicana minime obſoleſceret, ſed tum Romano Pontifici, tum Metropolitæ proprio ſacramentum obedientiæ perſolvere Epiſcopus quiſque teneretur. Nempe hiſce viciſſim ſacris vinculis Eccleſiarum inter Epiſcopos, eorumdemque cum Capite univerſæ Eccleſiæ individuam unitatem conſtringere volebant. Pari religione tenebantur PP. Triden. Concilii, dum Seſſ. 24. de Reform. cap. 12. fidei puritati hac optima ratione conſultum, omnimoque cautum voluere, ut qui ad gradus, dignitateſque in Eccleſia conſcendere cuperent, voti religione, ac juramenti ſacramento Romano Pontifici ſe peculiariter devincirent, fidemque deſponderent ſuam: *Teneantur*, inquientes, *Orthodoxæ ſuæ fidei publicam facere profeſſionem, & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant, ac jurent*. Quæ tamen a Concilio Tridentino deſiderata fidei formula eſt certis expreſſa verbis, eam poſtea concinnavit Pius IV. Conſt. 103. Bullar. tom. 4. par. 2. pag. 204. edit. Rom., & apud Raynaldum ad an. 1560. n. 65. Quid plura? In Pontificali Romano reviſo, &

ſo, & recenſito inſertam, atque Epiſcopis inaugurandis reſcriptam a Clem. VIII. Conſt. *Ex uno*, & ab Urbano VIII. Conſt. *Quamvis* tantum legere præſtat, ut liquido pateat Romanos Pontifices quantum ſemet pro Eccleſia impendebant, tantum rependi ſibi ab Epiſcopis voluiſſe. Ita illos non tam de propria, quam de re communi totius Eccleſiæ fuiſſe ſollicitos, quum ſolliciti fuere de repetendis hujuſmodi fidei ſponſionibus ab Eccleſiarum Præſulibus. Hæreticos pro ſuo pluſquam vatiniano odio in Eccleſiam omni animi contentione in id incubuiſſe, ut Epiſcopos a Pontificis obedientia divellerent, hinc maximam in ſpem erectos fore, ut Eccleſia ſuſque deque everteretur. Hac conditione præſentia ſua Concilio Tridentino non defuturos ſpopondiſſe apud Raynaldum ad an. 1552. n. 16, modo Epiſcopi a juramento obedientiæ Pontifici Romano pendendæ abſolverentur. Tam religionis iſtiuſmodi juramenti Pontifices fuiſſe proinde retinentiſſimos, quam de retinendis in fide, & officio Epiſcopis fuere ſtudioſiſſimi. Experimento diutino edoctos, quoties ad reſtituendam Eccleſiaſticam rem, Chriſtianamque erigendam Rempublicam enixe ſe contulere, toties efficaciſſimam rationem hanc in uſum revocaſſe. Inſerta, & conſerta Capiti membra ſunt: contextæ, & intextæ Romanæ ceteræ Eccleſiæ, totiuſque Epiſcopatus Centro Epiſcopales Cathedræ omnes: itaque tandiu augurari fas eſt, quod illæſa, ſplendida, & integra ſtabit Eccleſiaſtici Sacerdotii unitas, unde totius Eccleſiæ Catholicæ unitas pendet, & dependet, quamdiu obedientiæ Canonicæ ſacramento Romano Pontifici obſtricti, ac indivulſe devincti manebunt, & permanebunt Eccleſiarum Præſules, quo fiet procul dubio, ut quæ emergere poſſent, ſchiſmata prævertantur, & fides pura, & illibata perſeveret.

Ex pote-

Ex poteſtate ſuprema Pontificis in Eccleſias, Cauſſaſque Eccleſiaſticas.

ARTICULUS IX.

De Canonum variis Collectionibus in Cauſſis Eccleſiaſticis utriuſque Eccleſiæ cum Orientalis, tum Occidentalis conſuetudine, & uſu conſecratorum.

PROLEGOMENON.

PRæter opus, præſtitutamque operam videri cuipiam non debet, quod de re a compluribus optime jam acta iterum agatur, atque quidem ab eo, qui de altero plane argumento ſuſcepiſſet agendum: quandoquidem prævia harum Collectionum notio plurimam rebus dictis, dicendiſque lucem afferre poſſit, illorumque juvare intelligentiam: aliunde vero non aliud nobis inſit conſilium, quam quæ fuſiori calamo ab eruditis hanc in rem fuere conſcripta, brevi oratione complecti, ac eorum veluti ſyllogen exhibere, ſed & nonnullis viſis neceſſariis obſervationibus illuſtrare. Eccleſiæ igitur in Eccleſiaſticis judiciis a priſca ad hanc poſtremam ætatem ſacrorum Canonum uſu Collectiones venerunt, at non eædem ſemper, nec Eccleſiis eædem ſingulis, ſed variarunt ſæpe pro varietate temporum, pro varietate morum. Enim vero ab initio, ſive ab Eccleſiæ incunabulis ad uſque ſæculum IV, ante quod nullæ, quod ſciam, adhuc Canonum Collectiones adornatæ obtinebant, ſolis Romanorum Pontificum Decretis, & Reſcriptis, quæ magna ex parte, maxima Eccleſiaſticæ diſciplinæ jactura, perierunt, Univerſalis Eccleſia ubique regebatur. Quamvis quod particularium Eccleſiarum intererat, apud ipſas locum habuiſſe quoque ſuum Epiſcoporum, ac Synodorum decreta, ſtatutaque non diffitear, quæ tamen varia, & quandoque imo contraria pro privatorum hominum ingenio, ſtudiis, affectibuſque variis, & contrariis, certo diſciplinam Eccleſiaſticam

ſtatuere loco nequiverunt. Neque dubium eſt ſane, quin a prima fundatæ Religionis ætate procuſæ ab Apoſtolis leges fuerint, quibus Epiſcopis definiretur officium, & Eccleſiis deſcriberentur jura, Chriſtianæque Republicæ adminiſtratio traderetur, velut indicat S.Clemens in epiſt. ad Corinth. Quin etiam pleroſque Canones, qui num obtinent, quoſque olim traditione jugi retentos, obſervatoſque teſtantur S. Innocentius in epiſt. ad Decentium, & S. Baſilius lib. de Spir. S. cap. 27, Apoſtolico ex fonte profluiſſe, ſubindeque a proximis Apoſtolorum ſucceſſoribus adauctos fuiſſe, dubitare nefas eſt. Nonniſi tamen admodum ſero Canones in unum corpus compactos, ſcriptoque mandatos comparuiſſe veriſimilius videtur. Certe, qui jamdiu Canones vulgariter Apoſtolici conſueverunt appellari, eſſe antiquiſſimos inficiari non ſinunt, qui eorumdem meminere, S. Alexander Alex. in epiſt. ad Alexandrum Conſtantinopolit. apud Theodoretum lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 4; Concilium Nicænum Can. 5; Conſtantinus Imp. in epiſt. ad Euſebium apud ipſum lib. 3. ejus vitæ cap. 61; S. Athanaſius in epiſt. ad Orthodoxos; Concilium Antiochenum an. 341. Can. 9, & Conſtantinopolitanum an. 394. apud Harduinum tom. 1. pag. 955: id hodie tamen indubium Eruditis videtur horum Canonum auctores haud fuiſſe Apoſtolos, veluti aliquando perſuaſum fuerat Epiſcopis Synodi Trullanæ Can. 11, & Nicænæ II. Can. 1, Johanni Scholaſtico in Cod. Can. Eccl. Orient., Juſtiniano Imp. Novel. 6, Theodoro Balſamoni in Can. Apoſt., Matthæo Blaſtari præfat. in Syntag.; & ex Latinis Baronio, Bellarmino, Turriano in defenſ. Canon. Apoſtol. adverſus Centuriatores, Grutero in præf. oper. S. Clementis, Salmeroni tom. 2. tract. 44, Sixto Senen. Bibl. Sanctæ lib. 2. in S. Clemente, cui paſſim tribuuntur, Poſſevino in appar. ſacro, aliiſque, bene vero ex Decretis, aut Synodis habitis ab Apoſtolicis Patribus trium priorum ſæculorum decerptos fuiſſe, & compactos: quo de argumento poterunt adiri, ſi placet, qui copioſe agunt, Petrus de Marca lib. 3. Concord. cap. 2, & Gabriel Albaſpinæus obſervat. lib. 1. cap. 13; ex Proteſtantibus vero Joſephus Scaliger, Johannes Pearſonius, Petrus Cunningh apud Beveregium præfat. in Codic. Canon. primit. Eccleſ., David Blondellus in apolog. de ſent. S. Hieronymi, & Beveregius præcit. loco adverſus Dallæum, alioſ-

alioſque Canones hoſce multis evindicans, tametſi validiora, quæ profert, argumenta, nonniſi a Turriano hauſit.

Horum Canonum 50. genuinos habuere, his alios 35, ex quibus 85. numerus conflatus eſt, & adauctus, ab Impoſtore quopiam circa ſæculi V. exitum, aut initium ſæculi VI. adjectos fuiſſe, aſſutoſque conjiciunt Uſſerius de ſcript. Ignat. cap. 6, & Gerardus Van-Maſtricht hiſt. juris Eccleſ. n. 134: ſed perperam utique, ſiquidem a Concilio Conſtantinopolit. Provinciali ſub Nectario an. 394. celebrato apud Harduinum loco cit. laudatur Canon Apoſtolicus 74, quo Epiſcopus deponi abſque Synodi Provincialis ſententia prohibetur: agebatur tum vero de Agapio, & Bagadio de Epiſcopatu contendentibus. Parvo etiam in auctoritatis pretio Canones Apoſtolici haberi exinde cœperunt, quod inter Apocryphos recenſiti fuerint a S. Gelaſio in Decreto Can. *S. Romana Eccleſia* diſt. 15. Verumtamen in genuino decreto Gelaſiano non fuiſſe comprehenſos ſequentia videntur ſuadere. 1. Non eos in apocryphorum cenſu habuit certe Hincmarus Rem. in opuſc. 55. adv. homonymum Nepot. cap. 24. 2. Verba illa, *Liber, qui appellatur Canones Apoſtolorum, Apocryphus*, deſiderantur in Codic. Mſs. Juſtelli, & in God. Ms. Vaticano n. 493. in lucem edito a Cl. Juſto Fontanino in append. ad lib. 2. de antiquit. Hortæ. 3. Dionyſius Exiguus, qui Romæ Canonum ſuam Collectionem ſæculo vel V. exeunte, vel ineunte VI. elucubravit, ideoque 8, aut 10. poſt ann 5, quam a S. Gelaſio Decretum illud de libris Apocryphis fuiſſet evulgatum, ut ex ipſius epiſtolis ad Petronium Epiſcopum apud Petavium ad calcem oper. de doctr. temp., & altera ad Julianum Presbyterum tituli S. Anaſtaſiæ apud Juſtellum colligit Blancus de poteſt. & polit. Eccl. tom. 4. lib. 2. cap. 3. §. 4. cuique idcirco S. Gelaſii decretum apprime fuiſſe perſpectum oportet, nihilo tamen minus in fronte Collectionis ſuæ Canonibus 50. dictis Apoſtolicis primum locum fecit, quos e Græco Latinos reddidit. 4. Romanis Pontificibus confeſtim, atque ex Collectione Dionyſii latina donati lingua apparuere, Canones iſtos uſu ſacro veniſſe teſtatur Caſſiodorus auctor coævus Divin. inſtit. cap. 23. reapſe vero in Eccleſiaſticis judiciis eoſdem Canones adhibuere SS. Johannes II. in cauſſa Contumeliioſi Epiſcopi Regienſis epiſt. ad S. Cæſarium

ſarium Arelat., Zacharias in epiſt. 7. ad Pippinum, Epiſcopos, & Optimates Regni Francor., in qua 27. Capitulis regulas diſciplinæ Eccleſiaſticæ a Deceſſoribus ſuis; nec non a Conciliis traditas complectitur, quibuſque Canones Apoſtolicos interſeruit, & Leo IV. in epiſt. 1. ad Epiſcopos Britanniæ apud Gratianum diſt. 20. Can. 1. *De Libellis*, & Harduinum tom. 5. pag. 3. cap. 6, qua ipſis Canones hoſce inter alios Eccleſiaſticis in judiciis frequentandos præſcribit. Quamquam etſi apud Græcos Canones hi Apoſtolici ad 85. aſcenderint, uti liquet ex Conciliis Trullano Can. 11, & Nicæno II. Can. 1, nec non ex Collectionibus Johannis Scholaſtici, Photii, Balſamonis, Blaſtaris &c; Latinis tamen nonniſi Canones 50. accepti evaſerunt, uti licet conjicere ex Dionyſii verſione, ex Creſconio in Collect., & Breviat. Canon., ex Anaſtaſio Bibl. in præfat. Synodi VII. ad Johannem VIII, ex Humberto in diſput. cum Nicæta apud Gratianum diſt. 16. Can. 3. *Clementis*, & ex Gratiano ipſo cit. diſt. 16. in præfat. Quocirca fatendum, cur ex iis Canones 50. dumtaxat Romanæ Eccleſiæ fuerint probati, id cauſſæ profecto fuiſſe, quod ejuſdem Rom. Eccleſiæ doctrinæ, moribus, ac diſciplinæ ex his nonnulli parum, nihilque congruerent, quales Can. 45, 46, 62, 65, 67, &c., eademque de cauſſa apocryphis a S. Gelaſio fuerint adſcripti. Quamquam nec omnimode contemnenda interpretatione eoſdem Canones donaverint viri Eruditi, ac inter alios Beveregius in Not. ad Can. 47; apocryphorum quoque nomine non ſemper accipiendos libros fore, qui pravis dogmatibus aſperſi ſint, ſed eos aliquando vel Eccleſiæ Romanæ moribus minus conformes ſint, vel alterum ab eo, quem præſeferunt, nacti parentem fuerint, uti de hiſce Canonibus Apoſt. recte adnotavit Petrus de Marca lib. 3. Concord. cap. 2.

Dimiſſa igitur dubiæ adeo fidei Collectione hac, a Sæculo IV. ad uſque Sæculum V. Canonibus Nicænis, ac Sardicenſibus ſub uno, eodemque titulo deſcriptis uti deſuper cœpit, utque uteretur auctorem ſe dederat S. Innocentius I. in epiſt. 7. edit. Cout. ad Clerum, & Popul. Conſtantinopolit. A ſæculo V. dein uſque ad dimidium circiter ſæculi VI. ea Collectio uſitata fertur, quam ex Canonibus Nicænis, Sardicenſibus, Ancyranis, Neocæſareenſibus,

enſibus, Gangrenſibus, Antiochenis, Laodicenis, & Conſtantinopolitanis, omnibus numero 165, cui ſubinde adjecti ſunt Canones 27. Chalcedonenſes, (expuncto Canone 28. de Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ digniori loco), adornaſſe creditur Stephanus Epheſinus Antiſtes, cujus nomini in veteri Codice Mſs. adſcriptum opus legit Juſtellus; ac juxta quam ſuam, eodem ſervato ordine, elucubraſſe teſtatur Dionyſius in præfat. ad 1. part. Collect. Collectionem iſtam a Concilio Chalcedonenſi Can. 1. approbatam, eidemque Collectioni vim publicæ legis attributam a Juſtiniano Imp. Novel. 131, nonnulli ſunt arbitrati. Verum laudatis in locis ſuperiorum Synodorum decreta obſervari quidem mandantur; quin etiam ex ejuſdem Concilii act. 4, 5, & 11. apud Græcos Collectionem aliquam tum obtinuiſſe colligitur: at de Collectione determinata Canonum, aut a Concilio approbata, aut ab Juſtiniano imperata, nec veſtigium adparet, nec ulla prorſus occurrit mentio. Porro celeberrimæ hujuſce Collectionis geminum circumfertur exemplar: alterum, quod ex Bibliotheca Vaticana, atque ex Chriſtophoro Juſtello homine Calviniſta Henricus ejus filius in lucem edidit ſub hoc titulo: *Codex Canonum Eccleſiæ Univerſæ*: alterum, quod ſub titulo *Codicis Canonum Eccleſiaſticorum Sedis Apoſtolicæ* ex Mſs. Codicibus Bibliot. Thuanæ, & Oxonienſis ad calcem operum S. Leonis M. evulgavit Paſchaſius Queſnellus; quo Eccleſiam Romanam a S. Innocentio I. uſque ad S. Leonem M. uſam fuiſſe opinatur. Verumtamen utrique exemplari ejuſmodi fidem omnem adimunt viri docti: Juſtelli quidem, cujus Collector cum linguæ Latinæ plane ignarum, tum Canonum Eccleſiaſticorum prorſus imperitum ſe prodit, adeo ſtylus eſt barbarus, & incomptus, & Canones ipſi obſcuri ſunt, & implexi. Præterea hoc in Codice deſiderantur Canones Conciliorum Eccleſiæ Occidentalis, ut Sardicenſes, ut Arelatenſes, ut Carthaginenſes, qui in Eccleſia Romana ſub S. Innocentio obtinere jam cœperant, adeo ut Codex hic magis Eccleſiæ Orientalis, quam Eccleſiæ Univerſæ appellandus videatur. Neque eo Codice unquam, uti perperam autumat Juſtellus, vetus Romana Eccleſia uſa eſt: nam S. Innocentius I. in præcit. epiſtola ad Cler., & Popul. Conſtantinopolit. ſolos Nicænos obtinuiſſe ſcripſit; nec alios

alios, prætet Nicænos, Romanæ Eccleſiæ acceptos fuiſse confirmat in epiſt. 5. in edit. Concil. 31. ad Theophilum Alex. Ac certe Conſtantinopolitanos Canones Romana Eccleſia rejecerat, uti liquet ex S. Leone M. epiſt. 97, quem fruſtra in ſuam rapere ſententiam Juſtellus tom. 1. pag. 16. enititur, ex S. Gelaſio in epiſt. 13. ad Dardaniæ Epiſcop.; & S. Gregorio M. lib. 6. epiſt. 32. E contra Sardicenſes una cum Nicænis eodem honore habebat, qui Orientalibus penes ignoti erant, uti fit perſpicuum ex SS. Innocentio, Zoſimo, Cæleſtino, & Leone. Confer Queſnellum in diſſert. 12. ad Codic. Can. Eccl. Rom. tom. 2. oper. S. Leonis; Baluzium in præfat. ad opuſc. Petri de Marca §. 9; Franciſcum Florentem in diſſert. de orig. juris Eccleſ. par. 2; Aguirræum in præf. ad Iſidorum tom. 1. Concil. Hiſpan. diſſert. 2. excur. 1; Coutantium in præfat. ad epiſt. Rom. Pontif. n. 54, & ſeqq.; pag. 58, & ſeq.; & Carolum Sebaſtianum Berardi in ſuo Gratiano emend. tom. 1. obſerv. 4; a quibus ficulneæ, elumbeſque Juſtelli conjecturæ prorſus evertuntur. Quamquam, ut verum fatear, ſub medio ſæculo VI. Canones nonnullos eo in Codice contentos in Eccleſia Romana obtinere cœpiſſe licet conjicere ex Johanne II, a quo ad Cæſarium Arelat. Canones tum Apoſtolici 25, & 29, tum Antiocheni 14, & 15. miſſi leguntur; in Eccleſia Africana fas eſt augurari ex Breviatione Ferrandi, & Breviario Creſconii; in Eccleſia Hiſpanica liquet ex Collectione S. Iſidori Hiſpal., ex qua ſuam confecit Iſidorus Mercator, de quibus mox.

Quæ autem Juſtelli Codici detrahitur, fidem Queſnelli largiri Collectioni neque prorſus licet, ut quæ pari morbo laboret. Codex hic, cujus præter commemorata a Queſnello, pleraque alia exemplaria proſtare in Bibl. Colbertina, Pithæana, Bellovacenſi, Vedaſtina, & Hubertina obſervavit Coutantius loco indic. n. 88. pag. 79, quorumque ope permulta, quæ in Codicem Queſnellianum irrepſere, menda emaculari poſſent, Codex hic, inquam, Capitula 59. complectens, ſi ex veritate æſtimetur, nihil videtur niſi Canonum inconcinna Collectio privati cujuſpiam Compilatoris arbitrio conſarcinata abſque delectu, nec ante ſæculi VI. initium; ut cujus præfatio ex S. Gelaſii verbis magnam partem conflata ſit, promiſcue ejuſdem S. Gelaſii decreta aliis permixta

ibidem

ibidem legantur, Gelaſii ætate poſteriora momenta non habeat, demum ignota fuerit Dionyſio Exiguo, a cujus Collectione abſunt pleraque, quæ in Queſnelliano leguntur, adſunt vero alia, quæ fruſtra in iſto quæras. Contradicit Codici titulus ipſe, qui neque in Codicibus inſpectis a Coutantio, neque in ipſis met, ex quibus eumdem Queſnellus deſcripſit, vel leviter indicat Codicem uſu Eccleſiæ univerſæ olim veniſſe. Et certe Eccleſiæ Romanæ uſu receptus non fuerat: nam pleraſque Decretales Pontificum omittit, quibus tamen Romana Eccleſia regebatur, plures exadverſo Conciliorum Decreta conglomerat, quæ a Romana Eccleſia reſpuebantur. Nicænos Canones ſummo loco habitos a Romana Eccleſia ſcitum eſt: at Canonem 8. ſenſu plane inverſo, & diverſo ab eo, ſub quo eumdem refert S. Innocentius I. in epiſt. 17. edit. Cout. n. 10, Codex hic ſub n. 14. exhibet, ita ut diſciplinam inducat longe diverſam: quippe pro ut ab Innocentio profertur, Novatianis ad Eccleſiam reducibus manum imponi Canone iſto præcipitur, prout deſcribitur a Queſnello, eodem Canone Novatiani ordinari jubentur, & in Clerum cooptari. Præterea Canones Nicænos 27. numerat, qui dumtaxat 20. ſunt; ex iſtis vero 20. poſtremum, ſive vigeſimum ſupprimit, qui profecto Romanæ Eccleſiæ probatus erat, quemadmodum ipſo fatente, Tertulliano lib. de Corona milit. cap. 3; S. Baſilio lib. de Spir. S. cap. 27; S. Epiphanio in expoſit. fidei; S. Ambroſio, ſive S. Maximo Taur. ſerm. 61., S. Auguſtino in epiſt. 53. ad Januar.; S. Hieronymo adv. Lucif.; S. Iſidoro de offic. lib. 1. cap. 31, quibus Coutantius addit S. Petrum Alex. de pœnit. Can. 15, & S. Hilarium Pictav. in prolog. ad lib. Pſalm. n. 12. Codex eſt denique hic indiligenter elaboratus, multis in locis, Queſnello ipſo fatente, indigeſtim conflatus, ubi Canones videas nec diſtinctos, nec integros, aliquos omiſſos, alios truncatos, alios amplificatos; cum decretis Conciliorum Pontificum decreta permixta, ex his pleraque neglecta, viciſſim pleraque, quæ ad rem non faciunt, adjuncta, atque ex Principum legibus deſcripta, neque demum Canones pro ætatis ordine paſſim collocatos. Quis itaque, amabo, ſibi perſuadeat Eccleſiarum Principem Romanam Codice tam infabre confecto, totiſque inſperſo nævis uti non fuiſſe veritam, nec,

nec, quo uteretur, meliorem habere potuisse? Postremo Codices ambo Justelli, & Quesnelli præterquam inter se plurimum dissonant, ac plurima adjuncta prorsus a Canonibus extranea continent, quod decretorium videri debet, demptis hisce duobus Codicibus, vix ejusmodi Collectionis in Ecclesia Romana reperire vestigium est: quod non ita contingeret, si ea Collectio usu Romanæ Ecclesiæ Decretorum suorum retinentissimæ alioquin, ac religiosissimæ juxta custodis, usuque ideo universæ consecrata fuisset. Hæc de Collectionibus Canonum ad Ecclesiam spectantibus universam.

Descendendo nunc dividue ad Canonum Collectiones in Ecclesia Orientali veteri, novoque usu consecratas, omnium prima, antiquiorque se offert, quam ex actis Conciliorum adornatam a Sabino Episcopo Heracleensi in Thracia memorat Socrates lib. 1. hist. Eccles. cap. 8, & lib. 2. cap. 17, & ex qua ipse sæpius testimonia depromit. Hodie tamen Collectio ista frustra desideratur, neque etiam si supperetet, aliquo in pretio habenda foret: quippe pleraque hoc in Compilatore reprehendit jure, ac merito Socrates, ut vidit etiam Valesius in Not. ad lib. 1. cap. 8, ac reprehensione dignissima reapse erant: quod compilator hæresi Macedoniana gravissime laborarit: quod mala fide usus fuerit in actis illis colligendis, ea quidem studiose referens, quæ ad suam adstruendam hæresim conferrent, quæ vero officerent, turpi involvens silentio: quod orthodoxis Episcopis quam maxime infensum se ostenderit, ac Patres Nicænos tamquam ignaros, & simplices traducere non sit veritus: quod celeberrimam S. Julii P. M. ad Orientales epistolam in Collectione sua intexere omiserit, e contra Eusebianorum ad eumdem Julium epistolam inserere sua e re esse judicaverit. Serius igitur auspicanda est Collectio Canonum Ecclesiæ Orientali universim accepta, eaque retrahenda ad annum 692, sub quo adhiberi Collectio illa cœpit, quæ conflata fuerat ex Canonibus, qui prioribus Collectionibus fuerant quidem inserti præsertim illi, quam adornasse fertur Stephanus Ephesinus, quæque probata a Chalcedonensi Concilio falso jactatur, demptis Sardicensibus non ubique ab Orientalibus Ecclesiis receptis: videlicet Nicænis, Ancyranis, Neocæsareensibus, Gangrensibus, Antiochenis, Laodicenis, & Constantinopolitanis: quibus adnexi Canones 85. Apo-

Apoſtolorum; Conciliorum etiam Epheſini, Chalcedonenſis, Conſtantinopolitani II; Carthaginenſes, ſelecti ſcilicet ex plurimis Africanis Conciliis ad numerum 133, & Conſtantinopolitani anno 394. ſub Nectario : adjecti quoque Canones delecti ex epiſtolis Canonicis SS. Dionyſii Alexandrini; Petri item Alexan. ad 15. numero; Gregorii Neocæſareenſis numero 11; Athanaſii iterum Alexandr.; Baſilii Cæſareenſis ad 86.numerum; Gregorii Nyſſeni; Gregorii Nazianzeni; Amphilochii Iconienſis numero 17; Timothei Alexan.; Cyrilli etiam Alexand. ad numerum 7; Gennadii Conſtantinopolit.; S.Cypriani Carthaginenſis,& Concilii ſub ipſo celebrati. Collectionem hancce approbavit Synodus Quiniſexta in Trullo habita an.692,aut ſuper.,quæ tamen illi pondus,quo ipſa caruit, conferre non potuit, ſiquidem Synodus illa Pontificibus Romanis, ut alibi diximus, probata non fuit. Huic Collectioni poſtmodum Zonaras Monachus, & Balſamon Patriarcha Antiochenus, homines ambo ſchiſmatici, Canones Trullanos numero 102, nec non Canones Synodi cum VII, tum VIII; imo Canones in Collectione Photiana contentos ſubtexuerunt. Ante hanc altera apud Græcos circumfertur, quæque Theodoreto Cyrenſi Epiſcopo adſcribitur, Canonum Collectio, quæ ultra Canones in Codice univerſæ Eccleſiæ comprehenſos, de qua paullo ſuperius, nonniſi Canones Apoſtolorum,& Sardicenſes complectebatur. Poſt vero alteram Canonum Collectionem circa an. 574. elaboravit Johannes Antiochenus cognomento Scholaſticus, qui Eutychio expulſo in Sedem Conſtantinopolitanam inſiluit. Complectebatur Collectio iſthæc non niſi Canones in Collectione Theodoreto adſcripta contentos, quibus Imperatorias quoque leges, quæ ipſis ſacris Canonibus viſæ fuerant conſonæ, attexuit, atque in quinquaginta titulos diſtribuit: exinde origo repetenda Nomo-Canonum apud Græcos,videlicet Collectionum ex jure tum Canonico, tum Civili confectarum. Ad hæc alterum Nomo-Canonem adornavit ann.860 circiter Photius; Collectioni Trullani Codicis adjecit Canones ab ſe conditos in pſeudo-Synodis tum contra S. Nicolaum I, tum contra S.Ignatium Conſtantinopoli habitis: præterea quinque opuſcula Theophili Alexandrini, & epiſtolam Tharaſii Conſtantinopolitani Antiſtitis ad Hadrianum I. inſcriptam, atque

demum Legum Civilium titulos accommodavit, qui ſacris Canonibus conſoni videbantur. Photianum Nomo-Canonem Commentariis illuſtrarunt Zonaras, & Balſamon: quorum ſtudia, ſi quidem ſchiſmaticorum, non magis facienda, quam Photii ſchiſmatis incentoris Nomo-Canon. Epitomen etiam Canonum elucubrarunt ſæculo IX. Simeon Logotheta, ideſt Eccleſiæ Oeconomus, ſæculo XII. Conſtantinus Harmenopulus, & Alexius Ariſtinus, de quibus quemadmodum de Photiano idem eſto judicium. Veniunt in eumdem cenſum Michael Pſellus, Arſenius Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Matthæus Blaſtares, quorum vix, ac ne vix quidem ullo in pretio Epitomes habendæ ſunt. Atque hactenus de Collectionibus Canonum, quæ uſu Eccleſiæ Græcæ venerunt.

In Eccleſia Occidentali, quod noſtra potiſſimum refert, prætermiſſis Collectionibus a Juſtello, & Queſnello in lucem vulgatis, tamquam iis, quæ noſtram obligare haud merentur fidem, celeberrima principio audit Collectio Canonum Africanorum, quam ſub nomine Codicis Eccleſiæ Africanæ vulgavit Juſtellus, recudique curavit Voellus tom. 1. Biblioth. juris Canonici veteris. Ea complectitur Canones 133, quos calculo comprobaſſe ſuo referuntur Epiſcopi 217, inter quos S. Auguſtinus ipſorum mens, & ingenium an. 419. in Concilio Carthaginenſi collecti, quod præſentia etiam ſua Apoſtolicæ Sedis Legati cohoneſtarunt. Verum in hoc Codice Africanæ Eccleſiæ deſiderantur Canones Nicæni, quos tamen Carthaginem allatos a Cæciliano ex Nicæno Concilio in Africam reduce diſcimus ex præfatione hujuſmet Concilii Carthaginenſis an. 419. celebrati. Quis imo dubitet, quamvis nullo id litteris demandato monumento demonſtretur, Africanæ Eccleſiæ alios præterea Conciliorum ſaltem generalium Canones uſu, & conſuetudine fuiſſe ſacros? Interea hunc Juſtelli Codicem Eccleſiæ Africanæ, quem emendatum, illuſtratumque edidit deinde etiam Harduinus tom. 1. Concil. pag. 861, & ſeqq., purum putumque Dionyſianæ Collectionis, de qua mox, ſegmentum eſſe, multiſque Capitibus detruncatum, ſcite obſervarunt Vaneſpenius in tract. hiſt. Canon. par. 2. cap. 3, & Coutantius in præf. ad epiſt. Rom. Pontif. §. 6. pag. 94. Circa medium circiter ſæculum VI, quo floruit Dionyſius Exiguus Abbas Romanus, etſi genere

nere Scytha, adhiberi in Ecclesia Occidentali universa cœpit Collectio, quam idem Dionysius rogatus sive a Laurentio Romanæ Ecclesiæ Presbytero, sive a Stephano Episcopo Salonitano, uti scribit Cassiodorus, sive ab utroque, adeo ut in gratiam unius partem unam elaboraverit, alteramque in gratiam alterius, elucubravit. Hæc vero Collectio Canones omnes, demptis nonnullis, in Codice Canonum Ecclesiæ Universæ contentos editionis tum Justelli, tum Quesnelli exhibet; sed & insuper Canones 27. Concilii Chalcedonensis, Canones 50. priores Apostolorum, & Africanos, integra vero Canones 394. complectitur: cui Decreta, etiam Romanorum Pontificum a S. Siricio usque ad S. Hormisdam subjunxit. Hanc Dionysii Collectionem, quam publici juris fecit Justellus tom. 1. Bibl. juris Canon., probatam fuisse ab Ecclesia Romana, aut usu saltem facile confestim in ea consecratam, testatur Cassiodorus divin. lect. cap. 23, & constat ex caussa Contumelioſi Regiensis Episcopi, in cujus judicio Johannes II. Canonibus a Dionysio collectis usus est, velut adparet ex citata sæpius epistola ea de re data ad S. Cæsarium Arelat. tom. 1. Concil. Gall. edit. Sirmondi. Hanc quoque Dionysii Collectionem approbatam fuisse in Ecclesia Gallicana colligitur ex eodem S. Cæsario Arelat. in cit. caussa Contumelioſi, & ex Conciliis Aurelianensi III. Can. 3, & Parisiensi sub Chilperico Rege, teste S. Gregorio Turon. lib. 5. hist. Francor. cap. 19; sed & confer Sirmondum in præfat. ad Concilia Gall. tom. 4. oper. pag. 628; Carolum Cointium in Annal. tom. 2. pag. 177, & seq., ac tom. 6. pag. 44, & seq., Quesnellum etiam in dissert. 16. ad S. Leonem M. In Ecclesia Hispana præterea, veluti documento esse potest Synodus Bracarensis II. an. 563. habita. Non eò tamen pervenit Dionysii diligentia, ut Conciliorum omnium Canones, ac omnia Pontificum Decreta, quæ cæteroqui robore non carebant, repererit, & collegerit, adeo ut non indiguerit Collectio ista, quin pleraque ab ipso prætermissa adjungerentur postea, antequam Carolo M. eadem Collectio traderetur, ut observavit ipsemet Christophorus Justellus in præf. ad vet. Cod. Ecclesiæ univ.; cujusmodi etiam est vetus Ms. Versio Theostica utriusque Sylloges tum Canonum, tum Decretalium. Confer Bernardum Pezium tom. 1. Anecdot. pag. 273, & 401, ac Jo. Alber.

tum Fabricium Bibl. Græcæ tom. 11. pag. 13. Exinde itaque evenit, ut Dionysii Collectio, etsi maximæ evasisset auctoritatis, non eæ tamen, ac tantæ, ut in eam delata fuerit vis omnis Canonica, intraque eamdem disciplina Ecclesiastica omnis fuerit concluſa.

Nihilo tamen minus Jus illud Canonicum a Dionysio concinnatum dictum est Jus antiquum, quo scilicet Ecclesia Occidentalis communiter usa est usque ad annum circiter 836, sive etiam ad annum usque 847, quo clavum universæ Ecclesiæ tenebat S. Leo IV., qui in epist. ad Britanniæ Episcopos apud Gratianum Cap. *De libellis* dist. 20, Canones, quos Ecclesia in judiciis Ecclesiasticis adhibere solebat, commemorans cap. 6. eosdem recenset, quos exhibet in sua Collectione Dionysius, scilicet Apostolicos 50, Nicænos 20, Ancyranos 24, Neocæsareenses 14, Gangrenses 20, Antiochenos 25, Laodicenos 59, Constantinopolitanos 3, Chalcedonenses 27, Sardicenses 21, Carthaginenses, & Africanorum Conciliorum alios 138. Præterea ex Rom. Pontificum Decretalibus Siricii 15, Innocentii I. 57, Zosimi 4, (Bonifacii I. 4. a Dionysio relata Decreta S. Leo hic transilit), Cælestini 22, Leonis I. 49, Gelasii 28, & Anastasii 8, in quo Dionysius desinit, quibus S. Leo Hilari, Simplicii, & Symmachi Decreta subtexit. Ab hoc deinde tempore Jus novum obtinere cœpit, videlicet sub id circiter temporis Isidorus Mercator suam Canonum adornasse creditur Collectionem. Ampliſſima quidem Collectio est, adeoque ut nulla haece ditior hactenus prodiisset: quæ tamen genuina habet, ea omnia hausisse Isidorum ex quadruplici Collectione, scilicet ex Dionysiana, ex Hispana, ex Hadrianæa, de quibus paullo post, & ex Romana Quesnelli, de qua paullo superius dicebam, conjectura auguratus est doctiss. Coutantius in præcit. præfat. §. 10. pag. 126. n. 154, & seq., nisi quod pseudoepigraphis longe plurimis infecit, atque ex epistolis Romanis proculdubio Pontificibus suppositis, (num ex industria, ac dolo, an inadvertenter, & ex deceptione, viderint alii), conspurcavit, scilicet ullo absque delectu adscriptis SS. Clementi 5; Anacleto 3; Evaristo 2; Alexandro 3; Sixto 2; Thelesphoro 1; Hygino 2; Pio 4; 1. Aniceto; 2. Soteri; 1. Eleuthero; 4. Victori; 2. Zephyrino; 2. Callisto; 1. Urbano; 2. Pontiano; 1. Anthero; 3. Fabiano; 3. Cornelio; 1. Lucio;

Lucio; 2. Stephano; 2. Sixto II; 2. Dionyſio; 3. Felici; 2. Eutychiano; 1. Cajo; 2. Marcellino; 2. Marcello; 3. Euſebio; 1. Melchiadi; 1. Silveſtro; 1. Marco; 2. Julio; 2. Liberio; 2. Felici II; 3. Damaſo, omnibus 76. confictis: quarum tamen in cenſum non veniunt pleræque aliæ Pontificum eorumdem genuinæ utique epiſtolæ, de quibus alibi diſputatum jam eſt abunde. Porro Jure illo novo ab Iſidoro conſarcinato uſa quandoque Eccleſia eſt, non quod genuinum undequaque putaret, ſed quod ad Judiciorum ordinem conferret, velut obſervat Baronius ad an. 865. n. 5, & ſeqq.: atque uſam quidem Eccleſiam Jure illo Iſidoriano adparet ex S. Nicolao I. in epiſt. 42. ad Galliar. Epiſcopos; ex Angilramno Metenſi Epiſcopo in Collect. Capitul., quæ Collectio etſi ſub nomine Hadriani I. circumferatur ad Angilramnum directa, contra tamen Angilramni opus eſſe Hadriano inſcriptum ex veteri Codice Mſ. Bibl. S. Victoris Paris. contendit Baluzius in præfat. ad Dialogos Antonii Augurtini de emend. Gratiani; ex Benedicto Levita, a quo Caroli M., & Ludovici Pii Capitularia in tres libros digeſta ſunt; ex Hincmaro Laudun. in libello ad homonymum Remen. apud hunc opuſc. 55. cap. 43; ex Luitprando Ticin. in lib. de vitis Pontif., aliiſque: Ex Conciliis quin etiam Aquiſgranenſi anno 836; Colonienſi an. 887. cap. 3; Moguntino an. 888. cap. 2; Metenſi eodem anno cap. 12; Triburienſi an. 895. capp. 19, & 21; Remenſi an. 991. cap. 2; Lateranenſi ſub Calliſto II. Can. 4, quo loci epiſt. 2. S. Stephani I, & epiſt. 2. S. Calliſti I. laudantur. De Collectione iſta Iſidoriana recole, ſi placet, quæ par. hac 2. Art. 1. in Proleg. tradidi, ubi & momenta, quibus opus exploderetur, & Auctores, qui deceptionis fraudes detexiſſent, quantum operæ intererat, & oportebat, indicavi.

Neque vero Jus ſive illud Dionyſii prius, ſive iſtud Iſidori poſterius, offecit, quo minus pleræque aliæ privatæ Canonum Collectiones Occidentali in Eccleſia obtinerent, uſuque ſacro in Eccleſiaſticis cauſſis venirent. In Eccleſia Gallicana proprium obtinuiſſe Canonum Codicem indicat haud obſcure Agobardus lib. de diſpenſat. Eccleſ., & in epiſt. ad Imperat. de duello, diſerteque affirmat Petrus de Marca lib. 6. Concord. cap. 21, confirmantque ex Gratiano Can. *Si quis Diaconus* diſt. 50. Chriſtophorus Juſtellus

ſtellus in præfat. ad Codic. Eccl. univ., & Carolus Fevretus lib. 1. cap. 4: quem tamen Canonem non S. Hormiſdæ, cui tribuunt Gratianus, & Juſtellus, ſed S. Cæſario Arelat. reſtituendum ſcite advertunt Sirmondus, & Labbæus. Nullam olim tamen Collectionem olim in Gallia Canonicæ legis vim habuiſſe contra Fevreti opinionem perſuaſum erat Sirmondo in præfat. ad Concil. Gall. In obſcuro interea latet, quæ nam, & qualis ejuſmodi eſſe potuerit. Petrus Coutantius, vir adornandis, illuſtrandiſque Rom. Pontificum litteris, bonoque harum ſtudio incumbentibus natus, in præf. ad eaſdem epiſt. pag. 62, & ſeqq. §§. 2, & 4. duas pervetuſtas, neque S. Symmachi poſteriores ætate, produxit in lucem Canonum Collectiones, alteram ex Codice Mſ. Corbejenſi, alteram ex Cod. Mſ. Colbertino, utraque autem uſu antiquo Gallicanæ Eccleſiæ veniſſe facile videtur. Prior, ſive Corbejenſis, characteribus Romanis, ſive, veluti vocant, uncialibus, exarata eſt, ac notis Merovingico expreſſis charactere exornata, quam medio ſæculo VI. circiter elucubratam exinde conjecturam vir eruditus capit, quod in annum Vigilii 14. deſinat. Præter eos vero Canones, qui eidem cum Dionyſio Exiguo communes ſunt, in hac leguntur Canones Conciliorum Arelatenſis, Valentini, & Taurinenſis, ultra Teleptenſis etiam, unde arguas Collectionem in Gallia concinnatam, non publica quidem auctoritate, ſed a ſtudioſo quopiam privatum in uſum. Poſteriorem, ſive Colbertinam ſignatam in Codice n. 784, characteribus Langobardicis delineatam, ideoque ante 900. annos adornatam, neque S. Gelaſii, in quo deſinit, ætate recentiorem exiſtimat. In ea Conciliorum Canones iidem prope, qui in Collectione Dionyſiana proſtant, adeo ut a Baluzio eadem reputata ipſa fuerit, cum diverſa tamen Græcorum Latina interpretatione. Infarcita tamen iſthæc Collectio eſt ſpuriis admixtis, Silveſtri Conſtituto, Liberii, & Sixti geſtis, ac Sinueſsanæ Synodi actis. Notabile quoque, ac ſingulare eſt, quod in hac ſola Collectione poſt Canonem quartum Concilii Conſtantinopolit. I, e veſtigio quintus veluti ejuſdem Concilii exhibetur Canon de ſecundo poſt Romanam Eccleſiæ Conſtantinopolit. loco, qui alioqui non alius eſt, quam Canon 28. Chalcedonenſis in Collectione Dionyſiana prætermiſſus.

In

In eadem Bibl. Colbertina extare admonet Codicem alterum ſub num. 3368, ex quo Collectio priori illi, ac Queſnellianæ parum abſimilis exhibetur. Quod vero indicat Galli cujuſpiam eſſe opus, illud eſt, quod præ aliis Collectionibus Canonibus in Gallicanis Conciliis ſancitis redundet, quoſque deinde Gratianus recenſuit. Præter has denique, hatumque ſimiles, potior, quæ in Gallia poſthinc obtinuerit, Canonum Collectio ea eſt, quam Carolo M. tradidit Hadrianus I, ex qua ingenti deinde numero Codices deſcripti in pluteis Bibliothecarum etiam num extant. A Dionyſiana nihil diſcedit, niſi aliis Decretis adaucta eſt SS. Leonis, Hilari, Simplicii, Felicis, Symmachi, Hormiſdæ, & Gregorii: quam Gallicanæ Eccleſiæ in uſu fuiſſe valdequam liquet ex S. Nicolao I. in epiſt. 42, & Hincmaro opuſc. 33. tom. 2. pag. 543.

Hæc ipſa Hadrianæa Collectio, quam edidit Sirmondus ex Codice San-Germanenſi anno 803. exarato, cujuſque Epitomes apud Caniſium extat tom. 6. antiq. lect. pag. 413, edit. nov. tom. 2. pag. 266, eadem eſt, quam S. Leo IV. laudavit cit. Can. *De libellis*: ex quo liquet hanc pariter Collectionem Dionyſii additamentis hiſce adauctam ab Hadriano maximo etiam uſu Eccleſiæ Romanæ veniſſe. Ex Dionyſiana, nonnullis adjectis Decretis in Africæ Synodis, deſcriptam fuiſſe Breviationem Canonum, quam Ferrandus Diaconus Carthag. Capitulis 232. complexus eſt, facile, opinor, ex utriuſque collatione conſtabit. Variis nævis ſcatere hanc Breviationem obſervat Queſnellus in diſſert. 15. ad S. Leonem M. Alteram pro Africanæ Eccleſiæ uſu Collectionem ordinavit Creſconius Epiſcopus ducentis fere poſt annis, ac circa an. 696, veluti ex fronte ipſius operis, prout extat in Bibl. Vatic., obſervat Baronius ad an. 527. n. 7, ac prout extat in Bibl. Vallicelana, advertit Mabillonius Muſæi Ital. par. 1. pag. 69, & poſt ipſos adnotant Voellus, & Juſtellus in præf. Bibl. Jur. Canon. pag. 6, Pagius ad an. 527. n. 14, & 696. n. 5, Coutantius §. 7. pag. 106, & Geſnerus in append. Bibl. Opus eſt totum ex Dionyſio hauſtum, & a capite ad calcem expreſſum, cujus potius Collectionis purum Summarium, putumque haberi debet. Toto in opere nulla Synodus Chalcedonenſi ſequior, nullus Pontifex S. Gelaſio poſterior, hoc eſt, ibidem deſinit, ſicut incepit, ubi Dionyſius inceperat, & deſierat. Breviarium

rium Canonicum, & Concordia Canonum inſcribitur, ut adnotavit Chifletius pag. 259, ideſt duas quaſi partes habet, prior Breviarium eſt, quo indicantur ſoli Tituli Canonum, poſterior Collectio eſt Canones 300. complectens, qua iidem Canones expanſi exhibentur. Igitur hæc eſſe videtur amplior illa Collectio, quam in Bibl. Vaticana, & Vallicelana extare dixit Baronius. Breviarium hoc Creſconii una cum Breviatione Ferrandi primus edidit ex Codice Mſ. Trecenſi Petrus Pithæus; deinde notis adauxit Antonius Dandinus Altaſerra; Notis illuſtratum recudi curavit Petrus Franciſcus Chifletius; cum Dionyſii Exigui Collectione inſertum eſt Codici Canon. Eccleſ. Rom., & Codici Canon. Eccleſiaſt. a Chriſtophoro Juſtello; ex Chifletii editione recuſum eſt in Bibl. PP. edit. Lugd. tom. 9; emendatius denique utrumque opus Ferrandi, & Creſconii evulgatum eſt tom. 1. Bibl. Canon. a Guillelmo Voello, & Henrico Juſtello. Ferrandum Epiſcopum fuiſſe Carthaginis Spartariæ in Hiſpania propugnat Johannes Ferrandus Soc. J. in ejuſdem vita edit. Lugd. 1650, contra quem pugnat ex eadem Societ. Chifletius in animad. edita ad calcem quinque opuſcul. 1656. Creſconium vero eumdem eſſe ac Corippum inſignem Africanum Poetam opinatur Fabricius Bibl. med., & infim. Latinit. lib. 3. pag. 434. tom. 1. edit. Patav. 1754, apud quem videſis opinionis fundamenta. Confer etiam Aguirræum tom. 3. Concil. Hiſp., ubi Ferrandi Breviationem exhibet, & cum eadem admodum convenientem habet Indicem Canonum in Hiſpania olim receptum: ex quo intelligis facile ex eodem fonte, Dionyſiana videlicet Collectione, derivatam in Hiſpanias, ex quo Canonum Eccleſ. Collectio in Africam dimanaverat.

Atque Hiſpanam quidem Eccleſiam peculiarem olim habuiſſe Canonum Collectionem Eruditorum hominum in eruendis e vetuſtatis ruderibus Eccleſiaſticis monumentis diligentia amplius dubitare non ſinit. Inter hæc inſignis Collectio illa eſt, quam Petrus de Marca in diſſert. de vet. Collect. Canon. ex duobus Codicibus Mſs. repertis in Monaſterio Rivipullenſi Ord. S. Bened. in Catalaunia delineavit; quam Emin. Aguirræus ex Codicibus Mſs. Toletano, & Urgellenſi, de quibus tom. 1. in præf. pag. 45. diſſerit, edidit tom. 3. a pag. 2. ad 50; quorum gemelli quoque habben-

bentur Vigilanus, quem ab ſe inſpectum in Monaſterio S. Laurentii teſtatur Garſias Loaiſa in præfat. ad Concil., & Gerundenſis, cujus ſpecimen ab Illuſtriſs. Joſepho de Taverner d' Ardene Gerund. Epiſcopo accepiſſe ſe affirmat Coutantius in præf. ad epiſt. ad Rom. Pontif. n. 140, quorumque exemplar quoque eſſe ſubjungit Colbertinum, & Coislianum ſæculo IX. exaratos ab ſe viſos; quam idem Coutantius ibidem a num. 141. pag. 117, & ſeqq. ex Codicibus Mſs., & ab annis 700. conſcriptis, Laudunenſi, Noviomenſi, Bellovacenſi, ac Sueſſionenſi deſcripſit; quam denique plurimis illuſtratam Cajetanus Cennius fronti tom. 1. de antiquii. Eccleſ. Hiſp. præfixit, de quave in præf. erudite diſſeruit. Jam vero Petrus de Marca Collectionem iſtam S. Leonis M. juſſu elaboratam, ideo Dionyſiana longe anteriorem, atque Eccleſiis Romanæ, Africanæ, Gallicanæ, & Hiſpanicæ veteri poſitam in uſu putat. Verum allucinatur egregie vir doctus: præterquam enim ex his ipſis, quibus abundat, Conciliorum decretis, ac Rom. Pontificum litteris Decretalibus facile, ac pronum eſt demonſtrare, quod per ſe præſtare quilibet poteſt, quam Collectionem Dionyſiana vetuſtiorem contendit, contra eam longe recentiorem eſſe, S. Leonis juſſu eamdem haud exornatam fuiſſe exinde facile liquet, quod in hac Collectione a Nicænis Canonibus ſejunguntur Sardicenſes, qui ſub S. Leonis ævum ſub eodem titulo legebantur: deinde Chalcedonenſes interſerti habentur, ac quidem ante Carthaginenſes: at Chalcedonenſes nunquam recepit S. Leo, imo reſpuit, uti colligere licet ex epiſtolis 61, & 62, nunc 87, & 92: Carthaginenſes vero longe ante Chalcedonenſes editos facile prætuliſſet, ſi opus S. Leoni M. revera foret tribuendum. Confer Coutantium n. 134, & ſeqq. pag. 112, & ſeqq., & Blancum de poteſt., & polit. Eccleſ. tom. 4. lib. 2. cap. 3. §. 7, ubi & oſtendit Collectionem iſtam poſt Dionyſianam fuiſſe conflatam. Neque veritatem attigit propius Aguirræus hanc Collectionem eamdem ipſam Ferrandi eſſe Breviationem, etſi iſta auctiorem exiſtimans, a qua longo tamen intervallo diſtare, vel utriuſque collatio demonſtrat, ac potius ex Dionyſiana fuiſſe derivatam, oſtendit cit. loco Coutantius. Veri ſit valdequam ſimilis ejuſdem Coutantii, ac Cennii conjectura hanc Collectionem S. Iſidoro

Hiſpalenſi acceptam referendam eſſe, ſicuti multa ſuadent. Nam principio convenit temporis apprime ratio: in priori enim Collectionis hujus parte, quam Concilia totam occupant, nullum Græcorum occurrit poſterius Chalcedonenſi, hoc eſt anno 451; Africanorum nullum Carthaginenſi VII., hoc eſt anno 419; Gallicanorum nullum Aurelianenſi I, ſive anno 511; Hiſpanicorum tandem nullum Toletano IV, cui præfuit idem S. Iſidorus anno 633. Altera vero pars, tota quanta eſt, nihil habet recentius S. Gregorii epiſtolis ad Reccaredum Regem anno 599. exaratis. Quamquam fatendum ab ipſo integram non factam, ſed ante ipſum aliquam fuiſſe ab Hiſpana Eccleſia uſurpatam, quæ incrementa deinde a S. Iſidoro acceperit, poſtea vero Iſidorianæ ipſi facta additamenta fuiſſe ex poſteriorum Synodorum Canonibus. Præterea S. Iſidori fœtum eſſe probat affinitas quammaxima, quæ iſtam Collectionem inter, & libros duos de Officiis S. Iſidori intercedit; qui enim, ſi pet otium liceat, capita libri utriuſque Officiorum cum Titulis librorum Codicis iſtius conferat; qui S. Iſidorum de Chorepiſcopis, aliiſque in ſpecie Officiis id proferre dumtaxat conſideret, quod Decreta, & Decretales in Codice præferunt, negare nequibit, quin S. Iſidorus eodem ipſo Codice uſus ſit, qui & paſſim Hiſpanum ſe prodit, dum ubique Hiſpanicam Æram adhibet. Priorem quoque præfationis hujuſce partem, & quidem maximam obſervat Petrus ipſe de Marca extare in lib. 6. Origin. cap. 15. S. Iſidori, quem alioquin ex Dionyſio Exiguo pleraque decerpſiſſe adnotat etiam Coutantius. Equidem pura ejuſmodi, putaque Collectio, qualis prodiit ab Iſidori manibus, ad nos non pervenit, quin ſucceſsu temporis pleraque additamenta paſsa ſit: eadem vero, prout apud Cennium proſtat ab eo pleriſque mendis purgata, duabus partibus conſtat, quarum prima Capitibus 67. Concilia complectitur, in poſteriori vero Pontificum Decretales 102. per totidem Capita diſtributæ exhibentur. Ex his, & illis expreſsus eſt Canonum ampliſſimus Codex in decem libros diviſus, quorum ſinguli plures in titulos, uti & tituli plura in capitula tribuuntur: qua de Hiſpanica Collectione hactenus.

Ante hac S. Martinus ex Dumienſi in Gallæcia Abbate Bracarenſis in Luſitania Archiepiſcopus Capitula 84. ex Orientalinm Syno-

Synodis de Græco in Latinum tranſtulit, quæ magno ſubind e uſu Iſidoro, & Gratiano venerunt, quamque ex editione Loaiſæ, & Doviatii ad calcem Bracarenſis II. Concilii anno 572. ſubtextam legere eſt apud Harduinum tom. 3. Concil. pag. 389, & ſeqq. Poſthinc Regino Prumienſis Abbas circa ſæculi IX. exitum Collectionem alteram Canonum elucubravit inſcriptam: *De Diſciplinis Eccleſiaſticis, & Religione Chriſtiana*, quam primum ex Codice Helmſtadenſi a Joachimo Hildebrando editam an. *1659.* novis curis, noviſque illuſtratam notis evulgavit Baluzius an. *1671.* Meminit Coutantius n. *169.* pag. 135. alterius Collectionis, quam Bibl. Sorbonicæ Codex aſervat. Duodecim conſtat partibus, quæ in Capitula itidem diſtribuuntur. Opus eſt ante annum 1009. elaboratum, ſed ex officina Iſidori, ex Gregoriano Regiſtro, & ex Codice Roman. Legum conflatum. Amplior a Burchardo ex Lobienſi Monacho Wormatienſi Epiſcopo circa ſæculi X. finem Canonum adornata Collectio eſt ex S. Scriptura, ex Conciliis, ex Decretalibus Pontificum, ex Pœnitentiali Romano, Theodori, & Bedæ, & ex ſcriptis SS. Gregorii, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, Baſilii, Benedicti, & Iſidori ſub titulis digeſta. Hoc opus, quod in duodecim Tomos diſtributum idem Auctor ſcribit, integrum lucem nec dum vidit, ſed tantum ex illo excerpta, vix ſextam partem æquantia, diviſaque in libros 20. publici facta ſunt juris. Exemplaria Burchardi vetuſtiſſima extare in Bibliot. Carnotenſi, Trecenſi, Veſuntina, & Burdigalenſi teſtatur Pithæus. Horum librorum 20. argumenta deſcribunt Gerardus Maſtricht in hiſt. Jur. Eccleſ. §. 251, Oudinus tom. 2. pag. 526, & Gaſpar Sagittarius tom. 2. introd. in hiſt. Eccl. pag. 750, & ſeq. Burchardum abſque delectu epiſtolis Decretalibus ſpuriis uſum fuiſſe notat Blondellus in proleg. ad pſeudo Iſid. cap. 18; Capitularibus vero Regum Francor. uti noluiſſe notat Baluzius ad Gratian. pag. 530, & ſeqq. A Reginone bene multa eumdem accepiſſe idem Baluzius advertit ad Reginon. pag. 454, & ſeq., & ad Gratianum pag. 539, & ſeq. Hunc viciſſim ex Burchardi non quidem opere, ſed illius epitome profeciſſe obſervat Guido Pancirollus lib. 3. cap. 1. de Claris legum Interpretibus. Gratianus æmulatione ad hoc Canonici ſtudii genus impul-

ſus fertur, exemploque Werneri, ſive Irnerii, qui rogatu Mathildæ Comitiſſæ Bononiæ Juriſprudentiæ Romanæ Civilis uſum reſtituerat, una cum diſcipulis Pileo Modic., Johanne Bulgaro, Hugolino, Jo: Placentino, Bagaroto, Boziano, Martino, Azzone &c. eidem incubuiſſe.

Alteram inſignem S.Anſelmo Lucenſi Auctor ipſius vitæ apud Henſchenium ad diem 18. Martii Collectionem Canonum tribuit, reque ipſa libris 13.comprehenſa ſub ejuſdem nomine Mſ.extat in variis Bibliothecis. Præterea Scheleſtratius in append. ad opus Chronol. ex Codice 6381. Vaticano annorum 600. S.Anſelmi Lucenſis nomine Decretum edidit hac ephigraphe inſignitum: *Catalogus Pontificum, & Decretorum ab ipſis editorum*. Nihilotamen minus non defuere viri docti, qui Canonum Collectionem S.Anſelmo ideo abjudicarent,quod Urbani II.,aliorumque Pontificum ſequentium,ad quorum ætatem ille non pervenit, Decreta varia ibidem deſcribantur. Hildeberto Cenomanenſi Epiſcopo, ac deinde Archiep.Turonenſi opus tribuitur in veteri Codice Mſ. Bibl. Barberinæ, ac tribuit Antonius Auguſtinus. Cæterum ex S.Anſelmo multa Gratianum mutuaſſe adnotavit Latinus Latinius in Bibl.Sacro-profana pag.81. Confer Baluzium in præf. de emend.Gratiani §.19, & in Not. pag.641.Decretorum opus in partes 17. diſtributum ſæculo XI. ad exitum vergente elucubravit Ivo Carnotenſis, quod in lucem emiſit Jo:Molinæus Lovan.1561, atque ex Cod.Mſ. Bibl. S. Victoris notis illuſtravit, caſtigavitque Fronto Ducæus. Hoc in opere Jus Civile ab Ivone cum Canonico fuiſſe affabre conjunctum obſervavit Petrus de Marca pag. 160: ab eo diverſa eſt autem, ac ſuccintior Panormia in partes 8. diviſa, qua Ivo operi illi præluſiſſe Fabricio viſus eſt. Mitto Anſegiſum Lobienſem, Benedictum Levitam, Iſaacum Lingonienſem, Chrodegandum Metenſem, Aldegarium Cameracenſem, Florum Magiſtrum, Herardum Turonenſem, Stephanum Aurelianenſem, Hugonem Catalaunenſem, Attonem Vercellenſem &c., a quibus provincia hæc ex parte exornata eſt: poſt quorum opera celebres evaſerunt Collectiones Gregorii Cardinalis, & Epiſcopi Sabinenſis ſub *Polycarpi* nomine circa dimidium ſæculi XI, de quo Antonius Auguſtinus de emend. Grat. pag. 160, & 361, & Franciſcus Turrianus

lib.1.

lib. 1. pro Canon. Apoſtol. cap. 21; Deuſdedit, ſive Deodati Presbyteri Cardin. ſub titulo *Compendii Canonum* circa ſæculi XI. exitum, de quo Oudinus tom. 2. pag. 765, & ſeq.; Laborantis Presbyt. Cardin. circa finem ſæculi XII. ſub nomine *Compilationis* Decretorum, de quo Baronius ad an. 1182. pag. 766, & Joſephus Maria Suareſius in diſſert. de M. Laborante Cardin. Florentino cum tribus aliis diſſert. de Chronologia oper. S. Auguſtini, de opere perfecto adv. Julian., & de Crocea veſte Cardin. in Conclavi. At ſi deſideras ſcire, copioſius, ac diſtinctius de Canonum Eccleſ. Collectionibus, Editoribuſque diſſerunt Jo: Doviatius lib. 3. prænot. Canon., Natalis Alex. hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. I. par. 2., Franciſcus Florens in diſſert. de orig., arte, & auctor. Juris Canon., Gisbertus Voetius polit. Eccleſ. par. 1. lib. 1. tract. 2. cap. 12; Theodorus Meyerus in relat. hiſt. de Collect. Canon., Gerardus Maſtrichtius in hiſt. Jur. Eccleſ.; Gaſpar Zieglerus in diſſert. de Juris Canon. Orig., & increm.; Jo: Albertus Fabricius Bibl. Græcæ tom. 11, aliique, de quibus paullopoſt.

A dimidio ſæculo XII. non equidem Eugenii III. juſſu, uti non recte ſcripſit Trithemius, ſed uno ſtatim verius inducto ſenſim uſu ab Eccleſia in judiciis Eccleſiaſticis adhiberi cœpit Gratiani Collectio, quam ille ab anno 1127. inchoatam anno 1151. in Monaſterio Bononienſi Ord. S. Benedicti abſolvit. *Gratiani Decretum* inſcribi ſolet; *Decretorum corpus* inſcripſit Innocentius III; *Decretorum Collectanea* inſcribendam tamen eſſe ex veteribus Gratiani Codicibus Mſs. oſtendunt viri doctiſs. Antonius Demochares, & Antonius Contius. Opus eſt ex Canonibus Apoſtolorum, & Conciliorum, ex SS. Patrum dictis, & Rom. Pontificum Decretalibus, Imperatorum etiam legibus Civilibus conſarcinatum, Sententiis corraſis a Dionyſio, ab Iſidoro, a Burchardo, ab Anſelmo, ab Ivone, diſtributumque in Partes 3., quarum prima Diſtinctiones 101, quarum ſingulæ ſuis iterum diſtinguuntur Capitulis, comprehendit: ſecundam conflant Cauſſæ 36, quæ ſuis Quæſtionibus ſubinde, Quæſtioneſque ſuis Capitibus ſubdividuntur: poſt Cauſſam 33. vero ſequitur amplus de Pœnitentia Tractatus ſeptem abſolutus Diſtinctionibus: tertia demum agit de Conſecratione in Diſtinctiones 5. diſcreta. Privatis auſpiciis, non publica

publica Eccleſiæ auctoritate, compoſitum a Gratiano eſt opus; quod proinde quamvis haud parvam ab uſu Eccleſiaſtico vim ſortitum ſit, publicæ tamen veluti legis vim, ac Pontificii juris non obtinuit; uti fert expreſſa Deciſio 480. S. Rotæ apud Gonzaleſium in appar. n. 50, ac notavit Richardus Simonius tom. 1. Cenſuræ Bibl.Eccl.Dupinii pag.602: qua de re præter alios facile omnes adeundus Benedictus XIV. de Canon. Sanct. lib. 4. par. 2. cap. 17. n. 10. Multo minoris vero auctoritatis ſunt additamenta, quæ in antiquioribus Mſs. non leguntur, quibus *Paleæ* nomen eſt adſcriptum, quod alii putant eſſe pro veteri Interprete *Quotopalea* Cardinali denominato, aut pro quopiam Gratiani Diſcipulo, qui Canones illos adjecerit, minus vere tamen, ſiquidem in vetuſtioribus Codicibus Mſs., in quibus Paleæ abſunt, Canones interdum Paleis nunc deſignati interdum leguntur; alii vero Paleas veluti levioris momenti res indicatas arbitrantur. Quia vero Gratiani opus erratis innumeris contra Hiſtoriæ, Chronologiæ, & Criticæ regulas, & contra veritatis, Theologiæ, juriſque ipſius rationem undique redundabat, ea de re Gratiano emendando ſedulo, ac ſæpius incubuere viri juris peritiſſimi a ſummis Pontificibus Pio IV, S. Pio V, & Gregorio XIII. adhibiti; atque quidem ſub Pio IV. Hugo Buoncompagnus, poſtea ipſe Gregorius XIII; Alexander Sfortia; Guillelmus Sirletus; Franciſcus Alciatus; & M. Antonius Columna: ſub S. Pio V. Guido Ferrerius, Antonius Caraffa; Felix Montaltus, poſtea Sixtus V; Chriſtophorus Patavinus; Thomas Mauricus; Euſtachius Lucatellus; Joſeph Pamphilus; Franciſcus Turrianus; Marianus Victorius; Michael Thomaſius; Hieronymus Pariſetus; Antonius Cuccus; Johannes Marſa; & Franciſcus Leo: ſub Gregorio XIII. demum Melchior Cornelius; Latinus Latinius; Arnaldus Pontacus; Petrus Ciacconius; Lalemus Salemius; Petrus Morinus, & Franciſcus Pegna, ex variis Nationum Provinciis delecti viri juris peritiſſimi, quos ad calcem lib. 1. de Emend. Gratiani recenſuit Antonius Auguſtinus, quorum poſt egregios labores exantlatos Gratianæa demum Collectio Romæ Gregorii XIII. auſpiciis an. 1582. emendatior eſt evulgata; non ita tamen, quin adhuc multa oppido emendatione digna remanſerint, quæ aliorum correctrices

adhuc

adhuc poſt limam a Gregorio XIII. Gratianæo Codici adhibitam deſiderarent, velut obſervarunt viri Eruditi, de quibus legendus P. Placidus Bochn Inſtituti Bened. Monachus in Controv. Juriſprud. lib. 1. tit. 2. par. 1. q. 10. Quocirca ejuſdem Gratiani emendationi operam pariter ſedulam, ac diligentem ſuam impenderunt præfati Democharis, & Contius: notis deinde illuſtravit Paulus Conſtabilis Ord. Præd.; ſed omnium accuratius præcit. Antonius Auguſtinus Tarrac. Epiſcopus Dialogis 4o. duobus libris comprehenſis ea de re elucubratis, quos poſtea Baluzius egregiis notis illuſtravit; ac nuper doctiſs. Carolus Sebaſtianus Berardi in Regio Taurinenſi Athenæo Sacr. Canonum anteceſſor, a quo ſumma cum diligentia, ſtudioque Gratiani Canones genuini ab Apocryphis ſunt diſcreti, corrupti ad emendatiorum Codicum fidem exacti, difficilioreſque commoda interpretatione illuſtrati: quod opus 4. juſtæ molis voluminibus comprehenſum tibi ut compares, auctor ſum. Confer interea ſi placet, qui in Gratiani Collectione animadverſiones pleraſque adornarunt, Jo: Chifletium de juris utriuſque Architectis cap. 5. tom. 1. Theſauri juris Everhardi Othonis pag. 186, & ſeqq., Gerardum Van-Maſtricht in Not. ad Grat. Ant. Auguſt., Gonzalezium in appar. ad Decret., & Albericum Gentilem in diſſert. de libris Juris Canon. cap. 2, præter eos, quod paullo ſuperius memoravi.

Poſt Gratiani Decretum aliæ Decretalium Compilationes intra annorum 70 intercapedinem acceſſere. 1. Compilatio accepta referri debet Bernardo Circa ex Præpoſito Papienſi Epiſcopo Faventino anno 1191, atque inde ab anno 1198. Papienſi ad ann. 1213, de quo Ughellus tom. 1. pag. 1097, & to. 2. pag. 500. Opus inſcriptum eſt *Breviarium Extravagantium*, quod Gratiani Supplementum haberi voluit, quove in libros 5. certis ſub titulis digeſtos diſtributo Decretales Roman. Pontificum ſuæ præſertim ætatis collegit, atque ex veterum Conciliorum decretis, ex Patrum dictis, ac ſuperiorum Pontificum Decretalibus non pauca congeſſit, quæ Gratianum præterierant. Hanc circa annum 1190. abſolutam primam Compilationem vocant Henricus Hoſtienſis, Johannes Andreas, Ægidius de Bellamera, & Antonius Auguſtinus, qui in eam notas conſcripſit. 2. Compilationem

poſt

poſt annos 12. a priore, anno videlicet 1202. elucubravit Johannes Vallenſis ſive Guallenſis, quem Fabricius Italum, ac Volaterranum facit, Ultramontanum autem veriſimilius dicit Johan. Andreas in præf. ad Clementinas. Ex duabus veteribus Collectionibus, quæ periiſſe cenſentur, quarum alteram Gilbertus Abbas confecerat, alteram vero Alanus Epiſcopus Antiſiodorenſis, hanc Johannem compegiſſe affirmat Tancredus. Confer Oudinum tom. 2. pag. 494, & ſeq., nec non Fabricium tom. 11. Bibl. Græcæ pag. 20. 3. Compilatio ex Decretalibus Innocentii III. adornata eſt. Rainerius Diaconus, & Monachus Pompoſianus Collectionem primam Decretalium Innocentii III. ex Regeſtis epiſtolis ejus trium annorum 1198, 1199, & 1200. in 40. Titulos congeſſit, quam deinde Baluzius tom. 1. epiſt. Innocentii poſt duos priores libros edidit pag. 543. Compilationem alteram Decretalium ejuſdem Innocentii ex Regeſtis annorum 13. Romæ degens ordinarat Bernardus Major Archid. Compoſtellanus: quia vero huic operi quædam irrepſerant uſui judiciorum minus opportuna, Innocentii ejuſdem juſſu a Petro Beneventato Subdiacono Romano anno 1209. nova Collectio ipſius Decretalium adornata eſt, quam præfatione addita Innocentius III. confirmavit. Atque hæc prima omnium Compilatio publica auctoritate, ſive Pontificia in lucem prodiit: quamve una cum aliis illuſtratam edidit Antonius Auguſtinus Ilerdæ 1576, & Pariſiis 1610. Carolus Labbæus. Priores quippe duæ a privatis collectæ ideo probatæ non fuerunt, quod in eas, quemadmodum poſtea in Collectionem etiam Gregorii IX, falſæ quædam Decretales irrepſiſſent, quarum catalogum præl. Antonius Auguſtinus ſubjecit ad calcem Notarum primæ Compilationis. Vide Oudinum tom. 2. pag. ult., & tom. 3. pag. 245, & ſeq., ac Fabricium loco cit. pag. 20, & ſeq. 4. Compilatio poſt Concilium Lateranenſe IV. compoſita fuit ex 72. ejus Capitibus, ac ex poſterioribus Innocentii III. Regeſtis, ſive ex ejus Conſtitutionibus poſt Concilium editis. In Decretales Innocentii III. Commentarios deinde Antonius Dandinus Altaſerra dedit anno 1666. Quatuor hæ Collectiones Mſs. extabant apud Contium, editæque ſubinde ſunt Ilerdæ anno 1575. cum Scholiis ab Antonio Auguſtino cum epiſtola nuncupatoria

totia ad Gregorium XII, ac deinde Parisiis anno 1621. a Jacobo Cujacio. Eædem anno 1659. prodiere emendatiores Parisiis, & Notis auctiores ex collatione cum Codicibus Nicolai Fabri, & Jacobi Cujacii. 5. Compilationem ex Honorii III. Decretalibus dumtaxat circa annum 1227. composuit Tancredus Archidiaconus Bononiensis, cujus interpres perhibetur Jacobus Albanus Faventinus Episcopus Henrici Ostiensis præceptor. Hanc Collectionem, quam Antonius Augustinus negat se reperire potuisse, tandem in Bibliotheca Albiensi repertam Tolosæ an. 1645. Innocentius Cironius Academiæ Tolosanæ Cancellarius in lucem edidit, & Glossas doctissimas adjecit. De his Compilationibus legendi Johannes Andreas, Antonius Augustinus, Boetius Epo, Franciscus Florens, Gerardus Mastrichtius, Oudinus, Dukius, Fabricius &c. Jam de sexta Decret. Compilatione sermo instituendus.

Decretalium Epistolarum libros V. Gregorii IX. auspiciis, jussuque ex Constitutionibus, & Conciliis ab Alexandro III. usque ad eumdem Gregorium IX. collegit, digessitque circa annum 1230. S. Raymundus de Pennafort Ord. Præd., cui vim publicæ legis postea adjecit idem Pontifex. *Extra* hi libri vulgo appellari solent, quia nempe sunt extra Gratiani Decretum: qui libri in Titulos 185, hi vero in Capitula 2529. distribuuntur, ex quibus Capitulis 77. repetuntur in Sexto, 52. in Clementinis, 14. in Extravagantibus Johannis XXII, & 35. in Communibus. Ex Decretalibus his Gregorianis aliæ postinde expressæ, aut tacite posterioribus Decretalibus partim abrogatæ, partim derogatæ, & partim moderatæ fuerunt: aliæ vicissim ampliatæ, aut innovatæ, aut declaratæ, quarum Elenchos suis in Instit. Canon. tom. 1. par. 1. exhibet P. Remigius Maschat a S. Erasmo Cler. Regul. Schol. Piar. Collectioni huic accessit liber Sextus Decretalium jussu Bonifacii VIII. a tribus Cardinalibus Guillelmo de Mandagoto Episcopo Ebredunensi, Berengario Fredello, sive Sttedelio Episcopo Biterensi, & Richardo de Senis Vicecancellario Ecclesiæ Romanæ elucubratus, ac in lucem anno 1297. 5. Non. Martii editus, de quo Spondanus ad an. seq. Complectitur hic vero liber Constitutiones Pontificum, qui Gregorium IX. inter, ac Bonifacium VIII. sederunt, ac ipsius Bonifacii Decreta-

les: quem librum in Gallia non receptum ſcribit Natalis hiſt. Eccleſ. tom. 7. pag. 37. quove in libro recenſendo elaboravit Ægidius Perrinus. In fine Sexti apponuntur Regulæ Juris. Collectio altera comprehendit Clementinas, ſive libros alios quinque Conſtitutionum, quas Clemens V. in Concilio Viennenſi anno 1310. procudit, ac poſt ipſum Johannes XXII. promulgavit anno 1320. Quæ his libris quinto poſt loco venerunt *Extravagantes*, ſic dictæ, quod vagarentur extra Corpus Juris Canonici, aliæ particulares ſunt, aliæ communes. Primi generis a Cujacio dictæ *Johanninæ*, ſunt Conſtitutiones 20. Johannis XXII. in Titulos 14. diſtributæ. Communes, ſic denominatæ, quod ad Pontifices varios pertineant, qui paullo ante, vel poſt Johannem hunc per ſeſquiſæculum vixere, quin ipſius Johannis XXII. a privatis quibuſdam collectæ fuerint, neque Pontificis ullius auctoritate promulgatæ, dividuntur quoque in libros 5: quibus tamen deeſt quartus *de Sponſalibus*, ſecundum ordinem quinque librorum Gregorii IX. Itaque tribus voluminibus Jus Canonicum totum continetur: in 1. Decretum Gratiani; in 2. Decretales Gregorii IX; & in 3. tribus partibus conſtante reliquæ Pontificum Conſtitutiones, hoc eſt Sextus, Clementinæ, & Extravagantes. In recentioribus Exemplaribus additur liber 7. Decretalium a Petro Matthæo Juriſconſulto Lugdun. compilatus; qualis nempe Sixti V. auſpiciis colligere juſſi fuerant Dominicus Cardin. Pinellus; Hippolytus Cardin. Aldobrandinus; Hieronymus Cardin. Pinellus; Lucius Sanus Epiſcop. Rupanus; Seraphinus Olivarius Rotæ Auditor; Laurentius Blancherus Rotæ Auditor, ejuſque in Gallias profecti loco Hieronymus Pamphilius, & ipſe Rotæ Auditor; Franciſcus Pegna Aud. Rotæ; Pompejus Arreſtinus Advoc. Conſiſtor.; & Julius Cæſar Ottinellus Secret. S. Congreg. Librum alterum, velut additionem ad Clementinas, ex Bullis a Bonifacio VIII. uſque ad Sixtum IV. confectum dedit Hieronymus Clarius, edidit vero Andreas de Aſula. Liber 8. Decretalium inſuper Clementis VIII. juſſu confectus fuerat, ſed mox ſuppreſſus fuit, ne in Textus Tridentini eidem inſertos gloſſæ fierent contra prohibitionem Pii IV. Conſt. *Benedictus Deus*.

Gloſſas, & Addit. in totum Corpus Juris Canonici dederunt Augu-

Auguſtinus Caravita, P. Andreas Alciatus; Proſper Caravita; P. Marcellus Francolinus Venet. 1615, Petrus, & Franciſcus Pithœani fratres Pariſ. 1685, & 1687, ac Lipſiæ 1695, & 1705. Speciatim in Gratiani Decretum Gloſſas adornarunt Huguitio Vercell. aliis, aliis Piſan., Johan. Semeca, & Bartholomæus Brixien. In Decretales Gregorii IX. idem Bartholomæus, Bernardus Bottonus Parmen., & Tancredus. In librum 6. Decret. Johannes Andreas, Helias Regnier Pictav., & Dominicus de S. Geminiano. In Clementinas Johannes de Imola, Franciſcus Zabarella, & Zenzelinus Caſſanus Gallus. In Extravagantes 20. Johan. XXII. idem Zenzelinus, & Johann. Franc. de Pavinis. In Extravagantes Communes Johannes Picardus Monachus Cardin., Guillelmus de Monte Lauduno, & Jo. Franciſcus de Pavinis. Præterea in Sextum, Clementinas, & Extravagantes Gloſſas conſcripſere Bartholomæus de Alexandria, & Andreas de Aſula. Gloſsas etiam in corpus Canonicum edidit Carolus Molinæus Lugd. 1559: quæ damnata a Clemente VIII. ſunt in hac editione, notat Poſſevinus to. 1. appar. pag. 302. ad 327. Paratitlos in Corpus Jur. Canon. dedere Demochares, & Contius. Inſtitutionum Jur. Can. libros 4. ſub Gregorio XIII. Rom. 1581. Corpori Jur. Canon. a Jo. Paulo Lancelloto ſubjunctæ ſunt, quas deinde illuſtrarunt Johannes Doviatius, & Gaſpar Zieglerus. Ex veteri autem, ac pluſquam vatiniano in Pontifices odio profecta eſt ea furoris plena impietas Lutheri, qua Decretales publice exurere Wittembergæ anno 1520. die 10. Decemb. non eſt veritus, de quo Gotthelfius Struvius tom. 1. Bibl. Libror. Var. pag. 135, & ſeq., nec non Guillelmi Poſtelli querela de Juris Canon. corruptione, de qua ipſe met in libro de Orbis terræ concordia pag. 263. De Juris Canon. Gloſsatoribus, & Interpretibus conſer Pancirollum lib. 3. de Clar. leg. interp., Fagnanum, Poſsevinum in appar., Barboſam, Gazalupum in hiſt. Interp., & Gloſsat. &c.

Hiſce libris igitur conſtat Jus Canonicum novum, quod nonnihil a Jure Canon. veteri differt, in iis præſertim, quæ ad Synodorum Provincialium, ac Metropolitanorum antiqua jura attingebant. Juri autem veteri ideo ſubrogatum jus novum obſervavit vel ipſe Petrus de Marca lib. 3. Concord. cap. 3, quod novis

temporibus, novis moribus, novis abuſibus, novis malis neceſſario adhibenda erant nova remedia, nova Jura, novæ leges, nova diſciplina. Adeundi hanc in rem Anton. Auguſtinus Tarraconenſis Epiſcop. in lib. de emend. Grat., Boetius Epo in tract. de Jure Sacro; Petrus de Marca de veter. Can. Collect.; Antonius Auguſtinus Soc. J. in tract. præfixo Epitome Juris Canon. antiqui; Franciſcus Florens in præfat.; Stephanus Baluzius in præfat. ad Reginon.; Doviatius lib. 3. prænot Canon.; Jo. Petrus Gibertus in diſquiſit. hiſtor. de doctrina Canon.; Juſtus Fontaninus in diſſert. de Collect. Canon.; Joſephus Saenz de Aguirre in diſsert. 2. Eccleſ. tom 1. Concil. Hiſp.; Franciſcus de Roye in hiſt. Jur. Canon. præmiſſa libris 3. Inſtit.; Claudius Fleurius in hiſt. juris Canon.; Gotfridus Hofmannus in introduct. ad juriſp. Canon.; Fabricius tom. 11. Bibl. Græcæ; Gerardus Maſtrichtius in hiſt. Jur. Eccleſ., aliique ſuperius indicati. Ad Jus Canonicum perficiendum accedunt Rom. Pontificum Bullæ poſt editæ, ac Bullario Rom. inſertæ noviſſ. edit. Mainardi, in quas conferre juvat Commentarios Emin. Card. Vincentii de Petra. Pertinent, & ad Jus Canonicum, tanquam ejuſdem pars non exigua, Conciliorum generalium Decreta, quin & Provincialium, quibus a Romanis Pontificibus legis publicæ robur, ac propriæ auctoritatis Eccleſiam Uniuerſam obligantis pondus fuerit adjectum. Conciliorum autem Canones, præter eos, qui in Corpus Juris Canonici inſerti ſunt, legere præſtat apud Collectores Merlinum, Crabbium, Joverium, Surium, Binium, Cabaſſutium, Labbæum, Coſſartium, Bailium, Harduinum, Colletum cum ſupplemento Manſii, atque quod ſpectat ad Concilia Hiſpaniæ, apud Loaiſam, & Aguirræum, quoad Concilia Galliæ, apud Baluzium, & Sirmondum, & quoad Concilia Britanniæ, apud Spelmannum, & Wilchinſium: quæque in eadem Concilia, aut Canones, Scholia, Notas, & diſſertationes dedere viri doctiſs. Lupus, Cabaſſutius, Sirmondus, Manſius, Catalanus &c. Ex quibus demum omnibus palam fiet dubia circa fidem., doctrinam, mores, ac diſciplinam undique ad Apoſtolicam Sedem fore deferenda, quod mox demonſtrandum aggredior, ideoque Decreta ab eadem Sede Apoſtolica edita pro regulis fidei, doctrinæ, morum, ac diſciplinæ religioſe habenda

fore,

fore, velnti recte ſcripſere inter alios copioſius alibi relatos S. Innocentius I. in epiſt. ad Victricium Rotom., ad Felicem Nucer., & ad Patres Concil. Carthag., & Milevit., S. Leo M. in epiſt. ad Anaſtaſium Theſſal.; S. Zoſimus in epiſt. ad Epiſcopos Gall.; S. Cyrillus Alex. in epiſt. ad S. Cæleſtinum; Juſtinianus Imp. in epiſt. ad Johannem II; Vigilius in epiſt. ad Profuturum Brac.; Johannes VIII. in epiſt. ad Epiſcop. Arelat., S. Bernardus in epiſt. 190. ad Innocentium II; Innocentius III. lib. 1. Decret. tit. 7. cap. 1., Epiſcopi 85. Galliarum in epiſt. ad Innocentium X, & Clerus Gallicanus in Comitiis anni 1700.

Ex jure decernendi Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Canones, ac dirimendi Eccleſiarum graviores cauſſas.

§. I.

QUamvis quæ præſentis tractationis eſſent, monumenta pleriſque in locis innumera propemodum jam protulerim, neque propoſitum inſit attingere, quæ paſſim in Corpore Juris Canonici obvia ſunt, abs re non erit plurimorum adhuc habere delectum, atque indigeſtim, habita tamen ratione temporum, hoc loci congerere. Elucet id ergo Pontificii juris in dubiis circa diſciplinam enodandis, diſſolvendiſque, & in cauſſis promiſcui generis ad Pontificium Tribunal delatis, ibidemque dijudicatis. Corinthii, qui adhuc viventibus Apoſtolis diſſidiis, ac ſciſſuris dividi inter ſe non deſinerant, Apoſtolis exactis ad ingenium regreſſi, atque in factiones diſcerpti, in eos quammaxime, qui rebus Sacris præerant, inſurgere, indigniſque eoſdem modis excipere non extimuerant. Quorum certior factus S. Clemens P. M. graviſſima data ad Corinthios epiſtola, (quam ferme integram e cineribus excitavit, atque ex antiquiſſimo Codice Ms. Bibl. Regis Angliæ, circa Nicæni I. Concilii tempora manu Theclæ nobilis fœminæ Ægyptiæ exarato, qui olim fuerat juris Cyrilli Lucaris Patriarchæ Alex. primum, atque poſtmodum Conſtantinopolit., donoque miſſus Carolo I. Angliæ Regi, publici juris fecere imprimis Patricius Junius, ac perinde Joachimus Jo: Maderus, Bartonius, Ven-

Vendelinus, Fellus, Cotelerius, Colomeſius, Labbæus, & Coutantius, atque genuinam eſſe procul dubio evincunt, qui ejuſdem meminere, S. Irenæus lib. 3. cap. 3, & apud Euſebium lib. 5. cap. 6, Clemens Alex. Strom. lib. 1, 4, 5, & 6, Origenes lib. 2. de princip. cap. 3, & in Joh. 1. 29, Hegeſippus apud Euſebium lib. 4. cap. 22, Euſebius ipſe lib. 3. cap. 16, S. Epiphanius hær. 27. n. 6, & hær. 30. n. 15; S. Hieronymus de Script. Eccleſ. cap. 25, lib. 14. in Iſa. 52. 13, in 4. ad Epheſ. 1, Photius Cod. 113, & 126, aliique), Corinthios arguit, quod a paucis, iiſque præcipitis ingenii hominibus ſe in tanta diſcordiarum diſcrimina adduci paſſi ſint, ut inteſtinis nedum jurgiis dilacerarentur, ſed & contra Presbyteros ſeditione commota eiſdem obedientiam, honoremque detraherent, atque in Eccleſiam tot inveherent malorum incommoda, ut proinde Corinthiorum Eccleſia peſſime audiret ubique defamatiſſima. Admonuit exinde, & adhortatus eſt, ut facerent opera, quæ Chriſtianos decerent, & ad ſanctitatem pertinerent, devitantes obtrectationem, complexus impudicos, odibilem ſuperbiam, ebrietates obſcœnas, exitioſas inimicitias. Præterea ſuper omnia Eccleſiæ præfectis caput ſubmitterent, veniam poſtularent, agerent pœnitentiam, lacrymis peccata expiarent, niſi excludi e Cælorum Regno vellent. Pergrandis hiſce perlectis litteris apud Corinthios facta eſt animorum commotio, atque commutatio, tantoque in pretio hæ litteræ habitæ ſunt, ut poſthinc eædem publico in Eccleſiæ Conventu perlegi ſolemni more conſueverint, veluti perhibet S. Dionyſius Corinth. in epiſt. ad S. Soterem relata ab Euſebio lib. 4. cap. 23.

Ab Africanis Epiſcopis nimia olim ſeveritate clauſum adulteris pœnitentiæ locum, illis Romæ, & ubique S. Zephyrinus aperuit. Altius repetenda eſt gravi hac in cauſſa rei geſtæ ratio. Scilicet quatuor primis Eccleſiæ ſæculis peccata, non quidem omnia quamvis gravia, ſed quædam dumtaxat graviora, ac publica, ex quibus idololatria, homicidium, & adulterium, horumque ſimilia delicta, Canonica inde denominata, publicæ pœnitentiæ juxta Eccleſiarum diſciplinam erant obnoxia, ſicuti liquet ex Conciliis Illiberitano Can. 3, & ſeqq., Ancyrano Can. 4, & ſeqq; Neocæſareenſi Can. 1, & ſeqq., ex Tertulliano lib. de pudic.

dic. capp. 5, & 12, S. Cypriano epiſt. 52, & 54. edit. Pamel., ex S. Dionyſio Alex. in epiſt. Canon. ad Baſilidem, ex S. Gregorio Neocæſar. in epiſt. Canon. apud Harduinum tom. 1. pag. 186, & 189, ex S. Paciano in paræneſ. ad pœnit. apud Aguirræum tom. 2. Concil. Hiſp. pag. 79, & apud Barthium ad calcem Hermæ Paſtoris, ex S. Gregorio Nyſſeno in epiſt. Canon. ad Letojum, & ex S. Baſilio in tribus epiſt. Canon. ad Amphilochium. Pœnitentia functis nunquam, ac nullibi ab Eccleſia ulla ſive in Oriente, ſive in Occidente abſolutionem Sacramentalem fuiſſe denegatam, oſtendit Vir doctiſs. Natalis Alexander hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. III. diſſert. 7. prop. 3. ex facto S. Johannis Evang. apud Euſebium lib. 3. cap. 17, ex Clemente Alex. lib. 2. Strom. laudante hanc in rem libro 2. Paſtoris, ex S. Irenæo lib. 1. cap. 9, ex S. Dionyſio Alex. in epiſt. ad Fabium apud Euſebium lib. 6. cap. 36, ex S. Cypriano epiſt. 31, & 52, ex Canonibus Apoſtol. 60, & 61; ex Conciliis Nicæno Can. 13, Eliberitano Can. 46, 47, & 55, Ancyrano Can. 3, & ſeqq., Arauſicano I. Can. 3, Epitome Canonum Hadrianæa Can. 15. ex decerptis Concilii Ancyrani, Sueſſionenſi II. ſub Carolo Calvo act. 7, Colonienſi ſub Carolo Craſſo cap. 3; & Moguntino ſub Arnulpho Rege cap. 16. Pœnitentiæ tamen locus idololatris, homicidis, & adulteris nullus olim alicubi factus fuerat, quin etiam abſolutio Sacramentalis in exitu denegata eiſdem aliquando fuit ab Africanis Epiſcopis apud S. Cyprianum epiſt. 52, ab Hiſpanis in Concilio Illiberitano Can. 1, & ſeqq., non equidem *Deſperatione indulgentiæ, ſed vigore Diſciplinæ*, vel ut in ſimili cauſſa loquebatur S. Auguſtinus epiſt. 50: hoc eſt, non quia peccata dimittendi poteſtatem, quam Eccleſiæ adimebant Montaniſtæ, & Novatiani, inficias pariter irent circa hujus genus facinora, ſed quia parem retinendi peccata facultatem Eccleſiæ factam non ignorantes, gravioribus quibuſdam flagitiis, ut eorumdem odium majus incuterent, neve indulgentiæ facilitate pœnitentiæ vigor vileſceret, pœnitentiam, veniamque prorſus denegandam autumarent. Tam ſeveræ tamen diſciplinæ hujuſmodi obſtitit S. Zephyrinus, & adulteris dandam pœnitentiam, pœnitentiaque defunctis non denegandam abſolutionem decrevit, eique Decreto obſequendi neceſſitatem, onuſque cum Afris, tum Hiſpa-

Hiſpanis impoſuit. Redarguit eum hac de re Tertullianus Montaniſta jam factus lib. de pudic. cap. 1, haud ipſi tamen auſus poteſtatem abjudicare decernendi de Eccleſiaſtica diſciplina. Ex hoc ipſo loci autem Tertullianus ipſe ceu manifeſtus calumniator redarguitur, & refellitur, dum lib. adv. Praxeam cap. 1. Montaniſtam facere S. Zephyrinum non depuduit: quandoquidem quod inficiabant Montaniſtæ, Eccleſiæ jus peccata quælibet dimittendi approbe aſſeruit, dum adulteris pœnitentiæ locum fecit, affirmante ipſomet Tertulliano, & confirmante Euſebio lib. 5. cap. 27. Cl. Jo. Morinus lib. 9. de ſacr. Pœnit. cap. 20. perſuaſum habuit a S. Zephyrino idololatris, homicidiſque perinde, ac adulteris pœnitentiæ locum conceſsum: Tertullianum vero, qui de Mœchis id affirmat, de idololatris, & homicidis negat, aut ſupine hallucinatum fuiſse, aut ſplendide in verbo ſuo mentitum. Verum Edmundus Martene lib. 1. de antiq. Eccl. Rit. cap. 6. art. 2. Tertullianum hac in re calumniatum non eſse, ſed rem narraſse exiſtimat, ac revera a S. Zephyrino cum adulteris benigne actum, non ita cum idololatris, & homicidis, cum quibus ſeveriori animadverſione opus eſse judicaverit.

Parem agendi rationem tenuit S. Cornelius adverſus Novatianum, qui lapſis, atque immundis ſacrificiis coinquinatis, quamvis eoſdem digne pœnituiſſet, ſpem omnem Eccleſiaſticæ communionis abſcindendam, unique Deo, qui ſolus peccata dimittere poſſet, huiſmodi cauſsam remittendam effutiebat: eiſdem enim lapſis vere pœnitentibus veniam, pacemque reſtituendam, eoſque in Eccleſiæ communionem recipiendos decrevit: qua de re ad Fabium Antioch. litteras dedit, quarum inſigne fragmentum regerit Euſebius lib. 6. cap. 43; quem Pontificem, non ſecus atque ipſius ſucceſſorem S. Lucium, qui lapſos pariter communione haud defraudandos ſanciverat, digno mactavit elogio S. Cyprianus in epiſt. 67. ad S. Stephanum. Exinde conjicere eſt illud SS. Cornelii, & Lucii Decretum pro Eccleſia quoque Antiochena, & Africana latum. Indicio haud obſcuro id eſt, quod ſedata Decii perſecutione lapſis ad pœnitentiam ſubeundam paratis, atque in Eccleſiæ communionem ſe recipi efflictim rogantibus ut ſubveniretur, S. Cyprianus habita Carthagine Synodo

ſanci-

ſancivit recipiendos quidem ad Communionem Libellaticos, ideſt eos, qui a Judicibus libellos declinandæ perſecutionis gratia pretio emerant, utque pœnitentia nulla alia peracta præter eam, quam fervente adhuc perſecutione ſponte ſubierant, extemplo ad Eccleſiæ pacem admitterentur: Sacrificatis autem, ideſt iis, qui thus Idolis adoleviſſent, plenam agendam eſſe pœnitentiam, antequam reconciliarentur; ita tamen, ut ſi in ipſo pœnitentiæ decurſu mortis periculum incurrerent, abſolutio non denegaretur. Quod quidem Decretum a S. Cornelio confirmari S. Cyprianus obnixe obſecravit, confirmatumque, ut optaverat, fide affirmat ſua in epiſt. 52. ad Antonianum, ac 55. ad eumdem: ſed & S. Cyprianum certiſſime ſibi ſequendam S. Romanæ Eccleſiæ ſententiam propoſuiſſe patet ex epiſt. 14, & 15. ad ejuſdem Clerum. Plura non refingam de hoc argumento, de quo copioſius alibi me diſputaſſe memini.

Officii proprii non tam partibus deputabant Eccleſiarum Præſules diſciplinæ legibus in Romana Eccleſia receptis, ſe ſe conformare, quam ubique hanc uniformitatem inferre Pontifices ipſi curarent, ut qui curam Eccleſiæ univerſæ circumferebant. S. Dionyſius Corinthius in epiſt. ad Romanos apud Euſebium lib. 4. cap. 23. S. Soterem Pontificem M. Eccleſiarum exterarum ſollicitudinem geſtaſſe, ſupremique Paſtoris officio peregregie fuiſſe perfunctum, jamdiu ſcripſerat: & S. Dionyſius Alexandrinus in epiſt. ad S. Stephanum apud Euſebium lib. 7. cap. 2. inſignem ejus in laudem vertit egregiam, quam Eccleſiarum Syriæ, & Arabiæ curam induerat, earumque bono præſentiſſimus conſuluerat, & proſpexerat. Eluxit magis, magiſque explicuit ſe ſe eximia iſta, & enixa curandæ rei Eccleſiaſticæ ſollicitudo, quæ eidem S. Stephano inhærebat, in celeberrima cauſa de Anabaptiſmo hæreticorum: qui enim, & quotquot a traditione in Romana Eccleſia retenta errore decepti deceſſerant, Firmiliano, & Aſiaticis, S. Cypriano, & Africanis invictiſſimo auctoritatis pondere offendens præcepit, teſtibus eodem S. Cypriano in epiſt. 74. ad Pompejum edit. Oxon., S. Dionyſio Alex. in epiſt. ad S. Sixtum apud Euſebium lib. 7. cap. 5, & S. Auguſtino lib. 5. de Bapt. contra Donat. cap. 23, ne baptizatos ab hæreticis rurſum Baptiſmo abluere ullatenus

auderent. Quin imo eoſdem Aſianos, & Africanos ſibi obtemperare detrectantes vel abſtinendos dixit, uti ſuaderi videtur ex epiſt. cit. S. Cypriani, ex S. Auguſtino lib. de unico Bapt. contra Petil. cap. 14, & S. Hieronymo in dialogo adv. Lucif. S. Cyprianum in S. Stephani communione manſiſſe aſſerentibus, vel (eſtque veriſimilius de Aſiaticis contumacioribus, non etiam de Africanis docilioribus), reapſe ſacris abſtinuit, velut conjicere fas eſt ex Firmiliano in epiſt. ad S. Cyprianum ſcribente Stephanum cum Afris pacem rupiſſe, & S. Dionyſio Alex. in epiſt. præcit. affirmante S. Stephanum cum Aſianis illis communionem ſuſpendiſſe. Itaque Romano Pontifici jus fuiſſe inſitum ejuſmodi cauſſam dignoſcendi, ac dijudicandi, judicioque ab ſe prolato ad parendum omnes præceptis, ac pœnis compellendi, & compulſandi, S. Stephano nedum, ſed Firmiliano, & Aſianis, ſed S. Cypriano, & Afris perſuaſum erat, a quibus adverſus hujuſmodi auctoritatem nihil eſt obtrectatum, quamvis adverſus hanc agendi rationem acrius, quam fuiſſet par, fuerit oblatratum. Si veritate ſuffulciretur undique ea S. Cornelii epiſt. ad S. Cyprianum, quæ in aliis S. Cypriani editionibus deſideratur, primumque in lucem fuit edita a Baluzio, egregium haberemus monumentum ad omnem ab eodem S. Stephano amovendam invidiam, & oſtendendum eamdem ſuo deceſſori S. Cornelio inſediſſe ſententiam, ab eodemque juris ſupremi inſigne ſpecimen in eadem cauſſa editum fuiſſe, & exercitum; his enim loquitur ibidem ad S. Cyprianum: *Dilectionis tuæ non delectabilia, & contra fidei regulam ſcripta ſuſcepi, in quibus nauſeas recognovi, & venena ſermonum adverſus Catholicam per totum Orbem diffuſam Eccleſiam horribilibus a te ſuperſeri zizaniis non laudavi. Quæ peto velociter tollas, ac prædamnes: quod prius quidem te facere oportebat, quam in Mundo letale virus aſperſum ſimplicium, & innocentium interficeret mentes. Non ergo dignum eſt rebaptizare: ergo eradica, & extrica, ut diximus, florulentis ſermonibus, atque dignis per poſteriorem epiſtolam priora ſcripta, quæ contra Catholicam fidem ſervare* (fortaſſe ferere) *cenſuerunt gemina viperarum* &c. Quia vero hæc epiſtola fide valdequam laborat apud Prudentium Maranum in Proleg. de vita, & doctr. S. Cypriani præmiſſis editioni Baluzianæ pag. 92; ſi ge-

ſi genuina vero habenda foret, S. Stephano potius convenire putavit Jo: Albertus Fabricius in Bibl. med., & inf. Latin. lib. 3. pag. 443, ejus proinde loco documentum hoc accipe quam illuſtre, tam indubium ex S. Dionyſio Alex. Scilicet homo quidam baptizatus ab hæreticis, ſed haud eodem ritu, quo a Catholicis ſolebat conferri, ideoque de valore ſui baptiſmi valdequam dubitans, Sacramentum denuo catholico ritu ſibi adminiſtrari obteſtabatur. Hoc itaque in dubio Romanum Pontificem conſulendum ratus S. Dionyſius, litteris apud Euſebium lib. 7. cap. 9. legendis ad S. Sixtum datis: *Vere*, inquit, *Frater conſilio opus habeo, & ſententiam tuam expeto, ne forte hallucineř*. Ne forte nempe, uti ſunt homines, ac potiſſimum opinione aliqua præoccupati, in errorem proni, aliquid ipſe humani pateretur; certus, ſibique conſcius erroris periculum omne procul abeſſe in Romani Pontificis ſententia ſequenda.

Neque vero in S. Cornelii Succeſſoribus deſideravit Eccleſia eamdem tuendæ diſciplinæ circa Lapſos tam diſcrete ſancitæ curam. Officio huicce ſuo haud defuiſſe certe præter alios, SSmos duos Præſules illos Marcellum, & Euſebium, qui animi invicta fortitudine ſacris in Eccleſia Romana pœnitentiæ regulis ita defendendis incubuerunt, ut hinc vel abſtrahere Maxentii furor, vel inflectere, ac frangere illos exſilii pavor, ærumnæque nequiverint, teſtis liquidus accedit, locupleſque S. Damaſus, a quo S. Marcellus quidem *Veridicus Rector* vocatur, ac improborum hominum *Amarus hoſtis*, in Carmine a Baronio ad ann. 309. n. 7. deſcripto, ac deinde inter opera S. Damaſi Pariſiis an. 1672. a Ludovico Billenio cum Notis Mileſii Sarazanii pag. 173. recuſo; S. Euſebius vero *Rector fœdera pacis* ſervandi ſtudioſiſſimus: hoc eſt earum pœnitentiæ legum adverſus Heraclium lapſum hominem, qui lapſis peccatorum, ulla abſque pœnitentia anteacta, veniam concedendam contendebat, aſſertor, & vindex acerrimus, quas opere impleri a lapſis ante imperavit, quam communioni, pacique reſtituerentur, in Carmine ab eodem Baronio edito ad an. 357. n. 57, quod ad Euſebium Presbyterum ipſe refert, at potius ad S. Euſebium Papam attinere rectius exiſtimant Tillemontius, & Coutantius in S. Euſebio §. 1. in Not. pag. 319. Ni-

hil apud Scriptorem libri Pontificalis frequentius occurrit, quam Conſtitutorum per ſingulas vices a Pontificibus, qui Romanæ pro tempore præerant Eccleſiæ, mentio. Illuſtre inter alia illud eſt, quod S. Melchiadi tribuitur, Conſtitutum, ne videlicet die Dominica, aut Feria quinta jejunium a Chriſtifidelibus perageretur, quia hos dies Pagani jejunio ſacros haberent. Non equidem repugnabo Eruditis hoc Decretum S. Melchiadi duplici ratione abjudicantibus, tum quia ante hujus Pontificis ætatem diei Dominicæ jejunium fuerit interdictum, teſtibus Tertulliano lib. de Coron. Milit. cap. 3, S. Epiphanio in expoſit. fidei, S. Hieronymo in epiſt. 28. ad Lucinium, & S. Auguſtino in epiſt. 36. ad Caſulanum, non etiam Feriæ quintæ, veluti liquet ex eodem loco S. Auguſtini, ex Caſſiano Collat. 21. cap. 24, & S. Gregorio M. homil. 16. in Evang.; tum quia Decreti ejuſmodi cauſsam non dedit idem apud Paganos mos inductus, bene vero idem ritus a Monaniſtis, ac Manichæis uſurpatus, de quibus Synodus Gangrenſis Can. 18, & Cæſarauguſtana an. 381. Can. 2, S. Auguſtinus in cit. epiſt. ad Caſulanum, S. Epiphanius hær. 75. de Aerianis, & S. Leo M. in epiſt. 17. ad S. Turribium. At hinc licet inferre a S. Melchiade id ſaltem cautum fuiſse maximopere, ne vetus in Romana Eccleſia traditio de jejunio ſolvendo in Dominica labefactaretur, Decretoque iſti occaſionem Manichæos dediſse. Obſervat Baronius ad an. 372. ex epiſt. 22. S. Hieronymi Romæ in calumniam jejunantium Chriſtifidelium verſum fuiſse jejunium ſuperſtioſum Manichæorum: at quæſtio animum pulſat, quam nam ſuperſtitionis cum Ethnicorum jejuniis communis ſpeciem hoc Manichæorum jejunium præſeferret. Clarius doctiſs. Philippus a Turre Epiſcopus Adrienſis in diſsert. de Mithra cap. 5. ex diſputatione Archelai adverſus Manetem, edita inter Collect. Monum. Eccl. Græcæ, ac Latinæ a Cl. Laurentio Zaccagnio, obſervat Manetem populares apud Perſas errores addidiciſse, inter quos Palingeneſim animarum, duo Mundi Principia inter ſe contraria, Oromazan, & Arimanium, quorum unus mala, alter bona conferret, cultumque Solis, quem Mithram, ſive inter eos medium, ſive mediatorem conſtituebant. Inter myſteria, quibus Mithræ ſeletæ, ac cultores initiabantur, ac inter hos Manichæi

nichæi etiam, quibus Chriſti D. loco Solem fuiſſe, ideſt Mithram, tradit S. Auguſtinus in tract. 34. in cap. 8. S. Johan., jejunium recenſebatur : itaque S. Melchiadi provide Decreto illo proſpiciendum fuerat, ne diſciplina chriſtiani jejunii profluxiſſe videretur ex Mithræ ſuperſtitionibus, ac propendere in ſuperſtitioſa Manichæorum jejunia. Accipe nunc alterius ſpeciei diſciplinæ Eccleſiaſticæ a S. Julio P.M. primum inductæ argumentum.

Medio ſæculo III. nondum ſane celebrabatur in Eccleſia Natalis Chriſti D. dies, ſtato, certoque defixus ſaltem diei, uti conjicere licet ex Clemente Alex. lib. 1. Strom. referente diſputatum tunc de illo die fuiſſe, quem alii diei 25. Pacon, ideſt diei 20. Maji affigebant, alii diei 24, aut 25. Pharmuti, ideſt 19, aut 20. Aprilis, & ex Origene lib. 8. contra Celſum, ubi refert a Chriſtianis non alios Feſtos dies ſuo tempore celebratos, præter Dominicos, Paraſceven, Paſcha, & Pentecoſtem. Poſtea vero in die Epiphaniæ celebrari coepiſſe tria Feſta Chriſti D., Natalem nempe, Magorum adventum, ejuſque Baptiſmum, atque quidem cum in Occidente, tum in Oriente, auctores ſunt Ammianus Marcellinus lib. 21. cap. 2, S. Epiphanius lib. 3, & Caſſianus lib. 10. Collat. cap. 12, multiſque oſtendit Gothofredus in Comment. L. 5. Cod. Theodoſiani *De Spectaculis*. S. Julius igitur P. M. primus fertur, qui in Eccleſia Romana diem Natalis a die Epiphaniæ diſtinguens, primum diei 25. Decembris affixerit, poſtremum ſuo loco, die videlicet 6. Januarii, reliquerit celebrandum. Rem enarrat Johannes Nicænus Antiſtes, qui circa ſæculi X. exitum florebat, in epiſtola de Nativitate D., quam ex Codice Regio Combefiſius in lucem extulit, & latinam fecit, ac Notis illuſtravit tom. 2. Auctuari Bibl. PP. pag. 311. Nimirum a S. Cyrillo Hieroſolym. acceptis litteris, quibus Pontifex admonebatur non rite eadem die tria Feſta in Eccleſia recoli, S. Julius diligenti adhibita ſupputatione, compertoque Natalis D. verum diem in diem 25. Decembris incidiſſe, eo die Feſtum iſtud deinceps celebrandum univerſis Eccleſiis indixit. Ab eo ergo tempore primum ab Eccleſia Romana ſeorſum ab Epiphania celebratus eſt Chriſti D. Natalis dies, exindeque facile ad univerſas Eccleſias Occidentis permeavit, ut adparet ex laudata L. 5. Theodoſii Jun. *De Spectaculis* : quinimo

non

non multo poſt ab Eccleſia quoque Orientali id Feſtum uſurpari cœpit, exemplo plane Romanæ Eccleſiæ edocta, ac juſſu fortaſſe Pontificis adacta: quandoquidem, ut fide ſua affirmat idem Johannes in præcit. epiſt., S. Baſilius diei quoque 25. Decembris Natalem Domini adfixit, eoque ſuadente S. Gregorius Nazian. in Synodo Conſtantinopolitana anno 400, idem Feſtum die 25. Decemb. celebrandum ut decerneretur, ſignificavit. Quin etiam ex Synodo eadem ſcriptas commemorat Synodicas ad Theophilum Alex., ad Johannem Hieroſolym., & ad Flavianum Antioch., qui omnes Romanæ Eccleſiæ ritui acquieſcentes eadem die ſolmne habendum deinceps Natale D. decreverunt: eo autem tempore Romę Pontifex ſedebat S. Anaſtaſius. Scriptam etiam Synodicam ad Iſaacium magnæ Armeniæ Catholicum ſubjungit, quo abſente epiſtolam retinuerit Sormach S. Epiſcopo infeſtus, conflataque exinde calumnia, Perſarum Regi auctor fuerit exilii, in quod ille expulſus eſt. Armeni itaque abſente Iſaacio cunctati ſunt novum ritum admittere de celebrando Natali ſancita die. Quin etiam anno 552. in Synodo Thevenenſi ſchiſmate conflato, erroreque Monophyſitarum confirmato ab Armenis ſancitum eadem die Chriſti D. Natalem, & Baptiſmum celebrandum, celebratumque ab iis ſubinde uſque ad an. circiter 670. legitur in hiſtorica Synopſi de Patriarchis Armenis apud Galanum in Concil. Eccl. Arm. Præterea Abulfaragius in hiſt. Dinaſtiarum pag. 94. refert Juſtinianum Imp. data anno 551. epiſtola ad univerſos Epiſcopos juſſiſſe, ut Natalem D. deinceps ubique die 25. Decemb. celebrarent, dictoque ipſius obtemperaſſe omnes, Armenis exceptis. Sed neque in Ægypto receptam fuiſſe confeſtim, atque Conſtantinopoli fuit probata, hanc Feſtorum Domin. diviſionem colligit Papebrochius ex S. Iſidoro Peluſiote, & Jo: Caſſiano: hinc factum exiſtimans, quod Juſtinus Imp. ſæculo VI. tandem, ut inquit Nicephorus lib. 17. cap. 28, lata lege Natalem diem Chriſti D. ſeorſum ab Epiphania, dieque 25. Decem. ſolemnem habendum ubique denuntiaverit: quod ipſum perinde factum a Juſtiniano mox innuebam.

Hanc equidem ſive S. Julii epiſtolam ad S. Cyrillum, ſive Johannis Nicæni epiſtolarem enarrationem, tanquam ſuppoſititiam, explodunt viri emunctioris naris Critici Daniel Papebrochius in Cona-

Conatu Chron. hiſt. in epiſt. 2. ad Poſſinum, & Petrus Coutantius in Cenſura epiſt. Cyrilli ad Julium, viciſſimque Julii ad Cyrillum. Ea uterque potiſſimum ratione ad hæc rejicienda utitur, quod ratiocinatio ibidem ducta a S. Julio ex conceptione S. Jo: Baptiſtæ non recte concludat, quæ tametſi circa Menſem iniri utcumque valeat, non valet utique ad definitionem diei: deſignatus enim Menſis 6. latitudinem habet dierum 30; unde ſicuti dies Incarnationis determinari nequit, ita neque dies Nativitatis. Deinde, cur S. Julius ratiocinationem ſuam ex Joſephi Commentario antea ignoto, nec magis cognito nunc, confirmaſſet, ut ibidem legitur, quam præſto erat, & in promptu deducere potius ex libris Cenſuum in Judæa habitorum Romæ ſervatis? Ad hos profecto libros veluti publice extantes, ac publicam facientes fidem, ſuo provocabat tempore Tertullianus: cur igitur S. Julius hoſce libros neglexiſſet conſulere; & S. Cyrillo allegare, ſed magis hominis Judæi, quæ nec undequaque ſecura eſſet, auctoritatem maluiſſet adhibere? Ad hæc Toutæus prope certum putat Natalis, ac Baptiſmi Chriſti D. Feſtivitates nunquam a S. Cyrillo fuiſſe ſeparatas: quod comprobare nititur ex homilia de S. Stephano tributa Baſilio Seleuc. apud Combefiſium in Bibl. Concion., in qua digno mactatur elogio Juvenalis, quod Natalem D. celebrare cœpiſet: exinde enim arguit hunc morem celebrandi Natalem ſeparatim a Baptiſmo primum in Eccleſiam Hieroſolym. a Juvenale fuiſſe inductum. At vero Coſmas ſcriptor Juſtiniano Imp. coævus, in noviſſ. S. Chryſoſtomi edit. tom. 2. pag. 353. allegatus, perhibet ſua adhuc ætate, ideſt Sæculo V, in Eccleſia Hieroſolym. cum Epiphania celebratum Natale D. Ut ut hæc ſe habeant, illud indubium haberi debet ex Romana Eccleſia receptum ab Orientali ritum fuiſſe celebrandi Natalem D. die diſtincto ab Epiphania, dieque 25. Decemb. illigato. Teſtem hujus rei locupletem invoco S. Jo: Chryſoſtomum, qui primo anno ſuæ in Presbyterum inaugurationis, ideoque anno 386. Sermone 35. Antiochiæ in die Natali habito ſic effatus legitur: *Nondum decimus annus eſt, ex quo hic ipſe dies nobis innotuit, ab exordio iis, qui in Occidente habitant, cognitus. Romani multo ante, & ex antiqua traditione ipſum celebrantes ad nos uſque notitiam illius tranſmiſerunt*

ferunt. Ex quibus conficitur Antiochenam Eccleſiam a Romana edoctam Natalem D. 25. Decemb. celebrare demum anno 376, aut ſeq. cœpiſſe. Sermonem hunc S. Chryſoſtomo abjudicat Gretzerus ad cap. 8. Codini: at vindicant, egregieque genuinum defendunt Combefiſius loco ind., & Caſaubonus exercit. 2. in Baronium §. 11. non inficiatus Romanæ Eccleſiæ ritum hunc ab Orientali acceptum referri. Conferendi hanc ipſam in rem Florentinius in Not. ad Martyrolog. Hieronym. exercit. 2. pag. 195, & ſeqq., Zaccagnium in præfat. tom. 1. ad Collect. Monum. Vet. Eccleſ. Græcæ, & Latinæ n. 33, ac Pagium in Crit. ad an. 67. n. 24, & ſeq. Præterea eodem S. Jo: Chryſoſtomo agente ſub Arcadio, & Honorio, ex Cypro ad id accerſito quoque S. Epiphanio, decretum eſt ab Eccleſia deinceps Orientali Natalem Domini celebrandum fore die 25. Decemb. Et certe in eamdem S. Chryſoſtomi ſententiam concurrentes ab ſe in Eccleſiis ſuis eum diem 25. Decemb. Natalis D. feſtivum habitum fuiſſe ſingificant haud obſcure S. Gregorius Nyſſenus orat. in obitu S. Baſilii fratris, & homil. de Nativ. Dom.; S. Gregorius Nazianzenus orat. 38. de Nativ. Dom. Conſtantinop. habita, & orat. 39. in Ephiphania, & Paulus Emeſenus in Concione Alexandriæ habita die 29. Menſ. Chœac, hoc eſt die 25. Decemb. apud Harduinum legenda par. 4. Concilii Epheſini cap. 21. tom. 1. pag. 1694: ex qua patet jam tum in Eccleſia Alexandrina ritum Eccleſiæ Romanæ acceptum, receptumque evaſiſſe. Ex his denique colliges quam merito, tam dignis vapulare ab Eruditis Harduinum, qui ut Chriſti D. Natalem diem ſub Sentio Saturnino, antequam e Syria, cui fuerat præfectus, pedem referret, ſubque annum 39. Imperii Auguſti conſtitueret, Chriſtum D. Menſe Septembri natum ſcribere non eſt veritus. Ejus ſententiam in diſſert. Chronolog. ad S. Scripturam exagitavi, nunc alió mihi excurrendum, & in mea revertendum.

Uſu itaque ubique recepto cum ab Occidente, tum ab Oriente, verbo, ab Orbe univerſo, arduis in rebus, dubiis in ritibus, difficilibus in cauſſis ſive doctrinæ, ſive diſciplinæ, Romana conſulebatur Eccleſia, exindeque reſponſa emanantia, tanquam Oracula omni ex parte veritate conſtantia, ambabus excipiebantur ulnis. S. Hieronymus in epiſt. alias 11. ad Ageruchiam hoc ſibi, dum

dum Romam adveniſſet, muneris a S. Damaſo injunctum teſtatur: *Ut in Chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanæ Urbis Epiſcopum, & Orientis, atque Occidentis conſultationibus reſponderem.* Nec idem ſibimet in rebus dubiis certiorem regulam ſequendam propoſuerat, ut mox aperiam, quam Pontificis Romani dictum, quod in omni quæſtione perinde omnibus peremptorium eſſe jubebat. Non negabo quidem mutuis quandoque ſe ſe conſiliis adjuviſſe Eccleſias vel remotiſſimas, velut Lugdunenſem, Viennenſemque ab Eccleſia Aſiæ, & Phrygiæ conſilium de Cataphrygibus quæſiviſſe legimus apud Euſebium lib. 5. capp. 2, & 3, paſſimque apud alios de Epiſcopis a privatis Epiſcopis id officii exquirentibus. Atqui perquam raro id fiebat, id vix extra fines Provinciæ egrediebatur, idque in negotiis non adeo gravioris momenti contingebat. Contra vero ad Apoſtolicam Sedem Chriſtianum Orbem, quantus eſt, & quantus, confluere, atque tum quammaxime quum tumultibus quateretur, confugere ſolemne habuit ſemper. Sæculo IV. licet de nomine, non levis tamen circa unam, aut tres dicendas Hypoſtaſes in Divinis exorta lis eſt, quæ, uti ſolet, temporis ſucceſſu, Orientem non ſolum, ſed & Occidentem in turbas conjecit, & concitavit. In Concilio Alexandrino anno 319, aut verius an. 324, ut viſum eſt Pagio ad an. 318. n. 19, ab Oſio Cordubenſi celebrato ad perverſum deinceps præcavendum dogma Sabellii, quo trium Perſonarum in Trinitate diſtinctio explodebatur, eædemque in unam Eſſentiam indiſtincte confundebantur, diſtinctione admiſſa dumtaxat nominum ſecundum diverſa ſignificata, inter Οὐσίαν *Uſiam*, & Ὑπόστασιν *Hypoſtaſim* diſtinctum eſt, atque ita quidem, ut una Uſia, tres Hypoſtaſes in Divinis eſſent dicendæ. Ita indicant S. Athanaſius in Apolog. 2; & Socrates lib. 3. cap. 7, quem hallucinatum, dum aſſerit in eadem Synodo decretum, ne utraque illa vox in Deo uſurparetur, obſervat ibidem Valeſius, hallucinatumque iterum, dum ait tum primum de iſtis vocibus, ipſarumque diſtinctis ſignificatis diſputari cœptum aperto Facundi Herm. teſtimonio lib. 1. cap. 3. oſtendit. Lupus in diſſert. poſth. de hiſce vocibus cap. 1. Ex hac trium Hypoſtaſeon uſurpatione adverſus Sabellium inducta anſam exhiberi Arianis dicendi trium Hypoſtaſum

nomine tres in Divinis Uſias, ſive ſubſtantias, veriti nonnulli a tribus Hypoſtaſibus abſtinendum ſatius arbitrati ſunt : exinde contentioni inter Orientales, qui pro tribus Hypoſtaſibus pugnabant, & Occidentales, quibus una magis placebat, locus eſt factus. Neutro præterea modo ſive una, ſive tres adhiberentur Hypoſtaſes, ſatis errori aut Sabelli, aut Arii occurriſſe videbatur: ſiquidem Sabelliani, teſte S. Baſilio in epiſt. 78, Uſiam, ac Hypoſtaſim pro eadem prorſus re accipiebant, idque Nicæni Concilii auctoritate defendere conabantur dicentis in expoſit. fidei: *Qui ex aliâ Uſiâ, vel Hypoſtaſi dicunt eſſe Filium Dei, hos anathematizat Eccleſia* : quaſi ſcilicet dixiſſet Synodus Uſiam, & Hypoſtaſim idem eſſe, quod Sabellianorum illatum egregie ibidem S. Doctor refellit, (ſiquidem eo loci Synodus pro ſubſtantia, vel eſſentia Uſiam, vel Hypoſtaſim accepit.) Acaciani viciſſim in Conciliabulo Conſtantinopolit. anno 359. cum Uſiæ, tum Hypoſtaſis nomina in Divinis ſilentio damnarunt, teſtibus S. Athanaſio lib. de Synodis, S. Epiphanio hær. 73, Socrate lib. 2. cap. 41, qui huicce damnationi tum primum ſubſcripſiſſe Ulfilam Gothorum Epiſcopum ſubjungit, & Sozomeno lib. 4. cap. 24. Auctum eſt circa annum 360. hoc de nomine Hypoſtaſis diſſidium, viresque addidit ſchiſmati Antiocheno, quippe qui a parte Paulini ſtabant, unam dumtaxat Hypoſtaſim defendebant, qui partibus Meletii ſtudebant, tres Hypoſtaſes in Divinis dicendas contendebant : itaque hi Sabellianiſmum illis, illi Arianiſmum his reciproce appingebant, uti referunt S. Baſilius epiſt. 349, & S. Gregorius Nazian. Orat. 21. de laudibus S. Athanaſii. Abſque fidei diſpendio, nec de veritate dogmatis, ſed de verbis dumtaxat ejuſmodi altercationem orthodoxos inter homines exarſiſſe, liquido patet ex laudata mox Oratione a S. Gregorio habita. Sedando tamen ſchiſmati, ac ſcandalo amovendo opportunum fore, ut controverſia quoque de Hypoſtaſibus conſopiretur, S. Athanaſius, unaque S. Euſebius Vercellenſis exiſtimantes, coacto anno 362. Alexandriæ Concilio, vocatiſque utrinque & his, qui tres Hypoſtaſes, & illis, qui unam tantummodo inducebant, quum interrogatis viciſſim his, & illis intellexiſſent non de re, ſed de vocibus eſſe litem, ſiquidem illi, & hi patiter longe procul

cul ab erroribus ſive Arii, ſive Sabellii abeſſent, in eo conventum eſt, ut tam Latini, quam Græci ſuo quique idiomate, vel tres, vel unam Hypoſtaſim indiſcriminatim uſurparent, neque curandum de ſyllabis, dummodo nulla interveniret in dogmate diſſonantia. Conſtat id ex S. Gregorio Nazian. in præl. orat. de laud. S. Athanaſii, ac orat. 32. ad Synodum Conſtantinopolit., & epiſtola Synodica ad Antiochenos apud S. Athanaſium, quam Paulinus ipſe ſyngrapha probavit ſua. Videſis etiam Rufinum lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 27, & 29; & vitam S. Euſebii Vercell. apud Ughellum tom. 4. Ital. ſacræ.

Putaſne vero controverſiæ ejuſmodi prudentiæ, œconomiæque plena conventione hacce finem, qui optatiſſimus fuerat, impoſitum? Minime profecto gentium. Sane utrumque Concilium Alexandrinum ſive ſub Oſio, ſive ſub SS. Athanaſio, & Euſebio, in quorum uno tres Hypoſtaſes uſu conſecratæ fuerant, in altero vero facta Græcis, Latiniſque, pro cujuſque libitu, ac lingua, facultas aut tres, aut unam tantummodo uſurpandi, cum eorum, qui præfuerant, Sanctitatis, auctoritatiſque præſtantia, tum eorum, qui interfuerant, numero, reique Eccleſiaſticæ peritia celeberrimum fuerat, primum enim generale etiam appellavit S. Athanaſius in apolog. 2, ſecundum vero in pretio haud impari, honoreque fuiſſe habendum exinde pateſcit, quod ei pars contendentium utraque adfuerit, alternatimque convenerit: nihilo tamen minus neutri undique omnes adquieverunt; nec Latinis ille concordiæ modus allubuit, qui iccirco, quod Hypoſtaſis nomine ſubſtantiam ſignificari arbitrarentur, tres dicere Hypoſtaſes eódem recidere, ac tres dicere ſubſtantias, autumarunt: atque ita alios inter S. Auguſtino viſum eſt lib. 5. de Trinit. capp. 8, & 9: Græci e contra trium Hypoſtaſum tenaciſſimi, Hypoſtaſis nomine nonniſi ſubſiſtentiam, veluti de ſchola Theologi vocant, cujus vim ſimiliter eamdem eſſe, ac ſubſtantiæ aſſerebant, ſicuti hanc ſubſiſtentiæ vim habet ſane in epiſtola ad Hebræos: Χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως Ε' αυτὸ, quæ verba Latinus Interpres tranſtulit: *Figura Subſtantiæ*, ideſt ſubſiſtentiæ, *ejus*, deſignati, ideoque tres in Divinis Hypoſtaſes omnino dicendas jubebant: atque inter alios ita S. Baſilius in epiſt. 325. ad S. Epiphanium,

349. ad Terentium Comitem, pluribus ad S. Gregorium Nyſs. fratrem, ac 391. ad Amphilochium Icon. Confer Anaſtaſium Sinaitam apud Gretzerum capp. 5, & ſeq., & Anaſtaſium Bibl. in præfat. ad Synodum VII. Inter utroſque igitur hærens S. Hieronymus expeditiorem, qua utrumque declinaret ſcopulum, viam non adſpexit, quam ea de quæſtione ad S. Damaſum P. M. ſe dirigere, ab eoque expetere reſponſum, expectareque, quod præſtitit epiſt. 57. verbis hiſce ſcribens: *Decernite, ſi placet, obſecro, non timebo tres Hypoſtaſes dicere, ſi jubetis*: pauciſque interjectis de varia hujuſce vocis acceptione, ſic pergit: *Obteſtor Beatitudinem tuam, ut mihi epiſtolis tuis, ſive tacendarum, ſive dicendarum Hypoſtaſeon detur auctoritas*. Quamquam S. Doctori una dumtaxat videretur dicenda, ut qui Hypoſtaſis nomine Uſiam pariter, hoc eſt ſubſtantiam, deſignari autumabat, non ignorans utique ita ab Arianis pro ſubſtantia Hypoſtaſim uſurpatam, uti patet ex epiſt. Synodica Concilii Sardicenſis apud Theodoretum lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 8. Incompertum eſt plane, quid Pontifex reſcripſerit: ſiquidem, quæ S. Hieronymo inſcripta circumfertur ejus nomine, epiſtolam pſeudoepigraphis adcenſendam eſſe oſtendit Scheleſtratius antiq.illuſt.par. 2. Baronio, & Tillemontio perſuaſum fuit ad hancce epiſtolam S. Hieronymi ex ejuſdem ſententia a S. Damaſo reſponſum datum. Inficiatur id Coutantius, atque certe reſponſum ejuſmodi nuſpiam adparuit. Poſtquam Gratianus lege lata præcepiſſet, ut in exilium pulſi Epiſcopi ſuas regrederentur ad Eccleſias, ſuamque ad Antiochenam recepiſſet ſe ſe Meletius, auctor eſt Theodoretus lib. 5. cap. 3. gravem tum Meletium inter, & Paulinum litem exarſiſſe de loco, ad quem retinendum ſemet S. Damaſi communione Paulinus tuebatur, & communiebat. Paulinum ut revinceret Flavianus Meletii partes defendens, eodem Theodoreto teſte, tam confidenter, quam confeſtim repoſuit a S. Damaſo tres Hypoſtaſes diſerte prædicari. Atqui Flavianum hoc affirmantem pedem in falſo poſuiſſe arguit Coutantius ex Acacio Beroeenſi apud S. Cyrillum in epiſt. 13, qui plane Synodo Romanæ ſub Damaſo adverſus Apollinarem habitæ interfuerat, compertamque proinde habebat probe S. Damaſi ſententiam: perhibet autem Paulinum tres

Hypo-

Hypoſtaſes dicere poſt Occidentales Epiſcopos, ideoque & S. Damaſum, detrectaſſe.

Quamquam, aut ego fallor, negari etſi nequeat S. Damaſum antea a tribus Hypoſtaſibus abſtinuiſſe, ſive quod ut loquitur Acacius loco cit. *Romanæ linguæ anguſtia tres Hypoſtaſes ſecundum Græcam phraſim dicere commode non ferat*; ſive quod tum Latinis Hypoſtaſis nomen ſubſtantiam, ſive Naturam ſonaret, nihil prohibet tamen, quominus dici queat, quod comperta poſtmodum Græcæ loquutionis vi, ſicut Paulinus, ſic S. Damaſus ab hujuſmodi trium Hypoſtaſum uſurpatione non abhorruerit. Quin etiam S. Damaſum haud reprobaſſe dein hunc trium Hypoſtaſum uſum ad tres in Deo Subſiſtentias, ſive Perſonas ſignificandas translatum, non una ſuadet utique ratio: tum nempe quod ipſe trium Hypoſtaſeon, quam in Synodica ad ipſum miſſa Epiſcopi Concilii Conſtantinopolit. I. adhibuerant, acceptionem æqui, ut decebat, bonique fecerit, nec vel levem ipſis litem hoc de verbo intenderit: tum quod perinde Rom. Pontifices ipſius Succeſſores eamdem trium Hypoſtaſum uſurpationem hoc Catholico ſenſu acceptam, ratamque habere nullatenus dubitaverint. Pelagius in fidei profeſſione, quam ex Palæſtina ad S. Innocentium I. P.M. exaravit, quave profecto ab hæreſis ſuſpicione ſe expurgabat, tres expreſſe Hypoſtaſes apud ipſum Pontificem fateri, & profiteri religioni, officioque duxit: *Non nomina*, inquiens, *tantummodo, ſed etiam nominum Proprietates, ideſt Perſonas, velut Græci exprimunt, Hypoſtaſes, ideſt Subſtantias confitemur*. Latinorum auribus Subſtantiæ idem, ac Subſiſtentiæ vocabulum tum inſonuiſſe heic iterum moneo. Atqui hiſce de vocibus negotium Pelagio nullum a Pontifice faceſſitum fuit: qui ergo fieri id potuit, quin probatæ, & acceptæ pariter Romano Pontifici eædem voces eſſent? Poſthinc Johannes II., dum Edictum confeſſionis fidei a Juſtiniano Imper. ſibi tranſmiſſum, in quo aperte trium Hypoſtaſum in Divinis fiebat mentio, approbavit, tuto, liciteque haſce uſurpari a Latinis poſſe voces perinde oſtendit. Denique S. Agatho in epiſtola ad Epiſcopos Synodi VI. communi, & ſummo eorum conſenſu, reverentiaque recepta, & act. 4. recitata, tres diſtinctiſſime in Deo Subſiſtentias, ſive Hypoſtaſes, ſive Perſonas, ut ea-

ut earum omnium vocum eadem una ſit vis, ac poteſtas, profeſſus eſt. Hinc factum eſt facile, ut deinceps ab Eccleſiaſticis Scriptoribus, indifferenterque a Theologicorum dogmatum Tractatoribus Hypoſtaſis nomen, Uſiæ nomine ad denotandam Subſtantiam reſervato, conſecratoque, ad Perſonam, ſive Subſiſtentiam ſignificandam tuto, fidenterque transferretur, quinve ullum fidei ab hæreticorum fraudibus, doliſque incumbere diſcrimen vererentur, conſecrari, uſurparique uſu cœperit: ideoque jure optimo ſcripſerit S. Thomas in 1. diſt. 26. q. 1. art. 1. ad 4: *Subſiſtentiam apud uſum Sanctorum ſumi pro Hypoſtaſi*. Neque hanc pro Subſiſtentia, ſive Perſona Hypoſtaſis acceptionem heteroclytam apud Latinos fuiſſe ante ipſum fuſe demonſtrarunt Facundus Hermian. lib. 1. cap. 3, Paſchaſius Rom. Eccleſ. Diaconus lib. 2. adverſus Macedonianos cap. 4, S. Anſelmus in Menolog. cap. 76, & lib. 1. epiſt. 47. ad Raynaldum, ac demum in Concilio Florentino Seſſ. 18. Johannes de Montenigro, jamque communiter pridem de Schola Theologi.

De hac quæſtione pro meo inſtituto pluſquam ſatis: properandum nunc mihi ad alia, in quibus ad hoc ipſum probandum jus, Romanoque Pontifici adſtruendum, pondus quidem haud impar inſit, minus autem verbis opus ſit. In Hiſpania itaque, finitimaque Africa collapſam ad erigendam diſciplinam, inſtaurandamque ſe conferens S. Siricius ad Himerium Tarrac. aliam, aliamque ad Epiſcopos Africanos ſacræ eruditionis refertiſſimas inſcripſit epiſtolas. Notabile, obſervatuque dignum, quod in priori ad Himerium præ aliis habet. Nempe conformiter Nicæno Can. 12. ſtatuit nemini ſuſcepta ſemel pœnitentia, ac ſæcularis Militiæ cingulo poſito, fas eſſe amplius in numeros referri, atque ad Militiam regredi. Mire ſtatutum iſtud totſit Interpretes, variaſque in ſententias parum ſenſui a Pontifice intento accommodas traxit. Germana, propiorque ad veritatem tum Patrum Nicænorum, tum Papæ Siricii interpretatio, (de qua adeundi Petavius in diſſert. Eccleſ. cap. 2. contra Salmaſium Canonem ſimpliciter de vetita Militia accipiendum contendentem pugnans, inque Nicænorum Patrum opinione Militiæ nomen dare, ſtipendio mereri; & in bello juſto ſanguinem inimicorum fundere Chriſtiano licere

pro-

propugnans, quamvis veteribus nonnullis bellum gerere christiano nefas esse videri potuerit, uti Tertulliano de Idololat. cap. 19. Tito Bostrensi lib. 2. contra Manichæos, quos deferendos ibidem docet, & Lactantio in Epitome divin. instit. cap. 4., & lib. 5. divin. instit. cap. 17., quem tamen vindicat; Lupus in Scholiis ad Can. 12. Nicænum; Coutantius in Not. ad epist. 1. S. Siricii contra Fleurium putantem Militiam in ipso pœnitentiæ dumtaxat curriculo prohiberi, cujus opinioni favere in speciem videntur Concilii Turonensis I. Can. 8., Venetici Can. 3. & Aurelianensis I. Can. 11, pœnitentia semel perfunctis ad Militiam perpetuo regressum interdictum contendens; & Catalanus ad cit. Can. Nicæn., quave in interpretatione ipsis præiverant Zonaras, & Balsamon), germana, inquam, interpretatio ea mihi videtur, quod quandoquidem Edictis Licinii Imper., & Juliani Apostatæ Christiani, sive ad Militiæ cingulum, sive ad Civiles dignitates admitti interdicti erant, nisi antea Christianam Religionem abdicassent, propterea que idem tum temporis esset ad Militiam reverti, ac Christo renuntiare, proinde agenti pœnitentiam lege Ecclesiastica ad Militiam, quo nomine Togata etiam intelligenda venit, aditum fuisse præclusum. Cui plane legi occasionem pridem dederant Christiani illi Milites, qui in persecutione Licinii honesta, & glorioſa confessione functi, adeo ut ob Christi nomen Militaribus cingulis discinti, & Militia privati fuerint, postea ad infamem illam cum Christi abnegatione conjunctam Militiæ speciem regredi non fuerant veriti.

In posteriori ad Episcopos Africanos epistola inter alia S. Siricius statuit, ut Novatiani, & Montenses, ideſt Donatistæ, ad Ecclesiam reduces per manus impositionem reconciliarentur: & ut Diaconi, ac Sacerdotes conjugati post Ordinationem ab uxoribus discederent: cujus decreti meminit S. Innocentius I. in epist. ad Exuperium, cuique decreto ea vis inest, ut Sacerdotes, & Diaconos continentiæ lege obligatos supponat, & ad eandem legem observandam inducat. Quesnellus dissert. 15. in S. Leonem, & Papebrochius in Conatu Chron. hist. ad Catalog. Rom. Pontif. geminas hasce S. Siricii epistolas ad Himerium, & ad Africanos Episcopos adulterinas reputant: Papebrochius quidem, ideo

quod

quod inſolens viſus ipſi ſit uſus a S. Siricio uſurpatus haſce litteras nota Conſulari conſignandi, atque per priorem imo Conſulatum deſignandi annum: Queſnellus vero, ideo potiſſimum, quod poſterior epiſtola Concilio annexa ſit, quod ubique Telenſe dicitur, Telenſe vero dici nequeat ab Urbe, quæ in Proconſulari jacet Provincia, ſed Teleptenſe dici ab Urbe Bizacenæ Provinciæ oportuiſſet. Præterea quod epiſtola iſthæc Siricii cum S. Innocentii epiſtola ad Victricium ſummam habeat conſenſionem, in eaque ad ea, quæ præcepta erant, veluti Presbyteris, & Diaconis præſcripta lex continentiæ, monendi, hortandi, rogandique verbis utatur. At gerræ, profecto gerræ, quas levi admodum negotio diſpellunt viri doctiſs. Baluzius in diſſert. de Concilio Teleptenſi ad calcem lib. de Concor. edit. an. 1704, Pagius in Crit. ad an. 385. n. 4, & 386. n. 2, ac Coutantius in monito prævio ad epiſt. 5. S. Siricii. Jamdiu enim formulam illam conſignandi litteras Conſulum nomine a Pontificibus in uſum fuiſſe vocatam adverſus Papebrochium oſtendit Pagius, & quia in Occidente initio anni ſæpe ſciri nequibat, qui Conſul in Oriente deſignatus fuiſſet, propterea, donec is innoteſceret, more tum veniebat litteras denotandi formula *Poſt Conſulatum*, aut Conſulis Occidentalis dumtaxat nota afficiendi. Queſnello vero præconceptæ ſuæ opinionis vis profecto impoſuit, ut videre ipſi non permiſerit in Codicibus Vaticano, Regio, Thuano &c. Concilium inſcribi *Teleptenſe*, ideoque falſum omnino, quod ipſe confidentiſſime affirmat, ubique *Telenſe* ſcribi. Quis vero ignoret, quod jampridem obſervavit Hincmarus tom. 2. pag. 461, Romanis Pontificibus ſolemni in more poſitum, ut Deceſſorum verba ſæpius quaſi propria in ſuis repetant epiſtolis? An vero ad ea dumtaxat, quæ in libera poteſtate ſunt poſita, neque ab ulla præcepti obligatione pendent, hortandi, monendi, & rogandi verba adhibenda ſunt, quin æque adhiberi poſſint ad eorum obſervantiam urgendam, ad quæ alioqui quis legis vinculis adſtringitur? Atqui S. Siricius ab ipſo epiſtolæ ſuæ exordio legis vim habere eadem, ad quæ ſubinde adhortatur, liquido denotat: hinc igitur fruſtra Queſnellus infringendi haſce S. Siricii litteras occaſionem quæſivit. Veniam Canonis, quo a S. Siricio Donatiſtis gradus ad Eccleſiaſticas dignitates inter-

terdictus fuerat, rogatus poſtea ab Africanis Præſulibus indulſit S. Anaſtaſius I, permiſitque, ita tum Eccleſiæ Africanæ bono exigente, tum pueros a Donatiſtis baptiſmo imbutos in Eccleſiaſticum Ordinem cooptari, tum Clericos a Donatiſtarum partibus ad Eccleſiam ſe recipientes in ſuſcepti ſemel Ordinis gradu permanere. Intercidit quidem S. Anaſtaſii ad Africanos Reſcriptum: at iſtud ex eo conjicit Cl. Orſius lib. 22. hiſt. Eccleſ. n. 44, quod iſtiuſmodi indulgentia ex eo tempore ab Africanis Epiſcopis adhiberi cœperit, a qua plane abſtinuiſſent, niſi quam imploratum miſerant, utique impetraſſent. Confer in Cod. Canon. Eccl. Afric. Canones 47, 56, 57, 65, & 68.

S. Innocentius I. innumera pene ſibi propoſita circa diſciplinam Eccleſiaſticam dubia egregie diſſolvit, ejuſdemque capita Eccleſiis Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Africæ, Illyrici, Græciæ &c. decrevit, quæ perſequi omnia longum nimis eſſet, eritque ideo ſatis pauca delibaſſe. In epiſtola 2. Decretali ad Victricium Rotomag., quam notam Epiſcopis Suffraganeis, finitimiſque Eccleſiis fieri mandat, tredecim decreta de Cauſſis Clericorum, & Matrimonii diligenter obſervanda mittit: in quibus ſpeciali obſervatu dignum Caput 11, quo Curiales ordinari vetat. Curiales nempe, ſive Decuriones dicebantur, qui Magiſtratibus, officiiſque Municipalibus defungebantur, ad quos proinde tributorum, ædificiorum, ludorum publicorum &c. cura pertinebat. Civilibus ii autem legibus Curiali muneri adeo obſtricti erant, ut nullo vel argumento neceſſitatis, aut utilitatis a Curia abſtrahi liceret Cod. Theod. lib. 12. tit. 1. LL. 11, 12, 20. &c. Difficillime vero, nec niſi diſtrictis adhibitis cautionibus, eiſdem Curialibus in Clericos adlegi Civiles Leges LL. 59, 104, 163. &c. permittebant. Hinc eveniebat haud raro, ut Curiales in Clerum adſciti a Judicibus laicis repeterentur, & ad Curiæ munera importune revocarentur, unde Epiſcopis graves moleſtiæ inferebantur. Quare ad hæc ab Eccleſia incommoda eliminanda S. Innocentius ſancivit, ut Curiales aut nullatenus, aut nonniſi cautione ſumma in Clerum ſuſciperentur. Hanc porro epiſtolam heterodoxi rejiciunt, ac S. Innocentio abjudicant idcirco, quod ex epiſtola S. Siricii ad Himerium conflata multam partem videatur. At quum Decreta 12, & 13. ab hetero-

doxis exploſa laudentur ex epiſtola S. Innocentii in Concilio Turonenſi II. anno 567. Can. 20. de conjugio Virginibus Deo ſacratis interdicto, cuique Innocentiano capitulo a Gratiano relato Can. 10. *Quæ Chriſto* 27. q. 1. lucem adferunt Concilia Arelatenſe II. Can. 52, Milevitanum Can. 26, Aurelianenſe V. Can. 19, & Matiſconenſe I. Can. 12: eadem præterea epiſtola paſſim a Creſconio in Brev. Canon., & a S. Zacharia apud Sirmondum tom. 1. Concil. epiſt. 9. laudetur: extet quoque in Collectionibus Dionyſiana, Hiſpana S. Iſidori Hiſpal., Hadrianæa, Iſidoriana &c., in Codicibus item Corbejenſi, & Colbertino a Coutantio inſpectis, collatiſque, non eſt propterea cur eadem S. Innocentio abjudicetur. Confer doctiſ. Editorem oper. S. Paulini in diſſert. 4. de S. Victricio cap. 4, ubi hanc S. Innocentii Decretalem, non ſecus ac S. Siricii epiſtolam, ex qua hæc decerpta videtur, diſerte vindicat, & defendit. In epiſtola ad Exuperium Toloſanum 3. in edit. Concil., & 6. in edit. Cout., ſeptem decreta complectente, inter alia jubet: ut Sacerdotes, & Diaconi continentiæ legem obſervent, incontinentes omni honore mulctentur: ut de veteri duriori diſciplina, (cujus ſpecimen extat in epiſt. S. Cypriani 52. ad Anton., velut obſervat Pamelius, in lib. S. Ambroſii de Lapſu Virg. cap. 8., ut adnotat Coutantius, & in Conciliis Eliberitano Can. 6., ac ſeqq., & Arelatenſi I. Can. 22.), decedatur, rieque vita periclitantibus, quam optarent, deinceps pœnitentia, ac communio denegaretur: (quod ipſum poſtea definivere pariter SS. Cæleſtinus in epiſt. 4. ad Epiſcopos Prov. Vien., & Narb., & Leo M. in epiſt. 100. ad Theodorum): ut Canon Sacr. Librorum eodem loci deſcriptus ab omnibus veluti Divinus recipiatur: quo reſpexiſſe ſane videtur Synodus Toletana IV. Can. 13. Apocalypſim ideo Canonicas inter Scripturas, & S. Johanni tributam recenſens.

Eidem S. Innocentio gravis inter alias, ac gemina fuit quæſtio finienda, una quidem juris, altera vero facti; a quarum una conturbatus fuerat Occidens, ab altera vero pejus in turbas pariter concitatus Oriens; prima circa S. Jo: Chryſoſtomi depoſitionem, ſecunda circa ſacrarum Ordinationum validitatem obverſabatur. De prioti multa dicere mihi non ſubeunt, poſtquam de ea hac

ea hac par. 2. art. 5. §. 1. a pag. 392. lato differu i sermone. Obiter heic dumtaxat repetam S. Doctoris exauctorationem, & exilium duabus in Synodis adversus ipsum decretum in causſa fuisſe, cur totus Orbis in turbas commoveretur: cur S. Innocentius ad inlatam S. Doctori redimendam injuriam se accingeret; in eumdem acta in utroque Concilio rescinderet; ac Theophilum Alex., alioſque simili spiritu affectos Episcopos odii, invidiæque livore in eumdem tabescentes, totque malorum auctores, & incentores graviſſime increparet: cur demum cum Orientalibus S. Chryſoſtomo infensis, infestiſque sacrorum communicatio fuerit intercepta, formatarumque commercium interturbatum, neque pax illis reddita, priusquam S. Doctoris nomen Eccleſiaſticis tabulis, e quibus inique fuerat expunctum, restitutum fuisſet: Quæ omnia constant ex S. Innocentio in epistolis 19. ad Alexandrum Antioch., 21. ad Acacium Berœen., 22. ad Maximianum, & 23. ad Bonifacium in edit. Cout., ex Theodoro Diacon. apud Palladium, Theodoreto lib. 5. cap. 34, & Palladio in Dialogo. Nunc offendere remanet iis, quæ ad hoc S. Innocentii summum jus obruendum Boſſuetius obtrudit. Itaque hanc S. Chryſoſtomi cauſſam ab Innocentio inchoatam non niſi totius Orbis sententia absolutam fuisſe, sive absolvendam commentus est in Defens. declar. par. 2. lib. 14. cap. 11. Absolvendam quidem fuisſe, quatenus S. Innocentius eam S. Johannis cauſſam decretorio judicio dirimendam Synodo oecumenicæ reservavit, veluti ex Palladio in Dialogo prætendit: absolutam vero reapse fuisſe, quatenus; Arcadio Imp. Concilii celebrationi intercedente, totius Occidentis in S. Innocentii sententiam conspiravit consensus, quo ex mutuo connexu judicium perfectum est, scilicet ut S. Chryſoſtomi nomen Constantinopoli sacras in tabulas referretur, ac tacita saltem consensione totius Orbis Catholici utraque Theophili Synodus solveretur.

At eum apage, qui istis aurem suam accommodet. Esto enim difficilem cauſſam S. Chryſoſtomi in Concilio dirimi desideraverit prudentiſſimus Pontifex, omnemque quinimo operam impenderit, ut Concilium congregaretur; ita namque judicavit pretium id esse operæ ad proximum schiſmatis amovendum periculum, quod jure timendum erat, siquidem Orientalium pars magna

Episcoporum, & Arcadius Imper. Eudoxiæ impotenti iræ deserviens, S. Doctorem uti canonice depositum, Arsacium vero, ac subinde Atticum Constantinopolitanæ Ecclesiæ invasores uti legitimos habebant. Attamen Sedis Apostolicæ hanc juris particulam fuisse peremptorio judicio caussæ illi finem imponendi, persuasum fuerat, perspectumque eidem S. Innocentio, qui, postquam celebrandi Concilii spes nulla supereſſet, decretoria sententia Acta Synodi utriusque contra S. Chrysostomum rescidit, nec antea suspensam cum Orientalibus communionem redintegravit, quam ejusdem nomen in album Ecclesiasticum fuisset relatum. Perspectum fuit, persuasumque itidem S. Gelasio, & Vigilio, illi dum in epist. 13. ad Dard. Episcopos, & isti, dum in Encyclica scripsere S. Jo: Chrysostomum solius Apostolicæ Sedis, absque ulla Synodo, absolutum sententia. Honorio, & Arcadio Imperat., quippe Honorius in epist. ad Arcadium apud Coutantium, relata legatione utrinque a S. Chrysostomo, & Theophilo ad Apostolicam Sedem missa, subjungit, exinde expectatum judicium, quo demum quæstio dirimeretur: *Expectabatur ex omnium auctoritate sententia informatura regulam Disciplinæ*: additque Sedi Apostolicæ haud arrisisse eam præcocem, ac præposteram agendi rationem, ut nempe, non expectata Pontificis M. sententia, S. Antistitem loco motum exilio mulctarent: *Namque quorum expectabatur auctoritas*, (scilicet Apostolicæ Sedis, eique assidentis Synodi), *pacifica Johanni communione permissa, faciendam concordiam censuerunt, nec quemquam putarunt ante judicium consortio repellendum*. Arcadius autem jampridem eidem S. Innocentio epistola inscripta obnixe rogaverat, ut Legatos de Theophilo ab Ægypti Monachis multorum criminum accusato dijudicaturos incunctanter dirigeret.

Quid imo, quod idipsum perspectum erat, intimeque persuasum sive Theophilo, sive S. Chrysostomo? Illi quidem, quippe qui, teste Honorio mox laudato, ad S. Innocentium litteras illico, legatosque miserat, qui Synodi super judicio contra S. Chrysostomum lato sententiam referrent, ac Pontificis super Synodi judicio assensum reportarent: S. Innocentio vero Synodi judicium rescindenti, S. Johanni Chrysostomo communionem

nem reſtituenti, Canones Antiochenos, prout eis Theophili, & Synodi ad Quercum ſententia fidebat, prorſus reſpuenti, ipſumque Theophilum Synodo actutum ab ſe celebrandæ, prout deſignaverat, adeſſe jubenti, non id objecit præter jus, & fas id totum a Pontifice fieri, & præcipi. Iſti vero, quandoquidem ſive quum primo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præfectus fuit, ſuæ inaugurationis decreto ad S. Anaſtaſium I. miſſo, locum ſibi confirmari petiit, ſive quum poſtea eodem loco pulſus fuit, a pſeudo-Synodi ſententia ad Pontificem ſemel, iterumque provocavit. Putaſne vero S. Doctorem, qui Theophili, Synodique ſub ipſo habitæ judicium recuſavit eam ſimul ob cauſſam, quod Alexandrino Epiſcopo, talique ſub ipſo Synodo nullum ineſſet in Conſtantinopolitanum Antiſtitem jus, ſe Romani Pontificis juri, ultro, citroque, ac integre permiſiſſe, quin ſciret ſe hujuſmodi judicio ſubjacere? Eſto vero una cum S. Innocentio ſuæ ſequeſtres, ac vindices innocentiæ vocaverit etiam Venerium Mediol., & Chromatium Aquilejenſem (nam de hoc dubitandi locum non deeſſe alibi dictum eſt,): certe illos eo conſilio in ſuam advocavit cauſſam, quod ſciret hanc ſuam in cauſſam fore, ut juxta diſciplinam veterem facile a Pontifice ad Synodum invitarentur: nam alioquin haud ipſum latebat Italiæ Epiſcopos in Epiſcopos Orientis poteſtate nulla eſſe præditos. Verbo denique ut dicam, perſuaſum idipſum, perſpectumque fuerat Facundo Herm. lib. 6; Theodoro Diacono Eccl. Rom. apud Palladium; Theodoreto lib. 5. cap. 34; Palladio in Dialogo; S. Iſidoro Peluſiotæ, qui lib. 1. epiſt. 37. ad S. Cyrillum Alex. Theophili Nepotem, ejuſdemque in S. Chryſoſtomum odii hæredem, ideoque hujus in ſacra diptycha reſtitutum ab Attico nomen averſantem, ad ſaniora conſilia revocavit; Alexandro Antiocheno, Acacio Beroeenſi, & Attico Conſtantinopolit. tandem, quibus Communionis cum Romana Eccleſia adipiſcendæ gratia præſtitutæ a Pontifice legi de S. Chryſoſtomi nomine ſacris diptychis reſtituendo, ac inter ſacra ad Altare recolendo, morem gerere operæ fuit omnino pretium: quæ ſi abſque partium ſtudio, animoque a præjudicata opinione abſtracto perpendiſſet Boſſuetius, parimode, aut ego fallor, de iſtiuſmodi Pontificis ſupremo jure probe fuiſſet perſuaſus.

Quod

Quod ad quæſtionem alteram attinet, Hiſpaniarum Eccleſiæ bicipiti ex capite diro ſchiſmate divexatæ, ab invicemque divulſæ jamdiu decertabant inter ſe ſe, tum de permultis ſacris Ordinationibus, quas peractas contra Eccleſiaſticos Canones, præſertim Nicænos, conſtabat, num pro legitimis, etſi illicitis, an pro nullis, & invalidis eſſent habendæ, affirmantibus aliis, aliis inficiantibus; tum de converſis ab hæreſi Priſcilliana Epiſcopis, & Presbyteris, quos a Concilio Toletano I. in communionem cum priſtinis gradibus fuiſſe receptos conſtabat, num Eccleſiaſtica communione eſsent cohoneſtandi non modo, ſed etiam honoris pristini dignitati reſtituendi, his annuentibus, renuentibus illis. Igitur S. Innocentius ad hanc ſedandam in Hiſpania exardeſcentem tempeſtatem, collapſamque ibidem Eccleſiaſticam diſciplinam erigendam, celebrem Decretalem epiſtolam dedit 23. in edit. Concil., 13. tom. 1. epiſt. Rom. Pontif., ac 3. in edit. Cout. ad Concilium Toletanum, aut primum anno 400. ſub S. Anaſtaſio habitum, ut Ambroſius Morales, Johannes Mariana, & Petrus Coutantius autumant, aut ad alterum Toletanum ſedente jam eodem Innocentio celebratum, cujus quidem acta deſiderantur, non erat tamen cur levi admodum conjectura ductus Nuperus Gratiani emendator e Conciliorum expungeret cenſu, nec uſpiam in rerum natura extitiſſe exiſtimaret, velut veriſimilius arbitrantur Baronius, Spondanus ad an. 400. n. 4, Sirmondus id ex cap. 6. epiſt. ſuadens, & Pagius in Crit. ad an. 405. n. 12, qua Ordinationes hactenus factas tolerandas eſſe putavit, non ita tamen pariter tolerandam illorum opinionem, cui olim hæſit aliquando S. Hieronymus in epiſt. 83. ad Oceanum, ſed poſtea excuſavit lib. 1. adverſ. Rufinum in fine, qui effutiebant conjugium ante Baptiſmum initum ſic per Baptiſmum obliterari, ut ducens alteram poſt Baptiſmum haud Digamus efficeretur. Quoad futuras vero Ordinationes præcipit, in eiſdem poſthinc Canones inviolate cuſtodiri, qui ſecus facerent, ab honoris gradu manerent ſuſpenſi. Ad hæc ab hæreſi Priſcilliana reduces, ut in priſtina dignitate remanere poſſent, indulſit: illos, qui hiſce Decretis procacius oblucta rentur, quieſcere juſſit, admonens, ne Luciferi Calaritani quondam Epiſcopi ſchiſma, cujus ſemina paullo ante Gregorius Eliberitanus in Bœtica jecerat, in ſimili cauſſa inſtaurarent,

rarent, ac ita ſimiliter in Eccleſia peſſime audirent. Pontificis hiſce prudentiæ, oeconomiæque refertiſſimis placitis integre adquievere Hiſpaniarum Antiſtites, atque ita Hiſpanicæ Eccleſiæ exul concordia, unaque collapſa diſciplina qua revocata eſt, qua reſarcita.

In Epiſtola Decretali 22. in edit. Concil., 17. in edit. Cout. ad Epiſcopos Macedoniæ illud exordii loco ſtatuit injuriam Sedi Apoſtolicæ inuri, dum ejus ſententia in ambiguum ducitur: inter alia vero decernit Digamos ad Clerum non admittendos: cujus Decreti vi Concilia Valentinum I. Can. 1., Arauſicanum I. Can. 25, & Arelatenſe II. Can. 45, ne Digami ultra Subdiaconatum aſcenderent, diſtricte interdixere. Decernit etiam, ne Ordinatis ab hæreticis aliquis in Eccleſia honor deferretur; neque quod Novatianis indulſerat Nicæna Synodus, ad alios eſſe trahendum. Quas hic Ordinationes hæreticorum irritas dixit S. Innocentius, nedum illicitas, ſed invalidas, ideoque iterandas ex ſententia S. Innocentii interpretatur Queſnellus diſſert. 12. in S. Leonem cap. 7. At ſplendide fallitur, ſiquidem S. Innocentium Ordinationes illas dumtaxat illicitas habuiſſe, & declaraſſe exinde liquet, quod in epiſt. ad Exuperium Decretalem S. Siricii ad Epiſcopos Africanos probavit, qua in Decretali Siricius Novatianos, & Donatiſtas Clericos in Eccleſiam per ſolam manus impoſitionem, non iteratis Confirmatione, & Ordinatione, recipi ſtatuerat. Vetus eſt iſte ritus in Eccleſia, ut ab hæreſi venientes ſub manuum impoſitione reciperentur. Non alio modo Novatianos in Eccleſia recipi ſancivit Nicæna Synodus Can. 8, cujus intelligentiam neque magis Queſnellus aſſequutus eſt: ubi notandum, quod Nicæna Synodus non eodem verbo utitur, dum loquitur de Novatianis, quorum admittebat Baptiſmum, ac dum loquitur de Paulianiſtis, quorum Baptiſmum reſpuebat: Novatianos enim Canone 8. Χειροτονουμένους, ideſt ſimplici manus impoſitione accepta, in Clero manere concedit: Paulianiſtas e contra Clericos Canone 19. Αναβαπτισθέντας Χειροτονήσαι, ideſt niſi antea Baptizatos, ac Ordinatos admitti in Clerum vetat. Quo vero modo Novatianos recipiendos Nicæna Synodus indixerat, eodem Arianos etiam admittendos ſcripſit S. Siricius in epiſt. ad Himerium,

idque

idque ab Oriente ſimul, & Occidente ſervari teſtatur. Juxta hunc igitur ſenſum intelligendus eſt S. Innocentius; qui ſubinde in epiſt. 21. in edit. Concil., 16. in edit. Cout. ad Marcianum Naiſſitanum Epiſcop., & in epiſt. 22., ſive 17. ad Epiſcopos Macedoniæ, poſtquam lege lata decreviſſet Clericos ordinatos a Bonoſo hæretico Sardicenſi Epiſcopo ad honores in Eccleſia non admittendos, ſed ſola communione laica eſſe donandos, poſtea tamen Anyſio Theſſal., ejuſque Concilio facultatem fecit, ut ſi bono Eccleſiæ expedire viſum fuiſſet, eoſdem Clericos priſtino gradui reſtituere poſſet. Sub hac ipſa ſententia cum ſuis honoribus admittendos eoſdem Clericos Bonoſianos edixit Synodus Capuana; Acacianos ſcripſit S. Anaſtaſius II. epiſt. 1.; Donatiſtas Africana Synodus apud S. Auguſtinum lib. 2. contra epiſt. Parmen. n. 28, & ſeqq., & in Codic. Eccleſ. Afric. Can. 48, & 68; Neſtorianos S. Gregorius M. in epiſt. 61. indict. 4. ad Quiricum; ordinatos ab Ebone Synodus Sueſſionenſis III; ordinatoſque a Photio Formoſus in epiſt. ad Stylianum Neocæſar. apud Harduinum tom. 5. pag. 1131, & ſeqq. Poſtremo illuſtre, ac præclarum eſt illud poteſtatis ſuæ ſpecimen, quod in eadem epiſtola S. Innocentius exhibuit: nam tum Photino (non illi utique qui Pauli Samoſateni erroribus fuerat afflatus), jampridem ab Apoſtolica Sede damnato, obnixe petentibus Macedoniæ Epiſcopis, tum Euſtachio Diacono, ab ipſis in Concilio pariter condemnato, abſolutionem impendit: indicium id eſt enim haud obſcurum penes unum Pontificem ſtetiſſe eos abſolvere, qui vel ab Apoſtolica Sede, vel ab alia qualibet Synodo etiam fuiſſent damnati.

Ab Alexandro Antiocheno conſultus circa Eccleſiaſticam diſciplinam epiſtola Decretali 18. in edit. Concil., 24. in edit. Cout. ad eumdem data, tribus capitibus dubitationem omnem diremit: Cap. 1. ſtatuens Antiocheno Epiſcopo jus ineſſe in omnem, qua late patet, Diœceſim Orientis, idque juris ſubjungens ideo a Nicæna Synodo ipſi delatum fuiſſe, quod primus in eadem Eccleſia Cathedram S. Petrus conſtituiſſet. Exinde eidem Antiocheno Epiſcopo jus aſſerit ordinandi Metropolitas, atque ne abſque ejuſdem conſcientia in Orientis Diœceſi ordinentur Epiſcopi edicit, imo non niſi ab ipſo ut ordinentur viciniores Epiſcopi,

pi. Cap. 2. Etſi, inſit, ex una duæ Provinciæ ab Imperatoribus factæ fuerint, haud tamen juxta Civilem ejuſmodi diviſionem Eccleſiaſticas etiam dividendas eſſe, duoſque ita diviſis Provinciis præficiendos Metropolitas: expediens minime exiſtimans, ut Dei Eccleſia Civilis Reipublicæ conditioni, rerumque Sæcularium moribus, ac mutationi ſubjiceretur. Quoad Eccleſias vero Inſulæ Cypri, quas olim Antiochenæ Eccleſiæ obnoxias Alexander ajebat, nec niſi Arianorum Antiſtitum, qui Antiochenam quondam adminiſtrarant Eccleſiam, cauſſa ab eadem abſtractas, unde illas iterum ſuum in jus tranſcribere tentabat, reſpondit ab ſe nihil inauditis Cypriis Epiſcopis ſtatutum iri. Cap. 3. Arianos, hæreticoſque alios Clericos ad Eccleſiam reduces cum ſuorum honore Ordinum haud admittendos declarat, ſed una ſub impoſitione manuum ad ordinem Laicorum redigendos, illorum Ordinationes imo irritas eſſe, ideſt illicitas, ut mox interpretandum ita S. Innocentium innuebam. Ejuſmodi tandem epiſtolam jubet Innocentius, ut Diœceſis ſuæ Epiſcopis cunctis communicet religioſe ab eiſdem, uti decebat, ceu regulam Eccleſiaſticæ diſciplinæ inconcuſſam, obſervandam. Eumdem, quo diſciplinæ Eccleſiaſticæ in tuto ſtatuendæ, quin etiam, ubi oporteret, priſtinum in ſplendorum reſtituendi, vehementer æſtuabat, ſpiritum redolet ipſius epiſtola in edit. Concil. 32, in edit. Cout. 35. ad Johannem Hieroſolym., quem aſperrimis increpat, quod graviſſima facinora perpetranti Pelagio fræna injicere negligeret, furereque ipſum impune, Gregemque Dominicum cædibus, direptionibus, & incendiis diſcerpere permitteret: quod profligati hujus hominis fraudibus, doliſque ſe circumvenire ſinens, proprii officii velut oblitus, nobiliſſimam Gregis ſui portionem, Virgines Deo ſacras videlicet, Lupis undique ad perniciem irruentibus laceſſendam, dilacerandamque non tam objiceret, quam projiceret: quibus, horumque ſimilibus ad officii Sacerdotalis partes implendas, ut par eſſet, ipſum excitat, & impellit.

In altera, ſi qua, Decretali quammaxime ad Decentium Eugubinum epiſtola in edit. Concil. 1., Cout. 25, quæ octo Decreta comprehendit, de Eccleſiaſtica diſciplina in Italia ſtatuenda, inſtaurandaque, unde ſuo Eccleſiis ceteris exemplo præluceret,

ſollicitiſſimum ſe præbuit. Scitu imprimis dignum eſt illud, quod ibidem decernit, ne in publico Eccleſiæ Conventu pax ante confecta Myſteria impertiretur. Non unum hac in re Eccleſiarum uſum extitiſſe notat Coutantius. In Conſtitutionibus Apoſtol. lib. 2. cap. 61. Oblationem excipiebat pacis oſculum, quod apud S. Juſtinum in Apolog. 2. Oblationem ipſam antecedebat, ante quam pariter dandum pacis oſculum denuntiabat Laodicena Synodus Can. 19. Sed & in Eccleſia Occidentali uſum obtinuiſſe, ut pax ante Illationem, ſive Præfationem, offerretur, Populoque indiceretur, legitur in Ordine Gallicano, in Liturgia Mozarabica, & in Miſſali Sarisberienſi. Nuperus Eruditus Gratiani emendator conjicit iſtius novi Decreti occaſionem S. Innocentio dediſſe ſive Manichæos, qui Catholicis permixti Euchariſtia percepta, atque a Calice abſtinentes, ante hujus porrectionem abſcedebant, ne propterea Eccleſiaſticæ pacis fierent participes; ſive Priſcillianiſtas, quibus in more poſitum erat a pacis ſalutatione impura ſua Sacrificia exordiri. Præter hæc jejunium Sabbato obſervandum ſtatuit: in die Paraſceves, ac Sabbato ante Paſcha a Sacrificio abſtinendum: de Sacramentis demum multa ſervanda decernit, multa ſub Arcani diſciplina occultanda docens: quam quidem Arcani diſciplinam, aut veluti Ritum ab Apoſtolorum, Apoſtolicorumque Patrum more alienum, parumque amplificandæ Religioni accommodum, aut in mera Rituum occultatione, non item in Sacramentorum confectione olim ſitam fuiſſe, Proteſtantes pugnant, e quibus Erneſtus Tentzelius diſſert. Select. par. 2., Jacobus Hartmannus de rebus geſtis Chriſtian. ſub Apoſtolis pag. 279, & ſeqq., Chriſtianus Kortholtus in diſſert. de Silentio ſacro apud vet. Chriſt., Theodorus Mejerus lib. de recondita veter. Eccleſ. Theologia, aliique, contra quos pugnant Scheleſtratius in diſſert. de diſcipl. Arcani, Brunius in Liturg. paſſim, Pagius in S. Innocentio I, Cennius de antiq. Eccl. Hiſp. diſſert. 4. cap. 5, aliique hanc Arcani diſciplinam liquidis decerptis locis ex Origene lib. 1. contra Celſum, & hom. 13. in Exod.; ex S. Julio I. in epiſt. ad Euſebianos; ex S. Cyrillo Hieroſolym. Cath. 6; ex Concilio Laodiceno Can. 4; ex S. Baſilio de Sacram.; ex S. Jo: Chryſoſtomo in hom. 40. in epiſt. 1. ad Corinth., & hom. 18. in 2. ad Corinth., quem

quem locum neque inficiatus eſt Caſaubonus; ex S. Iſidoro de Offic. Eccleſ. lib. 2. cap. 6. &c. confirmantes. Ad eamdem diſciplinam Eccleſiaſticam loco in Italia ſuo ubique ſtabiliendam collineabant ejuſdem S. Innocentii Decretales epiſtolæ 4, ſive 37. ad Felicem Nucerinum, quem laudat a ſtudio hinc repetendi, ab Eccleſia Romana ſcilicet, dubiarum rerum definitionem; 5, ſeu 38, ac 6, ſive 39. in edit. Cout. ad Epiſcopos Brittios, & Apulos, quibus Presbyteros incontinentes ab officio arcet, pœnitentia vero functis aditum ad Clerum interdicit.

Jamdiu in Africam propero, quó ſtudium procurandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ protendiſſe ſuum S. Innocentium demonſtrare pretium nunc operæ facio. Scitum eſt, quanta ſollicitudine ab hæreſi Pelagiana expurgare Africam procurarit: qua non minore putandum eſt incubuiſſe ipſum politiæ Eccleſiaſticæ ibidem reſtituendæ. Non loquar autem de epiſtola Decretali in edit. Concil. 12. ad Aurelium inſcripta, nam S. Innocentii nomini ab Iſidoro fuiſſe ſuppoſitam jam convenit inter Eruditos. Certe in Concilio Carthaginenſi anno 405. lectæ ſunt S. Innocentii litteræ, veluti liquet ex Codic. Eccl. Afric. Can. 94, quibus ad Tranſmarina, ſive ad Comitatum pergere Epiſcopi prohibebantur; ne ex eorum abſentia periculis, incommodiſque Eccleſiæ paterent. In epiſtola 11. in edit. Concil., 14. in edit. Cout. ad Aurelium Carthag. initio de curanda, uti dignum eſſet, cuſtodiendaque diligenter Eccleſiaſtica unitate admonet, ac deinde de ratione Paſchali inſtruit, diemque, quo anno ſeq. 414. Paſcha celebrandum eſſet, diſtincte indicit. Porro id moris fuiſſe, ut Romanus Pontifex de die Paſchatis litteras encyclicas, Paſchales inde dictas, ad Epiſcopos omnes dirigeret, teſtatur Arelatenſis I. Synodus, ejuſque uſum S. Leo M. in epiſt. 88. ad Ravennium confirmat. Spartam hanc jam pridem in ſe ſuſceperant Alexandrini Patriarchæ, ipſis a Patribus Nicænis impoſitam, de qua S. Cyrillus in prologo apud Petavium de doctr. temp. tom. 2. in append., & apud Bucherium in Comment. ad Can. Victorii Aquit., ut nempe diligentiſſime indagatum legitimum diem celebrandi Paſchatis Romano Pontifici indicarent, ab ipſo ſubinde Eccleſiæ Univerſæ indicendum. Sed eamdem provinciam ſubinde ad ſe retrahere Pontifices

compulſi ſunt, perque viros rei Aſtronomicæ peritos abſolvere: qua in re adhibitum S. Ambroſium liquet ex epiſtola 83. ad Epiſcopos Æmiliæ, & a S. Leone M. Paſchaſinum Lilybætanum Antiſtitem patet ex epiſt. Paſchaſini poſt 63. ad eumdem. Quam in rem, qui nuper diligenter ſtudia contulit ſua, conſuleſis doctiſs. Jacobum Bettazzium in egregia Epitome operis Paſchalis.

Qui loco ſucceſſit, S. Zoſimus flagrantiſſimo decoris Eccleſiaſtici, diſciplinæque zelo inflammatus in epiſt. 7. ad Patroclum Arelat., quam ipſius opera pervenire in omnium notitiam voluit, diſtricte prohibuit, ne quis præcipiti ſaltu ad quempiam Clericalis Ordinis gradum promoveatur, gravi adverſus ordinatum, & ordinantem indicta pœna. Eamdem legem Gallis nedum, ſed Afris, ſed Hiſpanis ab ſe denuntiatam tradit in epiſt. 9. edit. Cout. ad Heſychium Salonitanum Epiſcopum, cui perinde legi ipſum conformari, ipſique obnoxios Dalmatas jubet. Jubet præterea hæc ſingulis gradibus tempora obſervari, ut inter Lectores, aut Exorciſtas quinquennio maneat; ſubinde Acolythos inter, & Subdiaconos quatuor annis exerceatur; in Diaconatu vero quinquennium impendat; tumque demum ad Presbyteratus honorem promoveri, modo ne Digamus, neque Pœnitens ſit, quin etiam ad Epiſcopatus faſtigium poſſit. Refertur Diſt. 36. Can. 2. *Qui Eccleſiaſticis*, Diſt. 59. Can. 1., & Diſt. 77. Can. 2. *In Singulis*. Longe plura hujuſce politiæ Eccleſiaſticæ capita Gallis Epiſcopis præſcripſit S. Cæleſtinus I. in epiſt. decret. 11. in edit. Concil., 4. in edit. Cout. ad Epiſcopos Provin. Vien., & Narbonenſis: in iis præſertim, ut Clerici novum procedendi uſum cum Pallio, lumbiſque præcinctis dimitterent: quo loci Pallii nomine Pallium Philoſophicum venire, deque eodem loquutum etiam S. Damaſum in epiſt. ad Acholium arbitratur Holſtenius in Not. ad hanc epiſt. S. Damaſi, e contra venire Pallium Monaſticum rectius autumant Mabillonius in præf. ad ſæcul. IV. Bened. par. 2., & Constantius in Not. ad hanc epiſt. S. Cæleſtini: præcipit deinde, ne morituris pœnitentia denegetur: ut per gradus Eccleſiaſticos promoveantur Epiſcopi; nec Epiſcopus ullus Clero, plebique invitis præficiatur; utque vacantis Eccleſiæ Clerici emeriti extraneis in ſacris Electionibus præferantur: nullus demum Digamus, nullus

lus Viduæ Maritus ordinetur, ejuſmodi vero Ordinationes illegitimæ habeantur. Confer Canonem 13. *Agnovimus* 26. q. 6, Can. 12. *Nec emeritis* diſt. 61., & Can. 13. *Nullus invitis*; nec non epiſt. 5. edit. Cour., 3. in edit. Concil. ad Epiſcopos Apuliæ, & Calabriæ, ubi Canonum, & Decretalium obſervantiam urget, & inculcat. Nihil dixerim vero de ejus Decreto ad Eccleſiam Florentinam miſſo, de cujus auctore, & auctoritate dubitant, & valdequam digladiantur Eruditi. Conſulendus interea, ſi velis, tibi erit de hac re vir doctiſs. Berardi par. 2. cap. 50.

Ita partes explebant ſuas, quas primas in Eccleſia agebant, Romani Pontifices, dum Eccleſiaſticæ diſciplinæ legibus inſtaurandis, locoque in tuto collocandis indefeſſe incumbebant. At, ſiquis alter, hoc in genere ſtudii eluxit ſingularis S. Leo re, ac nomine ter magnus, nunquam a jure in Latinos, Græcos, Aſiaticos, Ægyptios, Africanoſque dicundo abſtinens, cauſſaſque ab eiſdem Eccleſiis ad ſe delatas quin ſummo judicio ſuo dirimeret, & definiret. Legendæ ejuſdem litteræ, inter quas epiſtola 1, alias 87. ad Epiſcopos Mauritaniæ, qua cum eis de violatis Canonum regulis in Electione, & Ordinatione Clericorum, & Epiſcoporum aſpere expoſtulat. Nempe Potentio Epiſcopo curæ ſuæ vices delegaverat, ut in Africam contenderet, ibique de quorumdam Epiſcoporum electione, quæ præter leges facta ferebatur, diligenter inquireret, ac deinde ipſi, ut ſe ſe haberet, ſincera fide referret. Potentii igitur relationibus inſtructus graviſſima epiſtola Africanos Epiſcopos proprii, quod opus eſſet, officii edocet, & emendat. Indulgentem ſe tamen erga Donatum Salicienſem Novatiani dogmatis ſectatorem, & Maximum Donati partibus olim addictum ſe præbet: Aggari vero, & Tiberiani cauſſam Afrorum diſquiſitioni permittit, ea conditione, ut geſtarum rerum accuratam demum rationem ſibi deferre deberent. Epiſtola 2, olim 92. ad Ruſtici Narbonenſis 19. conſultationes totidem reſponſa ſuppeditat, pleneque ſatisfacit circa Baptiſmum, Ordinem, Pœnitentiam, Matrimonium, Clericorum continentiam, Virginum benedictionem, aliaque ejus genus diſciplinæ capita: ex quibus diſcimus baptizandos abſque conditione parvulos, de quibus ignoratur, an fuerint baptizati: abjiciendos non eſſe eos, qui

qui in ægritudine pœnitentia accepta, quum revaluerint, adimplere eamdem negligunt: Subdiaconos, Diaconos, & Presbyteros in grave crimen prolapſos nequaquam publicæ legibus pœnitentiæ fore ſubjiciendos, ſed his ad promerendam Dei miſericordiam privatam ſeceſſionem eſſe expetendam. Difficultati, quæ ex reſponſo ad 1. quæſitum circa ſacras Ordinationes exurgit, quatenus dum reſpondit eorum Clericorum, qui a pſeudo-Epiſcopis ordinati ſunt, Ordinationem ratam haberi poſſe, quoties cum judicio, & conſenſu Præſidentium facta fuerit: *Aliter autem*, ſubjungens, *vana habenda eſt Ordinatio, quæ nec loco fundata eſt, nec auctoritate munita*: docere viſus ſit Ordinationes ſolo Eccleſiæ conſenſu validas fieri, aut invalidas, huic, inquam, difficultati ſic offendo, & reſpondeo. A Ruſtico inquiſitus fuerat de iis, qui ordinati fuerant ab Epiſcopis, qui nec a Clericis erant electi, nec a plebibus expetiti, nec a Provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani conſenſu ordinati, nec a tribus, ſed a duobus dumtaxat Epiſcopis & ipſi conſecrati Epiſcopi: qui abuſus in Gallia tum temporis frequens erat, ut adparet ex Conciliis Arauſicano I, Arelatenſi II, & Regienſi anno 439.: cui reſcribens S. Leo eo illicito modo ordinatos Epiſcopos inter pſeudo-Epiſcopos potius adnumerandos decrevit, ideſt ab Epiſcopali officio depoſuit, valide tamen ordinatos non ambigens, valide ſimiliter ab ipſis ordinatos Clericos duxit, quos proinde officio fungi permiſit, dummodo id Eccleſiarum bono expedire Epiſcopi ipſi judicarint.

Paſchaſinum Lilybæi in Sicilia Epiſcopum de Cyclo Paſchali conſulere non erubuit S. Leo epiſt. 2, neque ipſius ſequi ſupputationem, juxta quam anno 444. ſeq. Paſchale feſtum nono Kal. Maji celebratum eſt. Ad quoſdam abuſus, qui in Provinciis Campaniæ, Piceni, & Tuſciæ pullulaverant, amputandos, radicituſque evellendos directa ad Epiſcopos epiſt. 3, alias 1. alieni Servi ordinationem declarat illicitam: jubet, ut Bigami a ſacro Miniſterio arceantur, acriuſque demum animadverti in Clericos, & Laicos, qui uſurariam exercerent pecuniam, & vel ſuo, vel alieno nomine, fœnore velent diteſcere. Sacratiſſima, ac vetuſtiſſima ſane in Eccleſia lege, quam imo Legi Divinæ ſubnixam docent Theophilus Raynaudus in diſcept. de Relig. negotiat., & Domi-

Dominicus Granulettus in apolog. pro lege Divina prohibente Clericis mercaturam, Clericis interdicitur ſæcularis omnis quæſtuoſa negotiatio, qua de lege aditi poterunt S. Cyprianus in epiſt. 66, S. Hieronymus in epiſt. 52. ad Nepotian.; Concilia Carthaginenſe III. an. 397. Can. 15; Chalcedonenſe Can. 3; & Arelatenſe II. Can. 14. Itaque hiſce S. Leonis inhærens veſtigiis S. Gelaſius in epiſt. ad Epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutos cap. 15. relato Can. 1. *Clerici* 14. q. 4. Clericos, qui deinceps quæſtuoſæ negotationi operam darent, ab omni Eccleſiaſtico miniſterio arcendos decrevit. Eadem lucri cauſſa negotiari Clericos, Monachoſve ſub interminatione anathematis inhibuit Alexander III. in Cap. 6. *Ne Clerici*; ejuſque Conſtitutionem inſtauravit Clemens V. *Clem.* 1. §. *Adverſus de vita, & honeſt. Clericorum*. Denique Benedictus XIV. P. M. Conſt. 13. die 25. Febr. an. 1741. tom. 1. Bullarii pag. 32. exactor graviſſimus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſub pœnis, quæ pridem a ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis ſtatutæ ſunt contra Clericos negotiatores, negotiationem quamlibet, tam per ſe, quam etiam ſub alieno Laici nomine exercendam, eiſdem diſtrictiſſime interdixit. Sed ad S. Leonem reflectendus eſt ſermo, prætermiſſiſque quæ adverſus Manichæos Romæ ſerpentes, adverſus Pelagianos in Italia inſurgentes, Eutychianoſque in Oriente deſævientes ſcripſit, decrevit, geſſit, in epiſt. 4, olim 84. ad Anaſtaſium Theſſal. vices ei ſuas in Illyrico exercendas concredit, leges tamen edicens, ſub quibus demandata provincia defungi deberet. In epiſt. 11, alias 81. ad Dioſcorum Alex., a quo litteras de ſua Ordinatione acceperat, poſtquam ei neceſſitatem, qua tenebatur idem ſentiendi, agendique, quod agendum, ſentiendumque Apoſtolica Sedes eidem ſanxiſſet, declaraſſet, ad pleraque diſciplinæ capita explananda, ab eoque explenda deſcendens, ſacrarum Ordinationum tempora deſignat celebrandarum, nempe in die Reſurrectionis Dominicæ. Porro Ordo Rom. antiquiſſ. hoc diſcrimen annotavit inter Epiſcoporum Ordinationes, aliorumque, ut illæ videlicet die Dominica, iſtæ vero die Sabbati habeantur. Primus, qui ſubinde Ordinationes ad temporum ſolemnium jejuniorum revocavit, legitur S. Gelaſius in epiſt. ad

Epiſ-

Epiſcopos Lucaniæ. Præterea in eadem epiſt. de Sacros. Miſſæ Sacrificio id Dioſcoro præſcribit, ut in ſolemniori quaque Feſtivitate ob populi frequentiorem conventum in eadem Eccleſia Sacrificium iterari juberet. Nempe tum mos, ſicut etiam num apud Græcos, obtinebat, ut Presbyteri omnes ſimul cum Epiſcopo celebrarent: propterea diſtinctum celebrari Sacrificium, quum numeroſior fieret populi confluxus, S. Leo heic indixit.

In Hiſpanias, quas tum Priſcilliana hæreſis infeſtabat, converſa cura, acceptis a S. Turribio Aſturicenſi litteris, ac libello, in quo Priſcillianæ ſectæ portenta exponebantur, reſcripta epiſtola 93, nunc 15. totidem doctrinæ capita ſuggerit, quibus 17. Priſcillianorum errores præcipui refellerentur; tum Synodum indicit, in qua nefandiſſima hæreſis prorſus extirpetur, proculque è provincia expellatur. Quod vero ad Eccleſiaſticam diſciplinam attingebat, obſervatu digna eſt quammaxime epiſtola 16, olim 4. ad Epiſcopos Siciliæ, cujus habet ſimillima epiſt. 80, nunc 136, quæ ultima eſt Decretalis a S. Leone exarata, ad Epiſcopos Campaniæ, Samnii, & Piceni: Epiſcopis omnibus enim ingenti crimini vertit eorumdem circa diſciplinæ regulas negligentiam. In his præſertim reprehendit, quod Baptiſmi Sacramentum in die Epiphaniæ celebrarent: illud ſolemni ritu in ſola Paſchali ſolemnitate, & in Pentecoſtes diebus adminiſtrandum, non ſecus ac jam pridem ipſius prædeceſſor S. Siricius in epiſt. ad Himerium ſcripſerat, ſicut & ſubinde S. Gelaſius in epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ, ex veteri diſciplina edocens, & demonſtrans. Quam diſciplinam quidem ad finem uſque ſæculi XI. perſeveraſſe cenſet Martenius lib. 1. de antiq. Eccleſ. Ritib. cap. 1. art. 1., & indicat Rupertus de divin. offic. lib. 4. cap. 18: quinimo etiam ſequiori ætate, quoad ejus fieri potuit, ut hæc ipſa diſciplinæ lex obſervaretur diligenter, curatum legitur a S. Othone Bambergenſi apud Surium ad diem 2. Julii; a Ratherio Veron. in Synodica ad Presbyteros ſuæ Diœc., apud Dacherium Spicil. to. 1. pag. 260; a Conciliis Lemovicenſi II. anno 1031. ſeſſ. 2; Rotomagenſi an. 1072. Can. 24; Wintonienſi an. 1076. cap. 7; Londinenſi an. 1237. cap. 3; Wigornienſi ann. 1240. cap. 5; Redigenſi ann. 1279. cap. 6; Exonienſi anno 1287. cap. 2; & Colonienſi II. ann. 1549. cap. 14. Novam atta-

attamen extra Paſcha, & Pentecoſtem baptizandi diſciplinam jam ab exitu ſæculi VI. ab Eccleſia Romana inductam ex S. Gregorio M. lib. 4. epiſt. 24., qua Epiſcopo Judæos baptizandi in die Dominica, aut alia die feſtiva poteſtatem facit, oſtendit Pagius Junior in S. Leone I. Quin idem in epiſt. 30. lib. 7. ad Eulogium Alex. auctor eſt a S. Auguſtino in Britannia Anglorum pluſquam decem millia in die Natalis D. baptiſmo fuiſſe imbutos. Ac certe in Anglia circa dimidium ſæculi X. alteram inoleviſſe diſciplinam oportet, nam alias inter leges Eccleſiaſticas ab Edgaro Rege anno *967.* ſancitas ea cap. 15. fertur, ut Infantes Baptiſmo intra noctes 37. abluantur; & inter leges Presbyteris Northumbrenſibus præſcriptas circa idem tempus apud Harduinum tom. *6.* pag. 705. ea quoque cap. 10. locum habet, ut Infans omnis intra *9.* noctes baptizetur. In Gallia præter dies ſolemnes Paſchæ, & Pentecoſtes, dies Baptiſmo aſſignati ſubinde venerunt Natalis Domini, Epiphania, & S. Johannis Bapt., veluti documento ſunt S. Avitus Vien. in epiſt. ad Clodovæum, S. Anaſtaſius II. in epiſt. ad eumdem Regem, S. Gregorius Turon. lib. de glor. Confeſſ. cap. *69*, & lib. 8. hiſt. Franc. cap. *9*, & Annaliſtæ Fuldenſis, ac Metenſis ad an. 847. In Hiſpania multo antehac non modo in Natali D., Epiphania, & feſtivitate S. Jo. Baptiſtæ, ſed imo in SS. Apoſtolorum, & Martyrum feſtis diebus Baptiſmus conferri ſolebat, ut adparet ex epiſtola S. Siricii ad Himerium cap. 2. Indubium eſt tamen in Occidentis Eccleſiis longe univerſim, lateque traditas olim a SS. Siricio, Leone, & Gelaſio leges de Baptiſmo in Paſchate, ac Pentecoſte conferendo religioſe obſervatas, retentaſque fuiſſe, uti fidem faciunt S. Gregorius II. in Capitulari dato Martiniano Epiſcopo, & Gregorio Presbytero in Bavariam ablegatis cap. 5. apud Harduinum tom. 3. pag. 1862; S. Nicolaus I. in reſp. ad conſulta Bulgar. cap. *69*; Concilia Gerundenſe anno 517. cap. 4; Antiſiodorenſe an. 578. Can. 18; Matiſconenſe an. 585. Can. 3; Calchutenſe an. 787. Cap. 2; Moguntinum an. 813. Can. 4; Moguntinum alterum an. 847. cap. 3; Vormatienſe an. 868. Can. 1; Metenſe an. 869. cap. 4; Triburienſe an. 895. Can. 12; & Copriniacenſe an. 1255. cap. 29; Carolus M. in Capitulis anno 802. ſelectis ex S. Scrip. cap. 10, & ex Sacr.

Can. cap. 10. ex deſcriptis ab Harduino tom. 4. pag. 958,& 962; Herardus Turonenſis in Capitul. an. 858. cap. 31. apud Dacherium Spicileg. tom. 6; Rabanus in reſp. ad Reginbaldum cap. 6. apud Harduinum tom. 5. pag. 1416; Ayto Baſileenſis in Capitul. cap. 7. relato ab Harduino tom. 4. pag. 1241;& Hincmarus Rem. in epiſt. 2. ad homonymum Laudun. Nihil etiam Orientali Eccleſiæ antiquius erat hac diſciplina, juxta quam Paſchati, & Pentecoſtes baptiſmi dies præterea deſtinati erant Natalis D., & Epiphania, veluti tradunt SS. Gregorius Nyſſ. in orat. eadem die habita, & Gregorius Nazian. in orat. 40. Succeſſu temporis uſu recepto apud Græcos pueri die 8.a Nativitate baptizari ſolent, teſte Allatio lib. 3. de Conſ. cap. 8; apud Moſcos die 40, uti refert Sigiſmundus Liber Baro: quem pariter morem pueros baptizandi poſt 40. dies obtinere apud Chriſtianos S. Thomæ teſtatur Joſephus Ind.,apud Chaldæos tradit Ecchellenſis in Not.ad Can. 10. Nicæno-Arab.; puellas tamen poſt dies 80. dumtaxat baptizari notat Fauſtus Naironus in Evoplia pag. 123. Baptiſmum quoque Maronitæ conferebant die 40; die 8. deinde, vel antea, ſi neceſſitas poſtulet, conferre cæperunt, uti liquet ex litteris Petri Maronitarum Patriarchæ ad Leonem X. ab Harduino regeſtis tom. 9. pag. 1804, & 1866. Sed de his hactenus.

Præclaras res geſtas,decretaſque a S.Leone M. circa diſciplinam, cauſſaſque plurimas Eccleſiarum perſequi omnes haud præſtat, quominus tamen præſtantiora quædam ſilentio premam, ex quibus fit evidentiſſimum, qua ſumma in rebus Eccleſiaſticis ordinandis ubique defungeretur poteſtate, religio mihi eſt. Itaque ad rem chriſtianam in Oriente collapſam ſollicitudine converſa in epiſtolis 41. nunc 61, 42. nunc 62, 44, 45, & 46, nunc 63, 64, & 65. ad Julianum Coenſem, ad Marcianum Aug., ad Pulcheriam, & ad Anatolium Lapſos in pſeudo-Synodo Epheſina Epiſcopos recipiendos quidem decernit, Eccleſiarum tamen ſuarum dumtaxat communione contentos eſſe debere. Qui metu præterea in hæreſim prolapſi fuerant, recipi permittit ſub ea lege, ut perfidiam cum auctoribus damnent, ac deteſtentur. De pſeudo-Synodi vero anteſignanis ſuprema dignoſcere ſententia, & dijudicare Apoſtolicæ Sedis Tribunali reſervat. Denique eorum, qui in hæ-

in hæreſi obiiſſent, nomina ad Altare omnino non recitanda definit. Rebus in Oriente ab ſe bene compoſitis, & concluſis ne quidpiam derepercetur, ut invigilaret attente Julianus Coenſis, juſſit, quem ideo vicibus induit ſuis, & adauxit in epiſt. 86, alias 56. ad ipſum, & in epiſt. 84, olim 57. ad Marcianum Imp., in illud potiſſimam impendere operam, curamque conferre eumdem volens, ne in Oriente a Prædeceſſore ſuo, & ab ſe præfocata hæreſis Neſtoriana, & Eutychiana revireſceret. Exinde Nunciorum Apoſtolicorum, qui tum Apocriſiarii vulgariter appellabantur, primordia repetunt Petrus de Marca lib. 5. de Concord. cap. 15, & Paſchaſius Queſnellus in Not. ad præcit. epiſtolas 84, & 86. Eorumdem vero partes eodem loci exponit S. Leo, ab iiſque partes ipſas Pontificis M. ita peragi, & expleri juſſit, quin tamen Epiſcoporum juribus, quæ integra ſtare omnino voluit, quidpiam derogaretur, injuriæque irrogaretur. Ratio temporis nunc depoſcit, ut ad res Italicas retorqueatur ſermo. A Theodoro Forojulienſi circa Pœnitentiæ Sacramentum conſultus reſcripta epiſtola 91. nunc 83. eaſdem prope regulas, quas SS. Innocentius in epiſt. ad Exuperium, & Cæleſtinus in epiſt. ad Epiſcopos Provinc. Viennen., & Narbonen. ſanciverant, regerit, inſtaurat, & recolit. Tot, ac tanti momenti decretis epiſtolam hanc exuberare, ac totidem veteris diſciplinæ Canones exhibere obſervavit Queſnellus, ut multa, ajat, eſſent annotanda: ea vero notat, quæ Doctiſſ. Morini diligentiam in ſuis de Pœnit. libris præterfugerant. Obſervaſſe id ſatius habebo dilucide, hac in epiſtola a S. Leone Pœnitentiæ neceſſitatem, & efficaciam adſtrui. Circa modum autem diſpenſandi hoc Sacramentum regulas decernit ſuavitatis, diſcretioniſque refertiſſimas, quas ignorare Confeſſarios nefas ingens ſit. Videlicet his, qui periculo mortis ſunt proximi, extremaque in neceſſitate poſiti, ſi pœnitentiam, & reconciliationem implorent, neque ſatisfactionem interdicendam eſſe, neque reconciliationem denegandam: quin imo neque negandam, etiamſi amiſſo vocis officio poſtulare nequeant, modo per integri ſenſus indicia poſtulent, aut paullo ante poſtulaſſe fidelium circumſtantium teſtimonio comprobetur.

Triſtiſſima, quæ ex Barbarorum irruptione, Italiæ incide-

rant, tempora rem Eccleſiaſticam adeo turbarant, totque mala in Eccleſias, inque eas quammaxime, in quas Hunnorum ſe ſe furor effuderat, invexerant, ut rebus Chriſtianis reparandis unus par remanſerit Romanus Pontifex. Partem hanc incommodorum pertulerant quammaximam præ aliis Eccleſiæ Aquilejenſis, & Ravennas, quas ab anno 452., uti referunt S. Proſper in Chron., & Jornandes de reb. Get. cap. 42, Attilæ immanitas pervaſerat. S.Leonis itaque opem vota ſollicitarunt Urbis utriuſque, quarum Antiſtites Nicetas Aquilejenſis, & Neonas Ravennas, Pontificem conſulentes, ille quidem de Mulieribus, quæ captis viris in captivitatem abductis nupſerant aliis, deque aliis quibuſdam, tum qui a barbaris Arianis coacti Baptiſmate iterato fuerant abluti, tum qui in captivitate poſiti immolatis cibis ferebantur eſſe polluti: iſte vero de Baptiſmo parvulorum, qui in captivitatem devenerant, ſed utrum ante captivitatem Baptiſmate fuiſsent imbuti, omnino ignorabant. Datis igitur Decretalibus ad primum 79, in edit. Queſn. 129, & ad poſteriorem 37, nunc 135. reſpondit Pontifex: regreſſis a captivitate viris mulieres antea in Matrimonium ductas omnino eſse reddendas, quæ vero poſteriorum amore captæ, hiſque individue cohærere volentes, regredi ad priores maritos nollent, communione privandas fore: eos, qui immolatitiis ſe inquinaverant, pœnitentia eſse purgandos, quæ tamen non tam longitudine temporis, quam cordis compunctione penſanda eſſet; eo præſertim, quod ab hujuſmodi cibis vetitis, potius quam pro Religionis veneratione, pro metu, & indigentia non abſtinuiſse illi præſumendi ſint: ab hæreticis ſive metu, ſive errore ad iterandum Baptiſmum traductos iterato non eſse baptizandos, bene vero pœnitentiæ ſubjugandos, antequam communionis beneficio redintegrentur: Baptiſmo viciſſim fore initiandos illos, quos fuiſse baptizatos poſſibili nulla ratione pateat, ſive ex ipſorum recordatione, ſive ex aliorum diligenter inveſtigato teſtimonio: *Et quum conſtiterit*, inquit, *hunc, qui Baptiſmatis indiget Sacramento, ſola inaniter ſuſpicione prohiberi, accedat intrepidus ad conſequendam gratiam, cujus in ſe nullum ſcit eſſe veſtigium*. Viden, ut tum uſu nondum venerat, nec etiam menti ſuccurrebat conſilium illud a devexioris ætatis Theologis inductum de Sacramentis ſub conditione iterandis

randis? Sed & ſimilia tradidit deinde S.Gregorius M.lib.12. epiſt. 10.ad Felicem Meſſan.Poſtrema S.Leonis Decretalis epiſtola data legitur ſub numero olim 80, nunc 136. ad Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum conſtitutos, qua præterquam eos reprehendit, quod in Natalibus SS. Martytum ſolemne Baptiſma conferebant,quod ex inſtitutione Apoſtolica, non niſi in Paſchatis, & Pentecoſtes diebus conferendum docet, eoſdem pariter increpat,quod peccatorum Confeſſionem exigerent publicam,ac ſingulorum libello ſcriptam ptofeſſionem: quam Confeſſionem quidem publice laudabiliter fieri poſſe affirmat, juxta Apoſtolicam regulam tamen abEccleſia nunquam fuiſſe præceptam, tanquam neceſſario faciendam, ſed ſufficere, ſi ſolis Sacerdotibus fiat ſecreto,declarat: *Sufficit*, inquiens, *illa Confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit*. Profecto, ſi quatuor primis ſæculis ea fuiſſet diſciplina Eccleſiæ, quemadmodum non pauci Recentiores pugnant, ut peccata mortalia etiam occulta publica confeſſione exponerentur,ac pœnitentia etiam publica expiarentur, S. Leo hunc uſum penitus ſubmoveri, veluti præſumptionem Apoſtolicæ regulæ contrariam, non juſſiſſet.

Epiſcoporum vota, quæ undique ad Apoſtolicam Sedem confluere ſolebant, ab Hiſpania delata ad S. Hilarum ab Aſcanio Tarraconenſi, ejuſque Suffraganeis, vehementer illum urſerunt, ſollicitaruntque, ut decernere, ſignificareque dignaretur, quid ſibi facto opus foret in cauſsa Epiſcopi ordinati a Silvano Calaguritano contra Nicænos Canones, & in cauſsa Irenæi, qui a ſua ad Barcinonenſem Eccleſiam tranſmigrarat. Hoc vero S. Hilarus ad illos dedit reſponſum, ut Epiſcopi illicite ordinati, nec non Irenæus, ab Eccleſiis removerentur; regulas haſce præterea religioſe obſervandas præſcripſit: ne in una, eademque Eccleſia duo Epiſcopi ſedeant: ne abſque Metropolitani conſcientia Epiſcopus conſecretur, nec ullus ad aliam Eccleſiam audeat tranſire: ut Canones Nicæni, & Apoſtolicæ Sedis decreta integra ſtent: ne Digami ad Eccleſiaſticos gradus accedant, nec gradus in Eccleſia deferatur pœnitentibus, illitteratis, ac membrorum defectu laborantibus. Quidquid a deceſſore illicite fuiſſet perpetratum,

tum, ab Epiſcopo ſuperveniente emendari diſtricte præcipit, ſucceſſorem vero ſibi deligere, ac deſignare Epiſcopis omnibus prohibet. Confer acta in Concilio Romano anno 465, & ejuſdem epiſtolam apud Harduinum tom. 2. pag. 788, & ſeqq. Hiſce igitur modis Eccleſiaſticæ politiæ decori approbe a Pontificibus Rom. proſpiciebatur; quibuſque ipſi per ſe met explendis impares eſſent, partes Epiſcopis aliis numeris abſolvendas ſuis imponebant. Ita S. Simplicius Acacio Conſtantinopolit. ſtrenuam commiſit cum vicibus ſuis curam, ut ad ea, quæ in Orientis partibus, quibus ipſe præſens eſse nequibat, gererentur, intentus nota itidem, quæ emendanda forent, ſincera fide ſibi faceret. In Epiſtola ad Gaudentium Aufinienſem Epiſcopum ob illicitas Ordinationes ab eo celebratas, ordinandi jure exſpoliavit, ac triplici parte reddituum Eccleſiæ, ac perinde oblationis fidelium privavit. Quod indicium eſt haud obſcurum Eccleſiaſticorum bonorum diſpenſationem adhuc tum fuiſse penes Epiſcopos. Ferebatur egregio hoc ipſo rei Chriſtianæ reparandæ ſtudio, zeloque Eccleſiaſticæ diſciplinæ in priſtinum decus erigendæ, ubi fuiſset collapſa, S. Felix III, qui certior factus a quatuor Afris Epiſcopis de pace anno 487. a Gontamundo Vandalorum Rege Africanæ Eccleſiæ reſtituta, ſollicitudinem animo ſtatim induit Synodum indicendi pro Lapſis Africanæ Eccleſiæ recipiendis. Habita igitur anno ſequenti Romæ Synodo, hincve Synodica exarata ſancivit: univerſim *Ut ſervata diſcretione peccantium, non eadem cuncti, qui lapſi ſunt, lance penſentur: quoniam majoris caſtigationis exigendus eſt uſuram, cui Domus Domini commiſſa fuerit diſciplina*: Speciatim vero ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi pœnitentiam ad obitum uſque peragant, iique in morte communione dumtaxat laica donentur: ut inferioris ordinis Clerici, Monachi, & Laici, qui ſe ſe hæreticis rebaptizandos, nullo timore, periculo, aut neceſſitate impellente, dedidere, 3. annis inter Audientes maneant, 7. inter Subſtratos, 2. inter Conſiſtentes: quibus interea, mortis inſtante diſcrimine, Viaticum non denegetur: ut pueris, & puellis, quibus ignorantia ſuffragatur ætatis, aliquandiu ſub manus impoſitione detentis, Communio reddatur: Catechumeni vero lapſi juxta Canonem Nicænum 14. tribus annis inter Audientes detineantur, ac ſubinde

inde Catechumenorum numero adſocientur: ut nemo tamen ex iis, qui extra Catholicam Eccleſiam baptizati, aut rebaptizati ſunt, in Clerum deinceps coopte tur: neve Pœnitentes ab aliis Epiſcopis, aut Presbyteris, abſque proprii Epiſcopi, aut Presbyteri litteris recipiantur.

Belli furores, quibus miſerum in modum vaſtata fuerat Italia, graviter afflixerant Eccleſias, reſque humanas, divinaſque ſuſque deque perverterant, adeoque ut Miniſtrorum, quos potiſſimum bellicus impetus aut proſtraverat, aut in exilium pepulerat, gravi penuria Eccleſiæ laborarent. Ea de re a Johanne Ravennate admonitus S. Gelaſius, celebri Decretali epiſtola inedit. Concil. 5. ad Epiſcopos Lucaniæ, Brutiæ, Siciliæque exarata, de rigore diſciplinæ nonnihil relaxare decrevit, & Capitibus 28. conſcriptis nonnulla, quæ emendatione digna erant, indixit. In his Cap. 2. relato a Gratiano Can. 8. *Si quis* diſt. 77. ex Monaſtico inſtituto ad Clericale miniſterium accerſiri, accerſitiſque indulget, ut continuo Lectores, poſt inde tres Menſes Acolythi, ſexto Menſe Subdiaconi, Menſe nono Diaconi, completoque anno Presbyteri ordinentur. Cap. 4. vetat, ne ab Epiſcopis, abſque ſua auctoritate, Eccleſiæ dedicentur *De Conſecr.* diſt. 1. Can. 6. *Baſilicas*. Negotium haud leve faceſſit hujuſmodi decretum, quo erepta videtur facultas Epiſcopis dedicandi Eccleſias, quam tamen perennis Eccleſiæ praxis, ac diſciplina ad eorumdem partes attigiſſe prudenter dubitare non permittit. Cl. Fleurius hiſt. Eccleſ. lib. 30. n. 34. locum interpretatur de Suburbicariis Eccleſiis, quas dedicare Epiſcopi Pontifici Rom., tanquam Metropolitæ, ſubjecti prohiberentur. Doctiſſ. Sebaſtianus Berardi par. 2. cap. 46. interpretationem alteram ex S. Gregorio M. relato Can. 3. *Lator* 16. q. 5. ſuppeditat, nempe ex adjunctis temporis illius petitam, quo res Italiæ admodum turbatæ exigebant, ut nova diſciplina induceretur, qua Epiſcopi novas dedicare Eccleſias, ſuo abſque conſenſu, interdicerentur. Ratio decreti elici mihi videtur ex Cap. 25, quo deteſtatur abuſum conſtruendi Eccleſias in nomine defunctorum, eorumque in honorem proceſſiones inſtituendi, qui neque inter fideles conſcripti fuerant. Deſcribitur autem Caput iſtud Diſt. 1. Can. 4. *De locorum*,

De-

De Conſecr. Cap. 5. pro Baptiſmi, Confirmationiſque collatione quidpiam pretii exigi diſtrictiſſime prohibet. Quod ipſum pridem vetitum legitur a Concilio Illiberitano Can. 48, & poſtea a Conciliis Emeritenſi Can. 9, & Toletano XI. cap. 8. Cap. 11. Sacras Ordinationes quatuor anni temporibus celebrandas affigit. Cap. 15. Clericos ab omni negotiationis ingenio, & cupiditate ceſſare jubet, niſi a Clericali officio arceri velint. Refertur Can. 1. *Clerici* 14. q. 4. Cap. 27. tam Eccleſiæ redditus, quam oblationes Fidelium quatuor in partes diſtribuit, quarum una Epiſcopo cedat, altera Clericorum ſit propria, tertia in pauperes impendatur, & quarta Fabricis ſacris applicetur. Vide Can. 27. *Quatuor*. 12. q. 2. Confer & epiſtolam 6. ad Epiſcopos Siciliæ in edit. Harduini tom. 2. pag. 905; & inter epiſtolarum fragmenta ab Holſtenio collecta, ſive ex Collect. Deusdedit deſcripta epiſtolam ad Clerum, & popul. Brendeſii apud Anſelmum lib. 6. cap. 40, & Gratianum Can. 26. *Conceſſo* 12. q. 2.

Libenter accedo ad illuſtre aliud S. Gelaſii Decretum de Libris Authenticis, & Apocryphis, eoque libentius, quod hinc avide occaſionem arripiam nonnulla ex Cl. Blanchinio in Not. hiſt. ad S. Gelaſium Sect. 74. Anaſtaſii tom. 3. delibandi circa veteſtiſſima Eccleſiæ Romanæ Monumenta valdequam idonea ad Divinas litteras ſecernendas, quas Apoſtolica ex auctoritate receptas in ſinu ſuo jugi ſtudio retinere, & recolere nunquam deſtitit. Itaque anno 494, aut 496. Epiſcoporum 72. collecto Romæ Concilio ad ſacros Libros a ſpuriis diſcernendos, Canonicos ab Eccleſia receptos hunc in ordinem digeſſit, ex veteri Teſtamento recenſitis Libris 45, in quibus Moyſis 5; Joſve, Judicum, Ruth; Regum 4; Paralipomenon 2; Pſalmi 150; Salomonis 3; Sapientia; Eccleſiaſticus; Prophetæ Majores 4; Minores 12; Job (in aliis exemplaribus omiſſus); Tobias; Eſdræ 2; (in nonnullis Cod. Mſs. unus dumtaxat); Eſther, Judith; Machabæorum 2, (alicubi unus tantummodo): ex novo Teſtamento Evangelia 4; Acta Apoſtolorum; Paulinæ Epiſtolæ 14; S. Johannis Apocalypſis; Canonicæ Epiſtolæ 7, ideſt S. Jacobi 1, S. Petri 2, S. Johannis 3: & S. Judæ 1: quibus ſubjungit Cenſuram in libros Scriptorum Eccleſiaſticorum ab Eccleſia Romana aut receptos, aut reprobatos, de

de quibus nihil nunc repetam. Porro decretum iſtud S. Damaſo tribuitur in Collectione Creſconiana, velut obſervat Baronius ad an. 69. n. 4, & in Codice Ms. Dionyſiano juris Dacherii, ut vidit Baluzius. S. Hormiſdæ adſcribi in antiquiſſimo Codice Vergellenſi teſtatur Baluzius, & in Codice Jurenſi referunt Labbæus, & Chifletius, qui in fine Notar. ad Vigilium Tapſ. exinde exiſtimat decretum a S. Gelaſio editum a S. Hormiſda deinde publicæ legis, ac Pontificiæ vi donatum, evulgatumque. At S. Gelaſio indubie decretum iſtud tribuitur in Collectionis Iſidorianæ duobus antiquiſſimis Codicibus Mſs. Bibl. Paris. Soc. J. inſpectis ab Harduino, in Codice vetuſtiſſimo a S. Lantfranco ex Beccenſi Cœnobio in Angliam delato, lectoque a Pearſonio, ac paſſim in Codicibus tum Mſs., tum editis, quos contulere Burchardus, & Gratianus diſt. 15. Can. 3. *S. Romana Eccleſia*. Præterea S. Gelaſio illud adſcribunt S. Nicolaus I. in epiſt. 42. ad Galliar. Epiſcopos; S. Gregorius VII. in Synodo Romana I. cap. 16; Theodorus in Pœnit. cap. 4; Hincmarus Remen.; Lupus Ferrar. in epiſt. 128. ad Carolum Calvum, & in fine quæſt. de ſang. Chriſti; Auctor Chronici Centulenſis apud Dacherium Spicileg. tom. 4, & Atto in Capitul. tom. 8. Eidem vero S. Gelaſio veluti genuinum vindicant Holſtenius, a quo illud ex antiquiſſ. Codice Mſ. Florentino editum eſt; Scheleſtratius; Noriſius tom. 4. oper. pag. 927, & ſeqq.; Mabillonius in diſquiſit. de Curſu Gallic. §. 1; Pagius ad an. 494. n. 2, & ſeqq. ea ratione potiſſimum, quod S. Gelaſii Decretum, tacito ejus nomine, laudatur a S. Hormiſda in epiſt. 70. ad Poſſeſſ., ideoque Decretum ipſi Hormiſdæ tribuendum non ſit; neque etiam S. Damaſo ideo, quod pleraque opera eo in Decreto commemorantur, quorum auctores S. Damaſi ætate longe poſteriores ſunt; Juſtus Fontaninus, qui in append. ad opus præclarum de Antiquit. Hortæ Coloniæ Hetruſcorum Decretum illud genuinum ex Codice Palatino Bibl. Vatic. protulit. A Cl. Petro Contantio idem Decretum ſuæ integritati reſtitutum fuiſſe, ſuoque parenti legitimo S. Gelaſio vindicatum iiſdem ferme argumentis a Fontanino jam occupatis, teſtimoniis tamen adjectis Codicum Mſs., quos diligenter inſpexit, & contulit, auctor eſt P. Simon Mop inot in epiſt. ad P. Carolum Conradium: jamdiu vero docto-

rum vota ſollicitant, ut a Coutantio adornatus tomus 2. Epiſt. Rom. Pontif. tandem in publicam utilitatem, lucemque emergat. Ex his autem ruditorum vindiciis liquido adparet perperam, unoque ex odio in pleroſque S. Scripturæ libros hoc in Canone a S. Gelaſio deſcriptos, a Proteſtantibus, ac nominatim a Pearſonio in Vindiciis Ignat., quo etiam loci pag. 53. Decretum iſtud poſt Synodum V. anno 553. celebratam promulgatum fuiſſe falſo putat; a Guillelmo Cavæo hiſt. litter. ſæculi V. par. 1; a Benedicto Pictéto in Theol. Chriſt. lib. 1. pag. 143, & Paulo Colomeſio in Paralip. de Script. Eccleſ. n. 238. perperam, inquam, Decretum illud tanquam Iſidori Mercatoris figmentum rejectum fuiſſe. Ab orthodoxorum nonnullis, quibus adhæſit doctiſſ. Ludovicus Du Meſnil doctr., & diſcipl. Eccleſ. lib. 26. n. 61., idem Decretum interpolatum dicitur, ideo quod a Collectoribus diverſimode referatur: at purum, putumque, quale a S. Gelaſio procuſum fuit, reputandum eſt, prout ab Holſtenio, Scheleſtratio, Fontanino, & Coutantio fuit ex optime fidei Codicibus deſcriptum.

Jam vero, quod maxime intereſt, ac refert, a Cl. Blanchinio ſcite obſervatum eſt Canonem, ac Cenſum Sacr. Scripturarum ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis ita S. Romanæ Eccleſiæ ceterarum Matri, ac Magiſtræ concreditum fuiſſe, ut integrum curare, & cuſtodire, & quum opus afforet, adverſus inſurgentes hæreſes opponere Romanis Pontificibus nihil fuerit antiquius. Præluſerat omnibus profecto S. Clemens, qui in epiſtola ad Corinthios equidem ante exarata, quam e S. Johannis Evang. manibus elaboratum prodiiſſet Evangelium, ac procuſa Apocalypſis, Librorum 45. veteris Teſtamenti plus vice ſimplici meminit, eorumque promit loca; ex novo Teſtamento vero tria laudat Evangelia, Acta Apoſt. commemorat, atque ex Canonicis Epiſtolis loca deſignat, ex S. Pauli epiſtolis 14, ex S. Petri utraque, ac demum ex ambabus SS. Jacobi, & Judæ. Neque vero neceſſe erat S. Gelaſio in Catalogo SS. Librorum texendo S. Clementem exemplo, documentoque ſibi ſtatuere, quum pleraque ſuppeterent, quæ tam facile, quam ſincere proponere ſibi poterat. Promere ſiquidem Canonem Scripturarum tam ei paratum erat, quam S. Romanæ Eccleſiæ pandere SS. Martyrum Cryptas, & Baſilicarum

parie-

parietes, titulos, abſides, in quibus hinc, illinc univerſi Libri tum veteris, tum novi Teſtamenti in oculos incurrebant. Inter Muſivas imagines a S. Sixto III. collocatas in Baſilica Liberiana deſcripta conſpiciebatur ſeries geſtorum, qualem in Pentateucho Moyſis, ac in libris Joſve, & Judicum legere ſuccurrit. In Baſilica S. Pauli via Oſtienſi a S. Leone M. picturis, muſivis, & hiſtoriis decorata, Prophetica oracula a Geneſi ad Apocalypſim explicantur: Prophetarum nomina in ſupremo parietum faſtigio pedalibus litteris ſub ipſorum imaginibus exprimuntur, & in valvis æneis Conſtantinopoli elaboratis ſæculo XI. Prophetæ cum Majores, tum Minores recenſentur, eorumque tam oracula, quam geſta illuſtriora inciſa exhibentur. Eorumdem Prophetarum imagines pictæ conſpiciuntur in Diaconia omnium principe S. Mariæ in via Lata, ubi vetus traditio eſt S. Paulum catecheſes habuiſſe, & S. Lucam Acta Apoſtolorum conſcripſiſſe. Quo affecti erant ſtudii genere ſacrum divinorum Librorum depoſitum cuſtodiendi S. Gelaſii deceſſores, eodem poſtea flagrarunt, qui proximo eidem ſæculo ætatis ſucceſſerunt. In Titulo S. Clementis a Gregorio ejuſdem Tituli Presbytero Cardinali, tempore S. Zachariæ P. M., veteris Teſtamenti libros intra Bibliothecam, ſive Sacrarium dedicatos fuiſſe comprobat Epigraphes in tabula marmorea expreſsa, quæ olim converſa in frontem Altaris poſtmodum ab Emin. Annibale Cardinale Albano, eximii Monumenti ejuſmodi æquiſſimo æſtimatore, in illuſtrem locum medianæ navis ejuſdem Tituli eſt translata, quamque Tabulam deſcriptam legere eſt apud virorum Clariſs. par, Blanchinium in Not. hiſtoricis ad S. Gelaſium pag. 198, & Juſtum Fontaninum in addendis Comment. Diſci argentei vot. veter. Chriſt. pag. 86. In ea Tabula etenim exprimitur ſeries Librorum veteris Teſtamenti juxta hæbraicum Canonem, ſecundum quem eoſdem pariter recenſuit Caſſiodorus in lib. divin. inſtit. cap. 1: ſcilicet enumerantur primo Octateuchum, ſive Libri quinque Moyſis, Judicum, & Ruth; ſecundo libri Regum, ſub quibus Paralipomenon quoque comprehenduntur; tertio Pſalterium; quarto Prophetæ; dinde Salomonis libri, quinque ſcilicet; tum Eſdræ, duo nempe; denique libri Hiſtoriarum, quo nomine deſignantur Job, Tobias, Eſther, Judith, &

duo Machabæorum. Paris exempli eſt marmorea illa, ac pretioſa Tabula, olim Diaconiæ, nunc Baſilicæ S. Mariæ in Coſmedin, a V. Card. Thomaſio recenſita in append. ad Veteres Rom. Eccl. libros Reſponſoriales, & Antiphonarios pag. 448, ac cum eruditis notis recuſa a doctiſſ. Jo: Maria Creſcembeni in hiſt. ejuſdem Baſilicæ pag. 82. In ea enim Tabula inter dona a Teubaldo anno 902. Eccleſiæ largita recenſetur liber Geneſeos cum hiſtoriis Canonicis. In Charta Tiburtini Archivi, dicta *Cornutiana*, editaque a Suareſio, Mabillonio, & Blanchinio, inter alia bona donata Eccleſiæ Cornutianæ anno 471. locum habent Pſalterium, & Evangeliorum libri. Denique Monumentis aliis dimiſſis, ex libris ducentis octodecim a Pacifico Archidiacono Eccleſiæ Veronenſis ante annos ferme 900. in ejuſdem Cathedralis Bibliothecam inlatis complures ſe inſpexiſſe Sacrorum Bibliorum Textum complectentes, una cum Gloſſa veteris, ac novi Teſtamenti, fide affirmat ſua doctiſs. Blanchinius, de qua dubitare ſumma viri probitas non ſinit. Sed hoc de argumento hactenus.

Compendio uti cogor, niſi obrui copia velim, quæ undique exuberans fandi mihi penes adimit facultatem, atque magnas inter opes me inopem facit. S. Symmachus a S. Cæſario Arelat. conſultus, oblatoque libello obſecratus, ut abuſus nonnullos, quibus Eccleſiaſtica diſciplina tam labefactabatur, quam Eccleſiarum decor obſcuraretur, auctoritate ſua tolleret, Decretali epiſtola ordine quinta in edit. Concil. data, ejuſdem poſtulatis ſex reſponſionibus fecit ſatis: inter quas ſcitu digna quammaxime evenit, quæ primum occupat locum: nempe Poſſeſſiones Eccleſiæ mancipatas prohibet alienari: *Niſi forſitan aut Clericis honorum meritis, aut Monaſteriis Religionis intuitu, aut certe Peregrinis neceſſitas largiri ſuaſerit; ſic tamen ut his non perpetuo, ſed temporaliter, donec vixerint, perfruantur.* Hinc originem Beneficiorum, ſive Eccleſiaſticarum Penſionum cœpiſſe obſervant viri Eruditi. Quam in rem conferre quoque juvat Gratianum Can. 61. *Poſſeſſiones.* 16. q. 1; Concilium Agathenſe anno 506. ſub eodem S. Cæſario habitum Can. 33; ac epiſtolam S. Agapeti ad eumdem S. Cæſarium, cui prædia Eccleſiæ, quolibet prætextu vel pio, divendere prohibuit. Religionis, ac diſciplinæ in Hiſpania in deterius collabeſcentis

tis incommodis ut remedium afferret S. Hormisdas, epistola Decretali ordine 25. data tribus Capitibus instaurandis incubuit, ut Episcopi in Sacerdotibus eligendis, ordinandisque, qui irreprehensibiles essent, attente invigilarent: ut in Episcoporum electionibus simoniæ nulla suspicio interveniret: ut ab Episcopis bis, aut semel in anno saltem Synodus indiceretur. Eumdem Pontificem Possessor Episcopus Africanus a Trasamundo Rege in exilium pulsus, dum Constantinopoli moram traheret, a Vitaliano, & Justiniano incitatus per litteras consuluit de Fausti Regiensis libris, quorum occasione magna in Occidente non modo, sed & in Oriente mota lis fuerat, quid nempe de hujusmodi libris sententia sua foret sentiendum. Epistola 15. respondens S. Hormisdas Fausti libris omnem prorsus auctoritatem ademit, ac vicissim postrema volumina S. Augustini, cujus doctrina a Fausto impetita ferebatur, inoffenso pede decurrenda injecit, veluti purissimos fontes indicans, e quibus Catholica dogmata de Gratia Dei, & libero arbitrio haurire liceret. Legendus Norisius lib. 2. hist. Pelag. cap. 18, a quo hoc ipso decurrente anno 1758. omnem eidem olim constatam invidiam S. Inquisitionis Hispanicæ Tribunal absterſit. Religio Christiana afflictissima in Africa cum rebus Imperii deploratissimis tum reflorere demum visa est, quum Belisarii Ducis fortitudine devictis Vandalis, pulsisque undique, eorumque Rege Gelimere capto, abductoque Constantinopolim, Carthago anno excidionis suæ *96*, idest Christianæ Æræ 534. sub Justiniano ad Romani Imperii jura reversa est. Ex tum autem reparandis Ecclesiæ rebus collapsis Episcopos Africanos cogitatio incessit, qui sub Reparato Carthaginensi in Synodum ad 217. convenientes, serioque considerantes, quid facto opus esset, communi suffragio Synodica exarata est ad Johannem II. P.M., sciscitantes, & quatenus oporteret, æqui, bonique ipsorum preces ut facerer, obsecrantes: utrum Ariani ad Ecclesiam reduces cum suis honoribus essent recipiendi? Utrum parvulorum ab Arianis baptizatorum validus baptismus esset reputandus? Utrum adulta ætate iidem Clero adsciſci possent, & ad gradus subinde Ecclesiasticos promoveri? Recepit hasce litteras cum Legatis S. Agapetus, qui in locum defuncti Johannis subintroierat, respondítque epist. 2: Arianos recipien-

piendos quidem in Eccleſiam haud tamen cum ſuis gradibus, & officiis: ab Arianis vero baptizatos in Clerum referendos nullatenus fore. Quin etiam Juſtiniano Imp. etſi interroganti, efflictimque roganti, ut Arianis Clericis ad frugem regredientibus ſuis gradibus perfrui, ſuiſque officiis perfungi liceret, perque ipſum Pontificem fas afforet, negavit tamen epiſt. 4. indeflexi animi Pontifex vel in gratiam Imperatoris Synodalia Apoſtolicæ Sedis Conſtituta ſe infringere velle, aut poſſe, ut infringantur, permittere.

In eamdem viam incedebat Vigilius, dum in epiſtola 2. Decretali in Collectione Concil. Eutherio inſcripta; ſed inſcribendam eſſe Profuturo Bracarenſi Epiſcopo ex fide Codicum Mſs. Bibliot. Lugdunenſis, & Colbertinæ, teſtimonioque Concilii Bracarenſis I, in quo epiſtola ſcripta revera fertur Profuturo, oſtendit Baluzius tom. 1. novæ Collect. pag. 1468, Profuturi conſultationibus reſpondens animo ad ea, quæ a ſuis deceſſoribus fuiſſent determinata, religioni ducens ab iis ne vel latum unguem decedere, defixo intendebat. At prius de Reſcripti epocha dicere præſtat, ſiquidem viri docti non deſint, qui hanc epiſtolam aut dubiam habent, velut Gerbaſius, aut ad apocryphas amandant, ſicuti Pagius, velut eam, quam abeo datam autumant, dum adhuc Sedis Apoſtolicæ invaſorem gerebat. At vero character, quo in exemplari Colbertino epiſtola clauditur, ſive Conſulatus, quo conſignatur, Flavii Johannis, ac dies 3. Kalend. Julii, qua data conſcribitur, diem 29. Junii deſignat, annumque 538, in quem Flavii Jo: Conſulatus inciderat: antequam diem, atque dies 9. omnino ejuſdem anni, fini conceſſerat ſuo S. Silverius, veluti ex Anaſtaſio Bibl., Orderico Vitali, & Luitprando oſtendit Pagius ad an. 540. n. 2, a cujus obitus profecto loco, a Pontia ſcilicet Inſula, percommode Romam nuncium de ejus obitu pervenire ſpatio nedum novendii, ſed imo quatridui potuiſſe, ſcribit Cl. Blanchinius in Not. Chronolog. ad Vigilium tom. 3. Anaſtaſii pag. 276. ſect. 102. Igitur hæc Vigilii epiſtola loco inter Pontificias Decretales ſuo habenda eſt, veluti a legitimo Pontifice emanata. Dupinius de antiq. Eccleſ. diſcipl. diſſert. 2. cap. 1. §. 4, & cap. 2. §. ult. Vigilio legitime ſedenti utique hanc adſcribit epiſtolam: at ex cap. 7. epiſtolæ avide occaſionem arripit præconceptæ opinionis ſuæ procul a ve-

a veritate aberrantis propugnandæ de appellationum ad Sedem Apoſtolicam origine longe recentiori, quaſque non cœpiſſe niſi poſt ſæculum V. ad eamdem Sedem referri contendit. Atqui Caput hoc ſeptimum aſſumentum eſſe ſcriptoris quam pii, tam imprudentis, ideoque omnino a reliquo epiſtolæ genuino exemplari alienum, judicat doctiſs. Cennius de antiq. Eccl. Hiſp. diſſert. 3. cap. 4. ex eo, quod ejuſdem cap. 7. in nullo ex decem librorum, quibus Collectio Hiſpanica Canonum S. Iſidoro Hiſpal. tributa conſtat, tam multis titulis, vel leve veſtigium adpareat. Sed fruſtra ex eodem cap. 7. novitatem hujuſce diſciplinæ extundere Dupinius adnititur: non enim tam ſua ibidem Vigilius, quam ſuorum Deceſſorum ſententia, ubi & S. Leonis M. ipſiſſimis loquitur verbis, hoc Apoſtolicæ Sedis jus adſtruit, locoque ſuo conſtabilit. Stephanus Baluzius viciſſim nedum caput 7, ſed & caput 6. ejuſdem Decretalis reſpuit, eo quod eadem duo extrema capita deſint in Codice Colbertino, ex quo eamdem ipſe deſcribit. Verumtamen Caput hoc ſextum epiſtolæ reſtituendum eſſe idem Cennius evincit tum exinde, quod caput hoc ſextum in prælaudato Codice Veter. Canon. Eccleſiæ Hiſp. lib. 4. tit. 23. citetur; tum ex eo quod in ejuſdem epiſtolæ præfatione, & cap. 3. Profuturo Vigilius regulas Apoſtolicæ Sedis, ac Decreta de Baptiſmate pollicetur, quæ nullo alio præterea in loco, niſi cap. 6, legas. Poſtremo inſcitiæ pſeudo-Iſidori tribuendum profecto videtur, quod epiſtolæ titulum ſecundum, & ſextum mutilaverit, atque ex utroque, veluti legitur in vulgatis exemplaribus, titulo conſuetudinem Romanæ alioquin Eccleſiæ acceptam, teſte S. Gregorio M. lib. 1. epiſt. 41, baptizandi per trinam immerſionem, amandaverit. Siquidem S. Martinus Bracar. in epiſt. ad Bonifacium Epiſcop. apud Aguirræum tom. 2. Concil. pag. 506. fidem indubiam facit in exemplari formulæ conferendi Baptiſmatis ab Apoſtolica Sede ante paucos annos, ideſt a Vigilio Papa, ad Metropolitanum Bracar., ideſt ad Profuturum, directæ ſe inter alia hæc legiſſe: *Ut in uno Trinitatis nomine is, qui baptizandus eſt, aut tertio perfundatur, aut mergatur.*

Operæ nunc pretium eſt ſumma, ac præcipua Epiſtolæ capita perſtringere. Cap. 1. Priſcillianam, & Manichæam ſuperſtitionem

tionem inter, & Chriſtianam, religioſamque abſtinentiam mediam ſtatuens, & indicans viam, hinc licitam, & honeſtam, ac lege Eccleſiaſtica inductam abſtinentiam a delectis cibis collaudat, illinc cibum nullum ex ſe malum, execrabilemque declarat. Cap. 2. errorem novellum in Gallæcia ſerpentem, veteri tamen aut Sabellii, aut Arii, aut Macedonii admodum ſimilem, quo in periocha ad finem Pſalmorum recitari ſolita *Gloria Patri* &c., conjunctionibus *Et* ubique ablatis, tres in unam Perſonæ confundi videbantur, diſtinctioque inter ipſas ſublata, condemnat, in eoque pertinaces ab Eccleſia projicit. Cap. 3. Rebaptizantium errorem jampridem a S. Stephano Papa, & a Nicænis Patribus condemnatum, in Africa a S. Auguſtino oppugnatum, atque ab Arianis, & Priſcillianiſtis in Africa, & Hiſpania inſtauratum diris cunctis devovet, iteratoque anathemate ejuſdem auctores, defenſoreſque confodit. Cap. 4. Novas Eccleſias conſecrandas equidem docet, eaſdem tamen celebratione Miſſarum conſecrari declarat. Cap. 5. Paſchatis proximi diem 11. Kal. Maji celebrandum indicit, ritusque S. Romanæ Eccleſiæ obſervandos in diebus Feſtis, ac precum formulas præſcribit. Cap. 6. Formam conferendi Baptiſmum tradit, quem in uno Sanctiſſimæ Trinitatis nomine conferri jubet, nihil de una, aut trina interea immerſione decernens. Cap. 7. tandem, ſi genuinum eſt tamen, de juribus Divina inſtitutione ſubnixis Apoſtolicæ Sedis agit, deque appellationibus ad eam deferendis. Quanti vero facta ab Hiſpanis Epiſcopis fuerint hæc Capitula, dignoſcere licebit ex Concilio Bracarenſi I. ſub Lucretio tribus, & viginti poſt Vigilii Reſcriptum annis celebrato. Sed de Vigilio jam nimium.

Perampla nunc meſſis in S. Gregorio M. ſe mihi explicat Decretalium Epiſtolarum, quibus tum Eccleſiaſticam diſciplinam quamplurimum illuſtravit, tum Eccleſiarum cauſſas propemodum innumeras definivit, quam omnem prorſus velle in manipulos veluti conferre, res operæ plena eſſet, quam explere, nec, etſi vellem, poſſem, ideoque paucas ex immenſa abundantia veluti ſpicas decerpere ſatis habebo, ſuperque. Ergo ad Africæ Eccleſias a Manichæis, & Donatiſtis immaniter divexatas ſumma, qua arcte angebatur, converſa ſollicitudine, ad eaſdem peſtes comprimendas,

das, profligandaſque cum Gennadium Patricium, & Exarchum excitat lib. 1. epiſt. 72. edit. vet., tum Africanos Epiſcopos exſtimulat epiſt. 75. Donatiſtis quidem ad frugem regredientibus ad priſtinam dignitatem regreſſum haud prohibens, aditum tamen ad Primatis gradum prorſus interdicens. Hujuſce curæ partem Hilaro Diacono, & Chartulario impoſuit, ut rebus nempe in Africa Sacris procurandis ſedulo incumberet epiſt. 82. Conſer & lib. 2. epiſt. 33; lib. 3. epiſt. 34, & 35; lib. 4. epiſt. 3; lib. 5. epiſt. 61, & 62; & lib. 7. epiſt. 65, in quibus hæc S. Gregorii M. erga Eccleſias Africæ ſollicitudo valdequam ſplendet, egregieque ſe explicat. Ex Africa me transfero in Hiſpanias, ubi S. Leandro Hiſpalenſi rei Eccleſiaſticæ enixe curandæ vices concrediderat ſuas. Ab eo conſultus S. Gregorius, quid ſibi foret opus, quandoquidem Ariani ad denotandas tres naturas Divinas in tribus Perſonis ab ſe diſtinctas trinam in Baptiſmo merſionem adhibebant, ex catholicis veroSacerdotibus ab invicem diſcordantibus quidam trina pariter merſione, quidam vero unica dumtaxat ſibi utendum exiſtimabant, epiſt. 41. lib. 1. exarata reſpondit, atque tam unam, quam trinam merſionem approbans, *Quando*, inquit, *& in tribus merſionibus Perſonarum Trinitas & in una poreſt Divinitatis ſingularitas deſignari.* Ad præcavendos attamen hæreticorum laqueos admonet, ut a trina merſione ſatius abſtineat, unamque deinceps tantum adhibeat. De hacce S. Gregorii epiſtola addubitavit olim Alcuinus in epiſt. 70, ideo quod in exemplari Roma ab ſe allato deeſſet. At vero ei nullatenus addubitandum fuiſſe dilucide oſtendunt viri doctiſs. Menardus in obſervat. ad Sacram. S. Gregorii, Mabillonius ſæculo I. Bened. in elogio S. Leandri, Cointius in Annal. Eccl. Franc. ad an. 798. n. 27, & Pagius ad eumdem annum n. 12, ex eo præſertim, quod ejuſdem epiſtolæ meminerunt S. Iſidorus Hiſp. lib. de Script. Eccleſ. cap. 27, Johannes Diaconus in vita S. Gregorii, & Concilium Toletanum IV. Can. 6. Superſunt, & aliæ ad S. Leandrum S. Gregorii M. epiſtolæ, quales 46. lib. 4, & 126. lib. 7.

Atqui præſentiſſima S. Gregorii ope indigebant quam maxime Italiæ res turbatiſſimæ, quas humanas nedum, ſed etiam Divinas ſuſque deque tam Langobardorum impietas, quam Schiſma-

ticorum Iſtriæ pertinacia in dies pervertebant. Itaque nullam non impendit operam, mox ut Ariana in hæreſi baptizatos ad catholicam fidem conciliaret lib. 1. epiſt. 17, mox ut animo in ſchiſmate obſirmatos ad conſilia ſaniora traduceret epiſt. 16: nunc ne Eccleſiis deeſſent Epiſcopi, ut Epiſcopi vero digni eligerentur, electi demum Eccleſiarum bono invigilarent attente, diligenter incumbebat lib. 1. epiſt. 43, & 55; lib. 2. epiſt. 3, 7, 8, 20, & 35; lib. 3. epiſt. 15; lib. 4. epiſt. 20, 23, 33, & 44; lib. 7. epiſt. 9, 54, & 57; lib. 8. epiſt. 24, & 40. &c: nunc ne in Clero inferiori decus Eccleſiaſticum deturparetur, ſed in dies illuſtrius radiaret, Subdiaconos impoſterum ordinari ubicumque prohibet, niſi continentiæ legibus ante ordinationem Epiſcopis dato ſacramento ſemet obligarent, ordinatis vero, niſi ab uxoribus extemplo ſecederent, ſibique ab eis temperarent, ſpem ad ſuperiorem Ordinem aſcendendi omnem intercidit lib. 1. epiſt. 42; & lib. 3. epiſt. 34. Conſer & Concilium Toletanum II. ſub Montano Metropolita, Can. 1., ex quo liquet antiquiſſimum eſſe continentiæ votum, quod Subdiaconi emittebant: nec non epiſtolam 26. ejuſdem S. Gregorii lib. 3. ad Januarium Calarit., qua Clericos poſt acceptum ſacrum Ordinem in peccatum carnis lapſos perpetuo ab Altaris miniſterio amoveri præcipit. Porro Subdiaconatus, qui olim Minoribus accenſebatur Ordinibus, in quorum claſſem etiamnum a Græcis rejicitur, ſæculo XI. tandem in ſacros Ordines eſt cooptatus, uti colligitur ex Micrologo de Eccleſ. obſervat. cap. 8, aſſeritque Morinus de Sacr. Ordinat. par. 3. exercit. 12, poſt quam nempe ab Urbano II. in Concilio Beneventano an. 1091. Can. 1., atque ab Innocentio III. Cap. *A multis De ætate, & qualit., & Ordin. præficiendorum*, velut obſervat Thomaſſinus vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 2. cap. 33, in Epiſcopos eligi poſſe Subdiaconi permiſſi ſunt. Quid quod Judæos in Galliis, Sicilia, & Sardinia violentia, ac vi ad Chriſtiana ſacra compelli S. Gregorius diſtricte vetuit lib. 1. epiſt. 34, & 35; lib. 2. epiſt. 45; & lib. 7. epiſt. 5? E contra Manichæos perſequi, & ad fidem Catholicam perduci jubet lib. 4. epiſt. 6; & Barbaricinos viciſſim, ſive idololatriæ deditos, animoque in perfidia obſtinatos tanto penſionis onere gravandos edicit: *Ut ipſa exactionis ſuæ pœna compellantur ad rectitudinem*

dinem festinare, lib. 3. epist. 26. Legendæ eodem lib. 3. epistolæ 27, & 29, quibus Januario Calaritano jubet Judæorum servos sive olim Christianos, sive deinde baptizatos ad sacra adyta confugientes azylo perfrui, atque in libertatem evindicari: Episcopos vero Ethnicorum conversioni ita vult invigilare, ut gravem de Episcopo vindictam se repetiturum minetur, in cujus Diœcesi vel Ethnicum unum reperiret. Præstat & recolere ab eodem Pontifice quam salubriter, tam sancte Decreta in Synodo II. Romana ann. 595. apud Harduinum tom. 3. pag. 496.

Italiæ sibi proximæ incolumitati non tam sollicite providebat, quam Provinciis longius sepositis præsentissimam operam suppeditaret, Ecclesiasticæque disciplinæ ubique erigendæ, reparandæque diligenter incumberet, inque tota, qua late patet, Ecclesia partes exerceret suas. Grassantes in Gallia abusus, quibus Sacerdotia sacrilego venu tradebantur, Sacerdotes ex laicis repente inaugurabantur, ac Clerici in sacris Ordinibus constituti cum mulieribus cohabitare nec satis caute, nec satis caste verebantur, extirpare, & evellere studuit lib. 4. epist. 50, & lib. 7. epist. 5, & 111. Ad rem Christianam in Anglia curandam conversus Mellito Abbati, dum illó profectionem adornaret, epistola 71. lib. 9. in præcepto dedit, ut suo S. Augustino nomine significaret, ut Idola utique destrueret, non item fana idolorum, bene vero Dei cultui dedicarentur. Ab eodem S. Augustino de ratione optima stabiliendæ disciplinæ sollicito interrogatus, celebri rescripta Decretali epistola 31. lib. 12, relata a V. Beda lib. 1. cap. 27. hist. Angl. undecim articulis totidem ejus interrogatis satisfecit. Inter hos cap. 1. S. Augustinum Monasticæ disciplinæ assuetum monet, ne viveret seorsum a Clero, at recentem Angliæ Ecclesiam ad Ecclesiæ exorientis formam institueret, in qua nemini ulla res erat propria. Itaque proventus Ecclesiasticos in quatuor portiones divideret, quarum unam sibi, familiæ, hospitibusque retineret, altera cederet Clero, tertia pauperibus erogaretur, & quarta impenderetur Ecclesiis reparandis. Cap. 2. solis Clericis, qui sunt extra sacros Ordines, Matrimonia contrahendi licentiam elargitur, atque in suo gradu inserviendi in Ecclesia, quos defraudari justo stipendio interdicit: in pia opera

erogari cæteroqui quidquid ſupereſſet in communi viventibus Clericis injungit. Cap. 3. circa Ritus, & Cæremonias Eccleſiaſticas conſuetudines, quas optimas duceret, ex aliis Eccleſiis congerendi, eque iis Rituale pro Anglorum Eccleſia conficiendi poteſtatem facit. Obſervatu illud dignum, quod indicat Miſſarum conſuetudinem alteram eſſe in Romana Eccleſia, alteram in Gallicana, quippe quæ, velut auguror, Mozarabicum ritum uſque ad Pipini Regis tempora retinuit. Caput 4. circa punitiones, earumque modum obverſatur. Capp. 5, 6, & 7. agit de impedimentis Matrimonii, declarans duos germanos fratres poſſe ducere ſingulas ſorores: prohibet tamen nuptias inter duorum fratrum, duarumque ſororum filias, aut filios: Neophytos in gradu prohibito junctos abſtinere deinceps jubet, non ob id tamen ſeparat, nec a Communione ſejungit. In Collectione Iſidori, & in Codice Ms. Juſtelli jungitur Caput de gradibus conſanguinitatis, & affinitatis, intra quos matrimonia contrahere liceat, ubi largitur, ut in tertia, vel quarta generatione fidelium conjugia poſſint iniri, quó loci reſpexiſſe videtur S. Bonifacius Mogunt. in epiſt. ad Nothelmum. At hoc additamentum, quum apud V. Bedam deſideretur, in ſuppoſitionis juſtam ſuſpicionem viros doctos induxit. Quamquam idem in epiſt. ad Felicem Meſſanum affirmat indulſiſſe ſe S. Auguſtino, ut ad ſeptimam uſque generationem Angli matrimonia licite jungerent. Capp. 8, & 9. de Ordinatione Epiſcoporum, eorumque juriſdictione diſſerit, & Capp. 10, & 11. Matrimonio conjunctis, ac nocturnas illuſiones paſſis regulas prudentiæ, ſapientiæque plenas, in praxi tenendas, nullique profecto Confeſſario ignorandas, præſcribit, commendatque.

Ex Capite 10. reſponſionis S. Gregorii ad reſpondentem interrogationem S. Auguſtini Caſimirus Oudinus in Comment. poſthumo de Script. Eccleſ. edit. Lipſ. 1722. diſſert. de oper. S. Gregorii M. cap. 4. inſcripto de ſententia S. Gregorii circa Euchariſtiam, pro ſuo profligatiſſimo ingenio conviciandi, & calumniandi, ac S. Pontificem maledictis laceſcendi, & proſcindendi, argumentum deſumit S. Gregorio appingendi errorem, quo teneret Chriſti D. Corpus, & Sanguinem re, & ſubſtantia in Sacramento haud contineri, ſed tantummodo ſigno, & figura; quia nempe

S. Gre-

S. Gregorius eo loci Euchariſtiæ ſumptionem cum ingreſsu in Eccleſiam æquiparat, dum viro poſt conjugii uſum aqua loto ſacræ Communionis ſumptionem licere declarat, ſiquidem eidem liceat in Eccleſiam ingredi. Confirmare hoc ipſo in errore S. Gregorium impudentiſſimus ſycophanta conatur, aliis corraſis ex ipſius operibus locis ullo prorſus abſque delectu, atque in oppoſitam plane interpretationem proprio arbitratu inflexis: atque primum eo abutitur loco, quem ex Dialog. lib. 14. cap. 31. n. 56. exculpit, ubi S. Pontifex adverſus Eutychium Conſtantinopolit. Patriarcham Carnis reſurrectionem pernegantem, aereaque corpora reſurrectura dumtaxat pugnantem diſputans, ea ratione potiſſimum utitur, quod corpora cum ſuæ veritate naturæ reſurgent, cum qua Chriſtus D. ſe reſurrexiſſe diſcipulis ſuis oſtendit. Exinde enim arguit Oudinus, quod ſiquidem in ſententia S. Gregorii Chriſtus D. ad oſtendendum poſt reſurrectionem verum corpus, viſibile, & palpabile obtulit, quum in Euchariſtia corpus inviſibile ſit, & impalpabile, conſequens ſit ejuſdem ſententia, ibidem corpus verum haud inexiſtere. Alterum carpit locum ex Dialog. lib. 11. cap. 24, ubi S. Gregorius narrat a S. Benedicto propria manu ſacræ Hoſtiæ particulam datam reponendam ſuper pectus defuncti Monachi, cujus corpus ſepulturæ demandatum, ſequenti die foras projectum fuerat repertum. Exinde obgannienди anſam Oudinus accipit, dicendique, quod ſiquidem impietatis ſatius ſit haud inſimulare ſive S. Benedictum, qui hoc fecit, ſive S. Gregorium, qui factum hoc refert, laudatque; quod ſiquidem neque S. Benedictus tum Diaconus, aut Sacerdos eſſet, cui Chriſti D. corpus contrectandi ineſſet facultas; neque abſque ingenti facinore adſtrui factum poſſit, quo Chriſti D. reale corpus ſupra mortui cadaver poſitum refertur, cumque illo ſepulturæ conſignatum, ſatius ſit affirmare tum rem fuiſſe omnem de ſigno, & figura, non de vera, realique ſubſtantia. Ultimum obloquendi locum deſumit Oudinus ex Dialog. lib. 4. cap. 15, ubi S. Gregorius de Muliere quadam Romula nomine refert inſtante morte ab altera fœmina nomine Redempta Euchariſtia accepta fini confeſtim conceſſiſſe ſuo. Incredibile id factu, relatuque inquit Oudinus, nempe fœminæ fas fuiſſe Euchariſtiam exporrigere, niſi

affir-

affirmetur rem non fuiſſe de reali Chriſti D. Corpore, ſed de ſolis ejuſdem Symbolis.

At Oudini commentis iſtis, atrocibuſque calumniis tam facile eſt offendere, quam facile oſtendere S. Gregorio oppoſitam plane firmiter hæſiſſe ſententiam. Atque quidem a primo loco exordiendo ducto ex reſponſione ad decimam S. Auguſtini interrogationem, hallucinationem Oudini profectam obſervo ex ignoratione veteris diſciplinæ olim, diuque in Eccleſia retentæ, juxta quam nonniſi ad Euchariſtiam paratis accedere locus patebat ad ingreſſum Eccleſiæ, licitumque erat ſacris intereſſe; uxorati quoque, aliquot diebus antequam ad Euchariſtiæ perceptionem appropinquarent, a mutuo concubitu abſtinere, licitoque cæteroqui commercio temperare rogabantur, & ſuadebantur. Quo reſpexiſſe utique S. Gregorius ea in reſponſione videri debet, quamve diſciplinam in Anglicanam recentem Eccleſiam ab Auguſtino introduci cupiebat. Quod additur vero de ablutione corporis, id ad decentiam exteriorem certiſſime, Euchariſtiæ quammaxime congruam, attinere nemo non videt. Quam vero optime ſecundo loco adverſus Eutychium S. Gregorius arguebat, tam viciſſim peſſime idem argumentum Oudinus aliorſum intorquet. Ex corpore ſub ſenſibus cadente, cujuſmodi erat Chriſti D. diſcipulis apparentis, rite inferebat vera, ac realia corpora reſurrectura: at exinde inepte, craſſe, ac ſupine concludit Oudinus vera omnia, ac realia corpora ſub ſenſibus, in S. Gregorii ſententia, cadere debere, cui ignotum non erat idem Chriſti D. corpus, quod viſibile, ac palpabile Diſcipulis objecerat dubitantibus, idem ipſum quod ex utero Matris Virginis clauſo prodierat, idemque clauſis januis in Cœnaculum penetraverat, ideſt idem impalpabile, & inviſibile verum, realeque tamen Corpus fuiſſe, veluti nitide, ac luculenter exponit hom. 26. in Evangelia. Quænam autem, te amabo, eſt nova iſta Oudini religio, qua ut reverentiæ conſul at erga Chriſti D. corpus, mendacem agere ipſum Chriſtum D. agere non dubitat, cujus præſentiam, eodemmet affirmante, in Euchariſtia ipſe inficiatur, quave ut famæ parcat SS. Benedicti, & Gregorii, utrumque in partes Calviniſtarum pertrahere non veretur? At neuter impius utique erat, ſive ille præbendo, ſive iſte

iſte approbando, quod tum veteri more receptum erat, ut nempe tum in Eccleſiæ communione defunctis Euchariſtia, qua ante obitum defraudari obtigiſſet, poſt obitum non denegaretur: cujuſmodi moris iidem ipſi, a quibus poſtea abrogatus eſt, locupletes teſtes accedunt Patres Concilii Carthaginenſis III. cap. 3, ac Trullani Can. 83; quove de more adiri poterunt, homines Oudino nihil ſuſpecti, Zonaras ſchiſmaticus in Not. ad cit. Canonem Trullanum, & Svicerus ſimiliter Calviniſta tom. 2. Theſaur. Eccleſ. V. Σύναξις. Peregrinum vero in Eccleſiaſtica hiſtoria penitus eſse oportet eum, qui ignoret Laicis olim facinori tribuendum non fuiſſe Euchariſtiam propriis contrectare manibus: quod poſtea Laicis juſte, religioſeque vetitum fuit. Hinc autem inanitas adparet objectionis tertio loco obtruſæ inſcite ab Oudino. Nulla nempe tum temporis repugnantia erat, ut Euchariſtia vel a fœminis manu tractaretur, ac viciſſim inſtante neceſſitate traderetur.

Cæterum vero S. Gregorio M. orthodoxam utique, germanamque de veritate Euchariſtiæ doctrinam hæſiſſe, dilucideque ab eodem non uno in loco traditam jamdiu ad oculum evidentiſſime oſtenſum a viris doctiſſ. eſt, ut eumdem revolvere lapidem diſpendium operæ facere eſſet, ideoque ſatius habebo indicare tum Theologos illuſtres, a quibus provincia iſta præoccupata fuit, tum loca delecta, ex quibus probatiſſima iſta S. Gregorii evaſit ſententia. Atque quidem inter illos familiam ducunt Patres Maurini in præfatione generali ad opera S. Gregorii, in Notis, & Indicibus tom. 1. lib. 1. hom. 14. in Evang. pag. 1484, & 1534, ac tom. 2. Dialog. lib. 4. cap. 38., & alibi ſæpe. Succedunt Card. Bellarminus de Euchar. lib. 2. cap. 32.; quo loci ex S. Gregorio in hanc rem laudat homiliam 22. in Evang., & lib. 4. Dialog. caput 58, & Perronius lib. 11. de Sacr. Euchar., ubi inter unum, ac ſeptuaginta Doctores in hoc dogma conſpirantes, loco 31. S. Gregorium M. in aciem contra Mornæum Duplexium inſtruit; aliiſque dimiſſis, nuper Doctiſſ. Jo: Hieronymus Gradonicus Cler. Regul. in diſſert. pro S. Gregorio M. ab Oudino vindicando cap. 7, quo loci explicatiſſima ex S. Gregorio depromit teſtimonia, nempe ex hom. 14. in Evang.; ex hom. 22; atque ex lib. 4. Dialog. cap. 58.

cap. 58; Oudino vero effugia undequaque intercludit, ejuſque inanes evaſiones, interpretationeſque elumbes omnino explodit, ac in anticyras ultimas amandat. Invictiſſimum, & peremptorium illud mihi videtur, quod ex Sacramentario Gregoriano deducitur argumentum. Purum quidem, putumque, quale e S. Gregorii manibus prodiit, nondum fateor, in lucem emerſit Sacramentarium. Ejus exemplar ex Codice Bibl. Corbejenſis publici juris fecit Menardus; item Romæ Angelus Rocca; & alterum ex Codice Corbejenſi edidit Pamelius tom. 2. Liturg. Eccl. Lat., at neutrum ad S. Gregorii ætatem pervenit. Pleroſque Ms. Codices Sacramentarios S. Gregorii nomine inſcriptos ſe inſpexiſſe perhibet Petrus le Brun Liturg. tom. 2. diſſert. 2, ſed hi nondum e tenebris eruti ſunt, non ſecus atque Sacramentarium illud, quod S. Gregorii nomine inſignitum in Bibl. Centulenſi, ſive S. Richerii ann. 831. extaſſe perhibet Pagius in S. Gelaſio. Ex vetuſtiſſimo Codice Reginæ Sueciæ Gregorianum Sacramentarium ſe daturum promiſerat tom. 1. Obſervat. in Gavantum p. 1. pag. 9. Cajetanus Merati; ſpem vero, quam iſte fecerat, adauxerat perinde, facileque perfeciſſet V. Card. Thomaſſius, ſed uterque morte præventus numeris abſolvere nequivit. Proxime ad veritatem Gregoriani Sacramentarii conferre poſſunt Codices complures, ſive quos præl. Thomaſſius comparaverat, plurimumque illuſtravit doctiſſ. Vezzoſi tom. 6. oper. V. Card. Thomaſii; ſive quos in publicum extulit Dominicus Georgius tom. 2, & 3. Liturg. Rom. Pontif.; ſive quos Muratorius tom. 2. Liturg. veter. Rom. inſeruit: at nondum alicui factum, datumque, ut in primævum S. Gregorii Sacramentarium fortunate incideret, omniumque ad hoc ſacræ vetuſtatis tandiu deſideratum monumentum inhiantium tot votis faceret ſatis. Nihilo tamen ſecius Gelaſianum Sacramentarium a S. Gregorio recognitum fuiſſe, ideoque Gregorianum ex illo maximam partem, quoadque ſubſtantiam, potioreſque ritus fuiſſe conflatum, indubium eſt, ita fide affirmante ſua Johanne Diacono in vita S. Gregorii lib. 2. cap. 2. apud Mabillonium ſæculo I. Benedict. Iterum ſive S. Gelaſio, cujus Sacramentarium ope V. Card. Thomaſii lucem demum vidit Romæ an. 1680, ſive S. Leoni M. tribuendum ſit, veluti revera tribuendum

dum adverſus Morinum, Brunium, Merati, Amort, Muratorium, Orſium S. Gelaſio illud adſcribentes autumant Blanchinius, Cennius, Editores Miſſalis Pariſienſis anno 1739, Acamius, Manſius, Sacramentarium Veronenſe editum a Blanchinio inter Prolegomena ad Anaſtaſium tom. 4, a Muratorio in veter. Rom. Liturg., & Acamio in diſſert. apologet. de antiq., auctorit., & præſtantia Sacram. Veron. Romæ 1748, indubium eſt Sacramentarium iſtud e primigenio fonte Liturgiæ Rom. profluxiſſe, potioremque ipſius partem in Gregorianum confluxiſſe. Igitur ſicuti ex eodem Sacramentario invictiſſimum adverſus Baſnagium hiſt. Eccleſ. tom. 2. lib. 16. cap. 10. argumentum inſtruxit doctiſs. Manſius in Not. ad diſſert. 12. Natalis Alex. in hiſt. Eccl. ſæculi XI, & XII, ita mihi adverſus Oudinum eodem monumento pugnandi fas erit. Faciam id autem obiter indicando loca illuſtriora, ubi expreſſiſſima præſentiæ Chriſti D. in Euchariſtia teſtimonia occurrunt: nempe in precatione Sacerdotis pag. 13. ſub n. 8; pag. 14. ſub. n. 18, & 19 pag. 28. ſub n. 6; pag. 30. ſub num. 18; pag. 31. ſub. num 25; pag. 49. ſub num. 32; pag. 54. ſub n. 3; & pag. 55. ſub num. 9. Similia leguntur in Sacramentario Gelaſiano apud Muratorium, & Thomaſium in Miſſa Dom. 1. Quadrag.; in Orat. Dom. 4. Quadrag.; in Miſſa pro conſecrando Sacerdote; in Canone Action., & infra Act. Similia tandem exhibent duo Miſſales libri Gallicanus antiquiſſimus, & Gothico-Gallicanus apud Natalem tom. 6. pag. 472. Sed de hoc Παρεργὸ ſatis.

Regrediendo ad propoſitum, extra quod paull iſper vagatus ſum, Quiricus Epiſcopus, non in Iberia circa Pontum Euxinum, ut contendit Petrus de Marca, etſi ejus opinioni ſuffragari videantur Codices Thuanæus, & Vaticanus n. 622, ac S. Anſelmus Lucenſis in Collect. Canon. lib. 8. cap. 24, velut obſervavit Guſſanvillæus in Not. ad ſeq. epiſt., ſed Epiſcopus in Hibernia (quam perperam circa Pontum collocat Du Meſnil. doctr., & diſcipl. Eccl. lib. 30. n. 47.) ut oſtendit Pagius ad an. 601. n. 10, S. Gregorium conſuluit, utrum Neſtoriani ad Eccleſiam regredientes denuo Baptiſmo abluendi eſſent? Cui reſcribens epiſt. 61. lib. 9. hanc regulam præfinivit: eos, qui apud hæreticos in Trinitatis nomine Baptizati fuiſſent, quales erant Neſtoriani, non eſſe rebaptizandos,

dos, ſed ſola vel unctione Chriſmatis, vel impoſitione manuum, vel fidei profeſſione in Eccleſiam admittendos: eos autem, qui in Trinitatis nomine baptizati non fuiſſent, quales Bonoſiani, & Cataphrygæ erant, denuo baptizandos fore, quia nempe ex vitiata Baptiſmi formula, invalidus hic fuerat. Hæc itaque regula jugiter retenta eſt in Eccleſia, unde devexiori ſub ætate datum a Calviniſtis in Trinitatis nomine Baptiſmum validum pronuntiarunt diſerte S. Pius V, velut obſervat Guſſanvillæus in Not. ad hanc Gregorianam epiſtolam, ac poſt S. Pium Concilia Ebroicenſe anno 1576. apud Bochellum in Collect. Decretor. Eccleſ. Gallic.; Rotomagenſe anno 1581. cap. 3; Remenſe anno 1583. cap. 8; Turonenſe eodem anno tit. 6, & Aquenſe anno 1585. tit. 6. apud Harduinum tom. 10. pag. 1218, 1281, 1402, & 1520. De hoc Baptiſmo a Calviniſtis collato acriter diſputatum inter Theologos refert Maldonatus in diſput. de Baptiſ. qu. 4, nec defuiſſe, qui putarent invalidum, ſubjungit. Atque quidem baptizatos ab hæreticis ſub conditione rebaptizandos decrevit Concilium Mechlinenſe anno 1607. tit. 3. cap. 6. apud Harduinum cit. tom. 10. pag. 1943, eo quod experientia docente ab hæreticis invalide adminiſtrari Baptiſmum didicerat, ita ut uno aquam fundente, alter formam pronunciaret: quo in caſu hanc Concilii Mechlinenſis ſanctionem tuto ſectari poſſe, ac deberi ab aliis Epiſcopis, ubi ſimilis ab hæreticis error, & abuſus circa Baptiſmi collationem committatur, docet Benedictus XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 7. cap. 6. n. 8: quo tamen abuſu, erroreque ſemoto, Baptiſmum ab hæreticis collatum validum eſſe indubium eſt. Baptiſmi tamen Cærimonias omiſſas a Calviniſtis ſupplendas ſtatuunt Concilia Cameracenſe anno 1586. tit. 6. capp. 9, & 10, Rotomagenſe cir. reſp. 6, & Remenſe cap. 8. cit. n. 9, & 10, apud Harduinum tom. 9. pag. 2160, & tom. 10. pag. 1264, & 1281. Conſer & Grancolam in antiq. Sacramentario Eccl. par. 2. pag. 153, & ſeq.

De S. Deuſdedit quod Anaſtaſius enarrat, ſcilicet ſecundam ab eo conſtitutam Miſſam in Clero, rerum Liturgicarum tractatores vexat, & torquet: duos periochæ hujuſce interpretes præ aliis ſeligam, Card. Bonam rer. Liturg. lib. 1. cap. 14, & Baldinum in Not. ad hunc locum Anaſtaſii tom. 4. pag. 22. Relato ad ea Anaſtaſii

ſtaſii verba Scholio Petri Urbevetani, quo illa ſic interpretatur: *Tum forſitan ad inſtar Græcorum non cantabatur in Eccleſia, niſi una Miſſa*, contrariam induit opinionem Bona, ac multo ante S. Deusdedit in Romanam Eccleſiam introductum fuiſſe morem iterandi Sacrificii ex S. Leone M. in epiſt. 81. ad Dioſcorum, de qua ſuperius ſermo jam incidit, ſuadere conatur. Viciſſim Baldinus nihil Petri Urbevetani officere interpretationem exiſtimat, quin ad tempora uſque S. Deuſdedit mos obtinuiſſe unam dumtaxat Miſſam celebrandi in unaquaque Eccleſia dicatur; neque ex laudata epiſtola S. Leonis aliud elici, niſi quod iis in locis, ubi Baſilica una dumtaxat extaret, & ubi confluxus populi adeo ingens contingeret, ut unica Miſſæ celebratione ſatisfieri cunctorum votis, devotionique nequiret, tum iterari Miſſam juſſerit. Tunc primum igitur a S. Deuſdedit fuiſſe conſtitutum, ut poſt Miſſam ſolemnem privata altera haberetur, ſive una, aut plures eſſent Baſilicæ, ſive ingens, aut parvus confluxus populi fieret, germanam eſſe Anaſtaſii interpretationem definit. Ad hæc obſervat veterem apud Monachos viguiſſe diſciplinam, ut eodem die, ac Dominico, & Feſtivo una dumtaxat Miſſa celebraretur, ad quam Monachi omnes convenirent. Ita enim obſervatum hunc morem a Benedictinis docet Hindelmarus in Regulæ cap. 48. apud Mabillonium in præf. ad ſæcul. IV. Bened.; ita a Carthuſianis denarrant V. Petrus Clun. lib. 2. Mirac. cap. 28, Guibertus Abbas lib. 1. de vita ſua cap. 11, & Petrus Bleſen. epiſt. 86; ita a Monachis Nitriæ tradit Palladius in vita S. Arſiſii apud Bonam lib. 1. cap. 18; ita a Monachis Celliæ non longe a Nitria legitur in vit PP. lib. 2. capp. 22. apud Roſveidum, & in hiſt. Monaſt. Orient. lib. 1. cap. 8. apud Bultæum; ita tandem a S. P. Franciſco deſideratum, ut in ſingulis Cœnobiis una dumtaxat Miſsa celebraretur, ex epiſtola ipſius ad Fratres advertit Alvarus Pelagius lib. 2. de planctu Eccl. art. 5. A Bonifacio V. decreta quædam edita tradit Anaſtaſius, inter quæ 1, quod jus Aſylorum ſacrorum integrum ſtaret, atque ab Eccleſiis quempiam vi abſtrahi prohibuerit: 2. quod teſtamenta condita ſecundum juſſiones Principum rata prorſus haberi præceperit. Porro jam ante jus Aſyli ſacri obtinuiſſe ex S. Auguſtino in Pſal. 150, atque ex Theodoſii L. 3. Cod. *De his, qui ad Eccle-*

ſias confugiunt adnotat Dandinus Altaſerra in hunc locum. Poſteriori Decreto, ſi revera Bonifacio V. tribuendum ſit, Pontificem reſpexiſe ad privatas Langobardorum conſuetudines, quibus unice Langobardi uſi ſunt uſque ad Rotharim, a quo primum anno 643. leges promulgari cœperunt, ideoque poſt Bonifacii V. tempora, inter quas conſuetudines Pontifex eam probaverit, quam in teſtamentis condendis adhibebant, ideo nempe ut eadem teſtamenta apud Romanos valerent, auguratur Bencinus in Not. ad hunc locum Anaſtaſii tom. 4. pag. 26; ubi etiam ſuſpicatur Decretum hoc poſteriori cuipiam Pontifici, ſub quo lucem demum adſpexerint Langobardorum Leges, forſitan, ac veriſimilius eſſe adſcribendum.

Quartadecimanorum error ab Aſia, neſcio quomodo, in Provincias Aquilonares inlatus Scotorum, Pictorum,& Britonum Eccleſias diro, diuturnoque jamdiu jurgio dilacerabat; ac tum ab invicem diſciderat, tum ab Eccleſia Romana divulſerat. Ejuſmodi calamitatis epocham, incrementum, exitumque obiter, age, indicemus. Atque de epocha quidem Eruditi non conveniunt, nam eam alii repetunt ab anno 449, ac producunt uſque ad annum 597; alii vero ab anno 630. uſque ad ann. 664; alii tandem ab anno 566. uſque ad annum 716. Quid veri mihi videatur ſimilius candide proponam, facta cuilibet interea, libenterque aliter putandi facultate. Ab exordio itaque Religionis invectæ uſque ad annum 449. Britannos, Scotos, & Hibernos in Romanæ Eccleſiæ communione manſiſſe integros indubium habeo: ab eo tempore Inſulis ab Anglo-Saxonibus occupatis, qua de irruptione confer Pagium ad annos 447. n. 9, & ſeqq., & 449. n. 21, & ſeqq., abſciſſa cum Romana Eccleſia communio eſt, donec circa annum 597, ut autumant Baronius, Cointius, & Henſchenius ad diem 24. Febr., aut 599, uti volunt Sigebertus, Uſserius, & Pagius, a S. Auguſtino in Angliam a S. Gregorio M. deſtinato Eccleſiæ Romanæ reconciliatæ ſunt, cum eaque communio eſt redintegrata. Sub eo ſpatio annorum 150. ferme uſu frequentatus erat Ritus celebrandi Paſcha Luna 14, in quamcumque incideret diem, qua ratione longe a ſuperſtitioſo Quartadecimanorum errore diſtabant, ideoque uſu receptum pariter erat vetus Kalendarium, ſive Cyclus

clus 84. annorum, nec ulla apud eos notio vigebat Correctionis adhibitæ, ſive a Victorio Aquitano, ſive a Dionyſio Exiguo anno 527. Itaque totus, intentoque nervo incubuit S. Auguſtinus, ut Romanæ Eccleſiæ ritui celebrandi Paſcha ſe conformarent, veterique rejecto Kalendario, novo a Dionyſio invecto aſsueſcerent. Equidem qui a S. Auguſtino ad Sacra noſtra fuerant perducti, morem gerere haud detrectarunt; ſed veteres Chriſtiani nulla ratione eó adduci paſſi ſunt, ut olitano ritu, & Kalendario dimiſſis, novello mori ſe ſe coaptarent: inde contentiones inter illos exortæ, quæ ad annos 200. circiter exarſerunt. Scilicet jurgiorum ſumma capita erant 1. Quod juxta correctionem Dionyſii Paſchatis celebrandi dies a Romanis ſtatuebatur medio Cyclo 19, & Cyclo 28. annorum, quorum primus termino Paſchali inveniendo inſerviebat, alter Dominicæ diei, in quem Paſcha celebrandum incideret. E contra Britones, Scoti, & Hiberni veteri Cyclo 84. annorum inhærebant. 2. Quod Romani dies Paſchales numerabant a Luna 15. prima Veris uſque ad diem 21, ita ut in alterutrum ex diebus 7. inter 15, & 21. intercedentibus Paſcha perageretur. At Angli, Hiberni, & Scoti incipiebant a Luna 14. uſque ad 20, ac Paſcha recolebant quacumque die ex illis 7. a 14. uſque ad 20. incurreret. Quamobrem Quartadecimani audiebant, qui veteris Kalendarii tenaces eſsent, non quod revera in errore Quartadecimanis impacto verſarentur, qui ſcilicet Hebræorum more Paſcha recolerent, ſed quod Dominica die aliquando in Lunam 14. cadente, haud expectata ſequenti Dominica, juxta Nicænæ Synodi ſanctionem, celebrarent. Hinc tamen perperam Proteſtantes plerique Britannos prima fidei rudimenta a Græcis, Aſiaticiſque accepiſse auguruntur, non alio ducti argumento, quam quia Britanni more Aſiatico Paſcha colendum ſuſcepiſsent: præterquam enim plurimum ab Aſianorum more Paſcha celebrandi Britones diſſidebant, primitus Romanæ Eccleſiæ tum dogmatibus, tum moribus, tum ritibus Britannicæ Eccleſiæ apprime conſenſerant, ac poſtmodum inter ſe ſchiſmate diviſæ licet ſint, ſanctior tamen, potiorque earumdem pars eidem Romanæ Eccleſiæ indivulſe ſemper adhæſit, ut mox oſtendo.

Exarſit magis, magiſque ejuſmodi Controverſia anno 630, majo-

majorique animorum contentione exagitata eſt, quo a Scotis congregata Synodo in Campo Leniæ, unde Lenienſis denominata eſt apud Uſserium in antiq. Eccleſ. Britan., & Alſordum in Annal. Eccleſ. Anglo-Saxonicæ ad cit. annum, Paſcha alieno ritu a Romano, hoc eſt Luna 14, etiamſi in Dominicam incideret diem, peragendum deinceps fore deliberatum eſt. At vero alii Scotorum, Anglorum, Hibernorumque Romanæ Eccleſiæ ritibus ſtudentiores Legatis Romam directis inquirendum ſibi duxerunt diligenter in diem, qua ſibi juxta Romanum Ritum Paſcha celebrandum eſſet, teſte Cumiano hoc tempore in Hibernia florente in epiſt. ad Segenium, qua tradit Legatos Roma regreſſos retuliſſe per totum Orbem terrarum Eccleſiæ Romanæ more Paſcha anno 631. celebratum die 24. Martii: quo ab illis quoque celebratum eſt, non vero die 21. Aprilis, quo die Scoti alii Decreto Synodi Lenienſis inhærentes Paſcha eodem anno 631. celebrandum duxerant. Atqui Honorius I. P. M. horum certior factus, partium ſuarum duxit hiſce diſſidiis obviam ire, errorem tam ſupinum emendare, atque ad unum omnes Scotos aberrantes ad Romanæ Eccleſiæ ritum reducere: Genti propterea epiſtola inſcripta anno 634, de hoc errore graviter eos redarguit, diemque edocuit, quo impoſterum Paſcha celebrare deberent juxta Romanæ Eccleſiæ ritum, cui morem gerere ceteræ per Orbem Eccleſiæ, officii, religioniſque loco ducebant. Monitis Honorii obtemperantes Hibernos, & Scotos ab errore receſſiſſe fide ſua affirmat V. Beda lib. 2. hiſt. Angl. cap. 19; quin etiam Uſſerius in antiq. Britan. pag. 934. de hiſce Honorii litteris verba faciens: *Quæ quidem*, inquit ingenue, *monita irrita non fuiſſe partim ex Beda* (loco videlicet mox indicato) *colligo, qui Gentes Anglorum, quæ in Auſtralibus Hiberniæ Inſulis morabantur, ad admonitionem Apoſtolicæ Sedis Antiſtitis Paſcha Canonico ritu obſervare, didiciſſe narrat: partim ex Cumiano, qui eo ipſo tempore vixit, & in epiſtola ad Segenium Hyenſis Cœnobii Abbatem de Alexandrinorum magno 28. Enneadecateridum, ſive 532. annorum Cyclo in Hibernia primum admiſſo ſcripſit.* Cæterum non ab omnibus Honorii monitis obtemperatum eſt, ſed obfirmato animo in opinione a pluribus adhuc perſeveratum. Epiſtola ad Severinum Papam exarata,

rata, quæ iſto defuncto Johanni IV. reddita eſt, errorem illum, cui pertinaciter ſuorum adhuc plurimi adhærebant, Scotorum pars ſanior detulit: quibus reſcribens Pontifex, ut habet V. Beda loco laudato, anno 640. Paſcha Luna 14. celebrantes increpavit, juxtaque Romanum morem illud celebrandum injunxit. Putaſne tamen heic finem ſchiſmati, errorique factum, utque par erat, ubique Pontifici tam juſta præcipienti adquieviſſe Gentem quietis haud facile patientem? Minime gentium. Quandoquidem quod vix, ac ne vix quidem ſopitum videbatur, ſchiſma anno 664. atrocius in flammas erupit, exarſitque, atque locum dedit celeberrimæ diſputationi in utramque partem habitæ coram Oſuvio Northumbriæ Rege, teſte V. Beda lib. 3. cap. 25, & ſeq. Controverſiæ iraque iſti conciliandæ Collatio a Rege indicta eſt in Monaſterio Witbienſi Provinciæ Eboracenſis, ſive Sinuſari, cui præerat Hilda e Regio ſanguine virgo. Veterem celebrandi Paſcha Luna 14. morem pro aris, & focis propugnabant ipſe Oſuvius Rex, Colmanus Lindisfarnenſis Antiſtes, Cedda item Epiſcopus, Clerici multi, ac Hilda Abbatiſſa, morem illum a S. Johanne Apoſtolo deducentes, ac SS. Anatolii, Aidani, & Columbani, a quibus eo nihil antiquius habitum fuerat, auctoritate defendentes. Pro Romanæ Eccleſiæ ritu ex adverſo fortiter ſtabant Alfridus Deirorum Rex, Angilbertus origine Gallus, titulo tenus Epiſcopus, ac Pariſienſis poſtea, & Apoſtolico officio apud Occidentales Saxones defungens, Wilfridus Abbas, Agatho, & Romanus Presbyteri, ac Jacobus Diaconus: a quibus quum Romanæ Eccleſiæ ritus ea ratione validiſſime urgeretur, quod is S. Petro Apoſtolorum Principi referretur acceptus, e veſtigio S. Petri traditio ei, quæ S. Johanni Evangeliſtæ, ceteriſque Majoribus, etſi ſanctitate eximia præfulgentibus tribuebatur, prælata eſt, atque ab Oſuvio Rege victas ipſo dante manus cauſſam viciſſe dicti ſunt ii, qui Romanæ Eccleſiæ a S. Petro edoctæ morem defendebant. Cedda Epiſcopus ceſſit, ſed Colmanus in ſententia contumax receſſit in Scotiam, rem cum ſuis maturius communicaturus.

Rem bene cœptam optimo tandem loco conſtituit Theodorus Monachus, Tarſi in Cilicia natus, vir Græce, Latineque doctus,

doctus, probusque moribus, ac disciplina, qui anno 664. Cantuariensis Ecclesiæ consecratus Episcopus, acceptis a S. Vitaliano una cum legatione litteris, quibus ad curandam obnixe in Insula Paschatis celebrationem juxta Romanæ Ecclesiæ ritum incitabatur, anno post consecrationem altero Insulam quaquaversum peragrans, assumpto comite, & cooperatore Hadriano Abbate, rectum tum vitam decurrendi, tum Paschatis recolendi ritum decrevit, teste V. Beda lib. 4. capp. 1, & 2. Observatu dignum, quod Edmundus Gibsonus in Chronico Saxonico e Theatro Scheldoniano Oxonii an. 1692. edito, emendatiorique eo, quod Abrahamus Whelocus e Codice mendoso, & mutilo ediderat, ad annum 690, in quem incidit Theodori mors, habet: videlicet ad hunc usque annum Romanos Episcopos, ideſt Roma a Pontificibus destinatos, Cantuariensi præfectos Ecclesiæ fuisse; posthinc vero ex Anglia delectos, qui eamdem administrarent Ecclesiam. Indicium ideſt haud leve a Romana Ecclesia, non autem a Græca, inductos cum Religione, ac hierarchia Ecclesiastica etiam ritus ad disciplinam attinentes. Ad hæc anno 673. Herfordiæ sub Lothario, sive Lothero Cantii Rege celebrato Concilio idem Theodorus Primas, ac Præses cap. 1. decrevit Pascha deinceps eadem die immobiliter, ideſt Dominica proxima sequente Lunam 14. primi Mensis, ab omnibus peragendum: quo de Concilio agit V. Beda lib. 4. cap. 5. Idem præstitum a S. Wilfrido Eboracensi Episcopo, Romanæ Ecclesiæ moribus studentissimo qui putet, is abs vero profecto nihil abludit, ut qui loco Angilberti, cujus erat discipulus, in præcit. disputatione de Paschate adversus Colmanum partem egerat maximam. Amplius. Anno 716, ut auctor est idem V. Beda lib. 5. cap. 23, Egbertus, quem anno postea 731. Wilfridus Junior in Eboracensi Episcopatu excepit, postquam Scotos Hyensis Insulæ Monachos ad ritum celebrandi Paschatis in Romana Ecclesia sacrum perduxisset, in Angliam regressus, sedulam perinde navavit operam, ut Angli sui in eodem ritu, qui Romanæ probatus erat Ecclesiæ, stabiles permanerent. Britones attamen an. 731. adhuc in retinendo veteri errore circa Paschatis celebrationem contumaces indicat idem V. Beda cap. 24., a quo ut illos abstraherent demum, egregium librum a S. Aldhelmo elaboratum,

ratum, & a S. Ceolfrido efficaciſſimas litteras ad Naitanum Pictorum Regem exaratas commemorat cap. 19, & 22. Anno tandem 800, Anglis, Scotis, & Hibernis univerſim Romanæ Eccleſiæ ritibus ſe comparantibus diſſidio finis impoſitus eſt, ac Cyclo 84. annorum ſemoto, Kalendarium Romanum una cum ritu Paſcha ſtata die celebrandi, ſive Cyclus annorum cum 19, tum 28. juxta correctionem Dionyſii uſu tandem omnibus venit. Poſtremo inductam a Gregorio XIII. Kalendarii correctionem nonniſi an. 1752, ritus veteris ultra modum tenax, ac retinens, alioquin in Religionis rebus admodum verſatilis, & inconſtans, recepit, adhibuitque Schiſmatico-Hæretico-Anglicana Eccleſia. Adiri de hoc argumento, ſi plura aveas, poſſunt Baronius ad annum 664; Alfordus in Annal. ad ann. 640; Bucherius in Canon. Victorii capit. 10, ubi Scotos veteres, ac Hibernos ab hæreſis labe benevole excuſat, quod jam pridem officium humaniter præſtiterant V. Beda lib. 3. cap. 17, ac V. Petrus Clun. in epiſt. 17. lib. 4. ad S. Bernardum; Uſſerius in antiq. Eccleſ. Britan.; Bollandus ad diem 7. Januarii in vita S. Ceddæ; Mabillonius ſæculo III. Bened. p. 1, in obſervat. præviis ad vitam S. Wilfridi; Henſchenius ad diem 18. Febr. in vita S. Colmani; Natalis Alex. hiſtor. Eccleſ. ad ſæcul. II. diſſert. 5. art. 8, quo loci contumaciæ quidem reos agit Scotos, & Britones, qui poſt Collationem Pharenſem in Monaſterio Hildæ Abbatiſſæ habitam ab errore adhuc deſiſtere aut neſcierunt, aut noluerunt, hæreticis tamen, ac ſchiſmaticis adnumerandos haud eſſe defendit, ac demonſtrat; Pagius ad ann. 664. n. 3, & ſeqq.; ac Du Meſnil doctr., & diſcipl. Eccleſ. lib. 32. n. 48.

In ordinem nunc me recipio, ac juxta rationem temporis regredior ad S. Martinum I, a quo inter alia præclare decreta, ac geſta, principio locum habere quammaxime digna eſt epiſtola 5. ad Johannem Epiſcopum Philadelph. Ei poteſtatis ſuæ vices in Oriente committit, Epiſcopos, ac Presbyteros conſtituendi facultatem facit, lapſoſque ad fidem redeuntes ad priſtinum dignitatis gradum redintegrandi; ac demum Antiochiæ Macedonii, & Petri Alexandriæ electionem perperam ab hæreticis factam improbat. Canonum Eccleſiaſticorum, & Canonicæ obedientiæ Vicario ſuo exhibendæ ſeverum exactorem, ac vindicem ſe præſtat in epiſt. 9.

ad Pantaleonem : erga lapſos tamen, ac illicitè electos, ordinatoſque Epiſcopos in Provincia Palæſtinæ ad miſericordiam, veniamque benigne ſe inflectit. Dejectum animum, quem S. Amandus Trajectenſis Antiſtes, ob Clericorum in obſcœnitatibus ſe ſe obvolutantium inobedientiam, deſponderat, ideoque dignitati Epiſcopali ſemet abdicare deliberaverat, erigit, eique auctor eſt, ne officium deponat, ſed depoſitione potius; ulla abſque reſtitutionis ſpe, incontinentes Clericos, inobedienteſque juxta rigorem Canonum puniat. Sub Conſtantino Papa S. Benedictus Mediolanenſis Antiſtes Ticinenſis Epiſcopi, qui tum erat Petrus ſanctitate haud impar, ordinationem ad ſe traducere tentavit. Sane ordinationem Ticinenſis Antiſtitis ad Mediolanenſem antiquitus Metropolitam pertinuiſſe, duo præ aliis exempla ſuadere videntur: nam S. Criſpinus Ticinenſis ætate fractus, antequam fini ſuo concederet, S. Epiphanium adductum ad Mediolanenſem Antiſtitem ut poſt ipſius obitum Eccleſiæ Ticinenſi præficeret, auctorem ſe præbuiſſe refertur in vita S. Epiphanii a S. Ennodio litteris demandata. Præterea in vita S. Ambroſii tradit Paulinus a S. Antiſtite Eccleſiæ Ticinenſi ordinatum Epiſcopum. Nihiloſecius in Romana Synodo ſub Conſtantino Mediolanenſem Antiſtitem cauſſa cecidiſſe, ac Ticinenſis Epiſcopi ordinationem ab antiquo ſpectare ad Apoſtolicam Sedem fuiſſe declaratum, referunt Anaſtaſius in Conſtantino, & Paulus Diaconus lib. 6. cap. 29. Cl. Maſæjus in Not. ad hunc Anaſtaſii locum putat hoc Pontificum jus ordinandi Ticinenſes Epiſcopos haud altius poſſe repeti, quam ab eo tempore, quo Langobardorum Reges Ticini Sede poſita, Ticinenſibus Præſulibus accedendi pro ordinatione Mediolanum, cujus imo Antiſtites Langobardorum feritate perterriti Genuam conceſſerant, ibique ad ſeſquiſæculum demorati ſunt, aditus fuerat interceptus. Atqui longe altius repetendum eſt jus iſtud. S. Zacharias anno 743. in Concilio Romano Canone edito non tam novam induxit, quam veterem diſciplinam corroboravit: eo vero Canone ſancivit, ut Epiſcopi omnes, qui a Romano Pontifice ordinantur, Romam quotannis commearent, qui proximiores ſint, qui vero remotiores, infra temporis intervallum venirent, quod in ordinatione dato Chirographo ratum habuerant. Ea ſane annua Epiſcoporum coitio

coitio in Synodicum conventum conſpirabat, qui frequens olim fuerat Rom. Pontificibus. Jamvero ſiquidem conſtat ad Synodos Romanas convenire Epiſcopos Ticinenſes conſueviſse non modo, ſed etiam Mediolanenſes, indicium id eſt liquidum Ticinenſis Epiſcopi ordinationem ad Pontificem Romanum pertinuiſse olim nedum, ſed ante quinimo, quam Mediolanenſis Antiſtes ad Metropoliticam aſsurgeret dignitatem.

Evangelii præcone in Germaniam S. Bonifacio deſtinato, ut rite officio defungeretur ſuo, duo eidem in mandatis epiſt. 1. dedit S. Gregorius II, diligenterque ab eo obſervari voluit, tum ut quos Baptiſmi lavacro abluëret, ad Romanæ Eccleſiæ diſciplinam traduceret, tum ut in rebus difficilibus, quæ incidere in decurſu miniſterii poſſent, pro conſilio ad Apoſtolicam Sedem appelleret. Inſcriptis præterea litteris ad Clerum, plebemque Thuringiæ, datoque Eccleſiaſticæ inſtitutionis libello nominatim injunxit: ne Ordinationes præſumeret illicitas; ne digamum, aut virum non virginis, illiteratum, aut corpore vitiatum, pœnitentiæ publicæ aliquando addictum, Curialem, aut cuilibet conditioni obnoxium, aut aliqua infamiæ nota obſcurum ad ſacros Ordines admitteret: ne Afris, ut qui Anabaptiſmi, aut Manichæiſmi ſuſpicione haud leviter laborabant, paſſim manus imponeret, aut extra Sabbatum quatuor temporum Ordinationes celebraret: ne Baptiſmum extra Paſcha, & Pentecoſten, niſi in vitæ diſcrimine conſtitutis, conferret: ut Eccleſiæ miniſteria, ornamenta, & bona ſtuderet augere, minui non ſineret: ut quatuor in partes Eccleſiaſticos proventus diſtribueret. Quæ Decreta ſane ex epiſt. 9. S. Gelaſii ad Epiſcopos Lucaniæ, Brutii, & Siciliæ decerpta æſtimari debent.

Poſtquam ſuo, perquam felici ſucceſsu, perfunctus officio fuiſſet in Friſia, Haſſia, & Thuringia, eumdem perſemet adeſſe Romæ voluit, ut rei univerſæ rationem oretenus redderet, Epiſcopali dignitate adauctus rediit inde ad Apoſtolicum munus, cui dum incumberet, dubia nonnulla, quæ tum inciderant, ad Apoſtolicam Sedem deferre non diſtulit, conſiliumque inquirere de quibuſdam diſciplinæ articulis. Ergo S. Gregorius II. epiſtola decretali, quæ incipit *Deſiderabilem mihi*, quam S. Gregorio III.

perperam adſcribit poſt Hincmarum epiſt. 7. capp. 15, & 18, ac Ivonem par. 8. cap. 78, Gratianus Can. 5. *Presbyter* 2. q. 5; Can. 18. *Quod propoſuiſti* 3. q. 7; Can. 110. *Parvulos* de Conſecr. diſt. 4; & Can. 9. *De homine* diſt. 5; reſpondit ad 1. de Impedimentis Matrimonii, Matrimonio non copulandos propinquos; Barbaris attamen ad fidem recens converſis indulgendum, ut infra quartum gradum jungantur. Ad 2. de Uxore impotente, viro habenti mulierem rei uxoriæ non aptam licere alteram ducere, ita tamen ut dimiſſæ alimenta non detrahat. Porro de impotentia Matrimonium præcedente, eaque perpetua manifeſte heic loquitur Pontifex. Ad 3. de Presbytero accuſato a plebe, eumdem juramento ſe purgare criminibus permittit, queis leviter impetebatur, abſque ullo teſte, inque proprio manere gradu. Ad 4. de Confirmationis iteratione, eamdem iterari nec poſſe, nec debere. Ad 5. de duobus, aut tribus Calicibus in Altari collocandis, eos inter Miſſarum celebrationem non eſse collocandos. Calicum horum nomine deſignantur Calices miniſteriales, ſic dicti quod chriſtifidelium communioni inſervirent, anſatique communiter erant, ideo ut contrectari facilius, transferrique pro Communione poſsent: fit horum mentio apud Ruinartium in Teſtamento, ac vita S. Aridi, apud Mabillonium tomo 3. Analect. in act. Epiſcop. Cenom., apud Anaſtaſium Bibl. in vit. SS. Gregorii III, & Leonis IV., & apud Martenium in Itiner. litter. Impedimento ii erant ſacris Miſsarum ſolemniis, quos proinde de ſacra amoveri Menſa Pontifex voluit. Ad 6. de cibis immolatitiis, eis veſci nefas eſse docet, ſi ſcandalum immineat. Ad 7. de Filiis a parentibus Monaſterio oblatis, eos prohibet egredi, ac Matrimonio copulari. Ad 8. de Baptizatis ab adulteris Presbyteris, ſi legitima forma baptizati fuerint, denuo non fore baptizandos. Ad 9. de Pueris parentibus ereptis, ac ignorantibus, utrum baptizati revera fuiſſent, baptizandos fore, niſi liqueat de baptiſmo recepto poſt raptum. Ad 10. de Leproſis, Euchariſtiam eiſdem negari ſub obtentu vetitæ cum iiſdem comeſtionis non vult. Ad 11. de Fuga, periculo gravi imminente, puta a Monaſteriis, Eccleſiiſque contagione infectis, non licere fugam arripere (Paſtoribus ſcilicet, iiſque, quorum operam Eccleſiæ deſiderent, ac Monaſteria indigeant.)

Ad 12.

Ad 12. de Epiſcopis, & Presbyteris vitio deditis, utrum fas eſſet cum eis & loqui, & comedere: eorumdem, etſi vitiis ſcateant, haud fore fugiendam conſuetudinem, aut menſam, ſiquidem hæc ipſa ſæpe facilius conducant ad ipſos revocandos ad officium, & frugem, quam correptio, & reprehenſio.

Negotium faceſſere poteſt, neque leve Caput 7, quo pueris ante rationis uſum a parentibus Deo oblatis regrediendi ad propria jura libertas intercepta, aſpirandique impoſterum ad conjugia locus interdictus videtur. At vetus ita ferebat diſciplina, legibus firmata tum Canonicis, tum Civilibus, juxta quam pueri ab infantia a parentibus ſive Eccleſiis, in partem Cleri aſſumendi, ſive Monaſteriis, profeſſioni religioſæ mancipandi, offerebantur: ita oblatos in propoſito perſeverare, atque ſive in Clericali militia, ſive in Monaſtico inſtituto, prout ex parentum voto nomen dediſſent, ad pubertatem etſi perventos, manere, & permanere oportebat. Porro ita Eccleſiis oblatos pueros extemplo inter Clericos fuiſſe cooptatos, ac Tonſura, Lectoratuque initiatos, multis oſtendunt Morinus de ſacr. Ordinat. par. 3. exercit. 15. capp. 3, & 4, & Martenius de antiq. Eccl. ritib. tom. 2. lib. 1. cap. 3, tum nempe teſtimoniis S. Siricii in epiſt. 1. cap. 8, S. Zoſimi in epiſt. 1. capp. 1, & 4, Concilii Carthaginenſis III. Can. 19, & Toletani II. cap. 13 ac Ordinis Romani in orat. pro Tonſurandis: confirmant vero exemplis Sulpitii apud Surium ad diem 17. Jan., S. Euthymii apud Cyrillum Scytopolit. tom. 1. Analect., Clericorum Africæ cum S. Eugenio pulſorum in exilium apud Victorem Vit. lib. 5. de perſec. Vand. cap. 9, S. Felicis Nolani apud S. Paulinum, & S. Epiphanii Ticin. apud Ennodium, ac Bollandum ad 21. Jan. Poſtremo hanc veterem diſciplinam parum novellis moribus accommodam caſtigavit Decreto ſaluberrimo Tridentina Synodus ſeſſ. 23. cap. 4. Jam vero num olim ita ab infantia in Clerum tonſura cooptati, aut in Monaſteriis veſte religioſa induti regrediendi ad laicos facta eſſet libertas, an in Monachali habitu, aut in Clericali ſtatu permanere cogerentur, diverſa pro diverſis Eccleſiæ ætatibus, diſciplina obtinuit. Concilia Carthaginenſe III, & Toletanum II. locis ſupra laudatis in Clericorum poteſtate reliquerant, poſt quam ad pubertatis annos perveniſſent, in ſtatu Clericali

cali permanere, aut ad ſæculum regredi. Atque ita in more poſitum ſui temporis indicat S. Auguſtinus in epiſt. 199; ac ita pueros ſuæ poteſtati, quum ad pubertatis annos perveniſſent, eſſe permittendos ſanxit S. Leo M. epiſt. 92. ad Ruſticum Narb. capp. 12, & 13. Contrariam nihiloſecius diſciplinam induxere, ac Deo ſemel dicatos a parentibus pueros ad ſæculares curas regrediendi aditum ademere Concilia Chalcedonenſe Can. 7; Toletanum IV. Can. 49, & 55; Aurelianenſe V. Can. 19; Matiſconenſe I. Can. 12, & 20; Toletanum X. Can. 6; & Tullenſe anno 859. Can. 7; Egbertus Eboracenſis in Excerptis cap. 93. apud Harduinum tom. 3. pag. 1969; Alexander III. Cap. *Significatum* Extra *de Regularibus*, & Clemens III. Cap. *Cum virum* antiq. Collect. 2. lib. 3. tit. 18. cap. 3: cujus diſciplinæ exempla pleraque congerunt S. Gregorius Turon. de glor. Mart. lib. 1, cap. 76; de glor. Conf. cap. 22, Annaliſta Metenſis apud Ducheſnium tom. 3. pag. 313, ac tandem Thomaſſinus vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 3. cap. 56, & ſeqq.

Diſciplinæ huic conformiter in Regula S. Benedicti cap. 59, uti docet Mabillonius in præfat. ad Sæcul. VI. Bened., & in Formulis oblationum, quibus pueri Deo a parentibus offerebantur, ut obſervat Martenius in præf. locum Regulæ S. Benedicti, Monaſtico inſtituto pueri irrevocabili parentum voto adſtringebantur adeo, ut quum poſtea adoleviſſent, ſe in vitæ ſæcularis fluctus demergere nequirent. Hanc vero diſciplinam a patria poteſtate, qua Romano, Græcoque quondam jure parentes in filios ſuos potiebantur, profluxiſſe oſtendit Hugo Menardus in cap. 66. Concord. Regul. Atque quidem Filiorum ſub patria poteſtate Matrimonia, parentum voluntate intercedente, tanquam irrita olim habita fuiſſe, adparet ex S. Baſilio in epiſt. 199. Canonica 2. ad Amphilochium Can. 4; ex Conciliis Carthaginenſi IV. Can. 13, Aurelianenſi IV. Can. 22, Pariſienſi an. 555. Can. 6, ex S. Nicolao I. ad Conſulta Bulgar. cap. 3; ex Capitularibus Regum Franc. lib. 2. cap. 4, & lib. 7. cap. 363., & Flodoardo hiſt. Rem. lib. 3; de quibus Auctor Collat. Pariſienſ. tom. 2. pag. 396; & D. Hericourt de Legib. Eccleſ. Matrim. art. 2, pag. 454. Diſciplinæ huic deinde, cui Græci indivulſe inhæſerunt, innixi profecto Juſtinianæis Legibus *Inſtit. de Nuptiis*, & L. *Nuptiæ* 2. ff. de *Ritu Nupt.*,

quæ

quæ loca tametsi de Nuptiis illicitis declaratis intelligi velint Cujacius in lib. 35. Pauli, & Dionysius Godefridus in L. *Filius* ff. cit., de Nuptiis ramen irritis denuntiatis expressa esse demonstrant Vinnius ad lib. 1. Instit. tit. 10, & Juveninus in tract. de Sacram. disserr. 10. q. 5. art. 2, disciplinæ huic, inquam, de Matrimonio Filiorum familias, quemadmodum detraxere Romani Pontifices in Cap. *Cum locum de sponsal.*, *& Matrim.*, in Cap. *Licet*, & in Cap. *Tua*, *de sponsa duorum*, ac Tridentinum sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1, sic postea disciplinæ illi de pueris Ecclesiis, aut Monasteriis a parentibus mancipatis primum moderationem attulere Concilia Moguntinum anno 813. Can. 23, & Wormatiense an. 868. Can. 22, & 23. pueros ante pubertatem, aut legitimum ætatem, ac invitos in Ecclesiis, aut Monasteriis detineri prohibentia; ac postremo robur ademerunt Cælestinus III. Cap. *Cum simus* Extra *De Regularibus*; Innocentius III. lib. 15. epist. 116. ad Episcopum Lugdun., & Concilium Tridentinum Sess. 25. de Reform. capp. 12, 15, 17, & 18.

Nova in dies in nova Ecclesia, quam in Germania erigebat S. Bonifacius, quæque ut conformis apprime Romanæ evaderet, curabat enixe, dubia emergebant. S. Gregorii III. itaque electionem statim atque S. Bonifacius accepit, ad eum legatis, litterisque datis, postquam officii sui rationem accuratam reddidisset; eique observantiæ suæ, obedientiæque canonicæ dependisset obsequia, de Capitulis 9. consuluit, ad quæ totidem retulit a Pontifice responsa. Atque quidem ad 1. Baptizari in nomine Sanctissimæ Trinitatis oportere, quos Pagani alio modo, præscripta videlicet formula non adhibita, ideoque perperam baptizaverant. Ad 2. Cibis immundis, in quibus equina carne, vesci Christianos prohiberi, severaque pœna transgressores fore plectendos. Ad 3. Pro Defunctis, ac dumtaxar in Ecclesia catholica orandum esse, eorumque a Presbyteris in Missæ sacrificio memoriam faciendam. Ad 4. Baptizandos esse denuo, qui de Baptismo suo dubitarent, aut a Presbytero Jovi mactante, & immolatitiis vescente fuissent baptizati. Ad 5. Matrimonia ad septimam usque generationem inter propinquos esse prohibita. Ad 6. Consilium dandum, ne plusquam semel, ac iterum quis nuberet. Ad 7. Patricidis

oricidis, & Fratricidis pœnitentiam, quoad vita ſupereſſet, injungendam; eoſdem perpetua a carne, & vino abſtinentia, ac triduano qualibet hebdomada jejunio caſtigandos; nec niſi in mortis articulo Communione eſſe donandos. Ad 8. Homicidarum inſtar habendos, nec abſimili pœnitentia animadvertendum in eos, qui mancipia ad immolandum Paganis pretio vendidiſſent. Ad 9. Epiſcopum a duobus, aut tribus aliis Epiſcopis aſſiſtentibus ab ipſo eſſe conſecrandum. Decretalem hanc epiſtolam S. Gregorio II. tribui a Gratiano Can. 21. *Pro obeuntibus* 3. q. 2, & Can. 52. *Quos a Paganis de Conſecr.* diſt. 4. obſervavit jampridem Sirmondus: at S. Gregorio III, cui tribuitur ab Ivone par. 10. cap. 179, reſtituendam vel miſſi ad eumdem Bonifacium Pallii mentio demonſtrat, quod nempe miſſum a S. Gregorio III. tradit Othlonus in vita S. Bonifacii lib. 1. cap. 31. Confer S. Gregorii II. Capitulare capitibus 13. conſtans, datum Martiniano Epiſcopo, Gregorio Presbytero, & Dorotheo Subdiacono in Bajoariam deſtinatis; nec non S. Gregorii III. Excerptum ex SS. Patrum dictis, Canonumque Decretis capitibus 33. compactum apud Harduinum to. 3. pag. 1861, & ſeqq; ac 1869, & ſeqq., in quibus horum habes cumulatiſſima.

Quemadmodum autem a ſtudio diſciplinæ loco ſtabiliendæ in Eccleſia Germanica ad Romanæ inſtar S. Bonifacius non deſiſtebat, ita ipſius deſiderio facere ſatis non omittebant Romani Pontifices, neque de ſollicitudine remittebant curandæ rei ſacræ, regulaſque contradendi diſciplinæ, ad quarum amuſſim Eccleſia illa ſe exigeret. Ergo S. Zacharias S. Gregorii III. ſucceſſor acceptis a S. Bonifacio novis litteris, quibus de nonnullis ſubortis dubiis interrogabatur, Reſcripto miſſo anno 742. ad quinque ejuſdem interrogationes reſpondens iſtas ei regulas conſcripſit: ut Epiſcopus Presbyteros, ac Diaconos adulteros, ebrioſos, ac venatores ab Altaris miniſterio arceret: ne ſibi ſucceſſorem, niſi morte inſtante, deſignet, deſignatus vero ſtatim ad Apoſtolicam Sedem ordinandus accedat: ut a Matrimonio recedat vir, qui mulierem in tertia generatione ſibi propinquam, & ab altero viro conſobrino ſuo adhuc ſuperſtite digreſſam, ſibi copulaverat, ſub obtentu licentiæ a S. Gregorio III. impetratæ, hoc abs vero abhorrere

horrere prorſus affirmans, quod matrimonii hujuſmodi a deceſſore ſuo facta facultas fuerit: Ludos Kalendis Januarii celebrari ſolitos, auguria, quæ fiebant, & obſervationes, hæc omnia, horumque plena ſuperſtitionis Paganicæ ſimilia chriſtianis eſſe deteſtanda: Epiſcopis, ac Presbyteris, qui Roma reduces ſas ſibi factum a Pontifice in gradu manendi jactabant, ſuiſque muneribus defungendi, nullam adhibendam fore fidem, ſed eos magis canonica vindicta coercendos. Pleraque alia politiæ Eccleſiaſticæ capita in Synodo Romana an. 743. a S. Zacharia ſancita ſunt; quæ perſequi omnia non præſtat. Non prætereundum tamen, quin obiter indicem a S. Bonifacio iterum conſultum eumdem Pontificem de Baptiſmo collato a Sacerdote linguæ latinæ ignaro affirmaſſe validum eſſe Baptiſmum, etſi collatum verbis ex ignorantia latini ſermonis vitiatis, modo reipſa in nomine Trinitatis fuerit adminiſtratus. Præterea ſemel adhuc a Pippino Francorum Rege interrogatus Pontifex de quibuſdam diſciplinæ capitibus totidem reſponſa dedit, ac quidem ſeptem ſupra viginti, pro numero quæſtionum, quæ fuerant ſibi propoſitæ, de Ordine Epiſcopali, de Pœnitentia publica, & de Matrimoniis illegitimis, quas ad unam omnes ſic reſolvit, ut cuilibet antiquum Canonem pro reſponſione ſubjecerit.

Bis adhuc demum ad S. Bonifacii conſultationes reſpondit; inter quas obſervatione digna eſt reſponſio ad capitulum 8. de Virgilio Presbytero, quem Sacerdotii honore, habita Synodo, exuundum edixit, ideo quod alterum Mundum extare aſſereret, alioſque homines ſubtus terram, qui alio Sole, aliaque Luna illuminarentur. Capitulum hoc 8. de Virgilio adſcititium exiſtimavit Baronius ea permotus ratione, quod Virgilius tantum abeſt, ut a Sacerdotio amotus fuerit, ut imo Salisburgenſem Epiſcopatum ſit adeptus, ac Sanctorum Faſtis demum adſcriptus. At hoc nodum eſt diſrumpere, non eſt diſsolvere. Keplerus in epiſt. ante lib. 4. Epitome, & Origanus in epiſt. ad Elector. Brandenburg., ideo Virgilium a Pontifice fuiſſe damnatum autumant, quod terram rotondam eſſe, inhabitatamque in gyro affirmaret. Sed hoc divinare eſt, nec hujus ſimile ex reciprocis litteris Bonifacii ad Zachariam deducitur. Marcus Velſerus lib. 5. Rer. Boicar.,

& Thomas le Blanc. hiſt. Bavar. tom. 1. pag. 323. fucum Pontifici factum putant, fraudeque circumventum fuiſſe; in Virgilium, qui cum Sidonio contra ſe de forma Baptiſmi diſputaverat, indignatione commotum Bonifacium, illum veluti diſcordiarum ſatorem inter ſe, & Odilonem Bavariæ Ducem ad S. Zachariam detuliſſe; at purgaſſe ſe Pontifici Virgilium, tumque Pontificis, ac Ducis opera Virgilium in gratiam cum Bonifacio regreſſum. Baylius in Dict. Crit. V. *Virgilius*, & Brujus hiſt. Pontif. in Zacharia pro ſuo præpoſtero ingenio Pontifices laceſſendi, ſupinæ ignorantiæ, erroriſque turpiſſimi Pontificem traducere malunt, tanquam qui de Antipodis nihil ſciverit, nihilque ſit ſuſpicatus. At maledicos iſtos non moror, quorum commentum, atrocemque calumniam ex ea, quam attexo, reſponſione concidere neceſſe eſt. Interea hoc reſponſum habeant. S. Auguſtinus jampridem de Civit. lib. 6. cap. 9. hanc de Antipodis opinionem exploſerat, qua vero ratione exponit Ludovicus Vives eumdem excuſans, quod videlicet homo acutiſſimus videret, ſi concederetur nulli aditum eorum, qui hanc incolimus borealem faſciam temperatam, ad auſtrales illos patere, ut Cicero jam 4. Acad., magnique Auctores præjudicarant, ſequi neceſſario illos de genere Adæ non eſſe, maluit illud negare, quam argumento premi tam moleſto. Sed ad hanc excuſationis ſpeciem pro abſolvendo Zacharia confugere non nobis opus eſt. Igitur Cointius in Annal. Francor. ad an. 748, & Pagius ad an. 746. n. 7. diverſum a Virgilio Preſbytero, de quo heic ſermo, S. Virgilium, qui poſtea Salisburgenſis Epiſcopus fuit, contendunt conjecturis haud contemnendis, quia nempe Presbyteri illius patria ignoratur, Epiſcopus iſte ex Hibernia originem traxiſſe conſtat ex Auctore anonymo ejus vitæ apud Caniſium tom. 2. antiq. lect., & Mabilloninum par. 2. ſæculi III. Bened., apud quem nec vola quidem de S. Virgilii cum S. Bonifacio diſcordia, & ad S. Zachariam delatione. Præterea Virgilius Presbyter a S. Bonifacio accuſatus Romam ad eluendam ſuſpicionem acceſſiſſe liquido arguitur ex epiſtola S. Zachariæ inter Bonifacianas 111, ubi a Pontifice abſolutus perhibetur: at in vita Virgilii Epiſcopi profectionis Romanæ ab ipſo adornatæ ne leve quidem adparet veſtigium. Quod autem proxime ad rem per-

pertinet, ea mihi ineſt opinio non Antipodas dumtaxat extare a Virgilio aſſertum, nec id in eo a S. Zacharia damnatum, ſed alium inſuper Mundum, aliumque Solem, aliamque Lunam exiſtere, quod quia Scripturis ſacris adverſum a Pontifice optime, ac jure proſcriptum eſt.

Rebus tam pro Italiæ incolumitate, quam pro Eccleſiæ ſalute, non minus proſpere, quam pie conſulturus Stephanus II, aliis III. in Gallias profectus, dum apud Cariſiacum cum Pippino Francorum Rege demoraretur anno 754, de meliori erigendi res divinas, humanaſque in declivi poſitas modo cum ipſo deliberaturus, a Monachis Britaniacenſibus de quibuſdam dubiis Eccleſiaſticis interrogatus novemdecim reſponſa juxta numerum interrogationum dedit, quorum decem ſunt de Matrimonio, quinque de Baptiſmo, reliqua quatuor de Clericis, quæ edita a Sirmondo tom. 2. Concil. Gall. regerit, & exponit Natalis hiſtor. Eccleſ. ad ſæcul. VIII. cap. 1. art. 6. Celeberrima ſunt inter alia caput 1. de Viro, qui ancilla a contubernio abjecta uxorem ingenuam duxerat; & caput 11. de Presbytero, qui aqua deficiente periclitantem vita puerum vino baptizaverat. Ex quibus Boſſuetius gemini erroris Stephanum accuſandi licentiam arripuit, quod polygamiam probarit, atque Baptiſmum in vino collatum. Sed obtruſam hanc Boſſuetii accuſationem loco ſuo depellemus, vaneque conquiſitam ab eo criminandi Stephanum cauſſam eſſe demonſtrabimus. Verbo nunc dixiſſe ſatius habebo, Stephano hanc inhæſiſſe primo loco ſententiam: quod pellice dejecta, ut legitima uxor duceretur, minime erat matrimonium duplex, ſed honeſtatis indicium: poſteriori vero loco, quod excommunicatione plectendus erat, qui habens aquam vino baptizaverat: at ſi aquam non habens, periclitanti parvulo Baptiſmum vino contulit, futurum eum pœna immunem. Quæ vero periocha ſubjungitur de Infante in vino baptizato, ut ſic permaneat in ipſo Baptiſmo, P. Labbæus rite admonet gloſſema eſſe inſcite aſſutum, aut e margine in textum temere intruſum. Idem Pontifex inſigne privilegium contulit Fulrado Abbati Sandionyſiano de Apoſtolica Sede optime merito, eidem poteſtatem faciens Monaſteria in Francia, ubicumque poſſet, ædificandi, quæ perinde ab Epiſco-

porum juriſdictione exempta, Apoſtolicæ Sedi voluit immediate ſubjacere.

Inter ſtatuta a Stephano III, aliis IV. in Synodo Lateranenſi anno 769, cujus acta deſcripſerunt Holſtenius in Collect. Rom. pag. 257, Muratorius tom. 2. par. 2. Scrip. rer. Ital., Harduinus tom. 3. pag. 2013, deſcriptaque ex Cod. Mſ. Veron. in lucem edidit, ac diſſertatione erudita illuſtravit Cennius, inter hæc, inquam, ſtatuta Act. 3. ex epiſtola 2. Ratherii Veron. ad Rom. Eccleſiam Veron. Cleri nomine directa, quæ extat apud Dacherium Spicileg. tom. 2., decretum legitur de Epiſcopis, Presbyteris, ac Diaconis ordinatis a Conſtantino pſeudo-Papa, eoſdem denuo a legitimo Pontifice fore ordinandos, ac ſi prius minime fuiſſent ordinati. Difficilem hunc nodum ſecat, non ſolvit Auxilius lib. 2. de Ordinat. Formoſi cap. 4. perperam, ac perverſe ita decretum, factumque affirmans. Morinus de Sacr. Ordin. par. 3. exercit. 5. cap. 5, & Sbaralea in diſput. de pravorum Ordinat. cap. 5. §. 9. hinc occaſionem capeſsunt opinionem ſuam confirmandi de invalidis Ordinationibus ab Invaſoribus, ſeu intruſis celebratis. Sed alteram ſolvendi difficultatem Sbaralea ibidem viam init, nempe non immerito arguit ipſius Conſtantini ordinationem vi extortam, ideoque abſque debita intentione habitam, ſe ipſa irritam fuiſſe, invalidamque. Communior tamen reſponſio Baronii ad annum 769, ubi & n. 6. Conſtantini ordinationem invalidam viderat, Natalis hiſt. Eccl. ad ſæcul. VIII. cap. 1. art. 8, Witaſſii de Ord. q. 7. art. 4, & Sandini in Not. ad Stephanum III. eſt veri non eſſe ſimile a Pontifice, ac Synodo ignoratam fuiſſe traditionem, ac doctrinam S. Auguſtini lib. 1. de Bapt. contra Donat. cap. 1., Synodi Capuanæ, ac Synodi Carthaginenſis III, nec non S. Gregorii M. lib. 2. ep. 32. ad Johannem Ravenn., juxta quam hujus genus Ordinationes illegitimæ quidem, validæ tamen haberi debent, ideoque Decretum illud debere intelligi non de Sacramentali ordinatione, bene vero de Benedictione cæremoniali. Actione 4. ejuſdem Synodi obſervatu dignum occurrit aliud decretum, quo nempe ſancitur ex Canonibus Apoſtolicis 50. dumtaxat admittendos deinceps eſſe, quot nimirum ſua in Collectione deſcripſerat Dionyſius Exiguus: cui Decreto

creto congruit Urbani II. ep. 17. ad Lucium Præpoſ. S. Juventii. Sed de hoc præclaro Eccleſiaſticæ antiquitatis monumento non plura, quæ ſi deſideres, præſto erit doctiſſ. Cennii prælaudata diſſertatio. De Epitome Canonum ad Carolum M. inſcripta ab Hadriano I, in eaque recenſitis, inſtauratiſque complurib. Eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus dixi, quantum operæ intererat, in Prolegomeno, alibique ſæpe, de qua perinde ſæpius recurret ſermo, ideo nunc ad alia, quæ nondum attigi, mihi eſt properandum.

Haud levis circa ſæculi VIII. exitum controverſia de proceſſione Spiritus Sancti a Patre, & Filio Monachos Latinos inter, & Græcos in Palæſtina commota ad Leonem III. ab eo dirimenda delata eſt. Nempe Monachi nonnulli ex Galliis a Carolo M. miſſi ad incolendum Montem Olivetum, in Doxologia addebant: *Sicut erat in principio* &c: in Hymno *Gloria in excelſis* adjiciebant: *Tu ſolus Altiſſimus*: & in Symbolo adjungebant: *Qui ex Patre, Filioque procedit*. Vexati eam ob rem a Johanne Græco Monacho ad Leonem III. litteris confugerunt, ab eo exquirentes num retinenda eſſet præſertim additio illa *Ex Patre, Filioque*, ajentes ſe in Homilia S. Gregorii ſibi tradita a Carlo Imper., dum profecturi eſſent in Palæſtinam, hæc legere: *Sed ejus Miſſio ipſa proceſſio eſt, qui de Patre procedit, & Filio*: inſuper in Regula S. Benedicti ſibi contradita ab eodem Carolo hæc haberi: *Credo Spiritum Sanctum Deum verum ex Patre procedentem, & Filio*: & tandem in Fide S. Athanaſii eodem modo legi. Acceptis litteris Monachorum Pontifex reſpondit, miſitque una Symbolum ab ſe ſcriptum, in quo inter alia Spiritus Sancti proceſſio a Filio directe exprimitur his verbis: *Spiritus S. plenus Deus a Patre, & Filio procedens*. Leguntur duæ hæ epiſtolæ Monachorum ad Leonem III, & Leonis viciſſim ad Monachos Palæſtinæ apud Baluzium Miſcellan. lib. 7. pag. 14. Controverſiæ hujuſce occaſione habitum Concilium Aquiſgranenſe an. 809. auctores ſunt Eginhardus in Annalibus; Ado in Chron., Auctor incertus vitæ Caroli M., reliquique Annaliſtæ Loiſelianus, Fuldenſis, Bertinianus, & Metenſis. In Aquiſgranenſi Concilio agitatum dumtaxat de additione particulæ *Filioque* Symbolo facienda, non etiam de re ipſa, ſcili-

ſcilicet de Spiritu Sancti a Patre, Filioque proceſſione, arbitratus eſt Baronius. Contra Cointius, & poſt ipſum Pagius quæſtionem de ipſa Spiritus Sancti proceſſione ibidem motam probant ex eo, tum, quod præfati Scriptores quotquot de hoc Aquiſgranenſi Concilio loquuti ſunt, nihil de additione Symbolo facienda, bene vero de quæſtione exagitata litteris tradiderunt: tum quod Carolus M. in ſuis poſt Synodum ad Leonem Papam litteris a Smaragdo Abbate adornatis, quas Holſtenius, Mabillonius, & Harduinus deſcribunt, nullum verbum habet de Symbolo canendo, ſed totus eſt in congerendis teſtimoniis ex utroque Teſtamento, & authenticis SS. PP. ſcriptis ad ſuadendum Spiritum S. a Patre, & Filio procedere: tum quod Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus Caroli juſſu librum conſcripſit, cui notas adjecit Sirmondus, in eoque auctoritate SS. PP. Athanaſii, Cyrilli, Hilarii, Ambroſii, Didymi, Auguſtini, Fulgentii, Hormiſdæ, Leonis, Gregorii, Iſidori, Vigilii Afri (Tapſenſis), Procli, Agnelli (Ravennatis) Caſſiodori, & Prudentii Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere conficit. Ut ut ſit, controverſiæ hujuſce dirimendæ cauſſa a Carolo Imper., & Concilio Aquiſgranenſi Romam ad Leonem P.M. Legatos Bernarium Wormatienſem Epiſcopum, & Adhelardum Abbatem Corbejenſem, quibus addendum Jeſſem Ambianenſem Epiſcopum ex actis Collationis, & Auctore vitæ Caroli contendit Sirmondus, e contra abigendum ex ceteris Scriptoribus, nec non ex epiſtola Leonis ad Rieulphum Archiep. Moguntinum pugnant Cointius, & Pagius, Legatos, inquam, miſſos certo certius eſt ea nempe de cauſſa, quod probe noſſent hujuſce generis cauſſas apud Pontificem experiri in judicio, expedirique ejus ſententia oportere. Certum etiam coram Pontifice diſputatum de particula *Filioque* Symbolo addenda. Symbolum cum ea additione, quam Romana Eccleſia Symbolo nondum inſeruerat, a Francis decantari Pontificem moleſte tuliſse quidem, non prohibuiſse tamen abſolute id deinceps fieri. Demum Leonem, ne Græcos abalienaret, eiſque invidiam voluiſse conflare videretur, prudenter curaſse, ut ad Confeſſionem Sancti Petri duæ tabulæ argenteæ affigerentur, in quarum altera Symbolum Græce ſcriptum, in altera Latine exaratum legeretur utrobique abſque hoc additamento.

Adeun-

Adeundi Anaſtaſius in Leone III, Baronius ad an. 809, Pagius ad eumdem an. n. 3, & ſeqq., Harduinus tom. 4. Concil. pag. 970, & Cointius in eo tamen haud auſcultandus, uti Pagius admonet, quod ſcribit Symbolum cum additamento *Filioque* Francis a Clodovei M. temporibus traditum jugiter retentum: ſi enim id verum eſset, ſane in Actis hujuſmodi Collationis Romæ habitæ non fuiſset tacitum; quæ Acta a Smaragdo deſcripta regerit Sirmondus tom. 2. Concil. Galliæ.

Quanto ſtudio, quantaque ſolertia Eccleſiaſticam diſciplinam optimo conſtituere loco curaret S. Leo IV, declarat imprimis ipſius epiſtola 1. in edit. Hard. ad Epiſcopos Britanniæ, qua ſelecta multa tradit de Canonicis judiciis Epiſcoporum; de Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ordinibus; de præficiendis regimini Parochiarum Sacerdotibus; de ſortilegiis, ac ſimonia procul pellendis; de impedimentis Matrimonii; deque regulis Canonicis: quæ decreta paſſim regerit Gratianus Can. 5. *Requiritis* 1. q. 7; Can. 3. *Nullam damnationem* 2. q. 4; Can. 4. *Regenda* 10. q. 1; Can. 7. *Sortes* 26. q. 5; & Can. 1. *De Libellis* diſt. 20. Tam vero ejuſdem S. Leonis, quam ejuſdem deceſſoris Eugenii II. ſingulare Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudium elucet, ſe ſeque explicat in Synodis Romanis ſub utroque celebratis. In priori Eugenius Canonibus 38. editis plurima diſciplinæ capita complexus fuerat, quibus Eccleſiaſticæ politiæ non modicam lucem attulerat. In poſteriori Synodo anno 853. a S. Leone priora capitula repetita, & confirmata ſunt, pleraque additionibus quibuſdam adaucta, ac præterea alia capitula quatuor adjuncta; quibus omnibus Eccleſiaſticæ puritati optima ratione proſpexit. Ex his, prout opus erat, pleraque Hincmarus profert in opuſc. 47. tom. 2, nominatimque capit. 13, 14, 15, 19, 20, 22, 27, & 30, unde videas haſce diſciplinæ leges Gallicanæ Eccleſiæ uſu perinde veniſſe; pleraque quin etiam in epiſt. 198. ad quoſdam Galliar. Epiſcopos repetivit, & confirmavit Johannes VIII, ac præſertim capit. 16, 37, & 38. Præterea idem Pontifex in ſermone, ſive homilia de cura Paſtorali ab Epiſcopis recitanda in Synodis ad Parochianos tot, ac tam illuſtria pervigilis curæ paſtoralis documenta ſuppeditat, quæ ab Eccleſiarum Præſulibus ignorari

nefas

nefas ſit. Notatu inter alia digna ſunt, quæ ibidem tradit de religioſo cultu rerum ſacrarum, deque ritibus, ac cæremoniis ſive in Miſſarum celebratione, ſive in divina Pſalmodia obſervandis. Omni nocte ſurgendum indicit ad horas Canonicas, eaſque de die certis, diſtinctiſque perſolvendas temporibus. Miſſas ante ſolis ortum, niſi in Nativitate D., nec niſi a jejunis, nec niſi cum luminibus, veſtibuſque ſacris, nec niſi in locis conſecratis, cumque ſocio inſerviente, nec niſi ſumma tandem cum reverentia, obſervantiaque rituum celebrandas enuntiat. Euchariſtiam ad infirmos per laicos, aut fœminas deferri; pro baptizandis pueris, reconciliandis infirmis, mortuiſque ſepeliendis pretium, aut munus exigi prohibet. Omni die Dominica ante Miſſam aquam benedicendam, eaque Populum aſpergendum edocet. Baptiſmum præcipit dumtaxat in Vigiliis Paſchæ, & Pentecoſtes conferri. Monet, ut in Sabbato Paſchæ novus ignis, & aqua benedicantur, Populoque diſtribuantur. Parochianis orationem Dominicam, & Symbolum Apoſtolorum inſinuari jubet. Vigilias Apoſtolorum, Jejunium quatuor temporum, & Rogationum, ac Litanias Majores Plebibus obſervandas denuntiari vult. Quatuor præterea temporibus in Nativitate, & Cœna D., in Paſchate, & Pentecoſte Chriſtifideles, ut ad Communionem accedant, vult admoneri. Univerſim Clericis vetat venationem, uſuras, alteriuſve negotia agere, veſtibus laicis uti, bibere in Tabernis, ad Nuptias convenire, deferre arma &c. Tam ſcitu dignus ſermo deſcriptus ex Cod. Bibl. Vatic. exhibetur a Baronio ad an. 855. pag. 125. edit. Rom. an. 1602; decerptus ex Cod. Mſ. Cœnobii Neresheimenſis an. 1009. exarato regeritur ab Harduino tom. 6. Concil. pag. 783, & ſeqq.; ac demum ad Collectiones Labbæi, & Martenii, nec non ad Mſ. Cod. Lucenſis fidem exactus, emendatiorque editus eſt a Cl. Manſio in ſupplem. Concil. tom. 1. pag. 909. Poſtremo Æthelardo Archiep. Cantuarienſi Eccleſias omnes Britanniæ tanquam Primati obnoxias reddidit idem Pontifex, inque mandatis dedit, ut Laicos omnes ab uſurpatione bonorum Eccleſiaſticorum procul arceret, qua de de adeundi, ſi placet, Alfordus ad an. 797. n. 10, Harduinus tom. 4. Concil. pag. 926, Spelmannus tom. 1. Concil. Britan. pag. 316, & Pagius ad an. 796. n. 27. At-

Atqui, ſi quis alter, pro enixiori, qua afficiebatur, ad partes explendas ſuas, opera, quove flagrabat ad politiæ Eccleſiaſticæ formam expoliendam, atque ab omni ſorde expurgandam ſtudio S. Nicolaus I, tot, ac tam conſpicua ad innumeras Conſultationes ad eumdem confluentes undique reſponſa reddidit, ut perſtringere velle omnia facile ultra operæ præſtitutos fines egrediendum mihi eſſet. Præſtant inter alia, quæ ad Rodulphi Bituricenſis Archiep. interrogata repoſuit, & quæ ad Conſulta Michaelis Bulgarorum Regis reſpondit, quibus quia Eccleſiaſticæ diſciplinæ non modica lux affuſa eſt, ſumma eorum capita attingere non abs re erit. Itaque in epiſt. 19. ab Harduino ex Cordeſio, & Sirmondo deſumpta ad Rodulphum, poſtquam digno ipſum elogio mactaſſet, ideo quod Romanæ Eccleſiæ fidei, doctrinæ, ac legibus inhærere religioni duceret, ad ipſius ſeptem interrogata totidem reſponſa dedit, quibus Chorepiſcopis ordinationes interdicit, celebratas tamen iterandas eſſe negat: Primates, ac Patriarchas nihil privilegii habere præ ceteris Epiſcopis, niſi quantum a ſacris Canonibus, ac priſca conſuetudine, ipſis conceſſum eſt, definit; a Romano tamen Pontifice novis privilegiis adaugeri illos poſſe declarat: in Ordinationibus S. Innocentii I. in epiſt. ad Decentium obſervanda decreta edicit: pœnitentia defungentibus ad Militiæ cingulum regredi non permittit: ei tamen facultatem facit pœnitentias imponendi pro qualitate culparum, pœnitentium, locorum, & temporum: ad Confirmationem coram Epiſcopo privignos teneri a vitrico vetat: conjugum interfectoribus, adoleſcentibus exceptis, abſolute, ſecundum Matrimonium interdicit, & ad pœnitentiam redigit: in Cœna Domini denique Hymnum *Gloria in excelſis* decantandum inter Miſſarum ſolemnia docet. Porro impedimentum ſpiritualis cognationis, de qua in Decret. Gregorii IX. extat integer titulus 11. lib. 4, primus introduxiſſe legitur in Synodo Romana I. an. 743. S. Zachariæ cap. 5, deque eodem impedimento expreſſa lex quoque extat in Cod. Juſtinianæo L. 26. *De Nuptiis*; quam Civilem legem in catalogum legum Canonicarum recenſitam obſervat Johannes Bapt. Bartholus Epiſcop. Feltrenſis in Inſtit. Jnr. Can. cap. 44. n. 7. Hanc S. Nicolai decretalem ad Ro-

dulphum perperam ab aliquibus ad pſeudo-epigraphas rejici alibi adnotavi: cui jungenda decretalis epiſtola ad Arduicum Veſontionenſem Archiep. apud Dacherium tom. 12. Spicileg. pag. 42; Capita reſponſionum ad Salomonem Regem in Britannia Aremorica, quæ edidit Sirmondus tom. 3. Concil. pag. 275; ac decreta hactenus indigeſta, quæ ex Cod. Mſ. Lucenſi Manſius inſeruit tom. 1. Supplem. Concil. pag. 965; nec non Fragmenta epiſtolarum collecta ab Harduino tom. 5. pag. 351, & ſeq.

Quod ad Conſulta Bulgarorum attingit, a Michaele Rege ad Chriſtiana ſacra recens converſo, hoc eſt anno 861, velut ex Niceta in vita S. Ignatii oſtendit Pagius ad eumdem annum n. 10, Legatis, litteriſque acceptis S. Nicolaus viciſſim Legatis miſſis, libriſque Divinæ legis ad ejuſdem interrogationes 106. totidem reſponſa ſubjecit; quorum ecce tibi præcipuorum ſummam. 1. Feria 6, Sabbato non etiam, abſtinentiam a carnibus Bulgaris indixit; a cujus imo abſtinentiæ lege immunes abire indulſit dies Natalis D., Epiphaniæ, Aſſumptionis B. Virginis, Natalis S. Johannis Bapt., SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Andreæ, Johannis Evang., & Stephani Protomartyris. 2. Bulgaros ad quotidianam Euchariſtiæ ſumptionem tempore Quadrageſimæ juxta morem S. Romanæ Eccleſiæ adhortatur. Dominicis diebus a labore omni, ſervilique opere ceſſandum eſſe, modumque, quo Sanctorum feſta ſint celebranda, docet. Sancte quoque Quadrageſimale tempus eſſe tranſigendum, in eoque a venationibus, & a conjugii uſu eſſe abſtinendum; convenientius etiam rationi, & officio, velut antea docuerat S. Gregorius, ut contineant conjugati, donec Infans ablactetur. 3. In diebus extra Jejunia nullum ante horam diei tertiam cibum omnino capiendum ait: variam olim a Majoribus noſtris circa jejunii etiam non præcepti ſolvendi horam obſervatam diſciplinam, juxta quam alii ante horam Sextam, quidam ante Nonam, alii quinimo ante Veſperas ad cibum non accedebant. Porro horarum nomine heic Planetariæ deſignantur, in quas, ideſt partes quatuor æquales, dies dividebatur, ita ut Meridiei hora ſexta correſponderet. Omnino jejunum, ciboque, ac potu omnino vacuum eſſe oportere eum, qui ad Euchariſtiæ ſumptionem accedit. Sacrum aſylum Eccleſiarum

rum integrum ſervari jubet, eoſque a ſuperſtitionum plurimis ſordibus abſtinere deinceps admonet. 4. Baptizatos a quodam (non Judæo, uti præfert Caput apud Gratianum 24. de Conſecrat. diſt. 4, ſed Viro, velut ex libro Cæſarauguſtano legendum cenſet Antonius Auguſtinus in Dialogo 18. lib. 1. de emendat. Gratiani) a quodam, inquam, viro, de quo neſciebatur, Chriſtianus ne, an Paganus eſſet, non eſſe denuo baptizandos reſpondit, dummodo in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, vel tantum in Chriſti D. nomine baptizati fuerint: *Unum quippe*, inquit, *idemque eſt, ut Sanctus exponit Ambroſius* Lib. 1. de Spir. S. cap. 3. Hoc nempe quartum, & centeſimum Caput, illud eſt, quod Eruditorum quammaxime ſermonibus jactatur. Erraſſe heic S. Nicolaum I. nonnulli contendunt, e contra ab errore immunem alii ſuſtinent. Harduinus in quæſt. de Baptiſmo in nomine Chriſti, poſtquam ex Actor. 2. 38. verbis illis *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti* adnotaſſet ſignificari eo loci non Baptiſmi formam, ſed baptizandorum fidem, ſubjungit Capite 104. cit. agi de fide illius, qui Baptiſmum ſuſcipit, non de forma, ſubqua Baptiſmus conferri debeat, itaque concludit S. Nicolai dictum nihil difficultatis habere. Verum de hoc argumento ſuus agendi copioſius alibi locus erit. Poſtremo idem Pontifex intelligens a Sardis inceſtas nuptias cum affinibus, & conſanguineis paſſim contrahi, miſſis in Sardiniam Legatis, litteriſque, atque graviſſimis anathematis pœnis intentatis, a prava illos conſuetudine abſterruit.

Qui S. Nicolao proxime in Pontificatu ſucceſſit, Hadrianus II. SS. Cyrillum, & Methodium Orientales Monachos, qui in Moravia Chriſti fidem diſſeminare cœperant ingenti cum animarum fructu, Romam accitos, Epiſcopalique dignitate adauctos, in Moraviam iterum prædicatum Evangelium dimiſerat. Quum autem intellexiſſet illos Canonicas Horas, ac Miſſarum Officia vernaculo Moravorum, ſive Bulgarorum idiomate, quod Romanæ Eccleſiæ ritibus peregrinum erat, celebrandi licentiam præſumpſiſſe, datis litteris illos hacce de re graviter reprehendit. Quamquam poſtea a SS. Cyrillo, & Methodio certior factus ſe Bulgaris, ac Moravis altera lingua Græca, aut Latina ſubvenire non potuiſſe, atque Sclavonica lingua ſubſtituta innumerum

ab ſe imo Populum Deo acquiſitum, permiſit tandem Pontifex, ut Sclavonica lingua in Miſſis, Officiiſque celebrandis novella Eccleſia licite uteretur. Ita in eorum narratur vita apud Henſchenium ad diem 9. Martii. Eamdem licentiam Sclavonica lingua celebrandi Sacra Bulgaris, ac Moravis confirmarunt Johannes VIII. anno 880. epiſt. 247. ad Sfentopulcrum Moraviæ Comitem, quæ apud Harduinum eſt 107. tom. 6. pag. 85, ea tamen adjecta lege, ut in Miſſa Evangelium primo Latine, ac deinde Sclavonice legeretur; & Innocentius IV. anno 1248. in epiſt. 753. lib. 5. ad Scemenſem Epiſcopum apud Raynaldum ad eumdem annum n. 52, qua eidem indulget, ut in Divinis Officiis libris Sclavonico charactere exaratis uteretur. Quamvis autem S. Gregorius VII. lib. 7. epiſt. 11. ad Uratislaum Bohemiæ Ducem Officia Divina Sclavonica lingua celebrari prohibuerit, in iis tamen Provinciis jam cœptam conſuetudinem, Pontificibus Summis poſtea tacentibus, prævaluiſſe ait Cardin. Bona Rer. Liturg. lib. 1. cap. 9. Subinde ab Urbano VIII. ſimilis facultas legitur facta die 17. April. 1624. PP. Carmelitis in Perſide agentibus lingua Arabica Miſſas celebrandi. Conſer Papebrochium in diſſert. 18. Conat. Chron. hiſt., alias 30. in Theſaur. Eccleſ. antiq., quæ eſt de lingua Sclavonica in Sacris apud Bulgaros, Moravoſque recepta. Hadriani ejuſdem juſſu in Bulgariam cum Paulo Populonienſi Formoſum Portuenſem, qui poſtea ad Summi Pontificatus apicem aſcendit, quique variam poſt fata expertus fortunam eſt, profectum, ibidem Latinæ Eccleſiæ res ſacras egregie procuraſſe tradit in vita Hadriani Guillelmus Bibliot. Invidiam poſtea apud Johannem VIII. vivens, & apud Stephanum VI. defunctus idem Formoſus ingentem ſubiit: viciſſim autem vindicatus eſt, dum viveret a Marino, Hadriano III, & Stephano V, poſtquam obiiſſet vero, a Romano, Theodoro II, & Johanne IX. Sed & Formoſi patrocinium ſuſcepit Auxilius duobus libris in ejus defenſionem adornatis, cum epiſtola ad Leonem Nolanum Epiſcopum, cujus rogatu opus iſtud ſuſceperat. Epiſtolam hanc, cum indice capit. 30. prioris libri Baronius in append. tom. 12. inſeruit; utrumque demum librum integrum dedit Johannes Morinus de ſacr. Ordin. par. 2. a pag. 348. Idem Mori-

Morinus Formoſum culpæ omnino expertem non fuiſse contendit: e contra Papebrochius in diſsert. 31. Conat. Chron. hiſt. eumdem ab omni labe impacta liberat. Conſer de hac re Mabillonium in præfat. ad ſæcul. V. Bened. pag. 5, & in veter. Analectis pag. 31, & ſeq., nec non Natalem Alexandrum in hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. IX, & X. cap. 1. art. 14.

In laudem Johannis VIII. vergit inter alia pleraque circa diſciplinam ab ipſo optime ſancita, illud decretum, quo in epiſtola 65. ad Eadredum Angliæ Archiepiſcopum declarat Matrimonium, ſeparatis etiam quoad thorum ob adulterium conjugibus, indiſſolubile quoad vinculum eſſe. Vapulat heic pro meritis ab ejuſdem obſervatore Launojus, qui in lib. de Regia in Matrimonium poteſtate hunc Johannis Papæ de Matrimonii indiſſolubilitate locum dilucidum fœde, boniſque omnibus execranda fraude detrunctavit, ut Pontificem videlicet contrarii dogmatis, erroriſque aſſertorem faceret. *Nulla ratione*, inquit Johannes, *illi*, (qui ab uxore ob adulterium divortium feciſſet), *prorſus conceditur aliam, vivente priore, conducere: quod ſi fecerit, & non emendare ſub ſatisfactione ſtuduerit, ab Eccleſiæ conſortio maneat ſeparatus*. At Launojus pro ſua impudentia tria illa verba *Nulla ratione prorſus* expungere non expavit. Apage mutilatorem iniquum, audaciſſimumque impoſtorem! Ab eodem Johanne editam Conſtitutionem de jure Emin. Cardinalium S. Romanæ Eccleſiæ e Vaticanæ Bibliothecæ monumentis erutam recitat Baronius ad annum 882. n. 8, ac recenſet Harduinus tom. 6. pag. 121: in ea declarat, quod ſicuti Moyſis Rom. Pontifex, ita Cardinales ſeptuaginta Seniorum formam, egregiamque ſpeciem in Eccleſiæ regimine gerunt: eiſdem proinde mandat, ut bis in Menſe ad aliquam Eccleſiam conveniant, de reformatione Cleri, plebiſque Chriſtianæ tractaturi, eorumque de juribus dicturi: ob eamdem præterea Eccleſiarum omnium diſciplinam in tuto collocandam bis in Ebdomada, juxta S. Leonis IV. deceſſoris ſui decretum, ad Palatium Apoſtolicum Pontifici auſcultaturi congregentur: poſtremo beneficia Parochialia ipſis perpetuo confert, ea præſcripta lege, ut in principalibus Eccleſiis Officia divina viciſſim peragerent. Quo decreto intendiſſe mihi videtur

tur Johannes veluti digito ad decretum deceſſoris ſui Stephani III, a quo ſancitum refert Anaſtaſius: *Ut omni die Dominico a ſeptem Epiſcopis Cardinalibus Hebdomadariis, qui in Eccleſia Salvatoris obſervant Miſſarum ſolemnia, ſuper Altare B. Petri celebraretur.* Quin imo ad antiquiora decreta, quæ SS. Damaſo, ac Simplicio ſubinde accepta referenda eſſe affirmat Cl. Blanchinius Anaſtaſii tom. 3. in Not. hiſt. ad S. Damaſum ſect. 53. pag. 37, quibus Cardinalibus Epiſcopis ſeptem Lateranenſi Baſilicæ adfixis, Presbyterorum Cardinalium partitio ſeptenaria pro quatuor aliis Patriarchalibus Eccleſiis SS. Petri, Pauli, Laurentii, & Liberianæ facta fuerit. Confer Blanchinium loco ind., & Mabillonium Comment. in Ordin. Rom. cap. 4.

Pervaſerat ſub hæc tempora purgationum uſus, quo nempe a crimine prorſus abſtergebatur, cujus ſuſpicione laboraret, qui illæſa manu ferrum candens contrectaret, aut manum in aquam ferventem immitteret ſine detrimento: qua de abuſus ſpecie, aliiſque ſimilibus conſuleſis Cl. Muratorium Antiq. Italic. diſſert. 38. Hunc igitur purgationum, ſuperſtionis plenum morem per ferventem aquam, vel ferrum candens ſuſtuliſſe fertur Stephanus V, aliis VI. in Reſcripto ad Heribertum Moguntinum Archiep. apud Carriere in hiſt. Chronolog. Rom. Pontif., ſive ad Humbertum apud Gratianum Can. 20. *Conſuluiſti* 2. q. 5. At Reſcriptum iſtud, quod nullum inter germanas Stephani V. epiſtolas locum habuit, ſuſpectæ admodum fidei evaſit Zegero Bernardo Van-Eſpenio Jur. Eccleſ. univ. par. 3. tit. 8. §. 32; ideo præſertim quod poſt iſtud decretum frequentari purgationes hujuſmodi non deſtiterint. Reſcripti hujuſce loco accipe aliud indubium, inſigneque poteſtatis ſpecimen, qua leges ad diſciplinam ſpectantes ſolvendi Pontifex unus, ac relaxandi pollet. Apud eumdem Pontificem, cujus juſſu Photius e ſede Conſtantinopolitana penitus fuerat exturbatus, litteris miſſis, legatiſque cum Leo Imp. cognomento Sapiens, tum Stylianus Neocæſareenſis Metropolita ſuo, Eccleſiæque totius Orientalis nomine, obnixe obſecraverant, tam ut Stephani recens Photio ſuffecti electionem ratam haberet, ejuſque in ordinatione violatorum Canonum veniam largiretur, quam ut populo ignoſceret, qui Photii dolo, fraudeque deceptus poſt obitum

S. Igna-

S. Ignatii eidem rurſus adhæſerat. Notanda ſunt inter alia verba ſequentia, quibus Stylianus ad Stephanum ſupplex accedit: *Quoniam ſcimus, quod a veſtra Apoſtolica Sede corrigi, & juxta Canones corripi debemus, hac de cauſſa humilibus his noſtris litteris tuam oramus Venerabilitatem, ut miſericorditer nobiſcum agas.* At magis notatu digna, quæ reſpondit Pontifex, diligenti nimirum inquiſitione eo in negotio ſibi opus fore, ac procedendum, mittendos proinde Conſtantinopoli Romam Epiſcopos, quorum ope rerum ipſe geſtarum certior fieret: *Romana enim*, inquit, *Eccleſia inſtar ſpeculi, & exemplaris, reliquis Eccleſiis conſtituitur; & quodcumque definierit, in ſempiternum manet incorruptum; & hac de cauſſa ſententias magna cum inquiſitione ferre decet.* Atque plane gemina Rom. Pontificum laus, ut quam de privilegio infallibilitatis ſunt ſibi conſcii, ac ſecuri, tam de præmittenda diligentiori, quæ poſſibilis ſit, inquiſitione, antequam ad definitivas ſententias procedant, anxii ſint, ac ſolliciti.

Igitur anno 889. Conſtantinopoli Romam advenerunt Epiſcopi cum litteris, quas, fatis functo Stephano, Formoſus ſuſcepit, qui ad Stylianum reſpondens, legatiſque Conſtantinopolim ablegatis, duo lapſorum diſtinxit genera; ac Laicos venia dignos, non ita Sacerdotes, dixit: *Quia Photius*, inquiens, *dignitatem præbere non potuit, qui dignitatem non habebat: nihil dare potuit, præter damnationem, quam habuit per impoſitionem obliquæ manus, & damnationem præbuit* &c. Quibus ſane verbis non invalidas, ſed illicitas dumtaxat Photii ordinationes declaravit. Indulſit interea, ut ordinati a Photio ad laicam Communionem admitterentur, ea tamen lege, ut Photium diris cunctis devoverent; utque oblatis libellis ſe deliquiſſe confiterentur, ac pœnitentia veniam deprecarentur. Sub id etiam temporis, ſcilicet annum 892. idem Formoſus cum in Eccleſia Africana Saracenorum jugo ſubacta diſſidiis Epiſcopos inter excitatis, tum in Eccleſia Orientali hæreſibus, ac ſchiſmatibus exortis occurrere non deſtitit, habitaque Romæ Synodo malis omnibus, eo quo poſſet meliori, mederi ſtuduit modo. Ita refert Flodoardus in hiſt. Eccl. Remen. lib. 4. cap. 2. Ob denegatam a Pontifice indulgentiam pro ordinatis a Photio, lapſiſque Sacerdotibus, ad indignationem

nem provocatus Stylianus, homo alioquin, a quo contra Photium S. Ignatii partes olim egregie propugnatæ fuerant, cum iisdem Photianis societatem, fœdusque sancivit, & feriit anno 898, ac Romanæ Ecclesiæ oblatrare cœpit, & calumnias objicere. Conscientia tamen ductus, cui non omnino obdormierat, data ad Johannem IX. epistola postulavit, ut per ipsum liceret cum Photianis consortio sacrorum conjungi: quam licentiam tamen denegasse Pontifex legitur in epistola ad ipsum exarata. Interea idem Johannes ab Heriveo Remensi Archiep. consultus de Normannis nuper ad Christiana sacra conversis, quorum plerique quamvis Baptismo regenerati Gentilium mores retinebant, quin imo in Christianos, ac Sacerdotes violentas, truculsque manus injicere non timebant, quodque ad flagitiorum cumulum accedebat, Idolis immolare, vesciique idolothytis non verebantur, respondit cum Normannis in schola Christianæ Religionis adhuc tyronibus, ac rudibus a Canonum severitate temperandum sibi esse, mitiusque tractandum cum eis, quam disciplina Ecclesiastica decernat alioquin, & ferat: *Ne forte*, inquiens, *insueta onera portantes, importabilia illis fore, quod absit, videantur, & ad prioris vitæ veterem, quem exspoliaverunt, hominem, antiquo insidiante adversario, relabantur*. Vetus, & nova, ac nunquam obliteranda hæc est in Romana Ecclesia discretionis, & humanitatis disciplina, lapsis, imbecillibusque lucrifaciendis quammaxime accommoda.

Juxta Canones in Ecclesia Orientali sacratos Trigamia vetita erat, quia nihilosecius Leo Sapiens Imper. quartam duxerat uxorem, ab Ecclesiæ aditu a S. Nicolao Mystico Patriarcha Constantinopolit. prohibitus est, quem vice reddita e Throno deturbatum in Monasterium detrusit Imperator, ejus in locum subrogato Euthymio. Porro quod Tetragamiam permisissent Apostolicæ Sedis Apocrisiarii, atque Leonis quartas nuptias approbassent, gravem in Romanam Ecclesiam conflandi invidiam Constantinopolitana Ecclesia occasionem arripuit, & Nicolaus ipse datis ad Landonem P. M., sive ut autumat Pagius ad an. 912. n. 6, ad Anastasium III, litteris querelarum plenis de hujusmodi Nuptiis a Legatis suis indultis contra Ecclesiæ Græcæ disciplinam gra-

graviter excepit. Verumtamen paullo poſt fœderis diſrupti pœnitens, redintegrandæque pacis cum Romana Eccleſia cupidiſſimus, exaratis ad Johannem X. litteris obſequio refertiſſimis obſecravit, ut Eccleſiæ utriuſque concordia inſtauraretur, inſtaurandæque hanc viam indicavit, videlicet ut Eccleſiæ utriuſque reciproco conſenſu declararetur quartum connubium non rei ipſius, ſed perſonæ Imperatoris gratia fuiſſe permiſſum, ſuadente tum ratione temporis lenitatem hanc, atque affectum erga Principem indulgentiorem, ne repulſa nimirum ipſius offenſus animus, exaſperatuſque deteriora in Eccleſiæ diſcrimen moliretur. Oeconomia quadam ſibi agendum ratus Pontifex Eccleſiam Græcam Romanæ communioni devinciendi gratia miſſis Conſtantinopolim anno 920. Legatis in Nicolai Patriarchæ ſententiam tantiſper conceſſit, ita tamen, ut juxta S. Romanæ Eccleſiæ doctrinam Tetragamia abſolute non damnaretur. Ita Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ concordiam, quæ anno 515. exulaverat, redditam denarrant ex Curopalate Baronius, & ex Leone Grammatico Pagius ad an. 920. n. 1. Inter Novellas 13. a Conſtantino Porphyrogenneta editas, quas in fine lib. 2. de Thematibus Occidentis regeſſit Leunclavius, decima tertia legitur data anno 920, qua tertiæ, & quartæ Nuptiæ interdicuntur. Quin etiám ulterius progreſſi aliquot Orientales tertias, & quartas Nuptias illicite, & invalide contrahi aſſerere, ac polygamiæ veluti loco habere non dubitarunt. At contradicente Romana Eccleſia Eccleſiæ Orientali nunquam fas fuit impedimentum iſtud lege lata ſancire, ac Trigamiam explodere. Confer Benedicti XIV. Conſtitutiones 57, & 129, quibus hunc Orientalium errorem redarguit, eliminatque.

Ut ut in triſtiſſima, infeliciſſimaque tempora inciderimus, ſub quibus Romanam Eccleſiam domeſtico exagitari bello, ac Rectorum aliquot deformari moribus contigit, nihil obſuit tamen, quominus integra fide ſibi conſtaret, quin etiam virtute probos, diſciplinæ ſtudio flagrantes, dignitatique pares in Pontificali faſtigio ſuſpiceret, & deſideraret, qui nonnullorum probra abunde compenſarent, ſtrenueque ad reparandam Eccleſiaſticam Rempublicam ſe conferrent. In his Leo VII, in quo libellum

ſuum de Rom. Pontif. claudit Flodoardus apud Muratorium to. 3. Scriptor. Rer. Italic. par. 2., quemve digno profecto mactat elogio, atque a Johannis Stellæ obtrectationibus egregie vindicat Papebrochius in Con. Chron. hiſt. §. 129, quum ex Gerardo Lauteacenſi Archiep. Pallii accipiendi cauſſa Romam profecto varios, graveſque abuſus in Galliam, ac Germaniam adverſus veteris diſciplinæ puritatem obrepſiſſe intellexiſſet, Decretali exarata ad earum Eccleſiarum Epiſcopos apud Harduinum tom. 6. pag. 577. collapſam, ac in deterius proruentem diſciplinam in priſtinum decus inſtaurare ſtuduit, inter alia Cognationis ſpiritualis impedimentum a S. Zacharia olim appoſitum Matrimoniis confirmans, ac gradus affinitatis, & conſanguinitatis affigens, intra quos contrahi non liceret conjugia: Chorepiſcopos a conſecrandis Eccleſiis, Presbyteris ordinandis, ac Chriſmate fidelibus conſignandis interdicens, ac Sacerdotes a connubiis, quin etiam a fœminarum contubernio, eorumque filios a Clericorum albo ablegans. Altera ejuſdem Pontificis epiſtola ad Hugonem Francorum Principem, & Monaſterii Turonenſis Abbatem anno 938. exarata profertur in Spicilegio Dacheriano tom. 2. pag. 375, ex qua liquido adparet, quam inſigni, flagrantique zelo Pontifex hic ſacrorum locorum cultum, ac religionem curaret, reſtituereque eniteretur. Agapeto II. clavum Eccleſiæ univerſæ tenente, de Remenſi Archiepiſcopatu contendebant Artaldus, & Hugo. Artaldo a Synodo Virdunenſi anno 947. Eccleſia illa adjudicata eſt: at Pontificem appellavit Hugo, eique obrepſit, litteraſque obtinuit, quibus Remenſi Eccleſiæ reſtituebatur, quaſque in Synodo Moſomenſi anno ſequenti expoſuit. Atqui haſce fraude obtentas, atque ab Hugone Pontifici fuiſſe obreptum quum agnoviſſet Synodus, contra Hugonem pronunciavit: quam Synodi ſententiam Marinus Legatus miſſus ab Agapeto in Synodo Engilenheimenſi eodem anno 948. confirmavit, teſte Flodoardo in Chron. ad hunc annum, & lib. 4. hiſt. Rem. cap. 31. Quum autem hominem Artaldus exuiſſet, Epiſcopi nonnulli in eam conceſſere ſententiam, ut Hugoni vacua Remenſis Sedes tribueretur. Habita eſt hac de re Epiſcoporum 13. in Meldenſi Pago anno 962. Synodus, in qua tamen, Romano Pontifice inconſulto, nihil

ſibi

ſibi decernendum eſſe probe intelligentes Epiſcopi, Johannem XII. conſulendum duxerunt, ac prout oportebat, deprecantes, ut cum Hugone benigne diſpenſaret: qui reſpondit Hugonem Remenſi a Cathedra omnimode abigendum: quo habito reſponſo, Hugone amoto, Odalricum Remenſem Epiſcopum inaugurarunt. Confer Flodoardum in Chron. ad eumdem annum, nec non Labbæum in Not. ad hanc Synodum, & ad hunc Flodoardi locum.

Diſpenſationes circa impedimenta Matrimonii perperam ſibi arrogabant Galliarum Antiſtites, quas uni Apoſtolicæ Sedi vindicandas, aſſerendaſque Gregorius V. ſuſcepit. Quum enim Robertus Francorum Rex Bertam conſanguineam ſibi Matrimonio copulaſſet, eique Matrimonio conſenſum adjeciſſent ſuum Galliarum Epiſcopi, congregata anno 998. Synodo Gregorius utrumque improbavit, utroſque graviter objurgavit, atque ad eam dimittendam Regem compulit, eidem, non ſecus ac pellici inflicta ſeptem annorum pœnitentia. Sed & Erchembaldum Turonenſem, qui Matrimonio illos conjunxerat, ac Epiſcopos, qui eaſdem nuptias præſentia ſua, aſſenſuque cohoneſtarant, a communione ſuſpendit, donec ad Apoſtolicam Sedem ſatisfacturi veniſſent. Venientes autem fecerunt ſatis, aque a Pontifice accepta pœnitentia, dimiſſi ſunt ad propria. Legere præſtat Canones 1, & 2. Concilii Romani apud Harduinum tom. 6. pag. 755; S. Petri Dam. epiſtolam 15. lib. 2. ad Deſiderium, & S. Leonis IX. epiſtolam ad Henricum Regem Roberti filium apud Ivonem par. 9. cap. 8. Primum, qui ſacræ Militiæ claſſicum cecinerit, Silveſtrum II. refert Baronius ad an. 1003. n. 6, quo loci hujuſce Pontificis epiſtolam recitat nomine Eccleſiæ Hieroſolym. undique ab hoſtibus Chriſtiani nominis devaſtatæ ſcriptam ad univerſalem Catholici Orbis Eccleſiam Romanam petendi cauſſa ſubſidii. Ab eodem vero Silveſtro magiæ calumniam impactam ab hominum mendaciſſimo Bennone, centum annis ab obitu, & a Martino Polono improvide recoctam, atque ab hæreticis Pontificii nominis hoſtibus paſſim refictam amoliuntur Baronius ad an. 999. n. 4, & Gretzerus in exam. Myſterii Pleſſiani cap. 43. Sed & a ſimoniæ labe, ac ſuſpicione, qua aſperſus fuit a Vielio in tract. de ſimonia cap. 15, abunde eumdem abſterſit ipſemet Petrus Brujus

hiſt. Pontif. pag. 308, & ſeq. De controverſia a Silveſtro II. definita inter S. Bernuardum Hildesheimenſem Epiſcopum, & Willigiſum Archiep. Moguntinum de jure Diœceſano adiſis Mabillonium in Act. SS. Bened. ſæculo VI. par. 1. pag. 214, & ſeqq., Fleurium hiſt. Eccl. lib. 58. §. 3, ac Henſchenium ad diem 4. Maji.

Quod ſi ad Pontificis Maximi partes quammaxime pertinet de juribus Diœceſanis decernere, quin in Diœceſibus ipſis jus exerceri ab eodem poſſit Pontifice, quis dubitet? Inter innumera, quæ ad hanc illuminandam doctrinam, firmandamque documenta attuli, locum heic faciam dedicationi famoſæ Eccleſiæ, Abbatiæque, quam Fulco Andegavenſium Comes Hieroſolymis regreſſus in finibus Turonenſium ultra Augerum Fluvium apud Bellolocum conſtruxerat, ac Romanæ Eccleſiæ juri, ditionique addixerat. Johannes XVIII. locum illum ſuam in tuitionem, ac poteſtatem libenter tranſcripſit, interdictis Epiſcopis ſub anathematis minis, ne quid juriſdictionis in illum ſibi arrogarent. Ægerrime id privilegii ferens Hugo Archiepiſcopus Turonenſis Romam profectus a Sergio IV, quem Johannes exceperat, poſtulavit, ut juxta Canones, ac Juſtiniani leges etiam Civiles, Eccleſia illa a Fulcone conſtructa ſibi dedicanda permitteretur. Verum Hugonis petitione repulſa, Roma miſſus a Sergio Petrus Viterbienſis Epiſcopus anno 1010. Monaſterium illud, Eccleſiamque vice ſua dedicavit, ac unius Pontificis immediatæ poteſtati obnoxium deinceps manere decrevit. Totum id conſtat ex Johannis XVIII, & Sergii IV. Diplomatibus ex ejuſdem Monaſterii Chartophylacio deſcriptis a Fratribus San-Marthanis tom. 4. Galliæ Chriſt., inſpectiſque a Petro de Marca, ut ipſe fide affirmat ſua lib. 4. Concord. cap. 8: ex quibus Cl. Thomaſſinus vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 6. n. 2, & 3, aliiſque pluribus, quæ ibidem conglomerat, documentis, concludit, definitque in Romani procul dubio Pontificis facultate poſitum eſſe in toto, qua late patet, Chriſtiani Orbis tractu, Eccleſias dedicare, aliaque hujus genus immediatæ juriſdictionis argumenta exhibere. Adjungit propterea fidem non adhibendam Glabro Rodulpho, dum lib. 2. cap. 4. refert huicce privilegio Belliloci Cœnobio conceſſo Gallicanos Epiſcopos ſuccenſuiſſe, interceſſiſſeque, quo Canones impune contemnerentur;

rentur; eamque Eccleſiam ipſo conſecrationis die miraculo corruiſſe, ut documento eſſet, permittente Deo, Romanum Pontificem id facinus contra fas, Canoneſque perpetraſſe. Illuſtriſſ. Boſſuetius propterea, qui defenſ. par. 2. lib. 11. cap. 7. huicce Glabri Rodulphi narrationi plurimum detulit, non ut dignitate tam clarum, quam doctrina virum decebat, ſatis accurato Criterio uſus eſt; faciliuſque, quam par fuiſſet, pro ſua præcepta opinione, ab illius fide ſe abripi permiſit. Porro haud abſimile privilegium Fructuarienſi Monaſterio in Pedemontio a Willelmo ædificato largitus eſt Benedictus VIII, de quo Ughellus Ital. ſac. tom. 1. pag. 996, & ex ipſo Harduinus tom. 6. pag. 819; Agaunenſi in Valeſia S. Leo IX, de quo Brujus p. 347; Weſtmonaſterienſi Cœnobio in Anglia a S. Eduardo Rege extructo contulere S. Leo IX, & Nicolaus II, de quo Baronius ad annum 1060. n. 10, & ſeq.; Cluniacenſi, & Corbejenſi in Gallia idem S. Leo IX. epiſt. 13. & 14, & Alexander II. epiſt. 19, & 43; Florentino in Italia Nicolaus II, de quo Harduinus tom. 6. pag. 1055; Viſegradenſi prope Pragam ab Uratislao Rege an. 1070. ædificato præc. Alexander II, de quo Pagius ad eumdem ann. n. 17; Sigebergenſi in Germania idem Pontifex epiſt. 9; Sandionyſiano, & Vindocinenſi in Gallia idem epiſt. 20, & 40; Cœnobiis, Eccleſiisque S. Petri, & S. Mariæ in Prov. Narbon. S. Gregorius VII. lib. 9. epiſt. 6, & 7; Cavenſi in Italia Urbanus II, de quo Baronius ad annum 1092. n. 15; Caſſinenſi idem Pontifex epiſt. 1. apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1627; de quibus plura, quæ oppido ſuppetunt, congerere heic non præſtat, copioſius vero agam paullo poſt.

A Benedicto VIII. in Synodo Ticinenſi intra annum 1014, ac 1024. habita, veluti Harduino viſum eſt, ſeptem capitibus ſancitis de Clericorum continentia, de eorumdem filiis, boniſque Eccleſiæ ſervituti ſubjugatis, deque eiſdem bonis ab Eccleſiæ ſervitute nullo a Judice laico abſolvendis, tum Eccleſiæ dominiis, tum Eccleſiaſticæ diſciplinæ rite conſultum eſt. Veronæ anno 1014, velut ex Romana anno 1027. colligit Manſius in Supplem. Concil. tom. 1. pag. 1229, & ſeq., altera Synodo habita, ab eodem Pontifice dicta eſt dies Aquilejenſi, & Gradienſi

denſi Patriarchis, qui jamdiu de Patriarchicis juribus diſceptabant. A Johanne XIX. tandem in Concilio Romano an. 1027. celebrato, cujus acta in lucem emiſit Cl. Rubeus Monum. Eccl. Aquilejen. tom. 1. cap. 55. pag. 513, & ſeqq., definita ea cauſſa eſt, ac pro Aquilejenſi deciſum jus, ſcilicet Metropoliticum, ſupra Gradenſem. Gradenſis attamen in altera Synodo Romana apud Ughellum Ital. Sac. tom. 5. pag. 1110. legitur a ſubjectione Aquilejenſis omnino abſolutus. Quamquam Acta illa apud Rubeum in dubium revocat doctiſſ. Manſius in Not. ad hiſt. Eccleſ. Natalis ſæcul. XI, & XII. cap. 1. Jus Metropoliticum eidem Gradenſi ſubinde aſſeruit in Synodo Romana anno 1044. Benedictus IX. apud Ughellum, qui eodem in Concilio minis intentatis Bzetislaum Bohemiæ Ducem adegit ad pœnitentiam agendam ſacrilegæ rapinæ, qua ſacra lipſana SS. Adalberti, Fratriſque Gaudentii e Gneſnenſi Urbe Pragam aſportarat, uti refert Echardus Annal. Saxon. Porro belli juſti, quod Polonis inferebat, obtentu ſpolium illud ſe juſte admiſiſſe Bzetislaus autumarat. At inanem excuſationem iſtam excluſit Pontifex, atque in bello licet juſto abſtinendum a ſacris, nec licere Deo res dicatas auferre, Sediſque Apoſtolicæ abſque licentia ſacras Reliquias transferri declaravit. Illud autem haud involvendum ſilentio, quod præpoſteram opinionem de peſſima Benedicti IX. morte, quæ ſeptem ferme per ſæcula hominum mentibus inſederat, ac per omnium impune ora diſcurrerat, nuper de Sepulcro hujuſce Pontificis in Templo Monaſterii Cryptæ-Ferratæ detecto locupleti Diatriba edita Romæ an. 1747. ita abſterſit doctiſs. Gregorius Placentinus Ord. S. Baſilii Monachus, ut dubitandi de Benedicti IX. pio obitu deinceps ullum non reliquerit locum. Vindicias haſce agit ope antiqui Codicis Mſ. Membranacei Bibl. Crypto-Ferratenſis n. 26. optimæ fidei, certæque antiquitatis probato a duobus Cl. Bibl. Vaticanæ Scriptoribus Franciſco Mariano, & Felice Samuele Rodotà, eleganti charactere a Johanne Roſſanenſi anno 1230. exarato, adjunctis documentis aliis depromptis ex Archivo ejuſdem Monaſterii. Hoc in Codice, dum vita deſcribitur S. Bartholomæi IV. Abbatis Cryptæ-Ferratæ, de Benedicto IX. refertur, ipſum tandem hortante eodem S. Bartholomæo ad fru-

ad frugem ſe recepiſſe, ac Pontificatu abdicato, in Monaſterium ſub ejuſdem Abbatis diſciplina, Monachi habitu induto, ad agendam pœnitentiam ſe contuliſſe, qua egregie perfunctum eodem loci pie fini demum conceſſiſſe ſuo. Codici conſona tradi obſervat vir doctus a S. Luca ejuſdem Monaſterii Abbate VII, ac diſcipulo S. Bartholomæi, cujus acta ſincera deſcripſit fide, in Canone, qui ad Completorium, recurrente ejuſdem S. Bartholomæi celebritate, etiamnum canitur, Ode 8. Tropario 2, & Ode 9. Tropario 3. Confirmat fidem Codicis Crypto-Ferrat. documento petito ex Codice Mſ. Vatic. n. 1984. laudato a Montfauconio in ſua Bibliotheca Bibliothecarum ſub hoc titulo: *Benedicti IX. geſta* an. 1046, aliiſque plurimis apud ipſum luſtrandis: ex quibus demum tum Bennonis, tum Vacli, quibus propinantibus fabellam poſtea abſque delectu adoptarunt Cardinalis Humbertus, & S. Petrus Damiani, commento, & calumniæ nullam prorſus fidem præſtandam concludit, & definit. Attingit hæc ipſa, ſed feſtinanter Franciſcus Brujus in hiſt. Benedicti IX, quorum veritatem perſpectam undequaque ipſum habuiſſe oportet, qui pro ſua impudentia hæc infiteri nequivit.

Idem, qui inferiores Eccleſiarum Præſules honoribus afficere, ac privilegiis adaugere non pepercit, S. Leo IX. nec unquam a propriis in tuto ponendis juribus, diſtringendiſque, quum opus foret, in Epiſcopos ipſos deſtitit. Itaque litem jamdiu exagitatam Forojulienſem inter, & Gradenſem Patriarchas de primo honoris loco, præcipuaque juriſdictionis parte decidit, ac diremit. In Synodo Romana I. anno 1049. totius Galliæ Belgicæ primariam Sedem Trevirenſem pronunciavit, data Bulla, quam ex Lunigii Spicilegio pag. 202. deſcripſit Manſius in Supplem. Concil. tom. 1. pag. 1285, & ſeqq., qua pariter in Synodo virtutibus S. Deodati ex Nivernenſi Epiſcopo Abbatis Vallis Galliæ in Veſago illuſtre reddidit teſtimonium apud Papebrochium ad diem 19. Junii. Epiſcopos gradu detrudere, & generalia Concilia indicere ad unius Pontificis M. jus pertinere vice plus ſimplici declaravit in epiſt. 3, & 4. ad Africanos Epiſcopos. Quam graves, & quam ſæpius pœnas in exleges Clericos, & Epiſcopos diſtrinxerit, quove ſtudio, & quam ſedulo collapſæ diſci-

plinæ

plinæ reparandæ, ac in priſtinum decus reſtituendæ adlaborarit, liquet ex epiſtolis 11, & 15, atque ex Synodis frequenter habitis Romæ, Remis, Moguntinæ, Vercellis, Siponti &c. anno 1049, & ſeqq. S. Petrus Damiani in epiſt. 16. ad Henricum Raven. Archiep. cap. 27. decretum recitat a S. Leone editum, quo Clericos ab hæreticis revertentes in his quidem, quos adepti ſunt, gradibus recipi permittit, ad ſuperiores tamen ſcandere prohibet. In epiſtola 1. ad Michaelem Cerularium, & Leonem Acridanum cap. 23, qua Romanæ Eccleſiæ dogmata, ritus, dignitatemque vindicat, & defendit, viciſſim Eccleſiæ Græcanicæ exprobrat levitatem, diſciplinæque laxitatem in ordinandis Eunuchis Epiſcopis, adeo ut loco unius fœminam ordinatam fuiſſe ad ſe famam retuliſſe affirmet. Ex quo haud leve documentum ad fabulam de Johanna Papiſſa, quam, ſi veritate conſtitiſſet, ut vulgata eſt, in Pontificem ipſum regerere Cerulario pronum erat, profligandam traxit doctiſſ. Mabillonius in præf. ad ſæculum VI. Bened. par. 2. §. 1. Cum eodem Mabillonio lib. 2. de re Diplom. cap. 25. §. 7. obſervare heic obiter liceat a S. Leone IX. ſub ipſum Pontificatus ſui initium Diplomata annorum Incarnationis, ſive Nativitatis Dominicæ nota obſignari cœpiſſe, quamvis eam notam non ſemper deinde in Diplomatibus omnibus uſurparit; quidquid contra Aventinus comminiſcatur, uſum huncce a S. Paſchali I. deducens, ſiquidem vir diligentiſſime alioquin in re Diplomatica, & antiquaria verſatus nullum ante S. Leonis ætatem Diploma hoc calculo notatum ſe deprehendiſſe teſtatur. Hunc eumdem ritum Diplomata conſignandi data annorum Incarnationis Dom., qui poſt S. Leonem ſedere Pontifices, Victor II, Stephanus IX, Nicolaus II, Alexander II, S. Gregorius VII, & Victor III. etiam ſervarunt, licet eodem non ſemper uſi ſint, velut ex ipſorum Diplomatibus adparet. Ex quibus liquido infert Vir doctiſſ. longe ante Eugenium IV. Bullis Pontificiis annos Incarnationis appoſitos fuiſſe, etſi Eugenius IV. primus cenſeri potuerit, qui ritum illum vel intermiſſum reſtituerit, vel jugiter retinendum exemplo ſuo oſtenderit, vel, ſicuti Papebrochius interpretatur, etiam Brevia ſub annulo Piſcatoris, veluti vocant, hac pariter afficiendi nota, qua pridem Bullæ dumtaxat conſignari conſuebant,

bant, uſum introduxerit. Qua de re haud ex integro adhibenda fides eſt Paulo Middelburgio Foroſempronienſi lib. 13. Paulinæ ſuæ cap. 6. ſcribenti ab Eugenio IV, adhortante Blondo Forojulienſi, omnium primo in Reſcriptis uſurpari annotum a Chriſti D. Incarnatione ſupputationem occepiſſe. Pejus vero erravit Ciacconius, ſecumque pertraxit in errorem Papebrochium, dum huic Pauli narrationi ſubnixus ſcripſit imperterrite in Iſagoge ſui operis ſuſpectas interpolationis eſſe, debereque æſtimari omnes ante Eugenii IV. epocham Conſtitutiones Pontificias annis Incarnationis Dominicæ conſignatas. At Papebrochius, qui in Propylæo April. errotem Ciacconii ebiberat, ad Mabillonii ſententiam acceſſit ſubinde in diſſert. 38. Conat. Chron. hiſt., ubi cum eodem Mabillonio etiam obſervat a S. Leone IX. uſum pariter inductum Monogrammata aſſumendi, ſive propriam quamdam gnomen, vulgariter Symbolum, e ſacris ut plurimum litteris acceptam, qualem hanc ex Pſal. 32. S. Leo deſumpſit: *Miſericordia Domini plena eſt terra*. Obſervat denique ab Urbano II. invaluiſſe uſum, quo Bullæ Pontificis nomine ſubſignentur, ac deinde Cardinalium ſyngrapha ſubſcribantur.

In Victoris II. commendationem vergit, quod ex fide Lantfranci refert Baronius ad annum 1055. n. 1. eum S. Leonis veſtigiis relectis, cunctis in Conciliis, quæ celebravit, aut celebranda curavit, confirmaſſe quæcumque a deceſſore ſuo ſive circa dogmata fidei, ſive circa morum diſciplinam optime fuerant decreta. Neque parva hujuſce pars laudis adhæſit Stephano IX, a quo, dum ſub Friderici nomine Apocriſiarium S. Leonis IX. ageret, adverſus Græcorum calumnias librum de Corpore Domini, & alterum de eodem argumento contra Nicetam Pectoratum, adverſuſque Fermentaceorum hæreſim, elucubratos fuiſſe referunt Anonymus Mellicenſis cap. 86, & Petrus Diaconus de viris illuſt. Caſſin. cap. 17. tom. 6. Script. Rer. Ital., ubi confer adnotationem Johannis Bapt. Mari, ac Pagium ad an. 1053. n. 12. Eo etiam elogio Stephanum mactat Jo: Stella, quod Romanæ Eccleſiæ Mediolanenſem, quæ a Romana ducentis ferme annis deſciverat, tandem, ut Superis placuit, reconciliaverit. Sed in eo Scriptor iſte, ſicuti ſolet, turpiter errat, quod temporum rationes ſæpe

confundit, rerumque, atque cauſarum levem admodum habet delectum. Rebellionis iſtius non unum exordium, non una ſpecies, & cauſſa, nec unus, idemque exitus extitit. Superbiæ cujuſdam ſpecie, minus veri ſchiſmatis Angelbertus Mediolanenſis Antiſtes electus an. 824. ab Eugenio II. Pallium dignitatis inſigne petere aut neglexit, aut contempſit, quo in contemptu, ſive negligentia duratum eſt uſque ad annum 1025, quo Aribertus a Johanne XIX, non autem a Stephano IX, ut ait Stella, Pallio petito, obedientiæ canonicæ debita obſequia dependit. Qua de re adeundus Papebrochius in diſſert. 39, alias 22. Conat. Chron. hiſt., ac in Theſaur. Eccleſ. antiq. pag. 302, & ſeq. Diverſam ob cauſſam, diverſoque anno diverſum excitatum diſſidium eſt, quo Eccleſia Mediolanenſis a Romana diſcindi, ſed & in ſemet diſcerpi viſa eſt. Scilicet anno 1057. ſub Guidone Archiepiſcopo Clericos inter, & Cives, hinc ſimoniæ, & incontinentiæ vitiis deditos, illinc ab hiſce ſordibus ſummopere abhorrentes, ingens exarſit incendium: cui extinguendo Stephani IX. juſſu Synodus indicta eſt Novariæ, ſed in ea flagitioſorum prævalente factione, in S. Arialdum, & Landulphum, tum abſentes, qui in operæ partem adſcitis S. Herlembaldo, & Nazario a nefandiſſimis ſimoniæ, & pellicatus ſordibus expurgare Mediolanenſem Eccleſiam conabantur, iniquiſſime anathema jaculatum eſt: quod irritum tamen, ac nullum Pontifex declaravit, admotis ſtimulis iis, qui eo perculſi fuerant, ut non propterea ab egregio incepto opere deſiſterent. Poſtmodum a Nicolao II, quem ſucceſſorem exceperat Stephanus, Mediolanum legati miſſi S. Petrus Damiani, & Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, ut nobiliſſimæ Eccleſiæ a Simoniaca labe, & Nicolaitarum ſpurcitiæ abſtergendæ, ac in priſtinum decus reſtaurandæ conjunctis viribus collaborarent. Verum ex integro, & voto res illis non ſucceſſit, ideo idem Anſelmus Pontifex factus ſub Alexandri II. nomine SS. Arialdo, & Herlembaldo vices demandavit ſuas concubinarios, ac ſimoniacos Clericos compeſcendi, datiſque vexillis, eoſdem defenſores Eccleſiæ conſtituit: quemadmodum iis præberi vexillum conſueverat, qui adverſus Paganos, Schiſmaticos, & Hæreticos pugnaturi deſcendiſſent.

Atqui

Atqui non una Mediolanenſis Eccleſia tum ejuſmodi contumelia laborabat, ac domeſtico lacerabatur diſſidio, eodem incontinentiæ, ac ſimoniæ morbo infecta pars Italiæ quam magna, eodem pariter inteſtino diſcordiarum incendio conflagrabat. Nihil exinde Nicolaus II. egit intentiore cura, quam ut ex Italiæ finibus adeo nefanda flagitia propelleret, ac tum Simoniacos, qui interdicta Sacrorum conſortia, tum Nicolaitas, qui vetita Sacerdotum connubia defendere non exhorrebant, ad frugem reduceret, & ad officium. Ideo Canonibus 13. in Concilio Romano an. 1059. adornatis, laſcivientibus Clericis, & ad omnem licentiam profuſis, ſed & ſacrilego pretio aditum in Eccleſiam ſibi aperire, gradumque ad Eccleſiaſticas dignitates facere non extimeſcentibus; Laicis ipſis præterea ab illicitis contuberniis, aut a conjugiis illegitimis temperare ſibi nolentibus, juſtiſſimos frænos injecit. Sed intra Eccleſias Italiæ non ita Nicolai cura ſe cohibuit, quin etiam ad Gallicanam ſe extenderet, ad cujus Epiſcopos ſcripta epiſtola 7. edit. Harduini tom. 6. pag. 1058. ad obſervanda decreta tum a deceſſore ſuo S. Leone IX, tum ab ſe in Romana Synodo edita de Clericorum continentia tum monitis adhortatus eſt, tum mandatis adſtrinxit. In eamdem curam ingreſſus Alexander II. Romæ anno 1063. habita Synodo, ac duodecim editis decretis, nihil habuit antiquius, quam a deceſſoribus ſuis S. Leone, & Nicolao ad extirpanda incontinentiæ, & ſimoniæ flagitia ſalubriter decreta fuerant, confirmare, & ad priſtinum decus, ac puritatem Eccleſiaſticam diſciplinam erigere: quibus decretis, encyclica data, obſtringi Epiſcopos omnes voluit. A generali ad particulares gradum faciens Eccleſias, atque incipiens ab Italis, quas aliis exemplo prælucere cupiebat, ad Florentinam imprimis, quam ſimoniaca labes quammaxime infecerat, expurgandam ſe convertit, extinguendoque ſchiſmati, quo in dies exardeſcebat, S. Petri Damiani operam, qua plurimum ipſum valere non ignorabat, læto cum ſucceſſu adhibuit. Sed & in Eccleſia Mediolanenſi nondum ſopitum erat ſchiſma, quinimo ita aucta diſſidia a Clericis ſimoniacis, & concubinariis erga SS. Arialdum, & Herlembaldum peſſime affectis, ut illum anno 1066, hunc autem an. 1076. martyrio affecerint. Quare

Alexander tùm litteris datis, tum legatione deſtinata, ab eadem Eccleſia peſtem utramque profligare conatus eſt: quin etiam e⁊ Provincia Gradenſi, quam pervaſerat, ad Dominicum Patriarcham datis litteris, eamdem procul eliminare contagionem pro viribus curavit. In Italiam altera irrepſerat hæreſis a Juriſconſultis nonnullis inducta circa gradus conſanguinitatis, qua Laici potiſſimum contaminabantur, qua contra ſacros Canones generationes a duobus Fratribus altrinſecus prodeuntes, graduſque propinquitatis ita enumerabantur, in argumentum aſſumptis laicis legibus a Juſtiniano Imp. circa ſucceſſiones conſanguineorum ſancitis, ut duo germani Fratres in ſecunda generatione ſe attingere dicerentur, horum Filii in quarta, atque Nepotes in ſexta: quomodo progenie computata, & in hujuſmodi ſexto gradu definita, contrahi deinceps conjugia fas fieret. Ergo in epiſtolis 27. ad Clericos Neapolit, & 38. ad Epiſcopos, Clericos, & Judices Italiæ edit. Hard. deterrimum hunc errorem tam docte proſcripſit, quam diſtricte profligavit. Confer S. Petrum Damiani in opuſc. de contemptu ſæculi, Gratianum Can. 2. *Ad Sedem Apoſtolicam* 35. q. 5, & Gregorium IX. Cap. *Vir, qui a ſtipite de Conſang.*, & *Affinit.* Quo de argumento copioſe alibi diſputatum.

Pleraque alia præclare ab Alexandro II. circa pœnitentias, vota, remiſſioneſque decreta edita ex ipſius epiſtolis 11, 12, 26, atque ſequentibus uſque ad epiſt. 40, aliiſque fragmentis epiſt. regeſtis ab Harduino tom. 6. pag. 1113, & ſeqq., decerpta ſuæ adſcivit Panormiæ Ivo Carnot. par. 2. cap. 81, par. 4. cap. 139, par. 5. cap. 31, par. 6. capp. 405, 409, & 428, par. 7. cap. 151, par. 8. cap. 220, par. 9. capp. 6, 9, 10, 32, & 39, par. 10. capp. 14, 16, 30, 177, & ſeq., par. 12. cap. 24, par. 13. capp. 14, & ſeqq., ac par. 14. capp. 41, & 57. Gratianus etiam in Decretum ſuum retulit Can. 12. *Apoſtolica* diſt. 56, Can. 16. *Siquis* cum ſeqq. 17, & 18. diſt. 81, Can. 9. *Ex multis* 1. q. 3, Can. 1. *In tuis* 7. q. 2, C. *Juxta* 16. q. 1, C. 22. *Siquis* 17. q. 4, C. 11. *Diſpar* 23. q. 8, C. 2. *Notificaſti* 33. q. 5, C. 2, *Ad Sedem* 35. q. 5, C. 5. *Quod autem* ibidem, C. 10. *Multorum* 35. q. 6, Can. 53. *Sufficit* de Conſecr. diſt. 1, alibique ſæpe, quæ apud ipſos legi poſſunt: nam mihi neceſſario contra-

trahendus eſt ſermo. Atque ut nonnulla attingam de cura, quam idem Alexander ad Eccleſias alias extendit, Anglicana occurrit, cujus perſonas Eccleſiaſticas ab injuriis defendendas Willelmo Regi epiſt. 10. commendat; Metropolitanæ vero Cantuarienſi præter Monachos, non alios præficiendos epiſt. 39. Lantfranco præcipit, anathematis minis adjectis in eos, qui decreto huic obluctarentur: quod privilegii Monachis Cantuarienſibus jampridem collatum fuiſſe a prædeceſſoribus ſuis SS. Gregorio M., & Bonifacio IV. perhibet. Hinc operam in Hiſpanias contulit ſuam ad abrogandum in Aragonia tam Gothicum Officium, cui ab eo tempore, quo Gothi Reges ad Chriſtiana ſacra converſi ſunt, Hiſpani paſſim aſſueverant, quam etiam Mozarabicum, ideſt ex Gothico, & Arabico mixtum, quod Gothico ſuffectum fuerat a ſæculo VIII, quo Hiſpaniam Arabes occupaverant, quæ duo Officia cum Gothorum, tum Arabum culpa ita erroribus referta erant, ut Elipandus Toletanus, & Felix Urgellitanus, teſte Flacco Albino in lib. adverſus Felicem, & Elipandum, ex Officiis illis pleraque deſcripſerint in ſui erroris patrocinium, ac defenſionem. In id enim intendebat Pontificis cura, ut ad Romanæ Eccleſiæ Ritus Hiſpanica conformaretur: quod Officium Romanum demum in Regnis quoque Legionis, Caſtellæ, & Navarræ, Urbano II. procurante, ultrocitroque receptum eſt; quod ut reciperetur, operam pridem contulerat ſuam S. Grgorius VII. Nondum tamen omnino Ritui Mozarabico Hiſpani ſæculo XII. deſueverant, unde Eugenius III. in epiſt. ad Clerum, & Popul. Toletanum, ubi ſex adhuc Eccleſiæ veteri Mozarabico Officio vacabant, eaſdem ad Romanos ſe ſe deinceps Ritus exigere juſſit. Poſthac nihiloſecius ardentiſſimis, quibus Franciſcus Ximenius reſtaurandis Liturgicis rebus Mozarabicis, lucique vindicandis anhelabat, votis ſucceſſit, Alvaro Gomezio affirmante ſub finem libri 2. de ejuſdem geſtis, ut in Sacello eleganti ſtructura ædificato in Toletano Metropolitano Templo Ritu Mozarabico Sacra celebrandi quotidie a Julio II. facultas fieret, qui perinde Ritus proprius etiam evaſit ſex aliis Eccleſiis: ſed & Salmanticæ in Sacello Talabricenſi, ab ipſius Fundatore nomine accepto, in Clauſtro majoris Eccleſiæ conſtructo, atque Valliſoleti in Sacello in Paroe-

cia

cia S. Mariæ Magdalenæ erecto, ex indulto Pii IV, Mozarabicum Officium etiamnum obtinet. Gothicis tamen, ac Mozarabicis characteribus, non abſque magnis impenſis, ſuffici characteres vulgares curatum a Ximenio denarrat Gomezius. Quod jampridem in Concilio Legionenſi Æra Hiſp. 1129, Chriſtiana 1091. habito curatum fuiſſe, ut Toletanis videlicet, ſive Mozarabicis ſubrogarentur characteres Gallicani, communes fere tunc in Eccleſia, obſervat doctiſſ. Aguirræus tom. 3. pag. 298. Quin etiam obſervatum eſt a Cl. Mabillonio de re Diplom. lib. 5. ad Tabellam 45, quod ſub id temporis, ſcilicet circa ſæculi XII. medium, Europæi fere omnes Gallicanæ ſcripturæ genus, propria abjecta, ſuſceperant, nempe Itali, & Germani per Imperatores ſtirpis Carolinæ pro Langobardica, & Teutonica; Hiſpani pro Gothica per Bernardum Toletanum in Concilio Legionenſi; Angli quoque per Willelmum Conquæſtorem pro Saxonica. Confer, ſi placet, qui de Liturgia Mozarabica luculenter diſſerit, Johannem Pinium in Tract. hiſt. Chronolog. tom. 6. Julii præfixo, ac tom. 3. Theſaur. Eccleſ. antiq. cap. 6, & ſeqq. Extat etiam Liturgia illa Latine tom. 27. Bibl. PP. Lugd. an. 1672. pag. 644. Confer & Gabrielis Coſsartii Notas in Concilia Hiſpan. anno 1068. apud Harduinum tom. 6. pag. 1159, & ſeqq.

Intra hæc, ſive intra Hiſpaniarum res non ſe cohibuit Alexandri II. ſtudium ardentiſſimum, quo ubique gentium rebus Chriſtianorum Sacris curandis incumbebat, quin in Gallias quoque diſcurreret ad Eccleſiaſticam diſciplinam loco ibidem ſtatuendam ſuo. Multis oppido modis, multaque opera profecto in id deſudavit, veluti fidem indubiam faciunt epiſtolæ 6, 12, & ſeqq. uſque ad 20. ad Gervaſium Remen., 21, 24, 33, ac 36. ad Galliar. Archiep., & Epiſcopos, quibus pleraque diſciplinæ capita tradit, quæ ſermone perſequi omnia non vacat. Non prætereundum illud tamen, quod haud in parvam hujus Pontificis laudem cedit, quod Pontificum Rom. primus Treugam Domini, (verbum ab Hiſpanico idiomate deductum, ideo quod teſte Glabro lib. 4. cap. 5. in partibus Aquitanicis proximis Hiſpaniæ primitus fuerit inſtituta anno 1141), confirmaverit. Porro Baronius ad an. 1034. n. 6, & ſeqq., Petrus de Marca lib. 4. de Concord. cap. 14, Coſſartius

ſartius tom. 9. Concil. in Not. ad Concil. Gallic. pag. 913, Du-freſnius in diſſert. ad Joinvillam de bellis privatis, M. Antonius Dominicius in diſſert. de Treuga, & pace, Pagius ad an. 1034. n. 1, & ſeqq., Pagius Junior in Brev. hiſt. Cronol. in ſeqq. Pontif., aliique obſervarunt ſæculo XI. nequiori privato unicuique injurias ſibi illatas propria auctoritate cædibus, rapinis, incendiis ulciſcendi, cujuſmodi vindicta *Faida* vocitabatur, fas, & facultatem abuſum teterrimum feciſſe. Quibus incommodis, remedium efficacius temporum iniquitate tum non ferente, ut proſpicerent Epiſcopi, cum Magnatibus conſœderatione inita, Treugam Domini, ideſt aliquot dierum inducias ſtatis hebdomadæ diebus, ſcilicet Jovis, Veneris, Sabbati, ac Dominicæ, obſervandam inſtituerunt, ideoque diebus illis ab armis, cædibus, incendiis, rapiniſque omnibus abſtinendum erat. Treugam itaque iſtam a pleriſque jam Synodis in Provinciis Aquitanica, Arelatenſi, Lugdunenſi, & Burgundiæ anno 1041, teſte Glabro ſupra relato, ac præſertim in Synodo Auſonenſi indictam anno 1068, Alexander II. approbavit, adjectis inducíarum diebus integræ Quadrageſimæ, atque Octavarum Paſchæ, & Pentecoſtes, quibus pax illa ſervaretur, latáque in tranſgreſſores excommunicationis ſententia, ut oſtendit Baluzius in append. Marcæ Hiſpan. pag. 1139. ex Conſtitutionibus Treugæ editis in Synodo Auſonenſi ab Hugone Cardinali, & ab Alexandro II. confirmatis. Eamdem poſtea Treugam inſtauratam in Conciliis Narbonenſi anno 1054, apud S. Ægidium in eadem Provinciæ an. 1056, Helenenſi an. 1065, Gerundenſi an. 1068., & Juliobonenſi an. 1080. confirmarunt Urbanus II. in Conciliis Melphitano anno 1089, Trojano an. 1093, Claromontano an. 1095, & Rotomagenſi an. 1096; Paſchalis II. in Concilio Trojano an. 1115; Calliſtus II. in Conciliis Remenſi an. 1119., & Lateranenſi I. an. 1123. eamdem Treugam extendens ab Adventu D. uſque ad Octavam Epiphaniæ, a Quinquageſima uſque ad Octavam Pentecoſtes, ad Jejunia quatuor temporum, ad Vigilias Sanctorum, eorumque Feſta, ſicut & B. Virginis Mariæ; ac tandem Innocentius II. in Conciliis Remenſi anno 1131, & Lateranenſi II. an. 1139. Can. 12. Non recte itaque Petrus de Marca primum confirmatæ Treugæ a Pontificibus exemplum ab Urba-

Urbano II. in Concilio Claromontano repetit, ſed Alexandro II. referendum eſt acceptum.

Quid, & quantum, & quo ſtudio diſciplinæ Eccleſiaſticæ in dies collabeſcenti reparandæ, Eccleſiaſticorum depravatis moribus reformandis, Eccleſiarumque omnium aut juribus in tuto ponendis, aut utilitate promovenda toto difficillimi ſui Pontificatus decurſu non inſtitit, & non incubuit S. Gregorius VII? Age ex immenſa copia nonnulla obiter attingamus. Deceſſorum ſuorum S. Leonis IX, Victoris II, Stephani IX, Nicolai II, & Alexandri II. zelum æmulatus nunc litteris, nunc Legationibus, qua mandatis, qua monitis, modo Conſtitutionibus, modo Conciliis Clericos ad continentiam ſervandam, eliminandamque ſimoniam coegit. Evidenti argumento ſunt lib. 1. Epiſtolæ 27, 28, & 30; lib. 2. epiſt. 11, 45, 55, 61, 62, 66, 67, 68, & 76; lib. 3. epiſt. 1, 4, & 16; lib. 4. epiſt. 10, 11, & 14; lib. 5. epiſt. 1, 8, & 9; lib. 6. epiſt. 36, & 39; lib. 8. epiſt. 2; Liber Apologeticus pro Synodo Romana I. cap. 6, & ſeqq.; cujus auctorem ipſummet S. Gregorium affirmant Baronius ad an. 1076. n. 31; Lupus oper. par. 5. pag. 164, & Petrus de Marca de Concor. lib. 1. cap. 11, & lib. 7. cap. 26; negant autem Launojus lib. 6. epiſt. 13, Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. XI, & XII. diſſert. 3, & Dupinus in nova Bibl. Script. Eccleſ. tom. 8. ſæculo XI. cap. 5; ac Romanæ Synodi I, III, & V. Confer Hugonem Flavin. in Chron. Virdun. pag. 207, & Labbæum in Not. ad Synodum V. Eumdem ſacrorum Canonum ſeverum exactorem, & vindicem demonſtrant lib. 2. Epiſtola 50, & lib. 9. epiſt. 2. Quum tamen Eccleſiæ bono expediret, de eorumdem rigore remittere non renuebat, veluti documento ſunt lib. 1. Epiſtolæ 20, 26, 74, & 77; lib. 3. epiſt. 11; lib. 4. epiſt. 20, & 27; lib. 5. epiſt. 17; lib. 6. epiſt. 7; & lib. 9. epiſt. 5, & 10. Quanta animi fortitudine, quamve flagranti zelo pro ſacrarum Electionum libertate vindicanda, Inveſtituriſque laicis ab Eccleſia procul exterminandis dimicaverit, licet dignoſcere ex lib. 1. epiſt. 21, 35, 36, & 75; ex lib. 2. epiſt. 18, & 33; atque ex Romanis Synodis II. ann. 1075; V. ann. 1078; VII. ann. 1080. ab ipſo habitis, nec non Quintilineburgenſi ann. 1085. ab Othone Monaco Cluniac. ejuſdem Legato celebrata, in quibus ſacræ Electio-

ctiones in libertatem assertæ sunt, Laicæ vero Investituræ diris cunctis devotæ. Eodem, quo puritati Ecclesiasticæ, ac disciplinæ studebat, zelo a pœnis Canonicis in transgressores distringendis non temperabat lib. 1. epist. 5, 34, & 48; lib. 2. epist. 5, 18, 20, & 48; lib. 4. epist. 8; lib. 7. epist. 10; & lib. 9. epist. 30. Quam vero Clericorum incontinentiam severe insectabatur, tam Laicos ab incestis Nuptiis absterrere intentatis minis non destitit lib. 2. epist. 1, & 3; lib. 6. epist. 20; lib. 7. epist. 9; & lib. 8. epist. 3. Præterea obnixam, qua laboravit, operam ad Ritus in Romana Ecclesia receptos ubique gentium inferendos, atque Hispanis, Bohemis, Armenis, Suecis, Wisigothis &c. acceptos faciendos, planissimam faciunt lib. 3. epistola 18; lib. 7. epist. 11; lib. 8. epist. 1, & 11; & lib. 9. epist. 14. Pleraque alia capita præclare ad disciplinam Ecclesiasticam loco optimo collocandam ab eodem Pontifice sancita in Synodis Romana V. capitibus 12, & in Romana VII. capit. 6. præstat legere apud Harduinum tom. 6. pag. 1579, & 1587.

Pastoralis curæ pervigilis vestigiis istis presse insistentes Victor III, & Urbanus II. cautum quammaxime voluere, ne Laici darent, neve Clerici ab eis acciperent Ecclesiasticæ dignitatis Investituras; ne insuper Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta, ab Hæreticis, & Simoniacis susciperentur, ille quidem in Synodo Beneventana anno 1087. habita, in quam conferre juvat Angeli de Nuce Abb. Cassin. excursum histor. ad cap. 72. lib. 3. Chron. Cassin. Leonis Ostien. tom. 5. Script. rer. Italic., iste vero in duodecim, quæ partim in Italia, partim in Gallia celebravit, Conciliis, ac præsertim in Melphitano ann. 1089, in quo disciplinæ capita 16. sancita sunt; in Beneventano an. 1091, in quo adornata cap. 43; in Placentino ann. 1095, ex quo capita 15. describit Harduinus; in Claromontano an. 2095, cujus Canones 32. ex Codice Lamberti Atrebatensis idem Harduinus exponit; in Nemausensi an. 1096, cujus Canones 16. ex Codice S. Albini Andegav. edidit Cossartius; & in Romano III. an. 1099, cujus Canones 18. ex præcitato Concilio Placentino repetiti sunt. Præterea, quæ pro Clericorum continentia, contra pestem simoniacam, pro libertate Electionum, contra Laicas Investituras, pro Treuga Domi-

ni &c. passim decreta sunt, in Melphitano Can.14, repetito in Claromontano Can.17, & 25, Presbyterorum filios, aut ex Concubinis procreatos ad Ordines, vel Ecclesiasticas promoveri dignitates prohibet, nisi vel Canonicam in Ecclesiis, vel Monasticam in Cœnobiis deinceps vitam traduxerint. Quos in Canones confer Christianum Lupum to.4. oper.in dissert.1. proœm. cap.12. Can.16. Confessionis integritati optime consulit. In Beneventano Can.1. inter sacros Ordines Presbyteratum, & Diaconatum tantummodo computat. Exinde Subdiaconatum sacris Ordinibus non adcensitum ante sæculi XI. exitum observant Hugo Victor. lib.2. de Sacram. par.3. cap.13, Petrus Cantor apud Menardum in lib. Sacram., Card. Bona rer. Liturg. lib.1. cap.25. §.16, & Martenius de antiq. Eccl. Rit. cap.8. Subdiaconi nihilo tamen secius continentiæ lege tenebantur indicta jamdiu a S. Leone M. in epist.84. ad Anastasium Thessal. cap.4, a S. Gregorio M. lib.1. epist. 42. ad Petrum Siciliæ Subdiac., & lib. 4. epist.36, ad Leonem Episcop. Catanensem; a S. Nicolao I. in epist. ad Adonem Vien. apud Gratianum Can. 4. *De illo* dist.32; ab ipso Urbano II. in Conciliis Melphitano Can.2, Claromontano Can.9, & Romano III. Can.13; a Conciliis Agathensi anno 506. Can. 39. relato a Gratiano Can. 14. *Omnes* 28. q.1, Aquisgranensi ann.816. cap. 6, Moguntino an. 888. cap. 19, Ticinensi circa an. 1012. cap. 1, Bituricensi an. 1031. Can. 6, & Londinensi an. 1112. Can. 6. Præterea idem Pontifex in eodem Concilio Beneventano Can. 4. repetito in Claromontano Can. 23. vetat carnibus vesci a prima die Cinerum usque ad Pascha, ac Matrimonia contrahi a Septuagesima ad Octavam Pentecostes, & a die prima Dominici Adventus usque ad Octavam Epiphaniæ. In Placentino cap. 14. quatuor Temporum Jejunia statis temporibus, quibus nunc sunt, illigat; & cap. 15. Clericum absque titulo ordinari interdicit, secus Ordinationes declarat irritas. In Claromontano Can. 28. Communionem separatim sub utraque specie percipi præcipit, nisi obstet necessitas, vel cautela. Cujus simile Decretum perscripsit epist. 32. Paschalis II; utrique vero occasionem dedisse abusum, quo tum Eucharistia Christi D. Sanguine intincta administrari consueverat, observat Micrologus scriptor ejusdem sæculi in

li in Eccleſ. obſervat. cap. 19. Bibl. PP. edit. Lugd. tom. 18. pag. 477. Confer & Petrum de Marca in Not. ad hoc Concilium pag. 266. Denique in Nemauſenſi Can. 2, & 3. Monachis quam maxime Sacerdotali officio fungi fas eſſe declarat; & Can. 13. Puellas ante annos 12. nubere prohibet. Digna etiam lectu epiſtola 17. ad Lucium Præpoſitum S. Juventii, qua Pontifex de valore Sacramentorum a criminoſis Sacerdotibus collatorum egregie agit.

In eaſdem ſollicitudinis partes ſubingreſſus Paſchalis II. ſtatim atque Pontificatus faſtigium adiit, rei Chriſtianæ ubique gentium reparandæ animum applicuit, Legationibus, litteris, ſanctionibus, Synodis ubique præſentiſſimus, ubique proſpicus. Rerum a Latinis in Aſia bene geſtarum vix certior factus, remque Chriſtianam in Palæſtina quam maxime optime ceſſiſſe accepit, ut Mauritio Portuenſi Legato miſſo in Orientem, litteris exaratis ad Epiſcopos, Clericos, Proceres, Laicoſque univerſos, quas Emin. Annalium parens ad an. 1100. deſcribit, cunctos ad mores chriſtiano homine dignos componere ſtuduit, deſcendenſque ſubinde ad Eccleſiaſticæ Hierarchiæ gradus ordinandos, datis epiſtolis 18, 19, 20, 28, & 29. ad Balduinum Regem, ad Gibelinum Hieroſolym., & ad Bernardum Antioch., Patriarchæ utriuſque jura definivit, fineſque circumſcripſit; intra quos utriuſque poteſtas cohibere ſe ſe deberet. At quo feliciori progreſſu in Oriente amplificabatur Religio, eo peſſum, ac in deterius in Occidente collabaſcebat, cui erigendæ ut manum ſupponeret, tum eum Epiſcoporum vota ſollicitabant, tum ſollicitudine propria urgebatur. Quare in Poloniam ablegato Gallone Epiſcopo Bellovacenſi Apoſtolicis vicibus adaucto, Epiſcopos nonnullos gradu, quo erant indigni, deturbavit; Eccleſiarum cauſsas, quæ difficiliores videbantur, diremit, & Eccleſiaſticam diſciplinam, quæ graviſſimis affecta erat vulneribus, reſtauravit. De Epiſtola 6. ad Epiſcopum Colocenſem in Hungaria dixi jam ſæpe: eximendus nunc obiter reſtat ſcrupulus, quem injicit Fleurius hiſt. Eccleſ. lib. 65. §. 20. Videlicet illuſtrem locum illum, quo ad retundendas Hungarorum querelas Pontifex utitur, affirmans Eccleſiam Romanam a nullo unquam Concilio potuiſse legis ullius habenis

obſtringi, à qua imo Concilia ipſa leges ſubire frequen ter compulſa ſunt, vellicat hunc, inquam, locum Fleurius, ac fundamentum nullum aliud habere, præterquam in falſis veterum Pontificum Decretalibus, aſſerit: at quam falſo id aſſerat, vel una Concilii Chalcedonenſis auctoritas eodem loci allegata evincit, in quo Actione 16. ſancitum commemorat, ut Primatus honor præcipuus Eccleſiæ Romanæ quam fideliter, tam religioſe ſervetur. Reſarciendis Eccleſiaſticis rebus, quas in Germania Henrici V. Imp. impietas divexabat, Gebehardum Conſtantienſem Epiſcopum legatum deſtinavit, operis ſocio adjuncto Odorico Patavienſi Antiſtite, eiſque regulas diſciplinæ præſcripſit, juxta quas laboranti Eccleſiæ ſuccurrere deberent, erigereque labundam eniterentur. Pleraſque hoc de argumento litteras ad Epiſcopos Germaniæ datas legere eſt apud Baronium ad an. 1106.

Atque in Angliam res afflictiſſimæ ſermonem revocant, quo potiſſimum ad redimendas Eccleſiaſticæ libertati inlatas a Laicis injurias Paſchalis ſollicitudo confluxit, ac legatione Apoſtolica ſemel, ac ſecundo Guidoni Viennenſi, & S. Anſelmo Cantuar. Archiep. concredita, res Eccleſiaſticas loco redintegrare ſuo, ac in priſtinum reſtituere ſplendorem pro viribus ſtuduit. Studium hoc Pontificis flagrantiſſimum pandunt ejuſdem repetitæ epiſtolæ 3, 9, 16, 30, 40, 41, 93, 95, 96, 98, 100, & ſeqq. in edit. Hard. ad Henricum Angliæ Regem, & S. Anſelmum, cui præ Regis gratia longe magis cordi hærebat Pontificis obedientia, Eccleſiæque libertas. Sed & ſtudium iſtud Pontifici tandem ex voto ſucceſſiſſe, Regemque ad dimittendas Eccleſiarum Inveſtituras fuiſſe, prout Superis placuit, compulſum, tradunt, Eadmerus lib. 4. Novorum, & ex Willelmo Malmesb. lib. 2. de geſt. Pontif. Angl. Alfordus in Annal. Angl. ad an. 1101. n. 6, & ſeqq. Propius ad propoſitum meum accedit Paſchalis epiſtola decretalis 42. in edit. Hard., ac inter epiſtolas S. Anſelmi 45. lib. 3, qua poſtquam illum collaudaſſet a ſtudio requirendæ veritatis a Romana Eccleſia Catholicorum omnium Matre, ac Magiſtra, plurima, de quibus fuerat interrogatas, eumdem edocet, ac inter alia: indignum eſſe, ut Clericus, qui jam in Dei ſortem eſt aſſumptus, & jam laicorum dignitatem exceſſit, pro terrenis

terrenis lucris hominium faciat laico: discrete pro temporum articulis, & qualitatibus personarum dispensationes largiendas esse, quas elargiendi, prout Ecclesiæ necessitas exigeret, in ipsius spectatissimæ prudentiæ reponit facultate. Notatu dignum, quod de Ranulphi Episcopi multiplicis criminis accusati causa subtexit: scilicet eumdem septima manu expurgari in Synodo jubet, sin minus, Romam ad Apostolicæ Sedis conspectum accedere rationem actorum suorum redditurum. Observat heic Gabriel Cossartius eum septima manu se expurgare, qui jurabat & ipse crimen a se non admissum, & septem alios desuper adhibebat, qui juramento firmarent credere se veritatem dicere eum, qui purgabatur: nempe jurabat reus de rei veritate, Compurgatores jurabant de credulitate. Purgatio ista Canonica præterea fiebat quinta, duodecima, & decimaquarta manu, perinde ut major, minorque suspicio, infamia, & scandalum erat abigendum. Sacramentales isti, sive Conjuratores, veluti denominantur in Lege Alemannorum tit. 6, non omnes semper ejusdem ordinis erant, nam apud Gratianum 2. Q. 5, & Extra *de Purgat. Canon.* cap. 5, Tridentinus Episcopus legitur jussus purgare se tertia manu Episcoporum, & quarta Sacerdotum: quinimo Drogo Metensis in Concilio Cabilonensi an. 1063. septima inferioris Ordinis Clericorum manu se purgare jussus est, ex quibus duo eidem condonati sunt a Concilii præside S. Petro Damiani.

Repetitis in Gallias Legationibus, ac litteris tum Clericos a fœda pellicatus consuetudine absterrere, atque ab hisce flagitiis sacras Virginum Parthenones expurgare, tum Philippum Francorum Regem a Bertradæ pravo contubernio abstrahere demum eidem licuit: cujus absolutionem a censuris epist. 33. Lamberto Atrebatensi Episcopo, Provinciarum Remensis, Senonensis, ac Turonensis Antistitibus præsentibus, demandavit, postquam fide data ad priora flagitia se non regressuros illi spopondissent: qua de re fuse agit Pagius ad an. 1100. n. 7, & seqq., & ad an. 1104. n. 2, & seqq. Blondellus porro in Diatriba *de Formula Regnante Christo* propugnat Matrimonium Philippi cum Bertrada legitimum fuisse, validumque, atque Paschalem Ivonis Carnot., aliorumque Episcoporum precibus inflexum dispensatio-

ſationem, qua defuncta Bertha priori conjuge Regi fas eſſet Matrimonio cum Bertrada licet affine conjungi, largitum fuiſſe. Mirari heic valde quam primo ſubit, quod homo e grege Calviniſtarum profligatiſſimus, veritate demum adactus, poteſtatem agnoverit Pontificis, falſuſque ſit impedimenta Matrimonii relaxandi. Cæterum a Blondello prorſus in falſo pedem poſitum fuiſſe, atque a Paſchali prætenſam diſpenſationem abſolute Philippo fuiſſe denegatam luce clarius demonſtrat Pagius in Crit. ad an. 1104. n. 7, tum ex eo quod jurisjurandi religione ſe ſe viciſſim obſtrinxerant Philippus, & Bertrada ſpondentes a mutuo colloquio, & contubernio perpetuo impoſterum ſe ſe abſtenturos; tum ex eo quod Filios, Filiaſque a Philippo ex Bertrada ſuſceptos inter nothos habitos fuiſſe auctor ſit Sugerius Abbas Sandionyſ. in vita Ludovici Craſſi cap. 1., affirmantque San-Marthani Fratres lib. 12. Genealog. Reg. Francor. cap. 5. Conjugium alterum Alphonſi Regis Aragoniæ cum Uraca tertio propinquitatis gradu eidem affine idem Paſchalis indulgere, ut potuiſſet, noluit, ſed imo datis ea de re litteris ad Didacum Compoſtellanum Epiſcopum conjugium illud diſſolvit, illegitimumque denuntiavit, injungens: *Ut Uraca vel a tanta præſumptione deſiſtat*, (Ponrificis verba ſunt), *vel Eccleſiæ conſortio, & ſæculari poteſtate*, (ſiquidem eidem jus erat in Regna Caſtellæ, & Legionis), *privetur*: Illi itaque mandatis Apoſtolicis obtemperare ſibi officii loco ducentes ab ejuſmodi nefario conjugio diſceſſere. Videſis Baronium ad an. 1109. n. 2, & Jo: Marianam lib. 10. Rer. Hiſpan. cap. 8. Viciſſim cum Boleslao Poloniæ Duce, ac Sbislava Ruſſiæ Regis filia diſpenſavit ſuper conſanguinitatis impedimentum, qua in quarto gradu ſe contingebant, velut ex Dugloſſo refert Baronius ad an. 1103. n. 14. Mitto cetera a Paſchali præclare decreta, & geſta contra Inveſtituras præſertim in Conciliis Guaſtallenſi anno 1106, Trecenſi an. 1107, Beneventano an. 1108, Lateranenſi an. 1110, Lateranenſi II. an. 1111, Lateranenſi III. anno 1116. &c. Poſtremo obſervat Doubletus in hiſt. Sandionyſiana pag. 475. Paſchalem II. primum fuiſſe, qui plumbeis Bullis, ſolo Pontificis nomine antea notari ſolitis, in parte adverſa SS. Petri, & Pauli Capita apponi juſſerit, cum media inter utrumque

Cruce,

Cruce, cujuſmodi Diplomatum exemplaria reſeruntur a Mabillonio pag. 447, & ab Harduino ex Cod. Mſ. Bibl. Pariſien. Soc. J. tom. 6. par. 2. pag. 1810. Attamen Dominicus Raynaldus Bibl. Vatic. Cuſtos apud Du-Cangium in Gloſſ. negat ſe Bullas ita ſignatas Hadriano IV. anteriores vidiſſe.

A conjectura non procul abhorrebit, qui accepta Calliſto II. referat Evangelicæ diſciplinæ præcepta, quibus Pomeranos imbuit, ab eodem Pontifice ad Evangelii lumen in Barbaros Populos illos inferendum ablegatus, S. Otho Bambergenſis Epiſcopus, gentis propterea denominatus Apoſtolus; quæ inter præcepta ſequentia refert Urſpergenſis Abbas in Chron. ad an. 1124: ut dum ſani eſſent, Sacerdotibus confiteri peccata ſua non erubeſcerent; in infirmitate quoque Presbyteris confeſſi peccata, tum Euchariſtiam percipere non negligerent: ut Chriſtiano more diebus Dominicis ab omni opere malo, ſervilique vacarent, & ad Eccleſiam convenientes, Divinum officium audituri, orationibus ſtudioſe, devoteque inſiſterent: ut Sanctorum ſolemnitates cum vigiliis ſacras haberent; Quadrageſimam quoque jejuniis, eleemoſynis, & orationibus religioſe tranſigere ſtuderent. Quæ in Conciliis Toloſano anno 1119, Remenſi eodem anno, ac Lateranenſi I. an. 1123. contra Sacerdotes incontinentes, ac ſimoniacos, Inveſtituras laicas Eccleſiarum, atque Invaſores Eccleſiaſticorum bonorum ab eodem Pontifice Decreta ſunt paſſim recolere juvat apud Conciliorum Collectores. Ab Hildeberto Turonenſi rogatus Honorius II. ab eo decreta in Synodo Nannetenſi an. 1127. obſervari deinceps ab Epiſcopis Provinciæ Turonenſis præcepit datis litteris apud Harduinum legendis poſt eadem decreta tom. 6. par. 2. pag. 1128, & ſeqq. Aliud præterea auctoritatis propriæ illuſtre ſpecimen idem Pontifex dedit, dum Ludovici Craſſi Francorum Regis precibus inflexus Pariſienſem Urbem a Sacrorum juſtitio ſolvit, cui ab Henrico Senonenſi Archiepiſcopo, ejuſque Suffraganeis fuerat ſuppoſita: quin interea a S. Bernardo Claræval., Gaufredo Carnot., Stephano Ciſterc., & Hugone Pontiniac. epiſtolis 46, 47, 49, & 50, inter epiſtolas S. Bernardi, quas refert ad an. 1127. Baronius, querelarum plenis ſollicitatus Regem ab inferenda moleſtia Stephano Pariſienſi, & Henri-

Henrico Senon. abſterrere, cohibereque abſtinuerit. Viciſſim, quod Ludovicus VII. Galliarum Rex Petrum de Caſtro ab adeunda poſſeſſione Bituricenſis Eccleſiæ, cui a Pontifice admotus fuerat, prohiberet, univerſo Regno Sacrorum interdictum ab Innocentio II. indictum eſt, quod uſque ad Cæleſtini II. Pontificatum, ideſt ab anno 1141. uſque ad an. 1143, quo ſolemni decreta legatione a Pontifice Ludovicus impetravit, ut Regno tandem Sacrorum jus redderetur. Quæ vero pro reparanda Eccleſiaſtica diſciplina præclare ab Innocentio decreta ſunt in Conciliis præſertim Remenſi anno 1131, ac Lateranenſi II generali anno 1139, unicuique utpote obvia, perſequi non vacat. Non omittendum tamen, quin obiter notetur ejuſdem epiſtola 42. ad Othonem Lucenſem Epiſcopum, qua agit de jure jurando præſtando ab illis, qui conſanguinitatis probant gradus, in quibus conſiderari potiſſimum debere qualitatem perſonarum admonet, quæ ſcilicet neque gratia, neque pretio, vel timore, vel odio alicujus ad præſtandum juramentum accedant, & in quorum aſſertis nulla varietas denotetur, aut contrarietas. Refertur a Gratiano Can. 8. *De Parentela* 35. q. 6. Illud quoque animadverſione dignum, quod Cæleſtini II. vicibus, quibus defungebatur, Henricus Wintonienſis Epiſcopus in Concilio Londonienſi anno 1143, conformiter ad Canonem 15. Concilii Lateranenſis II, crimina eorum, qui manus violentas in Clericos, vel Monachos injicerent, aut qui Eccleſias, vel Cœmeteria violarent, abſolvenda uni Romano Pontifici reſervavit.

Quam intime, arcteque Eugenio III. inſita eſſet univerſæ rei Eccleſiaſticæ cura, Romanæque Eccleſiæ dogmata, ritus, ac diſciplinam ſive ab hoſtium probris redimendi, ſive in remotiſſimos populos inferendi, ſive priſtinum in ſplendorem revocandi, quæ ſub ejuſdem nomine dedicata ſuperſunt, monumenta dubitare non ſinunt. Pauca ex innumeris ſeligam, ex quibus plus luminis reflectatur, quæque in rem propius meam referant. Græcanicis affectionibus curandis animo applicito, Anſelmo Havelburgenſi, qui Lotharii Imper. legatione aliquando Conſtantinopoli defunctus fuerat, ſpartam impoſuit, ut quæ viſu, audituque percepiſſet, a Græcis doceri, & peragi, quæ a Romanæ Eccleſiæ doctri-

doctrina, ac ritibus discordarent, sub Dialogo conscriberet; ut ad eos nempe emendandos facilius, & efficacius se compararet illorum mores, quos perquam meditate teneret. Attamen in traducendis Armenis ad Romanæ Ecclesiæ Sacra magis propitios expertus est Superos: siquidem nihil impedimento fuit, quo minus illi ad regulas a Pontifice ipsis præfixas, ac in Romana Ecclesia receptas cum Sacrificii formam, tum solemnia Festa componerent. Videsis, ut rem denarret, qui præsens aderat, Otto Frisingensis lib. 7. capp. 31, & seqq., quo loci agit quoque de Antiochena Ecclesia Romanæ reconciliata, deque consilio petito circa spolia Saracenis ablata. Hinc ad Ecclesiarum Hispaniæ componendum statum conversa sollicitudine, complures Eugenius scripsit epistolas, inter quas notatu digna epistola 83. ad Clerum, & popul. Toletanum, qua Mozarabes ad obedientiæ Canonicæ Toletano Metropolitæ justa dependenda obsequia, & ad Ritus, quos in Divinis Officiis adhibet Romana Ecclesia, suscipiendos adigit. Quod ad res attinet Gallicanæ Ecclesiæ sedulo ab eodem curatas, sat est conferre Synodi Remensis an. 1148. Canones n. 18, quibus Ecclesiastica disciplina optimo loco est constituta. Juvat etiam legere epistolam 68, qua Sampsonem Remen. objurgat, Palliique honore exspoliat, ideo quod Francorum Regem in ipsa Bituricensi Urbe inaugurandi jus, ac fas sibi arrogasset. Magnam inde laudem Eugenius commeruit etiam, consecutusque est, quod omnium primus Romanorum Pontificum, suggerente Gratiano, Bononiæ gradus Academicos, scilicet Baccalaureatus, Licentiatus, & Doctoratus instituerit, ut iis speciosis nominibus Studiosos, qui tum temporis ad Jus Civile recens digestum se conferebant, magis ad Juris Canonici studium accenderet. Hinc Gratiani imitatione a Petro Lombardo in Theologicam Parisiensem Facultatem gradus illos Academicos fuisse invectos refert Bulæus tom. 2. hist. Univ. Paris. sæculo IV. Improbo hoc nunc labore producendi subsequentium Pontificum decreta circa Ecclesiarum jura, disciplinamque Ecclesiasticam præclare edita supersedendum mihi arbitror, contentus orationem protendisse ad eam usque ætatem, sub qua Pontificum Decretales magna diligentia colligi, atque in corpus Canonicum congeri cœperunt, quas proinde apud

earumdem Compilatores adire, luſtrareque cuique pro libitu; otioque paratum eſt, quin adhuc pelago me committam iſti, quo facilius abſorbear ego, quam ſermone meo poſſim exhaurire. Haud me latet interea nonnullos intento nervo pugnare, collatoque veluti pede contendere, quod circa particularium Eccleſiarum jura, libertateſque, diſciplinæ quin etiam Eccleſiis peculiares leges Pontifex nihil poſſit, ſed ea omnia Eccleſiis, quocumque ſtatu poſita ſint, integra manere, vel Pontifice invito, & permanere. Sed quia objecta iſta leviſſima alioqui ſuis in locis, ubi opportunitas parabatur, abunde, opinor, propulſata jam ſunt, ab acto agendo abſtineo, graduque feſtino propero ad alia, in quibus plus utilitatis, & oblectamenti pariter inſit.

Ex Jure approbandi Ordines Religioſos, eoſdem ad gradus Eccleſiaſticos reddendi idoneos, abſolvendique ab Ordinariorum Juriſdictione.

§. II.

QUam libenter ad hanc exornandam Orationis partem appello, tam me appellere animo a partium ſtudio prorſus abſoluto fateri, ſincereque profiteri debeo, ne quis nempe putet me huc appuliſſe tandem ex amore, potius quam Pontificii tuendi juris, propriæ defendendæ cauſsæ: abſit hoc abs me enim, ut dumalios reprehendo, quod uno ex odio in oppoſitas ferantur partes, reprehenſione me dignum exhibeam, præpoſtero ex affectu, neque uno ſimplici intuitu veritatis in hanc diſputationem ingrediendo. Principio itaque, ut recta, ordinataque procedat oratio, inquirere non pœnitebit in Monaſticæ profeſſionis varium genus, ac primordia, quibus diſtincto, ſuoque poſitis loco, media facile patebit via ad extremos duos declinandos errores eorum, qui erga Monaſticum Inſtitutum aut affectu redundant immodico, aut animo feruntur iniquo. Monachorum itaque nomine bifarium hominum genus deſignari poteſt: 1. Eorum, qui ſui compotes juris, Aſcetæ inde dicti, ſive Anachoretæ, privatam, eamque cælibem vitam, atque a ſæculi tumultibus ſemotam, aut ſingulatim

latim in domibus, aut ſeorſum in deſertis locis actitabant, quin ullo tamen votorum vinculo obſtringerentur, volontatemque ſuam uni Superiori obligarent. 2. Eorum, qui votis Deo nuncupati, unaque degentes certæ ſe Regulæ mancipabant, unde Cœnobitæ, hoc eſt vitam communiter tranſigentes, denominati conſueverunt. Sub utroque nomine accepti, Monazontes indiſcriminatim apud Veteres dicti reperiuntur, non utique ii, ut aliquibus viſum eſt, qui ſui juris retinentes, orationi, & lectioni ut liberius vacarent aliquandiu, ſolitaria in loca ſecedebant, ſed ſive Anachoretæ, ſive Cœnobitæ, qui ſacris Cælibatus, aut etiam Religioſæ vitæ legibus tenerentur obſtricti: quo nomine iſtius genus homines deſignati leguntur a SS. Baſilio in epiſt. 2. ad Amphilochium cap. 19, epiſt. 295, 303, ac 383; Epiphanio in expoſit. fidei n. 23, ac hær. 80; Petro Alexandrino apud Teodoretum lib. 4. cap. 22; Cyrillo Hieroſolym. Catech. 12, & 16; Gregorio utroque, Nyſſeno orat. 2, & Nazianzeno orat. 12, epiſt. 180, ac in teſtam.; Jo: Chryſoſtomo lib. 3. cap. 12. adv. vituperat. Monach., & a Caſſiano Collat. 18. cap. 5. Non opus eſt dicere de tertia quadam ſpecie impetfectorum, qui apud Ægyptios frequentiores erant, ac Remebothæ, ſive Sarabaitæ nuncupari ſolebant, qui bini, ternique, aut paullo plures ſecedebant, nulli Regulæ, nullique Præpoſito ſubjecti, portionem tantum lucri ex quotidiano manuum opere emergentis in communem uſum conferebant, ut communi una menſa veſci liceret, de quibus loquuntur S. Hieronymus in epiſt. 27. ad Euſtochium, & Caſſianus Collat. 18. cap. 7. In hoc Satabaitarum genus quoſdam in Gallia degeneraſse Monachos adnotavit S. Vitalianus P. M. in epiſt. ad omnes Epiſcopos apud Manſium in Supplem. Concil. tom. 1. pag. 493; quorumque in Italia degentium quædam ſpecies occurrit in epiſt. Monachorom Lucenſium ad Henricum Imp. edita a Manſio in animad. ad Thomaſſini lib. 3. cap. 23, qua ſignificant, pulſis Sarabaitis, Pontificis Romani juſſu, eorum locum ab ſe occupatum.

Quo tempore cogi in cœtum Cœnobitæ, conſtruique Cœnobia ceperint, inter Eruditos ſane non convenit, citius aliis, aliiſque ſerius epocham iſtam exordientibus. Atque quidem in-

genti proſtant numero vetuſtiſſima monumenta, nec utique contemnenda, quæ ſuadeant jam a tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis non defuiſſe ſive Viros, ſive Virgines, qui ſe Deo votis dedicantes Religioſam vitam recolerent: quæ monumenta diligenter collegit, diffuſeque perſequitur doctiſſ. Ludovicus Bulteæus hiſt. Monaſt. Orient. lib. 2. cap. 2. In his præcipuo loco haberi poſſunt, (ut de Therapeutis interea nihil retexam, quos e Monachorum non modo, ſed a Chriſtianorum cenſu abjiciendos veri nunc ſimilior fert opinio), ac quidem quoad Viros ſpectat, quæ referuntur de S. Antonio Presbytero, ac Eremita in Hetruria ſub Nerone apud Henſchenium ad diem 27. April.; de S. Teleſphoro Papa, & Anachoreta apud Anaſtaſium; de Marcione apud S. Epiphanium hær. 42; de S. Frontone Cœnobiarca apud Roſvveidum, & Henſchenium ad 24. April.; de SS. Gervaſio, & Prothaſio apud Auctorem conflictus vit. inter opera S. Auguſtini tom. 9; ac de S. Narciſſo Hieroſolym. apud Euſebium lib. 6. cap. 9. Conferunt haud parum ad hæc confirmanda Acta S. Eugeniæ deſcripta a Roſvveido, & Surio ad diem 25. Decemb., in quibus mentio occurrit Monaſterii virorum ſub diſciplina S. Eleni Epiſcopi Heliopoleos in Ægypto. Acta S. Niconis ab Henſchenio die 23. Martii exhibita, qui a Theodoſio Epiſcopo Cyziceno Monaſtico habitu indutus, ac deinde Epiſcopali dignitate inſignitus, ſub initium ſæculi III. e Rhodope in Thracia Monachos ſecum Taurominium in Siciliam advexiſſe legitur. Acta SS. Onuphrii, Galationis, & Moyſis evulgatis a Surio ad diem 5. Novemb., & a Bollando ad 14. Jan., ex quibus adparet tempore Diocletiani cum Emeſæ in Phœnicia, tum non procul e Sina monte tam Monachorum Cœnobia, quam ſacrarum Virginum Parthenopes extitiſſe. Sub Decii ætate in deſerto Ægypti una cum aliis Monachi vitam tranſegiſſe SS. Panſophius, & Abibus Diaconus traduntur in Menologiis Baſilii Imp. 16. Jan., & Cardin. Sirleti 6. Septemb. S. Leo Patarenſis ſub Valeriano Martyr illuſtris ante Monaſticam vitam inſtituerat apud Surium, & Bollandum 18. Febr.

Ab Aſceterio ad Pontificatum aſſumptus S. Dionyſius refertur ab Anaſtaſio Bibliothec., & ab Henſchenio ad diem 1. April.

S. Euſe-

S. Euſebius Terracinæ ante Monachum egit, quam Martyr occumberet. Sub Aureliano Confeſſor glorioſus S. Carito in deſerto Palæſtinæ Monachos collegiſſe perhibetur ab Auctore ipſius vitæ regeſtæ a Surio 28. Septemb. Sub Numeriano Monachos exegiſſe SS. Maurus, Theophanes, ac Clemens deinde Ancyranus Epiſcopus leguntur in Menolog. Baſiliano 23. Jan., & Græco 9. Septemb. In Actis S. Febroniæ Virginis, & Martyris, quæ ſub Diocletiano Sibapoli, ſive Niſibis in Syria Palmyrena, ſive in Meſopotamia paſſa eſt, ad diem 15. Junii a Surio, & ex Cod. Mſ. Vatic. a Papebrochio deſcriptis, regeſtiſque a Bultæo lib. 2. cap. 19, jam tum conſtructa conſpiciuntur duo celeberrima Monaſteria, non jam deſertis in locis procul ab hominum aſpectu, ſed in media Urbis frequentia, Virginum unum ſub diſciplina Briennæ, quæ Platoniæ in officio ſucceſſerat, Virorum alterum ſub ducatu Marcelli Abbatis. Diocletianæa perſecutione deſæviente complures ex Monachis inſigni Martyrio affecti recenſentur in Menologio Baſilii Imp. ad 24. Septemb., & 24. Jan., a Surio quoque, & Henſchenio ad 21. Martii; in quibus SS. Julianus, Paphnutius, Paulus, Pauſirio, & Theodotion. Paſſi etiam, poſtquam Monaſticæ vitæ muneribus probe fuiſſent perfuncti, SS. Apollonius, Cyrus, Johannes, Epictetus, Aſtion, aliique Sinæ montis, aut Raitæ deſerti in Arabia accolæ feruntur apud Roſvveidum de vit. PP. lib. 2. cap. 19, Surium, ac Bollandum ad 31. Januarii: quibus alios ſeptem in Ægypto Monachos, ac ſub Maximiano illuſtres Martyres adjungit Martyrologium Rom. ad 19. Octob. Vitæ, neciſque ſimilem obtigiſſe ſortem SS. Petro Apſelamo, Azæ, Athenodoro, Sireno, Zoſimo, Ilarioni, Agapito, Sergio, aliiſque Monachis, poſtea Martyribus, denuntiant Menologia Græc. ad 12. Jan., 19. Octob., & 19. Novemb., Baſilianum ad 18. Febr., & 8. Decemb., Euſebius lib. 2. cap. 17, ac Bollandus ad 3, & 23. Jan., nec non ad 23. Febr. Sed & ex Actis S. Suſannæ in Menolog. 19. Sept., & apud Surium 20. ejuſdem Menſis adparet perſequutionum tempore numeroſiora in Palæſtina Monachorum Cœnobia viguiſſe.

Neque poſteriores ætate ſacrarum Virginum Parthenopes incepiſſe æſtimari fas eſſet, ſi hac in re fide haud laborent, (ut interea

terea de SS. Thecla, Zenaida, & Philonilla taceam, quæ S. Pauli prædicatione ad fidem converſæ in deſertum ſeceſſiſſe, vitam cælibem, aſcetamque ducturæ, traduntur in Menologio Græcor. ad diem 11. Octob.) ex Actis S. Eudociæ apud Henſchenium ad 1. Martii, ubi nedum Virorum, ſed & ſacrarum Virginum numeroſa Aſceteria prope Libanum erecta, curæque S. Germani demandata inſpiciuntur. Medio circiter ſæculo II. S. Paraſceves virgo Romana procul ab Urbe Monaſticam induiſſe veſtem legitur in Menolog. ad 25. Julii. Sæculo II. Virgines Deo votis dedicatas vixiſſe inſinuant Tertullianus lib. de veland. Virgin. cap. 3, S. Cyprianus in epiſt. 64. ad Pompejum, & Anaſtaſius in S. Sotere. Harum Aſceteria occurrunt paſſim in Actis S. Febroniæ, de qua paullo ſuperius; SS. Indi, & Domnæ, Anaſtaſiæ, & Victoriæ apud Surium ad diem 23. Jan., 28. Octob., & 23. Decemb.; S. Epiſtemiæ apud Bollandum ad 14. Jan.; S. Anthuſæ apud Sirletum in Menolog. ad 22. Aug.; & S. Aglaes apud Bultæum lib. 1. cap. 1. A S. Baſiliſſa, Diocletiani vigente perſecutione, ædificatum Puellarum Collegium referunt Surius, & Bollandus ad 9. Jan. S. Jereſæ Sanctimonialis Alexandrinæ meminit Menologium Baſilii Imp. 22. Septemb., ac Menologium Græc. ad diem ſeq. SS. Mariæ, & Victoriæ Deo dicatarum Virginum memoria recolitur a Surio, & Bollando die 11. Febr. Ex his igitur, aliiſque, quibus adjungi poſſunt liquida teſtimonia Clementis Alex. lib. 3, & 7. Stromat. pag. 454, & 467, ac Origenis lib. 5. contra Celſum pag. 272, indubium evadit Aſcetas utriuſque ſexus votis Deo obſtrictos primo, aut altero Eccleſiæ ſæculo floruiſſe, ſtrenuoque exemplo ſuo in perfectionis Evangelicæ conſiliis conſectandis, perfectioris vitæ percupidis Chriſtifidelibus præluxiſſe.

Serius attamen, nec niſi tertio ad exitum vergente ſæculo, aut quarto ineunte, tum demum in Cœtum Aſcetas coaluiſſe jam communior hodie, verique ſimilior fert opinio, de qua conſuli poterunt Dandinus Altaſerra Aſcetic. lib. 1. cap. 1, Thomaſſinus vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 3. cap. 12, Bultæus hiſt. Monaſt. Orient. lib. 1. cap. 1, Holſtenius in præfat. ad Regul. vet. Monach., Henſchenius in vita S. Pachomii ad diem 14. Maji, Pagius ad an. 318. n. 14, & ſeq., aliique paſſim. Neque enim hu-

hujuſce genus Religioſas Congregationes tum ferebat iniquita-temporum, quotidieque ferme ingruentium perſecutionum tems peſtas, ſub qua vel ex locis, ubi abditiſſime latitarent, undique Chriſtifideles diligentiſſime conquirebantur ad necem, eiſque vix, ac ne vix quidem ſibi vivere vel privatis in domibus licebat. Impedimento quoque haud levi fuiſset Romanæ Reipublicæ Lex Papia Poppæa, de qua Auguſtus Imp. apud Dionem hiſt. lib. 56, ac Tacitum lib. 3, qua veluti publicæ utilitati incommoda, ac valdequam noxia cælibatus diſciplina habebatur, gravibuſque pœnis, tanquam publici hoſtes, afficiebantur, qui vitæ cælibis habuiſsent delectum: cui demum legi detraxiſse legitur Conſtantinus Imp. L. 1. Cod. Theod., & Juſtin. *De Infirmandis pœnis Cælibum*: de qua videndi, ſi libet, Euſebius vit. Conſt. lib. 4. cap. 26, Sozomenus lib. 1. cap. 9, Lipſius in Comment. ad lib. 3. Taciti, Baronius ad an. 320. n. 6, & Paganinus Gaudentius de Moribus ſæculi Juſtinianæi cap. 12. Indicio id etiam graviſſimo eſſe putatur juge veterum Scriptorum ſilentium S. Ignatii, S. Juſtini, Clementis Alex., Tertulliani, Origenis, S. Cypriani &c., apud quos ne vola quidem de Religioſis domibus olim ædificatis occurrit. In oppoſitam partem quin imo faciunt explicita S. Athanaſii in vita S. Antonii, & S. Hieronymi in vita S. Pauli, & in Epitaphio Marcellæ teſtimonia, a quibus cum Imperii Conſtantini primordiis confunduntur vitæ Cœnobiticæ exordia, cujus primos Satores, parenteſque agunt SS. Paulum, & Antonium. Prætequam quod, quæ in partem oppoſitam Eccleſiaſtica monumenta, ſive Acta SS. produci ſolent, ſuppoſitionis pleriſque notis aſperſa eſſe, ſive falſa plurima veris admixta, obſervant viri Eruditi. Juxta hæc itaque ſub iiſdem primordiis ſæculi IV. Sanctimonialium prima fundatrix habetur S. Sincletica Virgo Alexandrina, cujus vitam a Polycarpo Aſceta conſcriptam legi in vetuſtiſſimo Codice Mſ. Vatic. n. 1589. teſtatur Holſtenius in animad. ad Martyrolog. Roman., ac Polycarpo tribuendam contendit Oudinus de ſcrip. Eccleſ. ſæculi IV. At verius litteris conſignatam a S. Athanaſio tradunt Martyrologium Roman. ad diem 5. Jan., Codex Mſ. Vaticanus n. 825. ab Holſtenio inſpectus, Codex Mſ. Græcus Bibliot. Scorialis in Hiſpania, quam voluminibus pluſ-

quam

quam 130000. refertam ferunt, Latine redditus a Davide Col. villo Soc. J. apud Bollandum ad 5. Jan., Codex alter Mſ. Græcus Bibl. Regiæ Pariſ. apud Cotelerium tom. 1. Monum. Eccl. Græcæ pag. 201, ac Nicephorus lib. 8. hiſt. Eccl. cap. 40; conſentiunt vero Baronius in Not. ad Martyrolog. cit. die 5. Jan., Cotelerius eo loci, Natalis hiſt. Eccl. ad ſæcul. IV. cap. 6. art. 8, Hermantius in vit. S. Athanaſii tom. 2., Arnaldus de Andilly in vit. PP. tom. 2, Bailetus in vit. SS. Jan., ac Bultæus hiſtor. Monaſt. lib. 1. cap. 12. Sequitur hinc S. Sincleticam ea circiter tempeſtate vixiſſe, qua S. Antonius, quamve hic Viris, illam Virginibus Evangelicæ vitæ formam præſcripſiſſe. In Occidente vetuſtiſſima æſtimari debet Sanctimonialium inſtitutio Romæ ſub S. Damaſo inducta, de qua S. Hieronymus in epiſt. 16. ad Principiam; Mediolani a S. Ambroſio, cujus pleraque extant de Virg. opuſcula; in Africa a S. Auguſtino, a quo Regula præſcribitur in epiſt. 109, ac lib. 1. de morib. Eccl. cap. 31; Arelatis in Gallia a S. Cæſario, cujus Regulam Virginibus Deo ſacris conſcriptam exhibet Bollandus ad diem 12. Jan. Confer Holſtenium in præfat. ad collectionem Regul., ac Muratorium Antiq. Ital. diſſert. 66. Sed & ex Lege 22. Theodoſii *De Scænicis* data an. 394. Heracleæ 3. Kal. Jul. adparet Virgines Deo dicatas ſub id ævi diſtincto habitu jam uſas, quo uti deinceps Mimas vetat.

Quæ igitur præclari adeo Religioſi propoſiti fundamenta primo in Viris facta fuerant a S. Paulo, incrementa, & ornamenta accepere plurima a S. Antonio, a quo in Cœtum coactis Aſcetis longe præſtantiora Cœnobiticæ vitæ præſcripta ſunt præcepta, quæ poſtea alii plerique ipſius preſſe inſiſtentes veſtigiis plurimum amplificaverunt. Quos itaque Cœnobitas circa annum 305. in Thebaidem inferiorem, ac ſubinde in Armeniam, & Scythiam S. Antonius invexerat, eoſdem intulere circa an. 313. in Nitriæ Montes S. Ammonius, in Thebaidem ſuperiorem, & Tabennam circa an. 314. S. Pachomius, in deſerta Scetis S. Macarius, in Palæſtinam, ac Cyprum S. Hilarion; S. Marcianus in deſertum Chalcidis, S. Theodoſius in Ciliciam, S. Aones in Meſopotamiam, S. Maro ſubinde in Syriam, S. Gregorius in Armeniam, S. Miles in Perſidem; ac in Pontum, Cappadociam, Græciamque

que universam S. Basilius, de quibus, aliisque fuse Bultæus in libris quatuor hist. Monast. Orient. Quod si ad Occidentem convertimur, S. Athanasium, dum anno 340. Romæ ageret, S. Antonii proposito exemplo, auctorem fuisse, ut pleraque ædificarentur Monasteria, perhibet S. Hieronymus in epist. 26, nunc 96. ad Principiam, & epist. 36, ac 50, nunc 30, & 54. ad Pammachium: unde Romæ complura se conspexisse Monasteria testatur S. Augustinus lib. de Morib. Eccles. cap. 33; exindeque Baronius ad an. 328. n. 18. arguit Romæ prius, quam locorum alibi in Occidente Monasteria fuisse constructa: quam e contra laudem Ecclesiæ Mediolanensi tribuendam contendit Muratorius Antiq. Ital. disert. 65. S. Eusebium Alexandria reducem ex Ægypto Vercellis invexisse Monasticum institutum, seu verius Clero Monachos attemperasse tradit S. Ambrosius in epist. 82. nunc 63. ad Eccles. Vercellensem. Ab eodem S. Ambrosio prope Mediolanum ædificatum Monasterium affirmat fide sua ipsemet S. Doctor in præcit. epist., ac refert S. Augustinus de Morib. Eccles. loco cit., ac lib. 4. Confess. cap. 6. Celeberrima quoque evasere Monasteria ædificata Nolæ, ubi S. Paulinus Monachum exegit, teste S. Hieronymo in epist. 13, nunc 49. ad eumdem Paulinum: Insulæ Gallinariæ in Liguria prope Albingaunum, quo loci Mediolano ob Arianorum infestationes profugus S. Martinus, ubi & Monasterium extruxerat, aliquando consedisse traditur a Severo Sulpitio in ejus vita capp. 4, & 5, a S. Gregorio Turon. lib. 1. hist. Franc. circa fin., & lib. 10. cap. 31, atque a Paulino Petricorio in vita ejusdem S. Martini lib. 1. Insulæ Capratiæ, & Gorgoniæ in Mari Hetrusco apud S. Augustinum in epist. 81. ad Eudoxium Abbatem Capratiæ: ex quibus patet hallucinatos fuisse Lupum in scholiis ad Tertulliani librum de præscrip. cap. 3. pag 29. edit. Ven. 1727, & Papebrochium in respons. ad exhibit. error. art. 15. n. 105, dum affirmarunt nullum ante S. Augustini Episcopatum in Italia, nullumque in Africa seu Virorum, seu Virginum Cœnobium extitisse. Exstructa ab eodem S. Augustino subinde in Africa Monasteria multa sunt, quorum ipse meminit lib. 3. contra Petil. cap. 40, in Psal. 132, tract. 97. in Johan., & lib. 2. Retract. cap. 21. Illustri perinde loco habita sunt Pictavienſe

vienſe Auguſtorito non procul, ac Turonenſe a S. Martino, Maſſilienſe a Caſſiano, ac Lirinenſe a S. Honorato condita, de quibus Mabillonius in Annal. Bened. tom. 1. lib. 1. Longe poſtremo, lateque per Occidentem omnem propagarunt Monaſticum Inſtitutum, atque per Italiam quidem SS. Benedictus, & Equitius; per Gallias undique verſum SS. Cæſarius, Leonardus, Aurelianus, Ferreolus, Eligius, & Domnulus; per Hiberniam, & Italiam iterum S. Columbanus; per Hiſpanias SS. Iſidorus, & Fructuoſus, ante hos vero S. Donatus ex Africa cum aliis 70. Monachis illuc delapſus circa medium ſæculum VI, referente Johanne Mariana lib. 5. rer. Hiſpan. cap. 11. Nihil interea retexendum ducam de celeberrimo Monaſterio Agaunenſi in Valeſia circa ſæculi IV. exitum excitato, in quod perennis inducta Pſalmodia eſt ad exemplum Acœmetarum, quos Conſtantinopoli ad divinas laudes diu, noctuque abſque intermiſſione celebrandas S. Alexander inſtituit. Nihil de Clericis Regularibus, qui longe antehac a S. Cypriano in Africa inſtituti circumferuntur; neque de Canonicis Regularibus, quorum diſciplina a S. Crodogango in priſtinum decus eſt reſtituta. Nihil denique de SS. Pirminio, & Benedicto Anianenſi, a quibus ingenti non abſque laboris diſpendio Monachorum delapſa Regularis diſciplina in Germania, Italia, Gallia, & Hiſpania redintegrata eſt, ſuumque in ſplendorem revocata: nec enim plura fert propoſitum meum, operique præſtituti fines patiuntur.

Jam vero Religioſos Ordines equidem olim ſuis in Diœceſibus, ubi originem nacti fuiſſent, approbandi penes Epiſcopos integra ferme poteſtas erat, longæva conſuetudine confirmata: quorum imo religioni nihil antiquius, ſolemniuſque accidebat, quam Religioſis domibus aut novis erigendis, aut veteribus propagandis opera, ac ſumptibus incumbere; quam Regulari diſciplinæ in tuto ponendæ, ſive in priſtinum decus revocandæ Synodicis adlaborare ſanctionibus; quam Regulares doctrina, moribuſque præſtantes Clericalibus muniis exercendis applicare, Clericoſque ipſos ad Regularem diſciplinam reformare, horumque profeſſionem illorum officiis confœderare. Tandem tamen ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi IV. Cap. 13. relato Cap. 9.

Ne

Ne nimia Decretal. lib. 3. tit. 36. *de Religiosis Domibus*, & a B. Gregorio X. in Concilio Lugdunensi II. Cap. 23. eodem titulo Episcopis hæc facultas adempta fuit, unique Sedi Apostolicæ integra, sacrataque reservata est; idque plane jure optimo, graviſſimisque de causſis. Enim vero Religiosorum Ordinum approbatio reputabatur Majores inter causſas Apostolicæ Sedi reservandas Cap. *Majores de Baptismo*. In Religionum approbatione errare pronum Episcopis erat, eorum vero error quammaxime noxius Ecclesiæ universæ evasisset. E re igitur erat Christianæ Reipublicæ, ut potestatis hujusce particula Episcopis detraheretur, cujus abusus facile in perniciem Ecclesiæ totius vergere potuisset; eique uni reservaretur, cui tum summa in Ecclesiam inest potestas, cum infallibilitatis conjuncta privilegio. Atqui Pontifici infallibilitatis prærogativam istam in approbandis Religiosis Institutis viciſſim abrogare non dubitavit Melchior Canus de Loc. Theolog. lib. 5. cap. 5. Verum is unus ferme ista fœde in opinione jacet, vapulat is vero dignis a doctiſſ. Johanne de S. Thoma in 22. disput. 9. art. 3, contraque ipsum pugnant ceteri ferme omnes de Schola Theologi illustres. Quin imo Pontificem in Religionum approbatione ita indefectibilem adstruunt, ut id fide divina tenendum doceant insignes plerique Theologi apud Dianam in tract. 4. de infallib. decret. Rom. Pontif. resolut. 14, & apud Matthæuccium Controv. 7. cap. 4, gemino, eoque graviſſimo id conficientes, confirmantesque argumento e rationis, auctoritatisque penu deprompto. Imprimis etenim siquidem fide tenendum sit a Pontifice M. pro tota Ecclesia præcepta, legesque pernicioſas imponi non posse, ita neque proponi consilia iniqua pro salutaribus, & Evangelicis: atqui in Religioso instituto a Pontifice approbato pro tota Ecclesia proponuntur consilia tanquam Evangelica, & salutaria: itaque in Religioso instituto approbando a Pontifice consilia iniqua pro salutaribus, & Evangelicis proponi non posse, ideoque falli ipsum, ac fallere nescium prorsus esse, fide tenendum est. Præterea in Concilio Constantiensi a Martino V. Constit. *Inter Cunctas* inter alios 45. Wicleſi errores hi duo leguntur damnati: 22. *Sancti instituentes Religiones privatas, sic instituendo peccaverunt*: & 23. *Religiosi viventes in*

Religionibus privatis non ſunt de Religione Chriſtiana ; quos pariter errores redolent propoſitiones 21 , 31 , 35, 44 , & 45. pari ignominiæ ſtigmate inflictæ . Proſcripta igitur, ac profligata haberi perinde debet opinio pergens affirmare Pontificem a recto, veroque deflectere poſſe , dum Religioſos approbat Ordines.

Neque obſtat , quod Innocentius III, & Gregorius X. eodem loci retexerint nimiam Religionum multitudinem in Eccleſiam incommoda multa intuliſſe , unde novas deinceps inſtitui vetuerint . Neque magis officit , quod a S. Cæleſtino V. prius approbatus referatur Fraticellorum Ordo , quem poſtea reprobatum a Johanne XXII. diſcimus ex ipſius Regiſtro par. 5, ſive Extravag. *Sanctam Romanam*, *de Relig. Domibus* die 30. Decemb. 1317. data . Non enim Innocentio , & Gregorio ſiniſtra ea inhærebat ſententia , qua putarent Romano Pontifici Religioſos Ordines approbanti obrepi errorem poſſe ; ſed ut incommodis ex eorumdem Ordinum multitudine in Eccleſiam manantibus obviam irent, id unum cautum voluere quammaxime , ne abſque Sedis Apoſtolicæ licentia , auctoritateque novæ Religiones inſtituerentur. Cæterum enim Deceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtentes , ex quibus Monaſticam profeſſionem a SS. Siricio , & Innocentio probatam fuiſſe patet ex ipſorum epiſtolis ad Himer., & adVictric.; nominatimque approbati feruntur Acœmetæ abeodem S. Innocentio , & S.Leone M; ab eodem S.Leone, & S.Gelaſio Canonici Regulares, altique Cœnobitæ Anguſtiniani; Benedictini a S.Gregorio M.;Regulares Canonici ab Alexandro II ; Grandimontenſes a S. Gregorio VII ; Antoniani , Carthuſiani , & Ciſtercienſes ab Urbano II; Præmonſtratenſes a CalliſtoII;quatuor Religioſos Ordines SS.Dominici,Franciſci,Euſebii Strigonienſis, & Johannis de Matha idem Innocentius III. , ipſiuſque Succeſſores alii approbaverunt alios poſtmodum inſtitutos , ex quibus Minoritas iterum , & Carmelitas,Honorius III; Mercenarios Gregorios IX; HieronymianosUrbanus VI ; Minimos Sixtus IV ; Cappuccinos , Theatinos , Sommaſchos , & Barnabitas Clemens VII ; Jeſuitas Paulus III ; Oratorianos S.Philippi, & Carmelitas Excalceatos Pius IV; SixtusV. Clericos Regulares Minores ; Gregorius XIV. Miniſtrantes Infirmis ; Clemens VIII. Eremitas Excalceatos ; & Urbanus VIII. Cleri-

Clericos Scholarum Piarum, Lucenſes Matris Dei, Clericoſque alios in commune viventes, veluti vocant. Nemini vero mirum videri debet, ſi temporis decurſu vel ob malitiam inhabitantium, vel ob rerum mutationem humanarum, Religiones pleræque humani aliquid paſſæ, veterique a propoſito degeneres, quæ Chriſtianæ Reipublicæ initio erant utiles, inutiles evaſerint, ideoque antea probatæ, reprobatæ poſtmodum fuerint. Sors eſt iſta communis, & infirma humanarum rerum conditio, ut in eodem perdiu integritatis ſtatu fixæ, ratæque permanere non poſſint, ſed quæ prius optimo videbantur loco poſitæ, conſtitutæque, paullatim deorſum vergant in deterius, donec proſtratæ tandem, convulſæque penitus jaceant. Cæterum haud conſtat, an Ordo Fraticellororum a S. Cæleſtino V. revera fuerit approbatus: quamquam conſtet certiſſime reprobatos fuiſſe, extinctoſque ex Ordinibus quidem Equeſtribus Templarios a Clemente V; ex Religioſis autem Humiliatos a S. Pio V; Apoſtolorum ſic dictum, alterumque S. Blaſii in Armenia ab Innocentio X; ac Jeſuatos, & Hieronymitas Feſulanos a Clemente IX.

Retro nunc flectendo veſtigia, quo olim honoris loco in Eccleſia habiti Monachi ſint, quiſve per Romanos Pontifices ad Eccleſiaſticos gradus, & officia eiſdem patuerit ingreſſus, nunc aperire, paulloque diligentius præſtat inſpicere: nec enim æmulatores defuerunt unquam, qui Monachos univerſim omni Eccleſiaſtica dignitate interdictos vellent, omnemque eis in Eccleſiaſticam hierarchiam aditum intercluſum. Atque ego quidem primi generis Monachis, ſive Aſcetis, ſive Anachoretis intra Laicorum claſſem plane comprehenſis, omnem ad Clericales functiones ingreſſum clauſum fuiſſe haud ægre, difficileque conſentiam, modo viciſſim Monachis 2. generis, ideſt Cœnobitis ſuus in Eccleſia illuſtris locus non denegetur factus: non denegabitur autem, auguror, ab eo, cui vetuſta Monaſticæ hiſtoriæ monumenta probe perſpecta ſint, quæ antequam ignorantibus prodam, obſervare pretium eſt operæ Hierarchiæ Eccleſiaſticæ nomine duo uſu familiariſſimo venire, diſtinguique oportere diligenter, Ordinem, & Officium, quibus Principatus ſpiritualis, quædamque ſacra poteſtas confertur, atque exercetur. Quoad 1. igitur Ordo Hierarchicus

cus triplicem in gradum diſcernitur, in Diaconatum, a quo in Laicos proxime exercetur poteſtas, Presbyteratum, a quo in Diaconos poteſtas diffunditur, & Epiſcopatum, a quo in Presbyteros, inferioreſque Ordines reliquos juriſdictio diſtringitur. Sub Epiſcopatus autem acceptione ptæcipue comprehenditur Pontifex M. ſupremus in Eccleſia Monarcha, cujus tam ampla patet auctoritas, quam Eccleſia longe, lateque ſe effundit. Ita plane tres iſtos dumtaxat Hierarchicos ordines in Eccleſiam inductos acceperunt, nobiſque incorrupta fide tradiderunt SS. Patres, Clemens Rom. in genuina epiſt. ad Corinth. apud Cotelerium, & Coutantium; Ignatius Antioch. in ſuis germanis epiſt. ad Smyrnæos, & ad Trallianos; pſeudo-Clemens in Conſtit. Apoſtol. lib. 2. cap. 16, lib. 7. cap. 32, & lib. 8. cap. 46; pſeudo-Dionyſius de Hierar. Eccl. cap. 5; S. Cyprianus in epiſt. ad Cler. Rom.; Clemens Alex. lib. 6. Strom., & Pedag. cap. ult.; Tertullianus lib. de fuga in perſecut. cap. 11, de Baptiſ. cap. 17, de præſcript. cap. 41, de exhort. Caſt. cap. 7, & de Monog. cap. 12; Origenes hom. 2. in Num., in Pſal. 35, tract. 33. in Matth., & in epiſt. ad Rom. cap. 2. lib. 2; S. Cyrillus Hieroſolym. Catech. 16; S. Optatus lib. 1; S. Pacianus in epiſt. 1, & 3; Patres Antiocheni in Synodica ad S. Dionyſium P. M. apud Euſebium lib. 7. cap. 30, & Nicæni Can. 15, & 16; S. Gregorius Nazian. orat. 4, & 32; S. Jo. Chryſoſtomus hom. 1. in epiſt. ad Philip., & hom. 83. in Matth.; S. Hieronymus in cap. 2. epiſt. ad Titum, lib. adv. Jovin., ac in epiſt. ad Evang., ad Heliod., ad Nepot., & ad Ruſticum; S. Auguſtinus in epiſt. 138, 148, & 162, aliique plures, quibus ſubtexendæ epiſtolæ Synodicæ paſſim inſcriptæ ad Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos; ac tandem Concilii Tridentini Seſſ. 23. Can. 6.

Quo loci quidem non moror Petrum Suavem, quem late, robuſteque refellit doctiſſ. Pallavicinus lib. 21. hiſt. Concil. Trid. cap. 13; neque poſt ipſum de Proteſtantium grege homines profligatiſſimos, Johannem Paulum Habenſtreilium in diſſert. de forma regim. in Eccleſ., M. Adamum Tribechovium in diſſert. de ordin. ſuper. poteſt. vet., & florent. Eccleſiæ; & Jo: Franciſcum Budæum lib. 5. inſtit. Theolog. cap. 4. rationem Chriſtianæ Reipublicæ proprie Hierarchiam dici poſſe inficiantes, potiuſque dicendam

eendam aut Hierodiaconiam, aut Hieroduliam contendentes: siquidem ii jamdiu a noſtræ Communionis doctiſſ. Theologis abunde ſunt refutati. Quoad 2. Officium Hierarchicum juxta prælaudatos Patres his ferme tribus concluditur, & definitur, quæ Epiſcopis, Presbyteris, ac Diaconis, in ſuo cuilibet gradu, atque ſubordinatione rite ſervata, competunt, videlicet leges ferre, cenſuraſque infligere; Sacramenta adminiſtrare, & Benedictiones impertiri; prædicare Verbum Dei, plebemque Chriſtianam fidei doctrinis imbuere. Paullo aliter officia hujuſmodi ab aliis explicantur, ita ſcilicet, ut ea ſint purgare, illuminare, & perficere: quatenus quum in Eccleſia ſint, qui ſunt purgandi, illuminandi, & perficiendi, ita ſint quoque, qui a vitiorum ſordibus purgent, qui veritatis ſplendoribus illuminent, qui virtutibus ſupernis perficiant: itaque ſimilitudinis expreſſima ſpecies Cæleſtem inter, & Eccleſiaſticam Hierarchiam intercedat. Qua de re adeundi pſeudo-Dionyſius de Hierar. Cæleſ. cap. 3, & de Eccleſ. cap. 1; S. Maximus in ſcholiis ad Dionyſii Hierarch.; Hugo Victor. lib. 4. adnot. in Hierarch. Cæleſt. Dionyſii; S. Thomas 1. par. q. 108. art. 1, & Opuſc. 19. contra Impugn. Relig.; Hallerius de Hierar. Eccleſ. lib. 1. cap. 1, & ſeqq., Petavius lib. 2. de Angel. cap. 2; Cellotius lib. 1. de Eccleſ. Hier., aliique eximii de Schola Theologi. Hoc itaque modo Hierarchiæ Eccleſiaſticæ notione rite accepta, quis probe hinc non perſpiciat Regularis inſtituti profeſſores ad eam utraque ratione pertinere, nimirum tam ratione Ordinum, quam ratione Officiorum, quique hoc inficias ire pergunt, atque hanc partem laudis Religioſis invident, eos ſplendide falli, & fallere, ideſt aut ſupina laborare ignorantia, aut ignorantibus ſubleſtiſſime illudere?

Age modo ab antiquo Monachatui Clericatum egregie attemperatum fuiſſe, copulatumque, eoſdem Monachos, qui Clericis, quique Clericis Hierarchici gradus, eoſdem Monachis fuiſſe communes, dedita opera demonſtretur, breviori tamen, qua fieri poterit, ne in re probatiſſima laboratum vehementer opera ſupervacanea videatur. Equidem multa pridem Monaſteria extitiſſe, quibus nulli proprii eſſent Presbyteri, quique iis inſervirent Diaconi, ſed ab Epiſcopis in Monaſteriis rem Divinam facturos Presbyteros, iiſque

iisque miniſtraturos Diaconos, mitti conſueviſse conſentio. At etiam obvia erant alia oppido multa, atque vel in aviis illis Solitudinibus ubique Templa videbantur erecta, ubi Fratrum ſuffragiis electi proprio ex gremio Presbyteri, a proximioris loci Epiſcopis ordinati, ſacra Miniſteria peragebant. Ita namque obiter diſcurrendo per diſterminas Manſiones illas, Sacerdotii officiis qui defungerentur, in Thebaide reperiuntur apud Evagrium, ſive Rufinum de vit. PP. capp. 14, & 15; in Tabenna apud Gennadium de Script. Eccleſ. cap. 8; in Cellis, ac Nitria apud S. Iſidorum Peluſ. lib. 1. epiſt. 152, & Rufinum de vit. PP. lib. 2. capp. 22, & 25. Ex Monachis ſub S. Nilo Seniore in Sina degentibus delectos Sacerdotes fuiſſe, qui rem Sacram facerent, abunde liquet ex his, quæ denarrant Leo Allatius de Nilis pag. 22, Jo: Moſchus in Prato Spirit. cap. 127, Bollandus ad diem 4. Jan., & Henſchenius ad 22. Aprilis in vita S. Anaſtaſii Sinaitæ. Extat, & epiſtola 45. lib. 8. ind. 3. S. Gregorii M. ad Palladium in Sinæ Monte Monachum, & Sacerdotem exarata. Nec etiam in Scetis extraneos Sacerdotes deſideratos, qui rei Divinæ operarentur, documento ſunt monumenta deſcripta a Caſſiano in Collat. 3, 4, 10, 18, & 19, a Cotelerio inter monum. Eccleſ. Græcæ pag. 551, a Bollando ad diem 15. Jan., & a Surio ad 19. Julii. Monachorum in Lauris inhabitantium rebus Sacris præfuiſſe ex ipſorum grege Presbyteros indubium evadit, ac de Lauris Rubani, & Hierico ex Bollando in vita S. Euthymii ad 20. Jan.; de Lauris Raitæ in ora Erythræi ad ortum conſitæ ex Roſvveido de vit. PP. pag. 527, & ſeq., cujuſmodi erat Theodorus ſæculi VII. ſcriptor; de Lauris Æliotarum prope Jordanum ex Bultæo lib. 4. cap. 25; atque de Lauris S. Sabbæ ex Surio in ejus vita ad diem 5. Decemb., ac in vitis S. Johannis ad 13. Maji, & S. Quiriaci ad 29. Septemb. Neque proprii Sacerdotes deerant, ſacris, diviniſque præfecti, in Monaſteriis Siceonis in Galatia, de quibus Surius; & Henſchenius in vita S. Theodori ad 22. April., & Emeſæ in Phœnicia, de quibus Du-Cangius in tract. de invent. Capitis S. Jo. Bapt.; quam in Provinciam Monachos Sacerdotes miſſos rem Chriſtianam enixe curaturos a S. Jo: Chryſoſtomo conſtat ex ejuſdem epiſtolis 36, 55, 70, 92, 93, 126, & 144, ac teſtatur Theodoretus lib. 5. hiſtor.

hiſtor. Eccleſ. cap. 29. Sacerdotio inſignitos viros inſpicere licet in Monaſteriis prope Cyrrham apud Theodoretum in Philothæa, ſive hiſt. Relig. cap. 153 prope Alexandriam apud S. Jo: Climacum Scalæ gradu 4. edit. Raderi, Palladium in Dialogo, ac in hiſt. Lauſ. cap. 1, & ſeqq., & Henſchenium ad 16. Martii in vit. S. Abrahami; prope Antiochiam apud Græcos in Menolog. ad 16. Julii de S. Dio, Socratem lib. 6. cap. 3, Sozomenum lib. 6. capp. 33, & 34, ac Theodoretum lib. 4. cap. 28; prope Hieroſolymam apud Sozomenum lib. 6. cap. 32, Bollandum ad diem 11. Jan. in vita S. Theodoſii, 20, & 26. Jan., apud Henſchenium ad 5, & 28. Martii, & in Menologio Græc. ad 27. Septemb., ac 28. Octob.; prope Conſtantinopolim apud Sozomenum lib. 8. cap. 6, Papebrochium ad 17. Junii in vit. S. Hypatii. In Monaſteriis a S. Baſilio ædificatis Presbyteros ex ipſius diſcipulis præcipuos delectos, rebus operandis Divinis præfectos commemorat paſſim S. Gregorius Nazian. in epiſt. 12, 42, 216, & 233. E Concilio Epheſino act. 1. S. Cyrillus Alex. ſalutavit ex Monachis Ægypti diſtinctim Sacerdotes, & Diaconos, in quibus illuſtres Dalmatius Archimandrita, Timotheus, & Eulogius Presbyteri. Archimandritæ illi duodeviginti, qui ante Diaconos leguntur nominati in libello oblato S. Leonis Apocriſariis in Concilio Conſtantinopolit. ſub Flaviano act. 7, Sacerdotali ſane dignitate eminebant: qua inſignes etiam evaſerant Eutyches ipſe, de quo ibidem act. 3, Barſumas, de quo in Chalced. act. 1, iique demum, de quibus loquitur S. Epiphanius hær. 68. Inter Acœmetas Conſtantinopoli celebres a S. Alexandro inſtitutos ſyus erat Sacerdotibus illuſtris locus, de quibus ſermo fit in Synodo Conſtantinopolit. ſub Menna act. 5, ubi gemina occurrunt de Incolis deſerti Chalcidis, non ſecus ac apud Surium in vita S. Marcelli ad 29. Decemb. Sed & Sacerdotii muneribus perfungebantur ex Monachis plerique illis, quorum extat libellus ſupplex ad SS. Hormiſdam, & Agapetum apud Harduinum tom. 2. pag. 1031, & 1203. In Cœnobio a Rufino conſtructo in Suburbio Chalcedonenſi a Monachis Cleri vices, ac munia impleri conſueviſſe fide affirmat ſua Sozomenus lib. 8 cap. 17. Ex ingenti etiam Monachorum caterva, quos S. Paulæ obviam prodiiſſe refert S. Hieronymus in ejuſdem

Epitaphio, multos ipſe notavit Levitico, & Sacerdotali gradu inſignitos, non ſecus atque in epiſt. 27, nunc 76. ad Euſtochium pleroſque ex Monachis Presbyteros commendat.

Documentis hiſce indigeſtim ex hiſtoria Monaſtica decerptis nec parvum decus, nec leve pondus accedit ex Decretis Romanorum Pontificum, a quibus nihil unquam prætermiſſum eſt, quo fieret, ut Chriſtiani Gregis tam egregia portio honore, quo digna erat, in Eccleſia haberetur, eique ad ſuperiores etiam gradus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ingreſſus a nemine interciperetur. Dixi ſuperius, ut ut erga Regulares Epiſcoporum liberalitas effuſa fuerit, Ordinum Regularium tamen incolumitati ea tum demum optima ratione fuiſſe proviſum, quum in Romani Pontificis ſpecialem tutelam devenere. Ita dicendum Regularibus olim ad gradus Eccleſiaſticos aditum tum demum patefactum manſiſſe, poſtquam iiſdem a quocumque intercludi a Pontificibus Romanis prohibitum eſt. Itaque Monaſticam inſtitutionem generatim eodem olim in Eccleſia gradu a Pontificibus utique poſitam fuiſſe, quo habebantur Minores Ordines, quin etiam Subdiaconatus, aut ſaltem Monaſticæ profeſſionis Tirocinium ex facultate a Pontificibus facta reputatum fuiſſe pro interſtitiis Ordinum egregie jamdiu eſt demonſtratum a Cl. Thomaſſino vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 3. cap. 15. Expreſſa certe eſt S. Gelaſii in epiſt. 5. edit. Hard. ad Epiſcopos Lucaniæ cap. 2. indulgentia, diſpenſatioque cum Monachis circa interſtitia ſacrarum Ordinationum, ac refertur a Gratiano diſt. 77. Can. 8. *Si quis de Religioſo*. Effuſior imo S. Gregorii M. ſe explicat lib. 12. in epiſt. 12. liberalitas erga Opportunum, quem Monachum fieri, aut Subdiaconum præcipit, ac permittit, ac ſubinde ad Paſtoralem curam promoveri. Cæteris etiam Clericorum Ordinibus majoribus, officiiſque Monachos, quos vitæ gravitas, ac integritas commendaſſet, aggregari voluit diſerte S. Siricius in epiſt. 1. ad Himerium cap. 13. Ita vero aggregatos a priori Monachi propoſito reſilire omnino noluit S. Innocentius I. in epiſt. 2. ad Victricium cap. 10. Probatiſſimum evaſit perinde, nihilque imo obtingere poterat optatius S. Gregorio M., quam ut moribus probatiores, doctrinaque præſtantes Monachi, quique ex his potiſſimum aliis gradu

gradu præeſſent, ad ſacra Altaris munera applicarentur: quam in rem legere præſtat lib. 6. epiſt. 56. ad Stephanum Abbatem, lib. 9. epiſt. 28, & 92. ad Demetrium Abbat., & Presbyt., ac lib. 13. epiſt. 8. ad Senatorem Presbyt., & Abbat. votorum ſuorum locupletes teſtes. Conferendus etiam Mabillonius in Annal. Bened. tom. 1. lib. 5. n. 19, & lib. 12. n. 20, & ſeq., ac n. 42. Sub initium ſæculi VII. iniquo amaritudinis zelo inflammati nonnulli adverſus Monachos inſurrexerant, aſſerentes eos Sacerdotalibus officiis indignos eſſe: itaque ad æmulos iſtos coercendos indicta Romæ anno 610. Synodo S. Bonifacius IV. decreto edito declaravit tam legitime, quam digne Monachis Sacerdotalia munera demandari. Decretum hoc deſcriptum ex Cod. Vatic. edidit Holſtenius Collect. pag. 242; & ex Cod. Ms. S. Symphoriani Metenſis, deinde juris Cl. Claudii Hardy Senat. Pariſ. vulgavit Labbæus tom. 5. pag. 1619, regeſſitque Harduinus tom. 3. pag. 544. Refertur etiam a Gratiano Can. 25. *Sunt nonnulli* 16. q. 1., ac reſtauratum eſt tandem ab Urbano II. an. 1096. in Concilio Nemauſenſi Can. 2, & 3, uti ſuo dicetur loco.

Porro ad Clericatus officia provehi Monachi bipertita ex cauſſa permiſſi ſunt, atque juſſi, vel ita videlicet poſtulante Monaſterio ad ſui ipſius bonum, & commodum, vel etiam ita exigente aliarum Eccleſiarum neceſſitate, ac utilitate. Itaque Caſſianus Inſtit. lib. 11. cap. 17. referens a S. Jo: Chryſoſtomo Diaconum ſe, ac Sacerdotem Germanum ordinatos, Monachos alios paſſim doctrina, pietateque inſignes e Monaſteriis ad Eccleſiaſticas dignitates, & officia in Clero obeunda ab Epiſcopis advocari, rapique ſolitos ſubjungit. S. Chriſpion e Monaſterio ad Archidiaconi munus aſſumptus a S. Epiphanio traditur a Sozomeno lib. 8. cap. 15: ſed & ipſe S. Epiphanius in epiſt. ad Johannem Hieroſol. inter Hieronymianas olim 60, nunc 110, Monachos ab ſe in Presbyteros ordinatos perhibet. Similiter e Monaſterio ad Sacerdotium in Eccleſia Antiochena exercendum accerſitum S. Lucianum legere eſt apud Surium, & Bollandum ad diem 7. Jan. Doctrina, moribuſque probatiores ex Monachis ad Clericatus officia deligere tum Aurelio Carthaginenſi Primati, tum etiam ſibi in more poſitum ſcribit S. Auguſtinus in epiſt. 70; qui imo in epiſt. 81. ad

Eudoxium Insulæ Capratiæ Abb., & Presbyterum unius, ejusdemque prorsus ordinis esse Clericos, ac Monachos edocet. Exinde fit etiam evidens ab Italia morem hunc in Africam transmigrasse; quem *imo* in Gallia jamdiu obtinuisse manifestum evadit ex Concilio Arelatensi III. anno circiter 455. a Sirmondo ex Codice Lugd., & ab Harduino ex Cod. Paris. Soc. J. edito tom. 2. pag. 779; cui explorata res erat in Monasteriis Clericos ordinari consueviſſe; cujusque Concilii decretum de ordinatione Monachorum ideo probatum, acceptumque evasit Concilio Carthaginensi sub Bonifacio an. 525. Sed & ex Monachis allegi Clericos, non absque tamen Abbatis consensu, concessit Concilium Agathense an. 506. Can. 27. Disciplinam hanc optimo loco Canonicis legibus constitutam adjuvate, legibusque Civilibus magis confirmare non abstinuerunt laici ipsi Principes. Honorius Imp. L. 32. Cod. Theod. *de Episcopis, & Clericis* e Monachis in Clerum cooptari viros probos, doctrinaque præclaros vehementer exoptat, atque Episcopis auctorem se præbet. A Theodosio Juniore in Ecclesiam probe Chalcedonem invectos Monachos ad Clericatus officia præstanda commemorat Sozomenus lib. 8. cap. 17; qui lib. 6. cap. 31. refert Clericos Rinocoruræ Urbis una communi domo, & mensa vitam transegisse, ideſt eosdem Monachos extitisse Clericalibus officiis mancipatos. Clero Alexandrino Sacerdotes ex Monachis dedisse legitur S. Athanasius; & in Ecclesia Vercellensi a S. Eusebio Clericos Monachis adscitos tradit S. Ambrosius in epist. 63, olim 82. ad Eccl. Vercell., quos ipse proxime imitatus, Clero pariter suo Monachos attemperare non distulit. Quotidiano experimento comprobabant Episcopi, quantum conferret ad optimam Cleri institutionem conspectus vitæ, disciplinæque Regularis, operæ proinde, ac impensis non parcebant, ut Monasteria Episcopiis, aut Cathedralibus Ecclesiis admoverentur. Disciplinæ istius intuitu ductos, ejusdemque suo in Clero instauranda sollicitudine indutos Gallicanos Episcopos magnum sibi usum, atque utilitatem quæsiviſſe ex Monachorum vicinia dignoscere licet, ac documentum capere ex Marmore insigni in Ecclesia Narbonensi inciso, & ex Collectaneis Baluzii ad opera Salviani edito ab Antonio Ruffo in hist. Massil. lib. 10. cap. 1. In eo legi-

legitur enim in Eccleſiæ Narbonenſis vicinia conſitum olim Cœnobium, in quo Monachum primum exegere cum Ruſticus ille, ad quem extat S. Hieronymi epiſtola 4, quique deinde Presbyter electus Maſſilienſis Eccleſiæ, ac demum Narbonenſis Epiſcopus a S. Leone M. celebrem accepit epiſtolam 92; tum Venerius, qui ex eodem Monaſterio primum ad Sacerdotium in Eccleſia Maſſilienſi obeundum aſſumptus, poſtinde ejuſdem inauguratus Epiſcopus eſt.

Referebat quammaxime, ut Romana Eccleſia, quæ purioris diſciplinæ ſtudio ceteris ſemper præluxiſſe gloriabatur, in hac ſtudii parte ceteris ſi non prior, ſaltem non videretur poſterior. Jamdiu itaque ſub ætate S. Damaſi in Urbe, aut circa Urbem a viris probis, Evangelicæque profeſſionis cupidiſſimis Monaſticam vitam excultam fuiſſe paullo ſuperius inſinuatum jam eſt: at parum id erat, niſi præterea ad Monaſticæ diſciplinæ contemplationem efformandi Clerum ipſum cupido ingens Romanos Pontifices inceſſeret. Ergo auctor eſt Anaſtaſius Romæ prope Baſilicam S. Petri in Vaticano Monaſterium SS. Johannis, & Pauli a S. Leone M. fuiſſe ædificatum, cui deinde tria alia non procul adjuncta fuere, S. Martini nempe, S. Stephani Majoris dicti, & S. Stephani Minoris. Porro Canonicorum officia in Baſilica S. Petri a Monachis quatuor horum Monaſteriorum uſque ad ſæculum IX. peragi conſueviſſe patet ex eodem Anaſtaſio tom. 4. edit. Blanchinii in S. Gregorio III. ſect. 203, & 204; & tom 5. nedum edito, apud Cennium in Not. ad Murat. antiq. Ital diſſert. 62. de Inſtitut. Canonicorum, in Hadriano I. ſect. 326, in Gregorio IV. ſect. 459, & S. Leone IV. ſect. 494, ac 553. Horum Monachorum perinde ritum edoceri a S. Agathone efflagitaſſe S. Benedictum Biſcopum Abbatem Viremuthenſem in Anglia tradit V. Beda lib. 4. hiſt. Angl. cap. 18: quo etiam de ritu loquutum Amalarium in lib. de Offic. Eccleſ. laudatus Cennius obſervat. Eorumdem Monachorum devexiori adhuc ſub ætate mentio etiam occurrit in Conſtitutionibus S. Leonis IX. Bullar. Vatic. tom. 1. pag. 22, & ſeqq., in quibus privilegia commemorat iiſdem Monaſteriis a deceſſoribus ſuis S. Paſchali I, Sergio II, & S. Leone IV. conceſſa. A S. Hilaro, dum adhuc ſub S. Leone Archidia-

coni

coni defungeretur officio, duplex Monaſterium excitatum tradit idem Bibliothecarius, unum ſecus Baſilicam S. Laurentii extra Muros, alterum intra Urbem ad Lunam, ideſt non longe ab eo loco, ubi olim duo viguiſſe Templa Lunæ, ac Mithræ, ſive Soli dicata, ubi deinde S. Euſebii Titulus in Exquiliis excitatus eſt, obſervat doctiſſ. Blanchinius in Not. hiſt. ad Anaſt. tom. 3. Sect. 71. pag. 169. Qui proxime eumdem excepit, S. Simplicius apud eumdem Anaſtaſium dedicaſſe legitur Baſilicam olim Sicinianam, deinde S. Andreæ dictam, cui adjunctum Monaſterium erat non longe a Baſilica Liberiana, ubi nunc viſitur S. Antonii Ægyptii Cœnobium, & Eccleſia; qua de re videſis Cl. Ciampinum veter. Monum. tom. 1. capp. 7, & 27. Scitum eſt, & diſcitur etiam ab eodem Bibliothecario alterum S. Andreæ nomini dedicatum Monaſterium in Domo ſua a S. Gregorio M. Quod ad illud vero S. Andreæ pertinet ſecus Baſilicam Liberianam olim conſitum, a S. Gregorio II. poſt annos 250. reſtauratum fuiſſe refert Anaſtaſius; qui & ante ejuſdem S. Gregorii II. ætatem prope Baſilicam S. Pauli Monaſteria extitiſſe ab eodem Pontifice inſtaurata, atque officiis Eccleſiaſticis in eadem Eccleſia adimplendis Monachos præfectos, admotoſque perhibet. Præterea ab eodem Pontifice Monaſterium fuiſſe inſtitutum poſt abſidem S. Mariæ ad Præſepe: conſtructum etiam ex domo propria Monaſterium in honorem S. Agathæ. Cur autem hæc Monaſteria circa inſigniores Baſilicas aut inſtaurare, aut a fundamentis excitare S. Gregorius II. curaverit, exprimit eodem loci ex ipſius mente Anaſtaſius, ex quo intelligas non alterum Pontificibus aliis hæſiſſe animo conſilium: ut nempe Divinæ Pſalmodiæ penſum diurnum, nocturnumque cum Clero a Monachis celeberrimis in hiſce Baſilicis indeſinenter perſolveretur. Hujuſce rei gratia pariter a S. Gregorio III. cum renovatum Monaſterium SS. Jo: Evangeliſtæ, Johannis Bapt., & Pancratii ſecus Eccleſiam S. Salvatoris, tum a primis fundamentis erectum Monaſterium SS. Stephani, Laurentii, & Chryſogoni, ubi diu, noctuque ad inſtar Baſilicæ Vaticanæ a Monachis Divina officia abſolverentur, idem Bibliothecarius adnotare non deſtitit. Atque quidem in Baſilica Lateranenſi fuiſſe Monachos uſque ad S. Gregorium III; Canonicos dein-

deinde Regulares ab Alexandro II. fuiſſe ſuffectos, quibus a Bonifacio VIII. demum ſæculares Canonici ſubrogati ſunt, plurimis enarrant Panvinius in Cod. Ms. Vatic., ex quo librum ſuum de Eccleſ. Later. lib. 2. cap. 1. Card. Raſponus deſcripſit. Quod in proprio fundo Monaſterium ædificare propoſuerat, inceperatque Stephanus III, ab ipſius Fratre, ac in Pontificatu Succeſſore S. Paulo I. fuiſſe perfectum ſub ſacris nominibus SS. PP. Stephani, & Silveſtri, excolendumque Monachis Græcis traditum affirmat idem Anaſtaſius, confirmatque Baronius ad an. 761. ex Pauli diplomate, regeſto ab Harduino tom. 3. pag. 1999. Græcis etiam Monachis aliud Romæ Monaſterium apud S. Praxedem traditur ab eodem Bibliothecario, idemque inſtauraſſe Monaſterium in honorem S. Andreæ olim a S. Gregorio M. erectum. A Gregorio IV. Monaſterium prope Eccleſiam S. Mariæ trans Tiberim ædificatum, Officiiſque in eadem Eccleſia peragendis Monachos fuiſſe præpoſitos idem Anaſtaſius ſect. 470. affirmat. Romæ denique circa exitum ſæculi X. Monaſteria extitiſſe ſexaginta, ex quibus 40. Monachorum, reliqua 20. Sanctimonialium, adnotavit Mabillonius. Optatiſſimum poſtremo Nicolao II. accidiſſe, ut Clerici vitam ſuam ad Apoſtolicam, communem, ſive Regularem attemperare ſtuderent, adparet ex Synodi Romanæ anno 1059. ab ipſo habitæ Canone 4.

Erant etiam aliquando in eadem Eccleſia bipertita Capitula ex Clericis, & Monachis conflata; qualia fuiſſe in Eccleſiis Mediolanenſi, & Nardenſi legere præſtat apud Ughellum in Ital. Sacr. tom. 4. pag. 1091. Quin imo Eccleſiarum Clerus quandoque ex ſolis Monachis coaleſcebat, cujuſmodi fuiſſe Hipponenſem in Africa a S. Auguſtino inſtitutum, ex quo brevi Africanam Eccleſiam Sacerdotibus, & Epiſcopis redundaſſe refert in ipſius vita Poſſidius cap. 11. Aquilejenſem quoque Clerum ex Monachis coagmentatum obſervat Baronius ad an. 372. pag. 325. edit. Rom. 1600. ex S. Hieronymi epiſtolis 5, 6, 37, 41, & 43; ex quibus liquido patet ex horum numero præ aliis floruiſſe Florentium, Bonoſum, & Ruffinum, ad quos eædem litteræ inſcriptæ leguntur. Clericis integrum fuiſſe præterea ad Monaſticam tranſire profeſſionem, nec inde fas diſcedere, præcepto, & documento ſunt S. Gre-

S. Gregorius M. lib. 1. epiſt. 40, Concilium Toletanum IV. Can. 50, Innocentius III. Regeſt. lib. 16. epiſt. 93, & S. Anſelmus Cantuar. lib. 3. epiſt. 12. Quin etiam S. Gregorio M. ardens inerat deſiderium, nedum ut Monachi in Clauſtro degentes Clericatus gradibus defungerentur, ſed ut e Clauſtro probatiores ad eoſdem gradus in Parochiis exercendos advocarentur, ut liquido adparet ex lib. 1. epiſt. 40, & lib. 5. epiſt. 27, & 41. Hinc Parochialium Eccleſiarum adminiſtratio Monachis permiſſa legitur a Concilio Moguntino I. an. 847. ſub Rabano cap. 14. Cathedrales quoque vacantes Eccleſias, quoadusque Paſtore fuiſſent proviſæ, commendatas eorum curæ legere eſt apud Leidradum Archiep. Lugd. in epiſt. ad Carolum M. inter Agobandi opera, quem Leidradum Epiſcopalis oneris pertæſum in Sueſſionenſe Monaſterium S. Medardi, Archiepiſcopatu abdicato, ſeceſſiſſe ad Monaſticam vitam excolendam tradit Ado in Chron. ad an. 819. Poſtea circa Parochialia munia variam Monachi ſortem ſubiere, de qua copioſe agit Thomaſſinus par. 1. lib. 3. cap. 22. A Caliſto II. in Concilio Lateranenſi I. Can. 17, & 18. ab his interdicti ſunt, Præfici Eccleſiis Parochialibus certa ſub lege conceſſit Alexander III. in Concilio Lateranenſi III. Capp. 9. & 10. Poſtremo hoc Canone citato Innocentius III. Monachis Parochias adminiſtrandi licentiam confirmavit Cap. *Monachi, de ſtatu Monach.*, & Cap. *Quod Dei timorem, ibid.* Concurrit in eamdem ſententiam Urbanus III. Cap. *In Eccleſiis, de Cappellis Monach.*; ante ipſum autem Urbanus II. in epiſt. 18. append. ad Rotgerum Abbat. Sueſſion. apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1662. Gregorius XIII. deinde an. 1581. Conſt. edita Regularibus prohibuit, ne ſæcularium Parochiarum adminiſtrationi ſemet ingererent, niſi ex Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione. Diſpenſationem hanc vero concedendam tunc demum, quum idonei Sacerdotes ſæculares non adſunt, ac quum pro Regularium deputatione inſtant Epiſcopi pro neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ, declaratum eſt a S. Congregatione Concilii. Confer Fagnanum in Cap. *Quod Dei timorem, de ſtatu Monachor.* n. 17, ac Benedictum XIV. in Conſt. *Cum nuper* ejuſdem Bull. tom. 3. n. 51. Quid ad hæc autem, quod Clericis, aut Canonicis non ſemel ab Eccleſiis ejectis, eorum in vi-

ces

ces ad Eccleſiaſtica munia exercenda ſubintrojerunt, atque ex Monachis deinceps conflata Capitula ſunt? Romæ S. Gregorius M. lib. 4. epiſt. 18. nov. edit. ab Eccleſia S. Pancratii extra Muros conſita expulſis Clericis eamdem Monachis concredidit, a quibus ibidem Clericatus officia explerentur: quam in rem confer doctiſſ. Blancum de poteſt., & polit. Eccleſ. tom. 4. lib. 2. cap. 2. §. 4, ubi oppoſitum ſentientem Guſsanvillæum in Not. ad hanc epiſt. explodit. In Angliæ Cathedrales, & Collegiales Eccleſias a S. Dunſtano, accepta prius a Johanne XIII. neceſſaria poteſtate, invectos Monachos refert Osbertus in ejuſdem vita cap. 38. apud Surium ad diem 15. Octob. Peracta eadem commutatio legitur in Eccleſiis Germaniæ, in Metenſi ab Adelberone, apud Sirmondum tom. 3. pag. 582; in Bremenſi a Lubentio apud Surium ad diem 22. Junii, ac in Leodienſi a Ratherio apud Dacherium Spicileg. tom. 2. pag. 136. In Eccleſias quoque Galliarum Clericorum loco invectos Monachos memoriæ traditum eſt, ut in San-Dionyſianam, ut in Lemovicenſem, ut in Remenſem, ut in Moſomenſem, aliaſque, de quibus adeundus Thomaſſinus par. 1. lib. 3. cap. 19.

Illud etiam non tam oneri, quam honori cedebat, quod Conciliis intereſſe concedebatur ſive Hegumenis, qui nempe uni dumtaxat Monaſterio præerant, ſive Archimandritis, qui multorum adminiſtrationem gerebant, de quibus videndus Mabillonius in præfat. ad ſæcul. V. Bened. §. 4. Quem vero locum in Synodorum conſeſſu tenerent, arguere licet ex Synodo Toletana XI. an. 675, ubi Abbates ante Archidiaconos ſubſcripſiſſe leguntur. Medii Presbyteros inter, ac Diaconos conſtituti Abbates habentur in Conciliis Emeritenſi an. 666. cap. 11, Bracarenſi III. an. 675. cap. 7, ac Toletano XIII. an. 683. in ſubſcript. Sed & Abbates plus vice ſimplici ſupra Presbyteros collocatos paſſim leges in Conciliis Antiſiodorenſi circa an. 578, Oſcenſi an. 598. Can. 1, Toletano XV. an. 688, & Toletano XVI. an. 693. Honoratiori denique præ Diaconis, ac Presbyteris gradu habitos fuiſſe liquet ex Synodis Conſtantinopolitana ſub Flaviano act. 7, & Chalcedonenſi act. 1. Ergo ex Presbyteris eligi Abbates debere, ſive electos Presbyteratu inſigniri, ſancitum eſt in Synodis Ro-

mana ſub. S. Bonifacio IV; Romana altera ſub Eugenio II. anno 826. Can. 27; & Pictavienſi an. 1078. Can. 7. Subinde generalis Synodus VII, ſive Nicæna II. Can. 14. Abbatibus facultatem indulſit Monachis ſibi ſubjectis conferendi Tonſuram, ac Lectoratum: quo nomine apud Græcos quatuor Ordines Minores veniſſe nemo neſcit. Refertur hic vero Nicænæ Synodi II. Canon a Gratiano diſt. *69.* Can. 1; atque expreſſe confirmatus legitur ab Innocentio III. in Decret. *Cum contingat, de Ætate præficiend.*, & a Synodo Trident. ſeſſ. 23. de Reform. cap. 10. Atqui Monaſteria nullo non tempore ſeminaria fuere, officinæque, e quibus Epiſcopi doctrina, ſanctitateque conſpicui ad regendas Eccleſias advocati ſunt, & admoti. Inde profecto emperant plerique eorum Patrum, qui generalia Concilia præſentia condecorarunt ſua, Nicænum SS. Nicolaus Myrenſis, Jacobus Niſibienſis, Aroſtanus Armenus, Paphnutius Ægyptius &c.; Conſtantinopolitanum I. Aſcholius Theſſal., Petrus Sebaſtenus, Acacius Beroœenſis &c. apud Sozomenum lib. 7. cap. 28; Epheſinum Maximianus Conſtantinopolit., Domnus Antiochen., Dalmatius Cyzicenus &c.; Chalcedonenſe Maximus Antioch., Nonnus Edeſſenus, Stephanus Jamnienſis, Gajanus Medabenſis, Johannes Saracenorum Epiſcopus &c. Ita a S. Athanaſio Dracontius, Serapion, Appollonius, Agatho, Ariſtus, Ammonius, Muitius, & Paulus e Clauſtro ad Epiſcopatum rapti leguntur tom. 1. ipſius oper. pag. 957; atque ejuſdem perſequutionis fuiſſe participes Ægyptios pleroſque Epiſcopos ex Monachis aſſumptos tradit Theodoretus lib. 4. cap. 22. Ad Epiſcopatus dignitatem evocatos e deſertis Scetis recenſent S. Iſidorus Peluſ. lib. 1. epiſt. 152, Sozomenus lib. 7. cap. 28, Surius, & Bollandus ad 26. Febr. in vita S. Porphyrii Gazenſis: e deſertis Rinocoruræ Sozomenus lib. 6. cap. 31, & Bollandus ad 16. Januarii: e deſertis Nitriæ Socrates lib. 4. cap. 23; e Lauris Æliotarum Bultæus lib. 4. cap. 25; S. Euthymii Bollandus ad 20. Jan.; S. Sabbæ Surius ad 13. Maji in vit. S. Johannis Silent., & Bultæus lib. 4 cap. 5. Plures etiam Cathedralibus Eccleſiis adminiſtrandis admotos ex Thebaide tradunt Liberatus Brev. cap. 18, Cotelerius Monum. Eccl. Græcæ pag. 382, & ſeqq., ac Roſvveidus lib. 2. pag. 621: ex Tabenna Theophanes

in

in Chronog. ad an. 7. Leonis Imp., ac Baronius ad an. 482 : e Siceone Surius, & Henſchenius ad diem 22. April. in vit. S. Theodori : e Sina S. Nilus Orat. in Albienum, Jo: Moſchus in Prat. ſpir. cap. 123, & ſeq., & Cotelerius Monum. Eccleſ. Græcæ pagin. 579. Complures ad Epiſcopatus faſtigium elevatos Monachos ex iis, qui incolebant aut prope Conſtantinopolim memorant Palladius in Dialog., Syneſius in epiſt. 66, Sozomenus lib. 8. cap. 6, & Henſchenius ad 23. Martii : aut prope Alexandriam Johannes Moſchus cap. 123, & ſeq., Surius ad diem 25. Decemb., & Bultæus lib. 1. cap. 17: aut prope Antiochiam Bollandus 20. Jan.; aut prope Hieroſolymam Evagrius lib. 3. cap. 33, Menæa ad 3, & 28. Octob., ac Leo Allatius Sym. capp. 3, & 6: quo loci poſt Sozomenum lib. 6. cap. 38, & Evagrium lib. 3. capit. 33. nonnullos in Arabia e Monachis Epiſcopos adlectos commemorat. E Monaſteriis S. Iſaaci ad Epiſcopalia munia a Theophilo ſeptem, aut octo Monachos translatos memorat Palladius in vita S. Chryſoſt. cap. 15: nemo autem neſcit innumeros e S. Baſilii Monaſteriis prodiiſſe ſpectatiſſimæ probitatis Epiſcopos, qui plurima cum laude præfectura Eccleſiarum perfuncti ſunt, quorum plurium ſua jam ſub ætate meminerunt S. Baſilius ipſe ep. 337, & ſeqq., S. Gregorius Nazianz. epiſt. 42, & carm. 47, ac S. Ambroſius epiſt. 59. Nimis etiam longum eſſet dinumerare eos, qui ad Regularem diſciplinam egregie ante elaborati, Eccleſiarum regimini deinde admoti ſunt, in Africa e Monaſteriis S. Auguſtini, de quibus Poſſidius in ipſius vita cap. 11; in Gallia e Monaſteriis SS. Martini Turon., & Honorati Lerinenſis, de quibus S. Cæſarius Arelat. hom. 25, atque e Luxovienſi, de quo vetus Scriptor apud Cointium ad an. 612. n. 22.

Patriarchalibus ipſis Eccleſiis præfecti frequentiſſime probatiſſimæ vitæ Religioſi viri ab optime adminiſtrata præfectura Eccleſiaſtica quammaximam famam ſibi compararunt, laudemque fecerunt apud poſteros : atque qui Alexandrinæ præfuere apud Theophanem in Chronogr. pag. 98, Liberatum in Brev. cap. 23, Jo: Moſchum Prat. Spirit. cap. 193, Garnerium de Synodo V, ac Sollerium in hiſtor. Chronolog. Patriarch. Alex. n. 349, & 357: qui Antiochenæ apud Theodoretum lib. 5. cap. 35, Evagrium lib. 3.

cap.31, lib.5. cap. 6, & lib. 6. cap.7, & ſeq.; Bollandum ad 20. Jan., Tillemontium tom.15. art.79, Bultæum lib.3. cap.34, & Boſchium hiſt. Patriarch. Antioch. §§. 40, & 65: qui Hieroſolymitanæ apud Evagrium lib.5. cap.16, Nicephorum lib.7. cap.36, Jo: Moſchum Prat. Spir. cap. 199, Eutychium Alex. in Annal. tom.2. pag.219, 248, & 267, Cyrillum Scytopolit. regeſtum a Bollando ad 20. Jan. in vita S. Euthymii, Henſchenium ad 11, & 18. Martii, ac Papebrochium in hiſt. Chron. Patriarch. Hieroſol. §§. 46, 48, 54, 57, & ſeq.: qui demum Conſtantinopolitanæ apud Socratem lib.7. cap.35, Theophanem in Chronogr. pag.183, & 313, Bollandianos ad 6. April., & Cuperum hiſt. Chron. Patriarch. Conſtantinopolit. §§. 58, 62, 64, &c. Atque quidem S. Gregorio M. arcte inſitum animo inerat, arden ſque deſiderium, ut ante Monachum exactiſſime ageret, quam ad Epiſcopalem quis dignitatem aſcenderet, nempe ut ad hanc Monaſtico prius exercitio præpararetur lib. 9. epiſt.13: quod vero ei in votis erat, re, ut poterat, ipſe perficiebat. Ex quo enim, niſi e Monaſterio delectos miſit Epiſcopos ad Evangelio imbuendam Angliam, ac in Anglia Eccleſiaſticam Hierarchiam erigendam lib.7. epiſt. 30? Itaque ex Monaſterio eductos a S. Gregorio diverſis in Anglia Eccleſiis admotos Epiſcopali charactere inſignitos SS. Auguſtinum, Mellitum, Juſtum, Laurentium, Paulinum, & Ruffinianum: in Italia quoque diverſis Eccleſiis, diverſos ex Monachis aſſumptos homines fuiſſe præfectos, ut Ravennati Marinianum, ut Syracuſanæ Maximianum, ut Gallipolenſi Sabinum, auctor eſt Johannes Diaconus in ejus vita lib.3. cap.7.

Erant præterea Cathedrales pleræque Eccleſiæ, quibus Epiſcopi alternatim præponi ex Canonicis, ac Monachis electi conſuebant. Ita enim Conventrenſem in Anglia Epiſcopum, qui ad ea uſque tempora ex ſolis Monachis deligi ſolebat, alternis deinde vicibus ex Canonicis, & Monachis eligi debuiſſe ex Romanæ Curiæ decreto tradit ad an. 1228. Matthæus Pariſius. Huic ſimilem invaluiſſe legem in Eccleſia Dunelmenſi Scotiæ ad uſque ſæculum XI. refert Harsfeldius. In Germania Ratiſponenſem Epiſcopatum jamdiu, a tempore ideſt S. Bonifacii Moguntini, alternatim commendari ſolitum Canonico, & Monaco, qui

qui Abbatis munus adimplebat in Monaſterio S. Emmerammi, ſcribit in ejuſdem vita Arnulphus Monachus lib. 2. Ob reverentiam ejuſdem S. Bonifacii, in Archiepiſcopatu Moguntino Antiſtitem alternis vicibus eligi Fuldenſem Monachum conſueviſſe memoriæ tradidit Auctor vitæ S. Brandonii Archiep. Mogunt. apud Papebrochium ad diem 10. Junii. Erant & aliæ Cathedrales Eccleſiæ, quibus præfici Epiſcopi, præterquam ex Monaſteriis aſſumpti, non poterant. Ex Epiſcopatibus ſeptem ſupra decem in Anglia ſub S. Auguſtino erectis novem omnino, atque in his Metropolim ipſam Cantuarienſem, Monachorum juri ſubjaciſſe, nec niſi ex Monachis accipi potuiſſe, qui præfatis Eccleſiis præeſſent Epiſcopi, oſtendit Mabillonius in Annal. Bened. tom. 1. lib. 10. n. 11. Eædem vero recenſentur tom. 2. Angliæ ſacræ Henrici Warthoni, nec non in Conſtitutione Urbani VIII. incip. *Plantata in Agro Dominico*, Archiepiſcopalis nempe Cantuarienſis, & Epiſcopales Wintonienſis, Dunelmenſis, Elienſis, Wigornienſis, Nordovicenſis, Roffenſis, Bathonienſis, & Conventrenſis: quibus viros ſuo ex gremio deſignatos admovendi Monachis Benedictinis factam olim plus vice ſimplici facultatem a prædeceſſoribus ſuis Pontificibus affirmat; confirmarat autem pridem Alexander II. in epiſt. 39. ad S. Lantfrancum. Eamdem ex Monachis ſubire ſortem debebat Hueſcenſis, ſive Jaccenſis Eccleſia in vim decreti editi a Synodo Aragonenſi an. 1062, aut ſeq. Pampilonenſis Epiſcopatus olim Sedem extitiſſe Monaſterium Leirenſe, ac manſiſſe uſque ad an. 1032, quo Pampilonam eſt reſtituta, quam interea in Cathedralem Eccleſiam circa an. 1083. Regulam S. Auguſtini introductam fuiſſe, remque pergratam valdequam accidiſſe Urbano II, luculenter adparet ex his, quæ plurimis deſcribunt, ac perſequuntur Aguirræus tom. 3. Concil. Hiſp. pag. 241, atque ex Garibayo, & Sandovalio in Catalogo Epiſcop. Pampilon. Pagius ad an. 1032. n. 3, & ſeq. Græcis jamdiu ſolemne evaſiſſe, ut nemo ante Epiſcopi nomine Eccleſiaſtico regimini applicetur, quam Monaſticæ vitæ profeſſione fuerit probe inſtitutus, riteque probatus; cuique poſt Ordinationem reliquum eſt in Monaſterio Religioſæ inter diſciplinæ exercitia totum vitæ tempus tranſigere, exploratiſſima res eſt, de qua conſuli poterit

poterit Pachymerus lib. 1. cap. 34, & lib. 2. cap. 28, apud quem pariter videas a Clero inferiori plus vice ſimplici adverſus hoc præclarum diſciplinæ caput effuſas, inſtauratasque querelas, quod nempe ægre admodum ferret ſe hiſce ſeveriſoribus legibus fieri obnoxium, frænisque Monaſticis cohiberi, quin liberrime ad Epiſcopatus faſtigium aſpirare, ferrique poſſet.

Ad hæc autem illuſtrius accedit illud, quod Monachos aut in proprio Clauſtro degentes Epiſcopali perſæpe charactere inſigniri, quales Barſes, Eulogius, & Lazarus leguntur apud Sozomenum lib. 6. cap. 34, aut Monaſteriis ipſis Epiſcopali dignitate adauctos præfici non infrequens erat. Ita namque jamdiu, atque hodie dum, Epiſcopali honore exornari conſuevit, qui ex Monachis aſsumptus Sinæ Montis accolis præeſt. Amplioris honoris gratia Monaſteriis S. Martini Turonenſis, ac San-Dionyſiano proprium Epiſcopum permiſere Stephanus II, alias III, & Hadrianus I, quorum hac de re Diplomata ex autographis deſcripta edidere Sirmondus tom. 2. Concil. Gall., ac Mabillonius in præfat. ad ſæcul. III. Bened. Non diu tamen in San-Dionyſiano hanc obtinuiſſe Cathedram Epiſcopalem ex Auctore libri de Miraculis S. Dionyſii lib. 1. cap. 6. ſuſpicatur Chardonus in hiſt. de ſacram. tom. 3. de Ordin. lib. 2. cap. 4. Manſiſſe viciſſim in Turonenſi uſque ad ævum Urbani II, a quo, Epiſcopatu iſto abrogato, Monaſterium deinceps Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjectum eſt, obſervat Radulphus Monſnyerius in defenſ. Jurium Eccleſ. S. Martini Turon. capp. 2, & 3: Urbani vero Diploma recenſitum videre licet a Baronio ad an. 1096. n. 4, & ſeq. Epiſcopis Lingonenſibus adjunctos Coepiſcopos S. Benigni Divionenſis Abbates, atque in his Erbertum, & Bertillum, denarrat Chronographus ejuſdem Coenobii. Sed veri videtur ſimilius hoſce Coadjutores dumtaxat, ſive Chorepiſcopos egiſſe. Augienſi Monaſterio peculiaris etiam olim præerat Epiſcopus, a quo perinde Epiſcopalem hanc juriſdictionem ab eodem Urbano II. ablatam aſſerit Bertoldus ad an. 1095. Eoſdem, qui Lobienſes erant Abbates, Epiſcopatus inſignibus refulſiſſe fide refert ſua Scriptor vitæ S. Urſmari, quem Epiſcopali, non ſecus atque ejuſdem ſucceſſores Erminonem, ac Theodulphum, dignitate exornatos, nulla tamen

Epiſ-

Epiſcopatui adjecta juriſdictione defungentes, affirmat apud Ducheſnium tom. 1. pag. 688. Qui Monaſterio prope Argentinam præerant, Abbatibus Epiſcopi pariter nomen adhæſiſſe paſſim advertit Mabillonius in Dagoberto cap. 14; quos Epiſcopali revera charactere decoratos exiſtimat Franciſcus Guillemanius de Epiſcopis Argentin. cap. 6; Chorepiſcopos e contra duntaxat contendit Jodocus Coccius. In Cœnobio S. Martini nomine dedicato in Suburbio Cantuarienſi ſingularis erectus erat Epiſcopatus, quem demum abrogatum a S. Lanfranco refert Auctor Monaſticon Anglicani. Wambæ Hiſpan. Regis votis faciendi ſatis gratia a Stephano Emeritenſi Epiſcopo novus Epiſcopatus in Monaſterio S. Pimenii, qui Abbas quondam, ſimul atque Epiſcopus fuerat Monaſterii Dumienſis, extructus fuiſſe legitur in Concilio Toletano XII. an. 681, a quo tamen Can. 4. abrogatus eſt. Celebrem toto Chriſtiano Orbi Caſſini Montis Eccleſiam in Cathedralem erectam, ita ut idem deinceps, qui Abbas, Epiſcopus quoque eſſet, a Monachis eligendus, a Johanne XXI, aliis XXII. ex ipſius Diplomate tradunt Ughellus Ital. ſac. tom. 1. nov. edit. pag. 572, & Gattola Abbas Caſſin. in hiſt. Abbat. Caſſin. par. 2. ſæcul. IX. pag. 515, & ſeq.; quam demum Epiſcopalem Cathedram abolevit Urbanus V. apud præf. Ughellum pag. 573, & Gattolam pag. 517. Poſtremo nuper a Benedicto XIV. Fuldenſis Abbas Epiſcopali dignitate adauctus eſt, ita ut qui deinceps a Monaſterii Decano, tribuſque Capitularibus Monachis eligeretur Abbas, idem Epiſcopus intelligeretur electus. Poſt hæc vero inſigne valdequam illud evaſit, quod habet V. Beda lib. 3. hiſt. Angl. cap. 4, videlicet Abbatem S. Columbæ, (uti legi in Codicibus Mſs. Bedæ, non autem S. Columbani, velut extat in Cod. vulgatis, recte obſervat Pagius ad an. 565. n. 12.), cujus vitam ſæculo I. Bened. exhibet Mabillonius, Monaſteriis in Hibernia cunctis præfuiſſe nedum, ſed inſuper Provinciæ univerſæ, ſed Inſulæ præterea Epiſcopis omnibus. Ne longum denique, moleſtumque faciam, mitto dicere de Monachis ad Pontificale ſupremum faſtigium perquam frequenter aſſumptis; nolo enim in re exploratiſſima præter modum eſſe prolixior, effundique oratione ad ea, quæ plana, & obvia ſunt omnibus.

Quod

Quod nunc ad tertium propoſitæ quæſtionis caput attingit; Epiſcoporum juriſdictioni olim obnoxios integre, immediateque Monachos iviſſe nemini dubium videri ullatenus debet. Hieronymus Bigonius ad Marculfi Formulas lib. 1. cap. 1. obſervat jure communi Abbates olim Epiſcopis ſubjacuiſſe, indicto a Conciliis Chalcedonenſi Can. 4; Aurelianenſi I. an. 511. ſub Clodovæo Can. 19, & 22. in Capitularia Benedicti Levitæ translatis lib. 6. cap. 136, & a Gratiano regeſtis Can. 16. *Abbates* 18. q. 2, & Can. 14. *Nullus*, *ibidem*; Epaonenſi an. 517. Can. 19; Aurelianenſi IV. an. 541. Can. 11; Capitul. Caroli M. lib. 2. cap. 8; & apud Gratianum Can. 17. *Monaſteria* 18. q. 2. Atque Cœnobia quidem conſtrui abſque Epiſcoporum licentia antiquiſſima vetebat lex, ſive Civilis a Juſtiniano lata Novel. 5. cap. 1, ſive Canonica, quæ iſtiuſmodi pars juriſdictionis, ſpecieſque jure potuit æſtimari, aut ab eadem profecta, inconcuſſe conſtabilita a Conciliis Chalcedonenſi Can. 24; Agathenſi an. 506. Can. 27, qui Gratiano eſt Can. 12. *de Monachis* 18. q. 2; Epaonenſi Can. 10; Aurelianenſi I. Can. 22; ac Toletano IX. an. 655. cap. 5. regeſto a Gratiano Can. 74. *Bonæ rei* 12. q. 2: quam legem etiam poſt exemptionis privilegia integram manere juſſit Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de Regular. cap. 3. Præter hanc vero peculiarem Epiſcoporum licentiam, nullibi gentium erigi Monaſteria licere abſque ſpeciali Apoſtolicæ Sedis facultate hodierna fert diſciplina confirmata in Cap. *Religionum* §. *Confirmatos*, *de Religioſis Domibus* in Sexto, & Cap. *Cum ex eo*, *de Exceſſibus Prælat.* eodem lib. 6; nec non Innocentii X. Conſtitutione 27: quam in rem conferre juvat Benedictum XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 9. cap. 1. n. 9. Juriſdictionis Epiſcopalis iſtiuſmodi ſpeciem præferebat quamdam obligatio, quæ ab Epiſcopis imponi ſolebat Regularium Superioribus interveniendi Diœceſanis Synodis: qua de obligatione expreſsa lex edita legitur a Conciliis Aurelianenſi I. Can. 19; Oſcenſi an. 598. Can. 1; Senonenſi circa ſæculi X. initia Can. 1. apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 557, & Andegavenſi ſæculi XIII. apud Dacherium tom. 1. Spicileg. nov. edit. pag. 726, 739, & ſeq.; extatque Textus clarus in Can. 16. *Annis ſingulis* diſt. 18. Quam poſtea obligationem Synodus Tridentina ſeſſ. 24. de Reform.

form. cap. 2. coarctavit ad eos Regulares, ſive qui Capitulo generali non ſubjiciuntur, ſive qui curam animarum gerunt; Innocentius X. Conſtit. 50, & in Decreto *Ut in parvis* die 10. Febr. 1654; & Alexander VII. in litteris Apoſtolicis die 30. Mart. *1661.* apud Fagnanum in Cap. *Quanto de Offic. Ordin.* n. 64. extenderunt ad Superiores parvorum Conventuum: quo de argumento diſtincte, ac decretorie agit Benedictus XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 3. capp. 1, & 2. Indiſcriminatim etiam in Regulares, devexiori adhuc ſub ætate, juriſdictio Epiſcopis Diœceſanis adſtruitur in Synodis Aurelianenſi II. an. 533. Can. 21; Aurelianenſi III. an. 538. Can. 18, & 23, apud Gratianum Can. 41. *Abbatibus* 12. q. 2; Turonenſi II. an. 567. Can. 7; Toletana IV. an. 633. Can. 51; Vernenſi an. 755. Can. 3, & 5; Francofordienſi an. 794. Can. 17, Moguntina an. 813. Can. 11, & 12; Pariſienſi VI. anno 829. Can. 37; Aquiſgranenſi II. an. 836. Capit. 2. de vita, & doctr. infer. Ordin. Can. 1, & 2; Tullenſi I. an. 859. Can. 11, & Coyacenſi an. 1050. cap. 2. Quibus decretis approbe congruunt Caroli M. Sanctiones latæ Capitul. lib. 5. cap. 25, ac lib. 6. capp. 130, 136, & 140. Quin etiam paſſim Romani Pontifices Epiſcopali juriſdictioni obnoxia manere Monaſteria voluere, e quibus Hadrianus II. in epiſt. ad Carolum Calvum apud Sirmondum tom. 3. pag. 401; Paſchalis II. in epiſt. 47. ad Richardum Archiep. Narbon., & epiſt. 75. ad Guidonem Archiep. Vien.; Gelaſius II. in epiſt. 4. ad Gualterum Ravennat. Archiep.; Calliſtus II. in epiſt. 7. ad Ottonem Bamberg. Epiſcop.; Alexander III. in Cap. *Recepimus, de Privilegiis*, & Bonifacius VIII. in Cap. *Si Papa, de Privileg.* in 6. Ad hæc imo in Diœceſi Aquilejenſi ſub exitum adhuc ſæculi X. Monachos Patriarchæ ſubjacuiſſe auguratur Muratorius in Antiq. Ital diſſert. 70. ex Synodo a Johanne Patriarcha habita an. 994, aut ſeq. In Eccleſia etiam Mediolanenſi ſerius adhuc Epiſcopi juriſdictioni ſuccubuiſſe Regulares arguunt Saxius in epiſt. ad Murat., unaque idem Muratorius to. 9. Rer. Ital. in Not. ad epiſt. Saxii, ex Synodo an. 1311. a Gaſtone Archiep. celebrata: qua in Synodo ea ejus genus etiam indicta leguntur, quæ interiorem Clauſtri diſciplinam reſpiciunt, ne dum quæ ad Sacra rite peragenda, bonaque recte adminiſtranda pertingunt.

Hæc, & alia hujus genus utcumque probent non uno, eodemque uniformiter, ac ubique paſſu Regularium exemptionem proceſſiſse; quin etiam hinc etſi illud exiſtat Epiſcopis Regulares olim ſubjectiſſimos fuiſse, negarique utique nequeat quin inſuper, quod ipſe perſemet Regularis ſtatus ab Epiſcopali juriſdictione penderet, & dependeret, veluti ab eo, qui Diœceſis totius ſpiritualem curam circumferebat, adeo ut ab Epiſcopis ipſis privilegia exemptionis accipere Regularibus ſolemne eſset, uti ſcite obſervavit Thomaſſinus par. 1. lib. 3. cap. 26., & ſeqq., neque propterea negari poteſt longe antehac, atque vel inter contradictiones ingentes hanc exemptionem obtinuiſſe, & invaluiſſe, veluti probant vel ipſæ Epiſcoporum acerbæ querelæ adverſus immunitates Monachorum effuſæ in Conciliis Remenſi an. 1119, & in Romano an 1122. ſub Calliſto II. Principio etenim eo privilegio jugiter potiti ſunt Monachi, ut ad ipſos dumtaxat, proximeque Abbatis proprii electio pertineret: cujuſmodi juris documenta obvia ſuccurrunt in Synodis Carthaginenſi VI. an. 401. ſub Aurelio Can. 13, Carthaginenſi an. 525. ſub Bonifacio, & Carthaginenſi an. 534. ſub Reparato. Quod privilegii genus ſartum perinde, tectumque præſtavit Monachis S. Gregorius M. lib. 2. epiſt. 41, & 43. nov. edit., & in Conſtituto edito in Synodo Romana an. 601. in append. ad ejuſdem epiſtolas tom. 2. edit. PP. Bened. Eo item privilegio jugiter perfrui Monachis licuit, ut ipſis invitis nullum ex eis ſacris Ordinibus inſigniri ab Epiſcopis licite poſſet: cujus rei clara ſunt decreta Conciliorum Arelatenſis III. anno circiter 455; Agathenſis Can. 27; Ilerdenſis anno 524. Can. 3; & S. Gregorii M. in præcit. Conſtituto, ac lib. 13. epiſt. 8. Poſtquam tamen exemptionis privilegiis affici cœperunt, ab Epiſcopis Diœceſanis accipere Ordines, Chriſma, & Oleum ſanctum adhuc tenentur, eiſdemque propriarum Eccleſiarum dedicationes, & Altarium conſecrationes permittere, lege lata in Concilio Lateranenſi I. 1123. ſub Calliſto II. Can. 17. Quod ſi ad Eccleſiam Orientalem revolvimur, vetuſtiſſima reperiemus veſtigia ejuſmodi exemptionis multis collatæ Monaſteriis Juſtiniani Imp. liberalitate, & indulgentia Novel. 122. Inter hæc immunitatis pulcherrimam ſpeciem præferebat diſciplina illa Græcæ Eccle-

Eccleſiæ facile coæva, juxta quam ubicumque in Diœceſibus a Patriarchis defixa Crux fuiſſet, jure, quod vocabant Stauropegii, Monaſteria immediate Patriarchis ipſis obnoxia evadebant, ab Epiſcoporum autem Diœceſanorum juriſdictione ſtatim exempta. Equidem adverſus ejuſmodi jus Stauropegii, unde immunitates ab eorumdem ſubjectione emanabant, murmuratum ſæpius a Metropolitis, ac Epiſcopis, effuſaſque ſæpe querelas ad aures Imperatorum refert Balſamon in Can. 31. Apoſtol., ſed ibidem fruſtra ſemper ceſſiſſe querelas haſce ſubjungit, quin ipſe legibus tam Civilibus Alexii Comneni, de quibus tractat ad Can. 19. Synodi VII, quam Canonicis in vi conſuetudinis ſitis, de quibus agit ad cit. Canon. Apoſtol., jus Stauropegii, ſive immediatæ, proximæque juriſdictionis Patriarchis vindicat, confirmat, repetitque inſuper ex Canone Nicæno 6. de ampliſſimo Patriarcharum aſſerto jure. Jus poſtea iſtud, quod decurſu temporis invadere Metropolitæ Græci moliti ſunt, ſtrenue tuitus eſt, & ad ſe unum retraxit Germanus Patriarcha Conſtantinopolit. tom. 1. Jur. Orient. lib. 3. pag. 234, & ſeqq. Quam immunitatem ab Epiſcoporum juriſdictione Monaſteriis Eccleſiæ Orientalis, poſtquam in Latinorum poteſtatem devenere, confirmavit demum Innocentius III. Regeſt. lib. 13. epiſt. 39, & lib. 16. epiſt. 168; quin etiam lib. 13. epiſt. 40, & lib. 16. epiſt. 168. celeberrima Monaſteria ad 300. numero Montis Athos Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjecta declaravit. Alia præterea antehac, atque Photianum ante Schiſma pleraque Monaſteria in Oriente Apoſtolicæ Sedis juriſdictioni nullo medio fuiſſe obnoxia demonſtrat Cl. Mabillonius de re Diplom. lib. 1. cap. 3. n. 12: quod demonſtratu quoque facile evadit ex epiſtola 251. Johannis VIII. ad Baſilium Imp., qua ipſi gratias agit ob reſtitutum Apoſtolicæ Sedis juribus Monaſterium cum Eccleſia S. Sergii Conſtantinopoli conſtitutum. Neque indicia deſunt haud obſcura, & levia ad oſtendendum in Eccleſia Orientali ſub ſæculo IV. ad exitum vergente Monachos ab Epiſcoporum juriſdictione fuiſſe exemptos. Facit huc factum S. Epiphanii in Cypro Epiſcopi, qui Paulinianum S. Hieronymi fratrem in Monaſterio Betleemitico Monachum ad Ordines promovit, querentique Johanni Hieroſolym. de violato Diœceſano jure reſpondit

cum ipſe, tum etiam S. Hieronymus epiſt. 110, alias 60. ad Johan., 61, nunc 38. ad Pammach., ac 39, olim 62. ad Theoph. nullam ipſi in ordinatione Monachi irrogatam fuiſſe injuriam, nullumque inflictum vulnus ſacris canonibus Nicæno 17, Antiocheno 13, Sardicenſi 19, & Conſtantinopolitano 2: quibus ordinari quempiam in aliena Diœceſi Clericum Epiſcopi interdicuntur, quoſque in ordinationibus Monachorum locum non habere concludebant. Confer, qui documentum illud egregie verſat; exagitatque, doctiſſ. Jo: Antonium Blancum de poteſt., & polit. Eccl. tom. 4. lib. 2. cap. 2. §. 5.

Perquam ſimili ejus, quo Patriarchæ Orientales præditi erant, in Eccleſia Occidentali potiebantur jure Primates Carthaginenſes, quorum juriſdictioni Monaſteria quotquot in Africa exſtruerentur, immediate obnoxia evadebant, velut explicite in Conciliis Carthaginenſi anno 525. ſub Bonifacio, & Carthaginenſi altero ſub Reparato an. 534. iſtiuſmodi jus vindicatum, adſtructumque licet videre. Ut ut autem viderentur ubique Epiſcopi juriſdictionis ſuæ retinentiſſimi, nihilo tamen ſecius contingebat ſæpe, ut ſponte Cœnobiis ſibi ſubjectis libertatis paginam largirentur, & cum ipſis Cœnobiarchis juriſdictionem partiri non inviti conſentirent. In Gallia controverſia vigente inter Fauſtum Abbatem Lirinenſem, ac Theodorum Forojulienſem Epiſcopum, concordia hoc modo in Concilio Arelatenſi III. an. 455. circiter inita eſt, ut Epiſcopo Clericorum ordinatione reſervata, Abbas deinceps Laicorum reliquam dominationem abſque limite retineret. Deinde juxta decretum Concilii Arelatenſis, atque utriuſque Carthaginenſis mox memorati ab Epiſcopis Galliarum exemptionis privilegium Monaſteriis paſſim indultum legitur, ut ab Audoberto Pariſ. anno 647. Monaſterio Foſſatenſi apud Ducheſnium tom. 1. Script. Franc. in vita S. Baboleni Abb. Foſſat., ut a Landerico Pariſ. item Antiſtite an. 658. Monaſterio San-Dionyſiano; & Corbejenſi anno 664. a Bertefrido Ambianenſi apud Sirmondum tom. 1. Concil. Gall. pag. 495, & 504. Pridem quin imo Cœnobio San-Germanenſi ſimile privilegium collatum a S. Germano Pariſ. legitur in Aimoino lib. 3. cap. 2, poſtea vero Cœnobio Fontanellenſi a S. Anſberto Rotomag. in Synodo Rotomagenſi an. 682.

an. 682. apud Surium ad diem 9. Febr., & Mabillonium ſæculo II. Bened. Prima ex Marculfi formulis privilegii ſpeciem præfert exemptionis, quæ Epiſcopo Monaſteriis in ſua Diœceſi poſitis ſub ea ætate, ideſt ſæculi VII. concedi paſſim ſolebat, eaque nititur exemplo Monaſteriorum Lirinenſis, Agaunenſis, Luxovienſis, aliorumque, quæ jamdiu ſimili privilegio gaudebant. Neque vero ejuſmodi Monachorum exemptionibus oberant Canones Chalcedonenſes, quorum hac in re plane nulla habita eſt ratio ſive a Patriarchis Græcis, ſive a Primate Carthaginenſi, a quibus Monaſteriorum juriſdictionem immediate ad ſe retractam modo inſpiciebamus, ad quorum exemplum perinde in Synodis pleriſque, atque a Gallicanis præſertim Epiſcopis eadem juriſdictio ab ſe rejecta eſt, ſuique integri compotes juris ut Monachi deinceps abirent dimiſſi.

Atqui hanc Regularium exemptionem altius derivare, atque a poteſtate longe ſuperiori, Pontificia nempe, quæ Conciliorum ipſorum Canonibus potior longe ſit, repetere modo præſtat, planumque facere pedem in falso poſitum fuiſſe a doctiſſ. alioqui Thomaſſino, dum vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 3. cap. 30. præſidenter affirmare non dubitavit, ante S. Zachariam nullum legi Pontificem, a quo Monaſterium aliquod Sedi Apoſtolicæ ſubjectum fuiſſe immediate feratur. Atque ab Italia exordiendo, univerſim ibidem locorum ubique Monachos ab Epiſcoporum juriſdictione exemiſſe S. Gregorius M. legitur manifeſte in Conſtituto edito in Concilio Romano anno 601. quo pariter inſigni privilegio nominatim affecta ab ipſo fuiſſe Monaſteria Urbevetanum adparet ex lib. 1. epiſt. 12; Ravennate ex lib. 4. epiſt. 1; Ariminenſe ex epiſt. 41, & 43; Claſſenſe ex lib. 7. epiſt. 18; & Spoletinum ex epiſt. 36. Progrediendo nunc in Gallias, inſigne privilegium illud, quod pariter contuliſſe idem Pontifex legitur lib. 2. poſt epiſt. 38. Monaſterio Sueſſionenſi S. Medardi, in dubium revocant Launojus par. 7. epiſt. 1, & 2. tom. 5. edit. Genev., & Cointius ad an. 593. n. 12, & ſeq. At egregie illud vindicant Robertus Quatremarius Bened., ac Dandinus Altaſerra in Ecdico S. Gregorii: quod mihi quidem genuinum perſuadere valet quam maxime S. Gregorius VII. de ipſo loquens lib. 8. epiſt. 21. Siniſtrum præ-

præterea in ſenſum intorqueri utcumque poſſe videantur, quæ præfatis in locis S. Gregorius habet, non ita tamen ipſius Conſtituto vis inferri poterit, cujus expreſſa ſententia vel in oculos ſtatim inſiliet illud intuentis apud Baronium ad an. 601. n. 13, & ſeqq., & in append. ad ipſius epiſt. tom. 2. edit. PP. Bened. Sed & ſimile exemptionis privilegium ab eodem Pontifice aliis in Gallia Cœnobiis largitum augurari licet, ut S. Caſſiani ex lib. 6. epiſt. 12; ut Arelatenſi ex lib. 7. epiſt. 15; ut Auguſtodunenſi ex lib. 11. epiſt. 8, & 9. Ab eodem S. Gregorio M., ſubindeque a Theodoro I. haud abſimili privilegio inſignitum Bobienſe in Italia fertur apud Ughellum tom. 4. Ital. ſac. At quæ eo loci proferuntur Diplomata, falsa profecto viſa ſunt Cl. Muratorio Antiq. Ital. diſſert. 70: ubi tamen haud difficilis conſentit Bobienſis Cœnobii privilegium iſtud referri potius debere Honorio I. an. 626. acceptum, cujus expreſſum extat teſtimonium Jonæ Bobienſis Monachi in vita S. Bertulfi Abbatis Bobienſis apud Surium, ac Mabillonium tom. 2. Actor. SS. Bened. Luxovienſe Monaſterium in libertatem aſſertum a Johanne IV. anno circiter 641, rogatu Clodovæi II. Regis Francor., ex vetuſtiſſimis monumentis deducit Mabillonius tom. 1. lib. 13, & in append. 2. ad tom. 1; de quo tamen dubitationem movet cit. diſſert. Muratorius

Ab Epiſcopi Turonenſis juriſdictione abſolutum Monaſterium S. Martini ab Adeodato P. M. docet epiſtola data ad Epiſcopos Galliarum, deſcriptaque a Papyrio Maſſono in geſt. Rom. Pontif., a Baronio ad an. 676. n. 2; a Sirmondo tom. 1. Concil. Gall. pag. 507, a Labbæo tom. 6. pag. 523, ab Harduino tom. 3. pag. 1007, aliiſque Collectoribus, & a Rodulpho Monſnyerio in defenſ. jurium Eccl. S. Martini Turon. Equidem de veritate Diplomatis hujuſce dubitationem induerat Papebrochius in Propylæo April. n. 127, ſed re maturius, cogitateque examinata, dubitationem ſubinde omnem exuit in Con. hiſt. Chron. §. 79. in Adeodato, laudans hanc in rem Mabillonium de re Diplom. lib. 1. cap. 4. Ejuſdem Adeodati Bullam pro exemptione Cœnobii Dorovernenſis SS. Petri, & Pauli deſcribit Wilkinius tom. 1. Concil. Angliæ pag. 43, de ejuſdem tamen ſinceritate dubitans, quin tamen dubitationis ſuæ quampiam vel levem afferat cauſſam; regerit

gerit eamdem Bullam Cl. Manſius in Suppl. Concil. tom. 1. pag. 501, & ſeq. A S. Agathone Petriburgenſe alterum in Anglia Monaſterium ab Epiſcoporum juriſdictione fuiſſe exemptum inferre fas eſt, non quidem ex ipſius epiſtola ad Ethelredum Merciorum Regem a Spelmanno edita lib. 1. de Synodis Angl. pag. 164, uti quam ſuppoſitionis gravi laborare morbo oſtendit Pagius ad an. 679. n. 7, bene vero ex V. Beda in vita S. Benedicti Biſcopi Abbatis Viremuthenſis lib. 1. n. 6, & lib. 4. hiſt. Angl. cap. 18. Schireburnenſe in Anglia ſimiliter a S. Sergio I. circa annum 700. immunitate donatum tradit Scriptor Anonymus vitæ S. Adhelmi apud Papebrochium tom. 6. Maji: de quo tamen pro more ſuo dubitat Muratorius cit. diſſert. 70. Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjectum fuiſſe Farfenſe in Agro Sabinenſi a Johanne VII. anno 706. legitur in Diplomate, quod e vetuſto Chronico ejuſdem Abbatiæ deſcriptum proſtat tom. 2. par. 2. Rer. Ital. pag. 332, quamvis iſtud dubium Muratorio viſum fuerit; levem tamen ob cauſſam. Celebratiſſimum Monaſterium Caſſinenſe, quod ſub S. Gregorii M. ætatem a Langobardis devaſtatum ſub ruinis adhuc jacebat, a S. Zacharia in Apoſtolicæ Sedis immediatam juriſdictionem, tuitionemque fuiſſe tranſcriptum circa annum 748. fide affirmat ſua Leo Oſtienſis in Chron. Caſſin. lib. 1. cap. 4: ſed dubitant Baronius, Boſchius, Gallonius, ac Muratorius, qui diſſert. 70. a S. Gregorio II. potius immunitate fuiſſe donatum putat: quique perinde dubitat de ſinceritate privilegii ſimilis ab eodem Pontifice S. Zacharia an. 751. collato Fuldenſi Cœnobio ad preces S. Bonifacii Mogunt., confirmatoque a Pippino Francor. Rege, Regnique Præſulibus, ac Optimatibus: de quo tamen dubitatio nulla inceſſit Baronium ad an. 751. n. 16, Mabillonium tom. 2. Annal. Bened. lib. 22. n. 6, Sirmondum tom. 1. Concil. Gall., Ducheſnium hiſt. Franc. tom. 1. pag. 662. Thomaſſinum, Fleurium &c. Caſſinenſis denique Congregationis Monaſteriis omnibus ampliſſimam ab Epiſcoporum juriſdictione libertatis paginam ab Alexandro II. fuiſſe conſcriptam perhibet Leo Oſtienſis lib. 3. cap. 23; in quem confer Baronium ad an. 1066. n. 3.

S. Auguſtini Cantuarienſi, & Cavenſi Abbati Mithræ uſum idem Alexander II. indulſit; Urbanus II. vero Abbati Caſſinenſi, & Clu-

ſolutum fuiſſe ab Epiſcopi juriſdictione augurari fas eſt ex ſupplem. Diur. Pontif. apud Mabillonium par. 2. Itin. Ital. pag. 33: quamvis a quo Pontifice beneficium illud acceperit, in obſcuro lateat. S. Leo IV. in epiſt. ad Prudentium Tricaſſinum Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectum denuntiaſſe legitur Cœnobium ab Adremaro conſtructum apud Sirmondum tom. 3. pag. 71. Ab eodem Pontifice an. 850. pari inſignitum privilegio Cœnobium Caſaurienſe, non quidem in Inſula Piſcaria ad Benacum Lacum, hodie in ditione Venetorum, ut Pagio viſum ad cit. an. num. 6, ſed in Aprutio conſitum verſus mare Adriaticum, ut oſtendit Muratorius in Antiq. Ital. diſſert. 61, conjicere licet cum ex Diplomate Ludovici II. Imp. apud Mabillonium de re Diplom. lib. 6. pag. 544, & ſeq., tum liquido ex epiſtola 42. Hadriani IV, qua privilegium illud confirmat apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1365.

A Benedicto III. Corbejenſe Cœnobium anno 855. immunitate donatum legitur in Diplomate edito a Luca Dacherio to. 3. Spicileg. pag. 343, ſive tom. 6. pag. 397, de quo dubitarat quidem Muratorius in Antiq. Ital. diſſert. 34, quæ eſt de Diplom., & antiq. Chartis, ſed dubitationem ſubinde exuit, poſtquam ipſum Diploma e papyro Ægyptiaca deſcriptum a Mabillonio conſpexit: edidit illud etiam Ducheſnius to. 2. pag. 451; laudat etiam Mazochius in adden. pag. 379. diſſert. de SS. Neap. Eccleſ. Epiſcop. cultu tom. 2. Confirmavit poſtea S. Nicolaus I. epiſt. 24. apud Harduinum tom. 5. pag. 239, & ſeq., ac 26. apud Sirmondum tom. 3. pag. 217, & ſeq.; quo loci pag. 224. ab eodem Pontifice ſimili privilegio cohoneſtatum habetur Monaſterium S. Karileſi epiſt. 32, quæ apud Harduinum pag. 298, eſt 62. ad Epiſcopos, & Principes Galliar. Corbejenſi poſtea exemptionem confirmavit S. Leo IX. epiſt. 14. ad Fulconem Abb. Decretum Gregoriano ſimillimum ad Carolum Francor. Regem miſſum a S. Nicolao I, quo Monaſteriis indiſtinctim omnibus in Gallia libertatis paginam largitus eſt, legere præſtat apud Manſium in ſuppl. to. 1. pag. 992, & ſeq. Floriacenſi Cœnobio a Johanne VIII. exemptio conceſſa extat eodem tom. 3. Concil. Gall. pag. 570; a quo Pontifice Compendienſe pariter ab Epiſcopi Sueſſionenſis jugo fuiſſe

exoneratum refertur in actis Synodi Compendienſis an. 1085. habitæ, quæ ex Dacherii Spicilegio tom. 2. pag. 598. deſcripſit Harduinus tom. 6. pag. 1615. Simili quoque privilegio affecta ab eodem Pontifice Monaſteria Nonantulanum, quod pridem in libertatem aſſertum fertur a Stephano II. an. 753. apud Manſium in Supplem. tom. 1. pag. 601, ac ſeq., liquet ex epiſt. 47, & ſeq. apud Binium tom. 7. pag. 21; Atrebatenſe S. Vedaſti apud Manſium in ſupplem. Concil. tom. 1. pag. 1020; Nemauſenſe ex ep. 87. apud Harduinum, ac Tornutienſe in Pago Vallavenſi ex epiſt. 2, & 3, quas ex autographo Gothico evulgato a Chifletio regerit Harduinus tom. 6. pag. 123. Sed & idem Pontifex in epiſt. ad Ludovicum II. Imp. relata a Baluzio Miſcell. tom. 5. pag. 484. Pompoſianum a Deceſſoribus ſuis Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjugatum affirmat: confirmavit deinde S. Leo IX. apud Muratorium. Ab Hadriano II, & Johanne VIII. Herfordienſe Cœnobium, ac Corbejenſe novum in Apoſtolicæ Sedis immediatam tuitionem fuiſſe ſuſceptum adparet ex decreto Concilii Moguntini an. 888. apud Manſium in Supplem. Concil. tom. 1. pag. 1057, & ſeq., quo pariter loci pag. 1067. ex Spicilegio Dacher. tom. 3. pag. 366. regeritur Diploma Formoſi pro Monaſterio S. Tenderii in Territorio Viennenſi conſito. Ab anno 910. circiter, ideſt ab exordio ferme, quo a S. Bernone Cluniacenſis Ordo inſtitutus eſt, eumdem univerſim in Apoſtolicæ Sedis proximum jus, atque tutelam fuiſſe translatum, hoc eſt ab Agapeto II, S. Leone IX, Alexandro II, Gelaſio II, Calliſto II, Honorio II, Innocentio II, Cæleſtino II, Lucio II, Hadriano IV, Johanne XX. &c. cognoſcere licet ex Bibliotheca Clun. pag. 273, ac Mabillonio tom. 4. Annal. Bened. lib. 55, 56, & 62. Pari exornaſſe privilegio exemptionis, tuitioniſque paſſim leguntur, Monaſterium Cantuarienſe SS. Petri, & Pauli Johannes XII. apud Wilkinium tom. 1. Concil. Angl. pag 223; Cœnobium Montis Majoris in Provincia Leo VIII: apud Baluzium Miſcell. tom. 4; Johannes XIII. Lobienſe apud Dacherium Spicileg. tom. 6. pag. 589; Papienſe Bullar. Caſſin. par. 2. Conſtit. 53; Trevirenſe S. Martini, & Miſnenſe S. Johannis Evang. apud Manſium in Supplem. Concil. tom. 1. pag. 1151, & ſeq.; Benedictus VII. Biſuldunenſe apud Martenium vet. Monum.

tom. 1. pag. 328; Johannes XV. Corbejenſe apud Lunigium in Spicileg. Eccleſ. pag. 82, & Petrihuſanum ad ripam Rheni ibidem pag. 399; quod confirmavit deinde Gregorius V. pag. 400, & apud Manſium in Suppl. tom. 1. pag. 1201.

Sedis Apoſtolicæ juri ullo abſque medio ſubjecta, exemptaque a juriſdictione Epiſcoporum pleraque alia paſſim Monaſteria demonſtrant, quæ ingenti remanent, Monumenta, numero. In quibus locum habent Vizeliacenſe a Silveſtro II. epiſt. 3. (quod vindicarunt deinde Innocentius II. epiſt. 21, & 22, nec non Eugenius III. epiſt. 35, & ſeqq.) ac Peruſinum in Romana Synodo an. 1002. ſub eodem Pontifice: Fructuarienſe in Pedemontio a Benedicto VIII. in Synodo Romana an. 1015. apud Ughellum Ital. ſac. tom. 2. pag. 996, & Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 819. Viromandenſe S. Quintini a Gregorio VI. apud Mabillonium in Annal. Bened. tom. 4. append. n. 58. A Clemente II. Vindocinenſe ſuum in jus aſſertum teſtis eſt Alexander II, cui illud confirmat epiſt. 40. 42, 43, & 45. Liberalior ſe ſe effudit S. Leonis IX. beneficentia erga Monaſteria, e quibus privilegio exemptionis præ aliis ab ipſo affecta referuntur Maſſilienſe S. Victoris a Martenio Anecdot. tom. 1. pag. 171.; Cluniacenſe ab Harduino ex Bibliot. Clun. tom. 6. pag. 973; Eremum S. Petri Dam. in Saxena ab eodem S. Petro Dam. initio tom. 3. oper.; Beneventanum S. Sophiæ ex Ughello Ital. ſac. tom. 8. ab Harduino pag. 977. Agaunenſe in Valeſia a Samuele Guicenonio in Biblioth. Sebuſiana centur. 2. §. 41, & ex ipſo a Franciſco Bruyo hiſt. Pontif. tom. 2. pag. 347; Septimianum in Hetruria ab Ughello tom. 3. Ital. ſac. nov. edit. pag. 9; & Weſtmonaſterienſe in Anglia a S. Eduardo exſtructum, cui privilegium immunitatis confirmatum a Nicolao II. legere eſt apud Baronium ad an. 1060. n. 11; ſimileque collatum ab eodem Pontifice Cœnobio Florentino apud Harduinum to. 6. pag. 1055. Pari ex affectu benignitatis proceſſit exemptionis pagina, quam pro Monaſteriis Sigebergenſi epiſt. 9, atque Viſſegradenſi apud Pagium ad an. 1070. n. 17. conſcripſiſſe legitur Alexander II. Atqui longe illuſtrior adparuit, ſe ſeque explicuit uberior S. Gregorii VII. munificentia erga Monaſteria complura, ut Derthuſenſe lib. 1. epiſtola 33; ut Cluſinum S. Mi-

chaelis lib. 2. epiſt. 69, & lib. 6. epiſt. 6, ut Maſſilienſe lib. 6. epiſt. 15, ut Scafhuſanum lib. 7. epiſt. 24, aliaque in Provincia conſtructa lib. 9. epiſt. 6. Schafhuſano iterum privilegium immunitatis confirmavit Urbanus II. apud Manſium in Suppl. Concil. tom. 2. pag. 75; atque Cavenſi, quod pridem a S. Gregorio VII. collatum affirmat epiſt. 10, ſive Conſt. 8. tom. 1. Bullar. Caſſin. Ab eodem Urbano II. Cavenſi deinde immunitas abrogata legitur apud Ughellum tom. 7. nov. edit. pag. 393: ſed litteras haſce ſuſpicionis arguit Lucentius in Not. ibidem. Nonantulanum a Deceſſoribus ſuis hujuſmodi privilegio exemptionis decoratum ſæpius affirmant Paſchalis II, & Calliſtus II. apud Muratorium Antiq. Ital. diſſert. 69, quo loci de pleriſque aliis privilegio ſimili affectis diſſerit, Andegavenſi, Ranſoniſſio, Caſtilionenſi, Nerveſino, Polironenſi &c. In Deceſſorum igitur veſtigia ingreſſi, qui proxime ſequuti Pontifices ſunt, beneficentia pari Monaſteria pleraque alia proſequi non deſtiterunt. Ita Cabilonenſe, & Andrenſe Paſchalis II. apud Dacherium Spicileg. tom. 9. pag. 388; Vindocinenſe, & Trenorcienſe Calliſtus II. epiſt. 9, 10, 17, 18, 19, & 20; S. Memmii, & S. Facundi Innocentius II. epiſt. 12, & 34; S. Sabæ Romæ conſitum Lucius II. epiſt. 6; S. Genovefæ Pariſiis Eugenius III. epiſt. 13, & ſeqq.; Ciſtercienſe, S. Maglorii, & Marturanenſe Alexander III. apud Dacherium tom. 4, in append. 2. apud Harduinum tom. 6. par. 2. epiſt. 1, & 12, atque Annal. Ciſterc. tom. 2. pag. 502; Grandimontenſe Urbanus III. apud Martenium Anecdot. tom. 1. pag. 629; Cryptæ Ferratæ Cæleſtinus III, & Innocentius III. Cap. *Conſtituti, de Relig. domibus*; Vorceſtrenſe idem Innocentius Cap. *Auditis, de Præſcript.* Monaſterium apud Albam Regalem in Hungaria a S. Stephano Rege ædificatum Gregorius IX. apud Raynaldum ad an. 1232. n. 24, a quo Pontifice Electenſi Monaſterio jure poſtliminii reſtitutos fuiſſe Monachos, ptidem ab Honorio III. expulſos legere eſt apud San-Marthanos Gall. Chriſt. tom. 6. pag. 110. in append., & Manſium Suppl. tom. 2. pag. 913. Mitto longe plura, quorum multa ſparſim attigi, prout opportunitas aperiebatur, ne præter quam fas ſit, prolixior evadat oratio.

Cauſſas porro, eaſque graves, cur exemptionis paginas elargiri

giri paſſim Monaſteriis compulſi Romani Pontifices fuerint, pleraſque attingit S. Gregorius VII. lib. 2. epiſt. 69. Gregorius IX. ſeptem ſupra viginti gravamina, quibus ab Epiſcopis Regulares tam affici ſe, quam affligi frequenter apud Sedem Apoſtolicam conqueri cogebantur, enumerat in Cap. *Nimis iniqua*, & in Cap. *Nimis prava*, *de Exceſſibus Prælat.* Clemens V. vero triginta accumulavit in Concilio Viennenſi Clem. *Frequens*, *de Exceſſ. Prælat.*, & Clem. *Ad noſtrum*, *de Cenſibus*, quibus opportuna remedia temperare, quietique Regularium optima ratione conſulere non omiſit. Confer, qui pleraque horum perſequuntur gravamina, quæ Regularibus inferre frequens Epiſcopis evenerat, Richardum Simonium hiſt. Origin. provent. Eccleſ. Gallice exarata pag. 330, & ſeqq., ac Ludovicum Anton. Muratorium in Antiq. Ital. diſſert. 70, quæ eſt de Immunit., privileg., ac gravam. Cler., & Eccleſ. Quamquam exemptionis privilegia a Romanis Pontificibus Regularibus perſæpe conceſſa non ita accipienda illimitate ſunt, quin pluribus adhuc ex Capitibus iidem Epiſcoporum jurisdictioni obnoxii maneant: quæ vero, & quot iſta ſint Capita, in quibus tam juxta Concilii Tridentini ſanctiones, quam juxta Pontificum Conſtitutiones exempti ſubjiciuntur Epiſcopis, refert, extenditque ad ſeptem ſupra quadraginta numero Fagnanus in Lib. 1. Decret. par. 1. pag. 104, atque ex ipſo Thomaſſinus vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 3. cap. 40. Interea nullo unquam tempore invidia, æmulatioque tam ex hac graduum, officiorumque Eccleſiaſticorum in Religioſos viros derivare, quam ex privilegiis exemptionis a Pontificum Romanorum liberalitate provenientibus, in Ordines Religioſos conflari deſtitit. Præclaræ operæ proinde facere pretium Romanis Pontificibus frequens fuit, qua Regularium quieti, incolumitatique conſulerent. Commotam ſemel, ac iterum in Monachos ingenti æſtu tempeſtatem extinguere quidem pro virili portione SS. Gregorius M., ac Bonifacius IV. in Romanis Synodis an. 601, & 610. ſtuduere, quin tamen impedimento prorſus eſſe potuerint, quo minus impoſterum majori cum impetu emergeret contra Regulares perſequutio, majoreſque in procellas erumperet. Non tam igitur Monachorum juſtis votis ſollicitatus Urbanus II, quam graviſſimi,

viſſimi, quod Eccleſiæ ingruebat, diſcriminis contemplatione, commotus, in Concilio Nemauſenſi an. 1096. tribus Canonibus videlicet 1,2,& 3,editis tam Religioſorum Ordinum indemnitati, quietique proſpicere, quam Chriſtianæ Reipublicæ bono conſulere procuravit. Ex decreto S. Bonifacii IV. elaborati ſunt Canones, eoſque in Decretum ſuum retulit Ivo par. 7. cap. 22, congeſſitque Gratianus 16. Q. 1. Can. 24. *Ex Auctoritate*; Can. 25. *Sunt nonnulli*; & Q. 2. Can. 6. *Sane quia*. Valdequam vero notabilia ſunt verba, quibus Urbanus Monachorum vindicias attexuit, ac tuitionem ſuſcepit Can. 3. *Cenſemus eos, qui Apoſtolorum figuram tenent, prædicare, baptizare, Comunionem dare, ſuſcipere pœnitentes, peccata ſolvere*. Inſtauratam ab Epiſcopis intentiori contentione animi adverſus Monachorum immunitates litem in Concilio Lateranenſi I. ſub Calliſto II. an. 1123. refert Petrus Diaconus in Chron. Caſſin. lib. 4. cap. 7.8 utrinque vero compoſitio inita eſt Canonibus 17, 19, & 20, atque votis Epiſcoporum tam factum eſt ſatis, quam Monachorum res optimo loco ſunt conſtitutæ. Equidem ſuus aliquando locus patuit querelis a S. Bernardo lib. 3. de Conſid. cap. 8, Petro Bleſen. epiſt. 68, & Ivone Carnot. epiſt. 95. effuſis adverſus quæſitos a Monachis prætextus ad imperii Epiſcopalis juſtum excutiendum jugum. At poſtquam jugo premi, opprimique importabili viſi ſunt, partium eſſe ſuarum duxere Gregorius IX, & Clemens V. tam moleſto, & in dies ingraveſcente pondere Monachos exonerare, inque in libertatem eximere.

Atque quidem quo infelici loco ſæculo XV. Regularium res poſitæ eſſent, quantaque in ipſos undique quæreretur invidia, dignoſcere licet, documentumque capere ex his affini, graviorique præ innumeris, quæ contra eos commotæ ſunt, quæſtione Regularibus intentata circa facultatem excipiendi Paſchali tempore Sæcularium Confeſſiones. Regularium privilegiis detrahendi occaſionem arripuerant eorum adverſarii ex Canone 21. *Omnis utriuſque ſexus*, Lib. 5. tit. 38. *de Pœnitentiis, & remiſſ.* cap. 12, in Concilio Lateranenſi IV. an. 1215. ab Innocentio III. edito. At Regularibus cauſſa adjudicata eſt, declaratumque ei Canoni ſatisfacere Chriſtifideles quotquot Regularibus ab Epiſcopo approbatis

probatis Paſchali tempore confeſſi fuerint, eoſdemque Regulares Confeſſarios recte ſub proprii Sacerdotis nomine, non minus quam Parochos comprehendi. Ita declaratum, inquam, a Gregorio IX. Conſt. *Quoniam abundavit iniquitas* an. 1227; ab Innocentio IV. Conſt. *Quia nonnulli* an. 1244; ab Alexandro IV. Conſt. *Non ſine multa* an. 1256; & a Clemente IV. Conſt. *Quidam temere* an. 1265, a quorum duobus poſtremis Guillelmus Sant-Amoræus, Odo Duacenſis, Chriſtianus Bellovacenſis, nonnullique alii Pariſienſis Academiæ præſertim Doctores contrarias propoſitiones, auctoritati plane Romani Pontificis parum accommodas, revocare compulſi ſunt. Prædeceſſorum ſuorum hac de quæſtione decretum ſartum pariter, tectumque voluere Bonifacius VIII. Decret. *Super Cathedram* inſerta lib. 3. Extravag. comm. tit. *De Sepulturis*; Benedictus XI. Conſt. *Inter cunctas* adnexa lib. 5. Extravag. earumdem tit. *De Privilegiis*: quam tamen poſtea reſcidit Clemens V, reducens ad jus deciſum a Bonifacio VIII. in Decret. præcit., Clement. *Dudum de Sepulturis*: qui ad unum omnes ſacris Ordinibus Præd., & Minor. privilegium excipiendi quolibet tempore, locorumque ubilibet chriſtifidelium omnium Confeſſiones indulſerunt. Inſtitit eidem erga Regulares effuſæ Pontificiæ indulgentiæ, liberalitatique Johannes XXII. Conſt. *Vas Electionis* intexta lib. 5. Extravag. comm. tit. De *Hæreticis*, qua oppoſitam Johannis de Poliaco opinionem proſcripſit, eamque revocare ille compulſus eſt. Porro Johannis de Poliaco errorem prædamnatum inſtaurare illos, qui confitentes tempore Paſchali apud Regulares approbatos Canonem præcitatum tranſgredi affirmare pergunt, Notificatione edita an. 1733. die 21. Martii auctor eſt, tunc Archiepiſcopus Bononienſis Proſper Lambertinus, nunc Pontifex M. Benedictus XIV, quem Reipublicæ chriſtianæ bono Deus O. M. diu ſoſpitem ſervet. Occaſione contentionis ortæ Richardum Archiep. Armacanum inter, ac Religioſos Mendicantes circa Confeſſiones a fidelibus eiſdem factas, Innocentius VI. interpellatus Conſt. *Gravem* an. 1358. ſententiam quidem ſuſpendit, Regulares tamen ut privilegiis uti ſuis pergerent, etiam circa excipiendas chriſtifidelium Confeſſiones, permiſit. Nec id permittere dumtaxat contentus Alexander V.

der V. edita præterea Conſt. *Regnans in excelſis* an. 1409. temere vindicatas a quibuſdam Johannis de Poliaco propoſitiones, aliaſque impudenter adjectas infamiæ nota inflixit. Hanc adverſus Bullam concionem habere, quæ inſcribi ſolet *Contra Bullam Mendicantium*, Gerſonium non depuduit : ejuſdem quin etiam Bullæ revocatio in Conciliis Conſtantienſi, ac Baſileenſi expetita eſt, ſed minime impetrata, ut obſervavit Johannes Major in 4. diſt. 17. q. 7 ; Gerſonii vero dicteria nullo ſunt loco habita. Ab Eugenio IV. deinde Conſt. *Dudum* an. 1446. tam præfatæ errorum refertiſſimæ propoſitiones iterato confoſſæ ſunt, quam prælaudatæ Bullæ Bonifacii VIII. *Super Cathedram*, atque Johannis XXII. *Vas Electionis* confirmatæ ; a Nicolao V. vero hoc Eugenii diploma evulgatum ; quique ſucceſſit, Calliſtus III. Conſt. *Inter cætera* utriuſque deceſſoris ſui Eugenii, ac Nicolai diplomata comprobavit.

Harum Conſtitutionum occaſione magnæ in Academia Pariſienſi adverſus Religioſos Ordines tempeſtates ſunt excitatæ: Pariſienſi Academia privilegiis iſtis intercedente, pro quibus, tanquam pro aris, focisque Regulares pugnabant. Haud abſimiles in Germania, ac præſertim Argentorati, ac Spiræ commotæ a Parochis in Regulares Mendicantes turbæ ſunt : quas ad omnes compeſcendas idem Calliſtus III. egregie ſe conferens, pleraſque in hanc rem Conſtitutiones adornavit, pro Gallia præcit. *Inter cætera* an. 1456, alterumque diploma ad Epiſcopum Atrebatenſem dato ; pro Germania vero Bullam *Sane* an. 1455, aliamque incip. *Nuper* an. 1456. Juſtiſſimæ Regularium cauſſæ defendendæ inſtitere pariter defixo pede ſequentis ætatis Pontifices Summi, Sixtus IV, a quo anno 1473. Bulla edita pro FF. Minoribus, quæ *Mare magnum* nuncupari ſolet, Deceſſorum ſuorum Johannis XXII, Eugenii IV, & Nicolai V. de valore Confeſſionis FF. Mendicantibus factæ confirmata ſunt, atque in eos, qui decreta illa oppugnarent, tanquam de hæreſi ſuſpectos, ab Epiſcopis, & Inquiſitoribus agi juſſum eſt. Leo X, qui Conſt. *Dudum* Concilii Later. V. ſeſſ. 11. calculo comprobatæ perſpicuis verbis declaravit Regularibus Mendicantibus confitentes Canoni *Omnis utriuſque* approbe ſatisfacere. Paulus III, a quo pari affecti privilegio

vilegio fuere anno 1549. Patres Soc. J. Paulus IV, qui Conſt. *Ex Clementi* an. 1555. in gratiam FF. Minorum de Obſervantia Eugenii IV, Nicolai V., & Sixti IV. decreta inſtauravit, novumque eis robur adjecit. In Diœceſibus attamen Cameracenſi, & Atrebatenſi a ciendis adverſus Patres Soc. J., alioſque Regulares turbis ſibi temperare Parochi quidam haud quietis patientes nedum didicerant. Quocirca Clemens VIII. nova Conſtitutione an. 1592. evulgata Regularibus tempore etiam Paſchali excipiendi fidelium Confeſſiones privilegium collatum a Prædeceſſoribus ſuis ſartum, tectumque manere, ac permanere juſſit: quod privilegium Regularium perinde votis ſollicitatus confirmavit Innocentius X. Conſt. incip. *Exponi Nobis* an. 1645. Ad hæc Alexander VII. propoſitionem affirmantem, Fideles ad annuam Confeſſionem propria in Parochia faciendam non teneri, immunem pronunciavit abſolutiſſime a cenſura, quam anno 1659. quibuſdam aliis propoſitionibus ipſe inflixit. Poſtremam denique manum aſperrimæ contentioni appoſuit Clemens X. Conſt. *Superna* edita anno 1670, qua conceptis verbis concluſit, definivitque Chriſtifideles Paſchali etiam tempore Regularibus approbatis peccata ſua aperientes præf. Canoni *Omnis utriuſque* apprime ſatisfacere: ſcilicet toties, tantoque æſtu ad incudem revocata controverſia a tot Pontificibus, tantiſque vicibus, fuerat tandem profliganda. Profligata itaque penitus jacet a tot Pontificibus confoſſa, præpoſtera opinio, cui præterea totius Chriſtiani Orbis refragatur oppoſita conſuetudo, quam fruſtra poſt erigere, producereque rurſus in medium impudenter enixi ſunt Johannes Launojus in libro, cui titulum fecit: *Traditio Eccleſiæ explicata circa Canonem Omnis utriuſque Sexus*, Bonaventura Baſſeau in ſuo *Theophilo Parochiali* par. 4. art. 15; Gaſpar Juveninus in comment. hiſt. dogm. de ſacram. diſſert. 6. q. 5. de Pœnit. cap. 4. art. 3. §§. 1., & 2; Carolus Witaſſius de Pœnit. q. 7. art. 2; Zegerus Van-Eſpenius Jur. Eccleſ. par. 2. tit. 6. cap. 5, aliique præſertim animo erga Religioſos haud optime affecti. Contra quos pugnant egregie Odoricus Raynaldus Commentario e Codice Mſ. Bibl. Vatic. n. 4109. deſcripto, regeſtoque ſuos in Annales Eccleſ. ad annum 1320. a numero 20. uſque ad 38; Natalis Alexander hiſt.

Eccleſ. ad ſæcul. XIII., & XIV. diſſert. 4; Tournellius de Pœnit. q. 6. art. 3; Boucatius de Pœnit. inſtit. diſſert. 1. art. 6; Berti de Theolog. diſcipl. lib. 34. cap. 6, atque præ omnibus Benedictus XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 11. cap. 14: a quibus doctiſs. viris ex Rationum momentis, ex Scriptorum teſtimoniis, ex Eccleſiarum ſtatutis, ex Synodorum ſanctionibus, veluti Toloſanæ an. 1530; Claromontanæ an. 1538; Sueſſionenſis an. 1561; Lugdunenſis an. 1577; Rotomagenſis an. 1581. cap. 37; Aquenſis an. 1585. tit. de Pœnit.; Cameracenſis an. 1586; Clerique Gallicani an. 1683. die 25. April. in approbatione libri P. Bagotii de Confeſſione facta cuilibet Sacerdoti; ac poſtremo ex Rom. Pontificum toties repetitis decretis argumentum hoc ita confirmatum eſt, amplificatum, exornatumque, viciſſim vero adverſariorum objecta ita convulſa, & everſa, ut deſiderari nihil amplius ſit.

Ex Jure Principali, Officioque Pontificis Univerſa in Eccleſia.

ARTICLUS X.

Ex Jure procurandæ Gentium omnium ſalutis, quod Romano Pontifici ſpeciatim incumbit.

§. I.

EAs inter ingentes, innumeraſque, quæ in graviſſimo Eccleſiæ regimine Pontifici Romano partes incumbunt, unam, ac potiſſimam computari ſollicitudinem paſcendi Dominum Gregem ſalutaribus doctrinis, procurandæque Gentium omnium ſalutis æternæ, nullus, opinor, ibit inficias, ignorabitque. Quo quidem officio præclare functos Pontifices, omnique ex parte tam grande opus expleſſe, atque numeris abſolviſſe prorſus omnibus, morem illorum Principum probe imitatos, qui in adminiſtranda rite Republica impigre, quod poſſunt, perſemet agunt, atque alios præterea ſupplendæ impotentiæ gratia agendis rebus, quibus ipſi ſint impares, adhibent viros ſtrenuos, virtuteque ma-

mactos, brevi nunc mea eſt oratione oſtendendum. Igitur, ut initium a S. Petro omnium primo, qui omnibus præluxit exemplo, capiam, ab eo præcipuas totius Orbis Eccleſias, a quibus aliæ minores deinde fidem, moreſque edocerentur, a fundamentis fuiſſe ædificatas fide affirmat ſua Tertullianus lib. de Præſcript. capp. 20, & 36, confirmantque SS. Hieronymus de ſcript. Eccleſ. cap. 1, & Epiphanius hær. 27. pag. 107. Ideo Antiochiæ ipſe primum præſedit, diſcedenſque Evodium ſubrogavit, cujus imperio totius Orientis Eccleſiæ deinceps obnoxiæ evaderent. Alexandriam Marcum diſcipulum vice defuncturum ſua direxit, cujus impoſterum Civitatis Epiſcopus in Ægypto, Arabia, Æthiopia, & Africa Cyrenæa totius Sacræ rei ſummam adminiſtraret. Romam ipſe profectus ibidem velut in Orbis centro Sedem conſtituit ſuam, unde in cæteras omnes, qua longe pateret, lateque Chriſtianus Orbis, Eccleſias fidei, diſciplinæ, morumque dogmata, ritus, legeſque promanarent. Itaque a S. Petro inſtitutas tres Patriarchales Eccleſias teſtis eſt diſertus S. Johannes Damaſcenus in epiſt. 4. ad Africanos, quæ primum in Synodo Bethleemitica an. 1672. adverſus Calviniſtas producta eſt, deſcriptaque ab Harduino tom. 11. pag. 242, ubi conceptis verbis fert: *Univerſam Eccleſiam fuiſſe Epiſcopis abſolute commiſſam*; neminemque non confiteri: *Clementem primum Romæ Epiſcopum, Evodium Antiochiæ, & Marcum Alexandriæ Petri ſucceſſores fuiſſe*. Neque ſane idipſum infiteri auſus eſt Theodorus ipſe Balſamon initio Meditati ſui prioris de Patriarch. privilegiis, nempe Evodium Antiochenæ primum Eccleſiæ, ac poſtea Marcum Alexandrinæ a S. Petro fuiſſe præfectos. Antequam vero Romæ ſubſiſteret S. Petrus, Orientis Provinciis undique verſum peragratis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, Bithyniæ, Græciæ, Illyrici, Dalmatiæ &c. gentium ubique Eccleſias excitavit, cunctiſque conſignavit Epiſcopos, quorum pleroſque ex illarum Eccleſiarum traditione, veterumque Scriptorum teſtimonio ſuper. Art. 7. §. 1. pag. 240, & ſeqq. recenſui. Poſtquam vero Romæ defixiſſet moram, inde haud ſemel diſcedens, brevi tamen reverſurus, Occidentis univerſi aut luſtratis ipſe Provinciis, aut propagatum Evangelium Diſcipulis miſſis, in Italia, adjacentibuſque Inſu-

lis, Africa, Hiſpania, Gallia, Britannia, Germania &c. Chriſtiano ubique nomine Eccleſias dedicare, Divini Sacerdotii ritus inducere, Sacriſque chriſtianorum rebus Epiſcopos præficere ullo abſque impendio, lætoque cum ſucceſſu adlaboravit. Verbo ut cuncta complectar, dicere contentus ero, quod de re Chriſtiana a S. Petro ab Oriente ad Occidentem inlata, mirumque in modum amplificata graphice dixit Euſebius hiſt.Eccl. lib. 2. cap. 23: *E veſtigio ſub ipſo Claudii Imperio benigna, & propitia totius hujus Univerſitatis Rectoris erga humanum genus providentia fortem, ac præpotentem reliquorum omnium Apoſtolorum, propter virtutis amplitudinem facile Principem, Petrum Romam verſus ad ejuſmodi peſtiferam vitæ humanæ corruptelam delendam quaſi manu deduxit. Qui quidem, utpote ſtrenuus, & generoſus Dux Divinis armis obtectus, munituſque, eximiam, & pretioſam tanquam mercaturam veri luminis mente ſola comprehenſi ab Oriente ad Occaſum uſque deportavit, ipſamque Regni Cælorum prædicationem, Cæleſtem ſcilicet lucem, & ſalutarem animorum doctrinam palam divulgavit.* Brevi hoc nempe, ſed illuſtri, dignoque, pro ingenti, quam procurandæ Gentium omnium ſalutis præ omnibus geſſit, ſollicitudine, S. Petrum elogio mactabat diſertus Euſebius.

Ejuſmodi ergo S. Petri egregio exemplo preſſe inhærentes Romani Pontifices nullo unquam tempore deſtiterunt, nulloque impedimento detineri potuerunt, ab adimplenda perſemet hac graviſſimi officii, qua diſtinebantur magnopere, parte, atque a dirigendis quocumque gentium Apoſtolicis hominibus ſpiritu Dei plenis, qui Pontificiis vicibus defungentes cujuſcumque ſermonis Populos ad ſacra noſtra perducerent, de chriſtianæ Religionis capitibus apprime erudirent, de ſacratiſſimis ſcilicet Divinæ Trinitatis, & Dominicæ Incarnationis Myſteriis, de Symboli Apoſtolici Articulis, de Eccleſiæ Catholicæ Sacramentis, de Virtutibus Theologicis, de Sacris Ritibus, de Morum chriſtianis regulis, ſexcentiſque horum ſimilibus ad rem chriſtianam, ſacramque ſpectantibus: id ſummopere urgentes, ſatagenteſque, ut novelli Chriſtiani crederent, arcteque mente tenerent unam eſſe Chriſti D. Eccleſiam, Romanamque eamdem eſſe: unum eſſe in Catho-

Catholica Eccleſia ſupremum Caput, Chriſti D. in Terris Vicarium, eumque eſſe Romanum Pontificem, S. Petri ex aſſe Succeſſorem, cui obediendum ab omnibus, cujuſque dictis omnino obaudiendum: rati videlicet fore perquam facile, ut a fide nunquam deſciſcerent ſemel tradita, ſi recens ad fidem traductis firmiter, intimeque perſuaſum iret, ne latum unguem licere a Sedis Apoſtolicæ lata ſemel ſententia ſecedere. Quam quidem agendi rationem ab Apoſtolicis viris religioſe retentam, impoſitamque provinciam egregie impletam, atque exornatam, non omnia, quæ apertiſſime prodant, Eccleſiaſtica monumenta ſuperſunt, ſed horum innumera temporum iniquitas nobis invidit: quæ ſuperſunt tamen, id totum ſatis ſuperque efficiunt, ita ut ex iis cetera dentur intelligi. Atque quidem ex Lutheranis ipſis Jo: Albertus Fabricius ſalut. Luc. Evang. cap. 28. pag. 514. Romanis Pontificibus inſigni abſque temeritate denegari non poſſe fatetur laudem magnam ſtudii Idololatriam, Paganaſque ſuperſtitiones abolendi, atque Chriſtianæ Religionis cultum amplificandi. Poſtea tamen Proteſtantium more pro ingenio præpoſtero, præfractæque frontis impudentia, partem hanc laudis in Pontificum ludibrium, probrumque vertit: parum habens præclaræ adeo laudis participes ex æquo pleroſque alios feciſſe, niſi penitus fædeque obſcuraret, ajendo hanc Romanorum Pontificum eó demum curam collineaſſe, non tam ut Religionem ipſam, quam cum Religione propriam ipſi potentiam longe, lateque proferrent: Religionem quoque quod attinet, non puram, ac ſinceram, ſed pleriſque traditionibus, ac ſuperſtitionibus contaminatam Pontificum opera Gentibus fuiſſe commendatam. Vetus eſt iſta, ac Novatoribus uſitata calumnia, & ad nauſeam! uſque recocta, ut Pontifices in culpam ambitionis vocent, quoties poteſtatem exerere vident in Gentes quotquot, ad quas Evangelii lumen pervenerit: quam poteſtatem Divino ex imperio a Pontificibus exeri ſupino errore detenti videre detrectant: Religionem vero propinari haud ſinceram deprædicent, quam hæreſum ſuarum fermento minime aſperſam conſpiciunt. Sed eos apage, qui veritatis lumini jamdiu obſtruxere, oculoque res Chriſtianas limant obliquo.

Nunc vero ut in viam meam redeam, atque ut de Apoſtolis, viriſ-

viriſque Apoſtolicis ab iis proxime inſtitutis taceam, qui Evangelii luce Orientem, & Occidentem longe, lateque perfuderunt: taceam quoque de Vicariis Apoſtolicis, Viriſque aliis Epiſcopali dignitate adauctis utramque ad Indiam qua Occidentalem, qua Orientalem chriſtianis Sacris imbuendam properare juſſis, quorum utique præcedenti Artic. 7. §. 1. pag. 266, & ſeqq. illuſtrem, ac brevem indicem texui, Romanis Pontificibus magna profecto laudis pars adhæſit, quam ingentis operæ diſpendio, reſpondentique laborum fructu ſibi acquiſiverunt, adeptique ſunt quotquot ab ipſis mandato, atque miſſione accepta, ad hanc adornandam, abſolvendamque ſpartam ſe contulere, ex quibus nunc præſtantiorum juvat habere delectum, ac ſupplementi veluti vice illorum catalogo attexere, quorum laudes præcit. loco, prout ſermonis patiebatur anguſtia, celebratæ jam ſunt. Sane ſi aut litterarum monumentis demandata fuiſſet, aut in manus fortunate noſtras devoluta hiſtoria rerum in prima Gentium ad Chriſtianam fidem converſione præclare geſtarum, non deſideraremus profecto quamplurium documenta Pontificum, quibus priſcis ævis flagrantiſſimum propagandæ fidei ſtudium ſuum conſignaverunt, deque novis in dies Gentibus Chriſto adquiſitis gaudentes plurimas Chriſtianæ Religioni, ac S. Petri regimini Provincias adjecerunt. Quorum inopia cogimur ad alia ſæpe revolvi monumenta, in quibus minus certitudinis quidem inſit, credibilitatis tamen multum non deeſſe ſuadeant tum continua ad poſteriorem uſque ætatem geſtorum ſeries, quæ cognitionem certe noſtram ad unum primum caput retorquet, tum majoribus tradita, ac poſterorum arcte inſita menti antiquarum rerum notitia, ex qua veri perquam ſimilem referri ſpeciem probe ambiget nemo. Quamquam & nefas eſt inficeri tantam haud fuiſſe veterum temporum triſtitiam, quæ certiſſimæ veritatis monumenta nobis inviderit omnia, quin pleraque tabulis ahenis, marmoreiſque inciſa, & mandata remanſerint, quæ a dubitatione qualibet levi fidem omnino liberent noſtram. Præter illos itaque haud parvo numero, quos a S. Petro, aliiſque proxime ſucceſſoribus Pontificibus ubique gentium prædicatum Evangelium fuiſſe ablegatos Eccleſiaſtica produnt monumenta, ex ingenti claſſe illorum,

qui

qui a Romanis Pontificibus juſſi peragratis Italiæ Provinciis laborum ſuorum fructum Martyrii nobiliſſimi palmam retuliſſe feruntur, obvii imprimis ſuccurrunt SS. Felix, & Euſebius a S. Stephano ad Evangelio Campaniam excolendam directi in Actis ejuſdem Pontificis, quæ apud Pagium ad an. 256. n. 19. fide quidem haud leviter laborant, indubia tamen habuit Baronius ad an. 256. n. 7, & ſeqq., emaculare quin etiam, atque ab omni ſuſpicionis abſtergere prorſus nota enixus eſt Laderchius in Actis SS. Martyr. vindicatis tom. 2. lib. 5. cap. 5, & ſeqq. Eadem prædicandi Evangelii provincia egregie perfuncti, illuſtrique Martyrio cumulati leguntur in Martyrologio Rom., miſſi a S. Victore in Umbriam S. Felicianus, de quo Baronius ad an. 203. n. 2; a S. Dionyſio in Æmiliam S. Zama, de quo etiam Bollandus ad diem 24. Jan.; a S. Marcello in Picenum S. Emygdius ad diem 5. Aug.; a S. Cajo in Sardiniam Protus, & Januarius ad 25. Octob. Qui ſi ad poſteriora revolvimur tempora, reperiemus ab Innocentio III. lib. 1. epiſt. 358. ad excindendas in Sicilia Saracenorum reliquias, a quibus inclinante ſæculo VII. Regnum illud occupatum fuerat, profligarique inde penitus nequiverant, Abbatem de Sambucino ablegatum, cujus opera Saracenis plurimis ad ſacra noſtra perductis, de univerſa Inſula a ſuperſtione expurgata haud parva lætitia Pontificis animus perfuſus eſt.

Evangelii prædicationem ex Italia in Africam, ac Roma Carthaginem Pontificum opera ſe effudiſſe, fide affirmant ſua Tertullianus in lib. de Præſcript. cap. 36, & S. Auguſtinus in epiſt. 162; confirmant autem SS. Innocentius I. ep. in edit. Concil. 1. ad Decentium Eugub., & Leo IX. in epiſt. 4. ad Petrum, & Johannem Epiſcopos Afric. Qua poſtea ingenti cura devexiori ſub ætate a Romanis Pontificibus Chriſtianæ res in Africa procuratæ fuerint, paullo infra dicendi copiam faciam. Quod ad Hiſpanias pertinet, in quas perinde a Romana Eccleſia cum Religione Chriſtiana Eccleſiaſticam Hierarchiam inſatam alio in loco demonſtratum eſt, ac liquido documento ſunt SS. Innocentius I. in præcit. epiſt., & Gregorius VII. lib. 1. in ep. 64; quibus adjungendi Ado Vienn. ad Idus Majas, & Lucius Marinæus lib. 4. rer. Hiſpan., hoc unum dictis adjiciam, quod in Hiſpania, poſtquam ab Ala-

Alanis, Suevis, ac Gothis occupata, pervaſaque undique fuiſſet, atque plurimum in fide perpeſſæ florentiſſimæ illæ quondam Provinciæ fuiſſent, egregiis S. Leandri Hiſpalenſis a S. Gregorio M. ad id operis impulſi laboribus resChriſtiana priſtinum in ſplendorem eſt reſtituta, cui poſtea amplificandæ, promovendæque operam quoque ſuam, eamque ſedulam impendiſſe Hiſpaniarum Epiſcopos complures alios ſanctitate, doctrinaque perquam eximios nemini dubitandi ſuppetet locus, cui vel leviter explorata ſint, quæ de Sacris Hiſpaniarum rebus litterarum Monumentis tradita ſunt. Hinc referendo pedem in Gallias, principio non negabo utique temere, id ſibi juris ſæpiſſime integrum ſervaſſe Epiſcopos, ut Chriſtiani poſſent, prout opportunitas pararetur, imperii proferre pomœria. Ut enim nihil retexam de Pantæno a S. Demetrio, de quo Euſebius lib. 5. hiſt. Eccl. cap. 10, Nicephorus lib. 4. cap. 32, ac Sollerius ad 7. Julii, & de Frumenrio a S. Athanaſio, de quo Socrates lib. 1. cap. 19, & Sozomenus lib. 2. cap. 24, & Hermantius in vit. S. Athanaſii lib. 3. cap. 9, prædicatum Evangelium proficiſci in Indias juſſis, vetera extant Monumenta Miſſionis Evangelicæ imperatæ, Gallicanæque profectionis impoſitæ SS. Benigno, Andeolo, Andochio, Thyrſo, & Felici ex Oriente ipſo a S. Polycarpo, de quibus Martyrolog. Roman. ad diem 1. Novemb., 1. Maji, & 24. Septemb., nec non SS. Felici, Fortunato, Achilleo, Ferreolo, & Ferrutioni ex Gallia ipſa a S. Irenæo, de quibus Martyrol. ad diem 23. April., & 16. Junii. Conſtantiſſime nihilominus affirmo Epiſcoporum votis, conatibus, ac victoriis auctoritatem, ſtimulos, & cumulum ab Apoſtolicæ Sedis poteſtate ſumma, charitateque præſtanti acceſſiſſe. Quæ nec utique permittebat, ut hac in officii parte Romanis ipſis Pontificibus, inferiores alii Præſules exemplo præirent. Porro Epiſcoporum, quibus propagatum Evangelium in Gallias properare auctorem ſe præbuit S. Fabianus, ex S. Gregorio Turon., & Severo Sulpitio nomina, & laudes alibi dedi; ante quos plane a S. Sixto I. P. M. eòdem proficiſci ejuſdemque rei gratia S. Peregrinus juſſus legitur in Martyrologio die 16. Maji. Multo poſtinde plures a S. Marcellino ad Provincias Galliæ perluſtrandas, illuſtrandaſque Evangelii lumine miſſi feruntur, inter quos SS. Quintius,

tius, Piato, Sanctinus, Dionyſius, Ruffinus, Valerius, Eugenius, Criſpinus, Criſpinianus, Marcellus, Regulus, Fuſcianus, & Victoricus in Ambianis, Virdunenſibus, Veromandenſibus, ac Tornacenſibus, quibus poſtremis a S. Felice III. Eleutherius præfectus Epiſcopus eſt, Chriſtianam Religionem longe, lateque propagaſſe apud Democharem perhibentur. Poſtquam vero Gallia a Francis occupata fuiſſet circa medium ſæculum V, Francos de Chriſti fide erudiendos ſuſcepere ſub S. Symmacho SS. Vedaſtus Atrebatenſis, Solemnis Carnotenſis, & Remigius Remenſis; ac ſub Vigilio S. Maclovius Aletenſis, de quibus adeundi Bollandus ad diem 6. Febr., Sigibertus in Chron. ad an. 490, Surius ad diem 13. Jan., & Mabillonius tom. 1. Act. SS. Bened.

Prima fortaſſe, aliquave fidei jacere fundamenta alicubi poterant fideles aliqui fidei zelo quammaxime flagrantes. Ita factum in Germania, finitimiſque Provinciis memoriæ proditum eſt: nam Rhæti per SS. Lucium, & Emeritum, Nervi, & Morini per SS. Victoricum, & Fuſcianum, chriſtianam fidem amplexi feruntur. Præterea Flavius Clemens Pontificis cognominis patruus, a Domitiano poſtea, cujus nepos erat, cujuſque propin. quam Flaviam Domitillam uxorem duxerat, martyrio affectus ob crimen ἀθεότητος, auctor eſt Dio in Domitiano id haud dubie de Chriſtianiſſimi illato crimine intelligens, Allobrogibus, collimitaneiſque aliis Helvetiorum, Belgiique populis Chriſtum annuntiaſſe refertur: quamquam narrationis hujuſmodi vadem me præſtare utique nolim. At ubi fingenda, & formanda erat Eccleſia non tam, ac tantummodo ad Evangelii normam, quam etiam in ea Eccleſiaſtica Hierarchia erat ordinanda ad Romanæ exemplar, non niſi Romani Pontificis auctoritate præſtari id rite, fierique poterat. Quare accepta prius a Romano Pontifice venia Auguſtam Vindelicorum Evangelii diſeminandi gratia contendiſſe S. Narciſſus legitur apud Surium ad diem 5. Aug., & in Actis S. Afræ apud Marcum Velſerum oper. pag. 441, & ſeqq. Atque ſub auſpiciis S. Innocentii I. Morinos, & Nervios indomitas gentes Chriſtianæ fidei ſubjugandas S. Victricius Rotomagenſis adivit. Neque plane inauſpicato Pontifice M. ad Burgundos, Aventicos, & Helveticos alios in fide adhuc rudes, admodumque

dumque incultos erudiendos, excolendoſque acceſſiſſe præſumendi ſunt SS. Lupicinus, & Romanus, qui nedum omnium primi in Gallia Sequanorum inductæ profeſſionis Monaſticæ parentes, Jurenſi Monaſterio a fundamentis ædificato, aliiſque poſtea adjunctis, circa medium ſæculum V. habentur apud Bollandum, & Henſchenium ad 28. Febr., & 21. April., ac Pagium ad ann. 444. n. 15, & ſeqq., ac 445. n. 10, quin inſuper a S. Hilario Arelat. ſacro Sacerdotii ordine inſignitus S. Romanus refertur ibidem, ſed etiam primi apud Helvetios Evangeliſtæ feruntur apud Murerum in Helvet. ſanct., & Guillemanum lib. 1. de reb. Helvet. Quam in rem confer & Tillemontium tom. 16. pag. 142, & ſeqq. Quamquam primam hanc Evangelii propagati apud has gentes laudem tributam SS. Beato, & Fridolino legere eſt apud Caniſium in ipſorum vita, ac Bollandianos ad diem 6. Martii, & 9. Maji. In Belgium poſtea Evangelium propagatum contendere a S. Martino I. juſſi ſunt Landoaldus Presbyter, & Amantius Diaconus, de quibus Surius ad 19. Martii, & Molanus in Ind. SS. Belgii. Sed & eodem S. Martino provinciam demandante in chriſtiana fide erudiendos Bavaros ſuſcepit S. Emmerammus, & Brabantinos S. Livinus. Poſtea vero a S. Agathone Belgas ad caſtra noſtra traducendi venia S. Amando confirmata eſt.

Vetera Eccleſiaſticarum Miſſionum revolventi monumenta frequentiſſima occurrent, non inficior, exempla Apoſtolicorum virorum, qui aut aliorum exemplo, aut proprio inſtinctu, aut præcepto accepto qua ab Eccleſiarum Præſulibus, qua a laicis ipſis Principibus ſpartam hancce nobiliſſimam laboribus quidem refertiſſimam, ſed ob fructus copiam laudibus quoque cumulatiſſimam exornandam ſuſceperunt. In his SS. Columbanus, & Gallus, poſtquam in prædicatione Evangelii apud Suevos, & Helvetos, non abſque ingenti fructu tamen, improbos exantlaſſent labores, de quibus adeundus Surius ad diem 16. Octob., & 21. Novemb., tam exemplo, quam præcepto auctores ſe dedere SS. Euſtaſio, & Agilo, ut ad Varaſcos, & Bajoarios ad Chriſtiana ſacra convertendos ſe conferrent, veluti licet videre apud Jonam in vita S. Columbani, & Valfridum in vita S. Galli. Hi vero non an te ad Miſſionem iſtam ſe comparaſſe, quam facultas

tas iſta ipſis confirmaretur a Synodo Bonogilenſi an. 617, de qua Fredegarius cap. 44. loquitur, leguntur apud Jonam in vita S. Euſtaſii. Præterea laudem haud parvam Carolus M., & Ludovicus Pius promeruere a ſtudio procurandæ Barbararum gentium ſalutis: inter quas ille Saxones per Willehadum Bremenſem, de quo Mabillonius ſæculo III. Bened. par. 2, atque Hunnos per Arnonem Salisburgenſem, de quo Caniſius tom. 6. antiq. lect., iſte vero Walachiæ Inſulæ indomitos Incolas per Fridericum Trajectenſem, de quo Surius ad diem 18. Julii, ad chriſtianam Religionem perducere adlaborarunt. Verum præterquam quod pleriſque aliis Epiſcopali charactere exornatis prædicandi Evangelii apud gentes illas provincia impoſita a Romanis Pontificibus jam pridem fuerat, eadem antehac cura, ex SS. Sergii I, & Gregorii II. expreſſa auctoritate, egregie perfuncti fuerant SS. Willibrordus, & Virgilius apud V. Bedam lib. 5. cap. 12, ac Mabillonium ſæculo III. Bened. par. 2. Præterea etſi procurante Egberto Eboracenſi profectionem Germanicam, amplificandæ Religionis gratia, adornaverint duodecim ex Angliæ Monachis delecti viri doctrina, ac ſanctitate conſpicui, inter quos eminebant SS. Willibrordus, Suitbertus, duoque Evaldi nomine inſigniti, prælaudato tamen Pontifici S. Sergio probatam fuiſſe horum Miſſionem ad Friſones, ad Saxones, & ad Boructeros teſtis eſt liquidus cit. loco V. Beda; de quibus legendi etiam Mabillonius ſæculo III. Bened. par. 1, & Henſchenius ad diem 1. Martii. Moravis verbi Dei præcones, primoſque deinde Epiſcopos a S. Nicolao I, & Hadriano II. datos SS. Cyrillum, & Methodium Orientales Monachos jam alibi indicavi. Confer autem, ſi libet, Johannis Gregorii Stredouſchii ſacr. Moraviæ hiſt., quæ eſt vita ipſiſſima SS. Cyrilli, & Methodii. Ab his ſacris aquis ablutus Borzivojus Bohemorum Dux, Bohemiſque primus indultus Præſul a Johanne IX. Jethmarus: cujus poſtea locum implens S. Albertus longe lateque Chriſtianæ rei cultum diſſeminans, & ad Pruthenos ſe conferens pro Chriſti doctrina interfectus eſt. Clementis IX. cura deinde in Bohemiam iterum invecta Religio eſt, reſtauratæque, quæ remanſerant, reliquiæ. A Moravis ad Triballos, Populoſque finitimos, qui Viſtula, Danubio, & Vago fluminibus diſter-

minantur, profectus S. Cyrillus eos omnes Christo adjunxit.

De re Christiana in Anglia egregie primum a S. Eleuthero procurata opera Fugatii, & Duviani; a Pelagiana hæresi postmodum expurgata a S. Cælestino I. opera SS. Germani, & Lupi; operaque S. Augustini, ac Sociorum postremo reparata a S. Gregorio M., pristinumque in splendorem restaurata, pluribus in locis disputare me multa memini. Porro ibidem dictis illud modo scitu dignum addere juvat, quod rite observat doctiss. Blanchinius tom. 2. Anastasii in Notis histor. ad SS. Elentherum, & Victorem sect. 14, & seq., quod scilicet, postquam victo Rege Caractaco a Claudio Imp. potior magnæ Britanniæ pars domita fuit, ac in Provinciam Romanam redacta, postea a Domitiano amplificata; ac postquam ab Hadriano vallum ductum fuit, ab Antonino Pio deinde restauratum a Freto Germanico ad Oceanum Hibernicum, ex Clausento ad Luguvallium, & a Luguvallio ad Gabrosentum, utrinque ab Occidente in Orientem attingens Oceanum, & Scotiam hodiernam, olim Caledoniam dictam, ab Anglia disterminans, qua de divisione agit distincte Thomas Gale in Itiner. Britan. Antonini in Tabula Chorographica, ita parta securitate socios inter Reges Angliæ, & Romanos, parata tum fuerat, apertaque Romanis Pontificibus via perferrendi ad Britannos Evangelii. Itaque nec S. Eleuthero, nec S. Cælestino, nec S. Gregorio difficile acciderat dirigere in Angliam viros Apostolicos, qui Religionem christianam in Insula longe, lateque disseminarent, Christo D. ubique aras ad cultum erigerent, ac Hierarchiam Ecclesiasticam ad Romanæ exemplar inducerent. Post enixas tamen eorumdem curas, magna adhuc harum pars Successoribus Pontificibus superfuit ad traducendas, quæ in Anglia veteris superstitionis reliquiæ vigebant. Itaque Bonifacius V. læto accepto nuntio ex Anglia de Eadbaldo Cantiorum Rege, ejusque sorore Ethelburga ad Christiana sacra conversis, litteris extemplo datis tum ad Ethelburgam, quæ Eduino Northumbriæ Regi conjugio fuerat copulata, tum ad Eduinum ipsum, qui in cultura Idolorum adhuc persistebat, quas V. Beda recitat lib. 2. capp. 10, & 11, ac Baronius ex eo regerit ad an. 617, hanc laudans, & adhortans, istum incitans, & terrens, opera quoque adhibita S. Paulini Eboracen-

sis,

ſis, cum Regem, tum Gentem Chriſtianæ legi ſubjugare adnixus eſt. Inceptum opus, quod morte præreptus Bonifacius perficere nequiverat, optatum ad exitum ut perduceret, Honorius I. ejus ſucceſſor ſatagere non deſtitit, donec ex voto, ut Superis placuit, ſucceſſiſſet, nedum ut chriſtianæ Religioni victas manus daret Eduinus, ſecumque gentem innumeram ad Chriſtiana caſtra transferret, ſed ut Carpualdo Anglorum Orientalium Regi chriſtianam amplexandi Religionem auctorem ſe dederit, veluti denarrat V. Beda lib. 2. cap. 15. Confer Papebrochium in Conat. Cron. hiſt. §. 17., ac Pagium ad an. 627. n. 24, & ſeq., quo loci hæc fuſius perſequitur. Quamquam amplus non adeo, quemadmodum ex Anglia, pateret e Scotia tribus primis ſæculis ad Romanam Cathedram aditus, pateſactum fuiſſe tamen circa annum 203, quo plane a Michaele Griffith, ſive Alfordo conſignatur legatio iſta, a Codualdo, ſive Donaldo Caledoniorum Rege, qui Paſchaſium Legatum ab ſe miſſum ad Romanum Pontificem ad ſe remitti Evangeliſtæ munere, & Epiſcopi charactere adauctum impetraverit, cujus opera gens Romanum ferre jugum impatiens, chriſtianæ Religioni colla facilis ſubjecerit, ejuſdemque Paſchaſii memoriam ideo in Menologio Scotico recoli ad diem 12. Decemb., tradit Hector Boetius lib. 5. hiſt. Scot. circa finem, conſentitque Uſſerius in Antiq. Britan. Tametſi vero narratio iſta fide apud aliquos valdequam laboret, dignumque admiratione viſum fuerit, quod hæc tanta Eccleſiæ Scoticæ antiquitas latere potuerit Marianum antiquiorem Scotorum Chronographum, Scotiſque propinquum, earumque rerum peritiſſimum V. Bedam, neque defuerint denique, qui totam hiſtoriam iſtam ad Hiberniam transferendam exiſtiment, a quibus procul non abfuit Thomas Boſius lib. 8. de ſignis Eccl. cap. 1., indubia tamen frugi, proboque viro haberi prorſus debent, quæ de Evangeliſtis, ac Epiſcopis ad Hibernos, Scotoſque ablegatis Palladio, & Patritio a S. Cæleſtino I, Folliano a S. Martino I, & Malachia ab Innocentio II. ex indubitatæ fidei monumentis alio fuerunt loco indicata.

Quamvis itaque præceptum animo, præſumptumque Epiſcopis eſſet nativo ſuo jure chriſtianam Religionem vicinas in Provincias,

vincias, ac præſertim longiori tractu a Romana ſepoſitas, inducere, locoque ſtabilire, vetuſtiſſimo tamen exemplo, recentique experimento compertum erat inauſpicatum, & inconſultum fore quidquid operis ad fundandas novas Eccleſias conferretur, tentareturque, niſi Apoſtolica ex auctoritate deſcenderet. Poſtquam igitur S. Paſchalis I. opera Dani, Sueci, Norvegii, Gothi &c. Chriſtiana fide imbuti fuiſſent, ſubinde Agapeti II. induſtria ad Eccleſiæ Catholicæ, a qua nonnihil deflexerant, integritatem reductæ, victas Romanæ Cathedræ dexteras iterato dedere Gothia, Norvegia, Suecia, Dania &c. Chriſtianis rebus in Norvegia curandis ab Eugenio III. admotus eſt Nicolaus Brekspere, in Pontificatu deinde Hadrianus IV, qui Nidroſienſi Cathedra erecta Eccleſiaſticam Hierarchiam in Norvegia optimo loco conſtituit non modo, ſed magnam egiſſe partem, laudemque exinde promeruiſſe reputandus eſt Miſſionis in Suecia, ac Finlandia ingenti cum fructu peractæ a S. Henrico, Finlandiæ Apoſtolo perinde denominato apud Bollandum ad diem 19. Jan., cui præclari operis auctor ipſe fuerat, operique aptiorem ut faceret, Epiſcopali eumdem dignitate exornaverat. Sed & in Bothniam eodem S. Henrico Upſalenſi, & S. Erico Sueciæ Rege, illuſtri martyrio ſubinde affecto non anno 1151, uti viſum Baronio in Not. ad Martyrolog. Rom. 18. Maji, & Henſchenio ad eamdem diem, ſed anno 1160. velut oſtendit Pagius ad an. 1151. n. 9. ex Johanne Magno Archiep. Upſal. in hiſt. Gothor., & Suenonum lib. 19. cap. 5, adnitentibus, & adjuvantibus Chriſtianæ rei cultus invectus eſt. Sæculo X. ſubinde ad Suecos Chriſtianis ſacris adjiciendos a Sergio III. directus eſt Wibo Corbejenſis Monachus, Bremenſis dein Antiſtes. Ut vero ſcribit Stanislaus Orichovius apud Sanderum de viſib. Monarch. n. 695, & Baronium ad annum 965. n. 8. a Johanne XIII, Mieſcone Rege, genteque efflictim rogantibus, Itali Miſſionarii pietate, doctrinaque præſtantes Willibaldus, Prochorius, Jordanus, Gotfridus, Lucidus, Angelotus, Octavianus, & Julianus directi ſunt, qui ad Chriſtiana ſacra Vandalos, Slavos, & Lechitas allicerent, quorum ingens ad flumina confluentium numerus Baptiſmi aquis fertur ibidem luſtratus. Pontificis ejuſdem opera Populi antiquæ Sarmatiæ accolæ,

colæ, Slavorum propago, veteri nomine ex parte Vandali, ab hujus vocabuli fluvio mediam ipſam ſecante, (quo perinde vocabulo abuſum Grotium in proleg. ad hiſt. Gothor. præfixa hiſt. Procopii oſtendit Pagius ad an. 965. n. 9.) recentiori nunc Poloni nuncupati, Religionem Chriſtiano-Romanam complexi ſunt. Ejuſmodi ſpartam adornandam detulerat Ægidio Cardinali Tuſculano, cui dum laborum ſocii propagandi Evangelii operam egregiam commodarent Benedictus, Johannes, Iſaacius, ac Matthæus illuſtri an. 1000. Martyrio affecti ſunt. Confer S. Petrum Damiani apud Surium tom. 3. ad diem 19. Jun. Sub Innocentii II. ſubinde auſpiciis S. Vicelinus ad Slavos, Vandaloſque chriſtianæ Religioni devinciendos contendiſſe legitur apud Henſchenium ad diem 17. Maji in vita Thethmari ejuſdem diſcipuli, & Helmoldum diſcipulum alterum in Chron. Slavorum cap. 79. Ad excindendas poſtea Saracenorum reliquias in Poloniam ablegavit Innocentius III. Abbatem de Lakene, quem lib. 9. epiſt. 173. Poloniæ Epiſcopis commendavit, Gneſnenſi Archiepiſcopo interea Epiſcopalia munia exercere mandans in Eccleſia illa Evangelii nova luce imbuta, donec ad eas adoleviſſe vires videretur, quæ ad Epiſcopalem ferrendam Cathedram valerent. Lithuania, & Samogetia, Urbano II. ſatagente viriliter, ad Romanæ Eccleſiæ unitatem ſe contulit. Livonia cum ſuo Principe S. Meinardi opera, Bertholdo laborum ſocio adſcito, quem Provinciæ illi, Rigenſi erecta Cathedra, Epiſcopum præfecit Alexander III, veræ fidei lumen adſpexit, Chriſtique D. cultui ſe mancipavit. Tandem Innocentii III. enixa cura, magis magiſque eo in cultu eſt confirmata: nam S. Meinardo duo ejuſdem Alberti nominis, ſibique invicem ſuccedentes Livonienſes, ſive Rigenſes Epiſcopi Religioni ea in Regione amplificandæ maxime adlaborarunt. Adeundi Albertus Krantzius lib. 7. Vandaliæ cap. 13, Arnoldus Lubecenſis lib. 7. hiſt. Slavorum cap. 8, & ſeq., ac Longinus, ſive Dulgloſſus hiſt. Polon. lib. 6. ad an. 1205, a quibus cum indicta a Cæleſtino III. adverſus Paganos ſacra Expeditio, tum ab Alberto inſtitutus Ordo Militiæ, ſive Gladiferorum Chriſti memoratur. De inſtauratis deinde ab Innocentio III, Honorio III, & Gregorio IX. curis ad Livones in Chriſtiana fide confirmandos, defendendoſque a Barbarorum

barorum inſultibus; de indictis ab iiſdem Cruce ſignatorum expeditionibus, collatiſque viribus ad Pruthenos ad Chriſtiana ſacra perducendos adiſis Raynaldum ad annos 1999. n. 38; 1204. n. 56; 1212. n. 5; 1213. n. 9; 1220. n. 38; 1224. n. 38; 1230. n. 23; 1234. n. 45; & 1236. n. 61, & ſeq.

Jactura veterum Monumentorum res pleraſque Eccleſiaſticas, ac plurium annorum ſpatio confectas jejuni cogimur tranſilire, quarum certe ſi extaret memoria, ad eam facile, in quam enitimur, notitiam perveniremus, ex qua exploratiſſimum fieret anticipatam hanc fuiſſe, & Apoſtolicis viris arcte inſitam animo ſententiam ſine auſpiciis Sedis Apoſtolicæ non procedere, non proſpere ſuccedere Apoſtolicas Miſſiones: id ipſum intime quoque perſuaſum Eccleſiarum Præſulibus Chriſtianæ Religionis prima rudimenta ponere, niſi ſub Romano Pontifice, nullibi ſatis nec ratum, nec ſatis tutum. Cl. Ludovicus Thomaſſinus vet., & nov. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 25. n. 4. quærens an Græci, an Latini primi in Ruſſiam fidem Chriſtianam invexerint, poſt Baronium in append. tom. 7. de Ruthenis, ait in Concilio Antiocheno ſub Joviano Imp. ſubſcriptum reperiri apud Socratem lib. 3. cap. 21. Antipatrum Epiſcopum Roſſorum, ſive Rhos, quem Ruſſiæ Epiſcopum autumat. At vero Rhos, ſive Rhoſum Urbs erat non Ruſſiæ, ſed Syriæ, in ora ſcilicet Maris Syriaci, ac Sinus Iſſici, & in Pieria, unde Rhoſſii Montes Plinio celebres lib. 5. ſect. 18. (qui alias lib. 3. cap. 5. Roxolanos, ſive Ruſſos in Sarmatia populos ad latus Mœotidis paludis collocat,) ſive in Cilicia ſecunda conſita, de qua tom. 3. oper. S. Chryſoſtomi edit. nov. pag. 653, & 729. Splendide vero fallitur Fabricius ſalut. Luc. Evang. cap. 23, dum Ruthenum in ditione Moſcovitica Epiſcopum ſupponit S. Quinctianum apud Rhutenos Epiſcopum a Martyrologio Rom. ad 14. Jun. memoratum: nam Rhutenenſis erat in Aquitania Orientali vulgo Rodez, nunc ſub Metropolita Albienſi, idemque legitur interfuiſſe Synodo Agathenſi an. 506, atque de eodem agit S. Gregorius Tuoron. hiſt. Francor. lib. 2. cap. 36. Poſſevinus in Comment. 1. de reb. Moſcovit. Ruthenos a ſchiſmaticis, hæreticiſque Græcis autumat fidem Chriſtianam accepiſſe: Henſchenius vero non utique a viris Græcanico ſchiſmate, hæreſique afflа-

afflatis, bene vero a Michaele Ruſſiæ Metropolita eó miſſo circa ſæculi X. exitum a Nicolao Chryſoberge Patriarcha Conſtantinopolit. homine germane orthodoxo de fide Moſchos fuiſſe eruditos exiſtimat. At longe antea, nec procul a Conſtantini M. temporibus, atque puram utique a ſuperſtitione omni, hæreſi, ac ſchiſmate Chriſtianam Religionem inductam fuiſſe in Ruſſiam comprobatur teſtimonio Georgii Abulpharagii in hiſt. Dynaſtiar. pag. 85, quo loci Conſtantini M. ætate proxima, quin ipſiuſmet opera Religionem Chriſtianam amplexatas affirmat multas oppido earum, quæ Romanis vicinæ erant, Gentes, e Jallakiis, Sclavis, Borgianis, Ruſſis, Polonis, Armenis, & Georgiis: quibus attexit ex Ægypto Cophtitas, & Nigritas ex Æthiopibus, alioſque ex Nubiis; poſt quos varia quoque Turcarum genera victas Chriſto dediſſe manus confirmat. Præterea Doctiſſ. Papebrochius in Comment. ad 12. April. in vita S. Sabæ Gothi oſtendit jamdiu a ſæculo IV. apud Gothos obtinuiſſe Chriſtianam, eamque ab omni errore ſinceram, fidem, quam pariter apud Ruſsos viguiſſe jure optimo arguit. Nec tam ſero itaque, nec ſane a ſchiſmaticis in Ruſſiam invecta Religio æſtimanda eſt: quæ tamen, quo fato neſcio, extincta, refloreſcere ſub Wolodimiro rurſus viſa ſit.

Indubium illud interea eſt Moſchorum ſive Duces, ſive Metropolitas de Religione excolenda, fovendaque ſub auſpiciis Sedis Apoſtolicæ, deque retinendo, firmandoque cum Romana Eccleſia fœdere quammaxime fuiſſe ſollicitos. Sollicitudinem iſtam ſtatim induiſſe ab initio reſtauratæ a ſe in Ruſſia Religionis Michaelem, quique poſt ſucceſſit circa an. 1330, S. Alexium pari affectum ſtudio, obſervat Papebrochius in præfat. ad Ephemerides Græco-Moſchas. Qui perinde Kiovienſi Ruſſiæ totius Metropoli præfuerunt Eccleſiæ, Gregorius, & Iſidorus Conciliis interfuere, Conſtantienſi ille, Florentino iſte, quorum Succeſſores in Romani Pontificis fide manſerunt integri uſque ad anno 1520, quo ſchiſma inſtaurare Johannes Moſchus tentavit. Manſit tamen in unitate Johannes Metropolita, cujus epiſtol am ad Rom. Pontificem obſequii refertiſſimam deſcribit Herbeſt einus in rer. Moſcovit. Comment. Sub Innocentii IV. quoque auſ-

piciis Albertum Arcananum olim Epiſcopum, tum Ruſſiæ Metropolitam pro Ruſſis ad priſtinam fidem revocandis ingentes exantlaſſe labores, egregiaque legatione defunctum refert Wadingus ad an. 1249. Sub finem ſæculi XVI. ſolemni ad Clementem VIII. decreta legatione, cujus acta regerit Baronius in append. tom. 7, Rutheni Epiſcopi Romanæ in Eccleſiæ obſequium, fidem, obedientiamque ſe dedere integros religioni duxerunt. Mutua hæc in officia religionis procumbentes qua Ruſſorum Principes, qua Romani Pontifices reciprocis repetitis hinc illinc litteris, ac legationibus, quo illi ad Romanæ Eccleſiæ dogmata adſpirabant ardentiſſimo, ſtudium explicare ſatagebant, ea iſti viciſſim ſe affectos ſollicitudine de extorribus Romanæ Eccleſiæ reconciliandis oſtendebant. Quæ igitur hac de re interceſſerunt Demetrium inter, & S. Gregorium VII, liquent ex lib. 2. epiſt. 74; quæ pertractata ſunt inter Principes alios Ruſſiæ, & Honorium III, ac Gregorius IX. fuſe denarrat Raynaldus ad annos 1227. n. 9, & 1231. n. 43; quæ Innocentium IV. inter, ac Danielem, Jeroslaum, & Alexandrum gentis illius Duces exagitata ſunt, inſpicere licet apud eumdem Annaliſtam tom. 13. ad an. 1246. n. 28, & ſeq., ac 1248. n. 41, & ſeqq. Danieli Regi a fide deficienti ad frugem revocando diligenter incubuit Alexander IV, cujus hac de re litteras apud Raynaldum legere eſt ad an. 1257. n. 26, & ſeqq. Iſidoro Kiovienſi ablegato Moſcovitas Eccleſiæ Romanæ gremio reſtituere enixus eſt Eugenius IV, cujus enixam ſollicitudinem digno mactat elogio præcit. Annaliſta ad an. 1439. n. 11. A Johanne Duce decretam ad Paulum II. legationem excepit an. 1472. Sixtus IV, atque in fide, quam in Concilio Florentino expoſitam profitebatur, confirmare pro officio ſtuduit, de quo Raynaldus ad cit. an. n. 48. Pia conſilia exagitaſſe Leonem X. de Moſcovitis a ſchiſmate revocandis, legatione miſſa ad Baſilium Regem ex documentis adparet, quæ ad an. 1514. n. 65. deſcribit Raynaldus: a quo perperam tamen idem Baſilius cum Johanne deceſſore ſuo confunditur. Jo: Franciſci Scarenſis Epiſcopi opera inſtauratum fuiſſe de veteri fœdere Ruthenæ cum Eccleſia Romana tractatum a Clemente VII. dubitare non ſinunt Pontificiæ hac de re litteræ ab eodem Annaliſta recitatæ ad an. 1525. n. 73. Cum Julio III.

lio III. de abjurando ſchiſmate egit etiam Baſilius Dux, etſi haud ſincere; de eodem una cum gente ad Romanæ Eccleſiæ gremium reducendo ſollicitum patitet ſe dedit Pius IV, etſi fruſtra quoque ei ceſſetit conatus omnis: de quibus adeundus, ſi placet, Raynaldus ad an. 1553. n. 40, ac 1561. n. 17. Deceſſorum exemplo inhæſiſſe S. Pium V, indictaque legatione ad Johannem Baſilidem deſidetio illum non tam Chriſtianis Principibus conjungendi advetſus Turcas, quam ad Romanæ Eccleſiæ ſocietatem redintegrandi, operam impendiſſe omnem refetunt Bzovius in Annal. ad an. 1570. n. 12, & Gabutius tom. 1. n. 256. De impenſa demum cura a Gregorio XIII. demetendi Johannem Baſilidem, & ad Chriſtiana ſacra alliciendi, adiſis Poſſevinum in Comment. de reb. Moſcovit.; deque legatione ad Clementem X. anno 1673. ab Alexio Michaelide deſtinata confet Papebrochium in præfat. ad Ephemer. Græco-Moſchas num. 17, nam his diutius immotari diſtædet.

Gradum hinc retotquendo ad Regiones luſtrandas alias, vel longius a Romana Urbe remotas, vetuſtiſſima reperiemus ubique monumenta, quæ nos doceant nullum gentium alicubi hominum genus adeo ignotum, impervium, indomitumque extitiſſe, quod ſi Oriens Sol, aut Occidens perluſtret, Evangelii pariter lux non pervaſerit, quòve perinde eorumdem procurandæ ſalutis gratia Romanorum Pontificum ſollicitudo, ac pervigil cura non contenderit, non petvenetit, non ſe extenderit. Ideo Eleutherium verbo, exemploque præpotem virum, ſanctitate, doctrinaque præfulgidum, Illyrici ordinatum Epiſcopum, eas in oras prædicatum Evangelium a S. Aniceto miſſum perhibent Metaphraſtes, & Nicephorus: quam Miſſionem tamen acceptam potius S. Anacleto refetendam autumat Baronius ad an. 140. n. 4. Ideo Cajum Romanæ Eccleſiæ Presbyterum, gentium conſtitutum Epiſcopum, propagatum Chriſti nomen ad populos extremo in Occidente poſitos ablegatum a S. Victore obſervarunt Thomaſſinus, & Blanchinius. Croatas, & Servios, qui tranſmiſſo Danubio Illyrici regiones invaſerant, ad Chriſtiana ſacra ut perduceret Heraclius Imp., expeditius non aliud, efficaciuſque conſilium inivit, quam non aliunde niſi Roma, a Romanoque Pon-

tifice, tum Honorio I, Sacerdotes, & Epiſcopos accerſendi, a quibus efferata gens ſub Chriſtianæ Religionis jugum mitteretur: quod ei plane ex voto ſucceſſit, quippe in eorum perſona ultro citroque gens utraque, poſtquam baptiſmo fuiſſet abluta, S. Petri in fidem ſe dedidit, veluti prodit Conſtantinus Porphyrogenneta lib. 2. de adminiſt. Imp. capp. 31, & 32; comprobat etiam Thomas Archid. Spalatenſis in hiſt. Pontific. Salonit., quam Jo: Lucius edidit, notiſque illuſtravit ad calcem operis de Regno Dalmat., lib. 1. cap. 11, referens Legatum a Pontifice tum deſtinatum Johannem patria Ravennatem fuiſſe, primumque electum Salonitanum, poſtea Spalatenſem Archiepiſcopum. Quantum conjecturæ quoque capere licet cum Baronio ad an. 397. n. 16, non ante, quam a Pontifice facultatem accepiſſet, ad Beſſos, Getas, ſive Gothos, Dacos, & Scythas Chriſtianæ Religioni ſubjugandos ſe comparavit S. Nicetas Romatianæ Epiſcopus: quam Urbem Aquilejam exiſtimat, ita dictam, quod eximia eſſet Romana Colonia, Baronius in Not. ad Martyrolog. 22. Junii; ſed verius Provinciæ Sardicenſis in Dacia Mediterranea oſtendunt Holſtenius in Not. ad eamdem diem, Carolus a S. Paulo in Geograph. Eccleſ. pag. 25, Papebrochius tom. 4. Jun. pag. 243, Harduinus ex Not. Græca in Ind. geograph. pag. 836. tom. 11, & Pagius ex Hierocle ad an. 396. n. 6, & ſeq. Porro a Gothis inter alios poſt converſionem maximo in honore, belli etiam tempore, habitum fuiſſe, inviolatumque præſtari ſolitum Templum SS. Petri, & Pauli ſacro nomine dedicatum auctor eſt Procopius lib. 2. Gothic. cap. 4.

Poſtquam in Myſiam Bulgari irrupſiſſent, deque ſuo Provinciæ illi nomen indidiſſent, eoſdem cum fide per hominem Romanum, Paulum nempe Presbyterum, accepta, fidei documenta percepiſſe a Romano Pontifice, S. Nicolao I. nempe, auctor eſt Anaſtaſius in præfat. ad Synodum VIII: qui in Catalogo Rom. Pontif. inſuper tradit ab eodem Nicolao, & Hadriano II. ad Bulgaros Chriſtianis in Romana Eccleſia ſacris conjungendos ablegatos fuiſſe Dominicum, & Grimoaldum ambos Epiſcopali charactere exornatos. Sed & iidem SS. Cyrillo, & Methodio, quibus a præfatis Pontificibus impoſita provincia iſta fuerat, ſuadentibus,

tibus, ac ſatagentibus tam in Chriſtiani nominis veneratione, quam in Romanæ Eccleſiæ reverentia magis, magiſque confirmati fuerant, adeo ut egregia ſuæ erga Apoſtolicam Sedem eximiæ cum obſervantiæ, tum obedientiæ ſpecimina non ſemel exhibuerint, donec ad Græcorum ſchiſmaticas partes dilapſi, una cum Græcis erga Romanam Eccleſiam gravi laborare, & conflagrare invidia cœperunt. De iiſdem Bulgaris denuo cum Calojoanne Duce ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam regreſſis, & ab Innocentio III. ſuam in clientelam receptis, & honoribus cumulatis confer Raynaldum ad an. 1202. n. 33, & ſeq., ac recole, quæ fuſius tradidi par. 1. art. 9. §. 3. pag. 491, & ſeqq. Vulcani etiam Diocliæ, & Dalmatiæ Regis ejuſdem Pontificis opera ad frugem reducti litteras ad Innocentium redditas exhibet Raynaldus ad an. 1199. n. 55. Acridæ denique Archiepiſcopum Romam adveniſſe, fidemque Alexandro VII. deſpondiſſe tradit Cerrius in relat. ſtat. Rom. Eccleſ. Tandem Cumani Tartari Evangelii lumen illuc anno 1221. inlatum a viris Apoſtolicis Ord. Præd. ſub auſpiciis Honorii III, e quibus duo eam ob cauſſam immaniter cæſi ſunt, ut Superis placuit, adſpexerunt: nam Bathus eorum Princeps, aliique Tartarorum Optimates ſacro abluti baptiſmate ſunt. Opera perinde Sirigonienſis Epiſcopi res Chriſtiana apud Tartaros a Gregorio IX. curata, & procurata eſt: de qua Raynaldus ad an. 1227. n. 50. Poſtremo a Ludovico Hungariæ, ac ſubinde Poloniæ Rege pro ingenti, quo Religionis amplificandæ, reparandæque flagrabat, ſtudio, adhortantibus, parteſque adjuvantibus Clemente VI, Urbano V, & Gregorio XI. a Tartaris vindicata res Chriſtiana ſtrenue nedum eſt, ſed in Bulgariam, ſed in Boſniam, ſed in Serviam, ſed in Raſciam, ſed in Valachiam reſtituta, & amplificata: quibus de egregiis facinoribus conſuleſis Raynaldum ad an. 1351. n. 6; 1354. n. 26; 1368. n. 18; & 1374. n. 9.

Intra tamen Occidentis ſolius terminos cohibere ſe Romanorum Pontificum inexhauſta charitas ita non potuit, quin etiam, procurandæ Gentium omnium ſalutis gratia, in Orientis plagas effunderet ſe ſe, atque a primis ad extremas Orbis partes uſque pertingeret. Sollicitudinis tam pervigilis, quam ubique præſentiſſimæ

tiſſimæ hominibus omnibus, quacumque in ora ſint, ac parte terrarum, teſtes locupletes nuncupo litteras Apoſtolicas Innocentii IV, Alexandri IV, Clementis IV, Nicolai III, Nicolai IV, Johannis XXII, Urbani V, Gregorii XI, Martini V, Eugenii IV, Nicolai V. &c. ad Miſſionarios Ordin. Prædic., & Minor., obvias paſſim apud Pennam ad calcem Directorii, Raynaldum, & Wadingum in Annal. Eccleſ., ac Bremundum in Bullar. Ord. Præd., quibus poſt commendatas Miſſiones per Occidentis Regiones diffuſas, per Germaniam, Hiberniam, Anglia n, Scotiam, Hungariam, Sueciam, Norvegiam, Daniam, Ruſſiam &c., Apoſtolicas obire per Orientis univerſi tractum vices mandantur, ac longe, lateque per Orbem digreſſi Evangelii lumen inferre Paganis, Græcis, Bulgaris, Cumanis, Raſciis, Choracicenſibus, Georgianis, Hiberis, Colchis, Alanis, Gazaris, Gothis, Zichis, Turcis, Armenis, Maronitis, Saracenis, Moſolinis, Syris, Perſis, Molephatanis, Chaldæis, Indis, Tartaris, Nubianis, Æthiopibus, Habeſſinis, ubique omnibus a Solis occaſu, uſque ad Orientem, ac ſub utroque polo degentibus. In quibus, & quantis Regionibus abunde ab Religioſis amborum Ordinum, ad quos poſtea laborum perinde, ac laudum ſocii acceſſere ex Ordinibus aliis viri Apoſtolici, Religioſique alii complures Auguſtiniani, Carmelitæ, Jeſuitæ &c., ſudore, ac ſanguine irrigatis, Chriſtianæ in dies adoleſcenti Religioni dedicata Altaria, ædificata Templa, conſtitutæ Epiſcopales Cathedræ, ac Metropoles Eccleſiaſticæ conſtructæ Artzetii, & Naxivani in Armenia; Tephlis in Georgia; Maragæ, & Taureſii in Aderbigana, ſeu veteri Media; Hiſpahanami, & Soltaniæ in Perſide; Cytonæ in Tartaria; Cambaliæ in Cataja; Angamalæ in Malabaria; Nankini, & Pekini in Sinis; Ochiæ in Japonia; Navarzanæ, Dategerii & Baſſoræ in Arabia; Dancalæ in Nubia, aliſque in Provinciis aliæ, quæ Evangelicæ veritatis lumen adſpexiſſent, cujus ex propagatione impenſa opera ſua procurata lætitia haud modica adhæſit Clementi V, Benedicto XII, Clementi VI, Calliſto III, Pio II, Paulo II, Sixto IV, Alexandro VI, Julio II, Paulo III, Pio IV, Clementi VIII, Paulo V, Gregorio XV, Urbano VIII, Alexandro VII, Clementi IX, Clementi X, Innocentio XI,

Inno-

Innocentio XII, Clementi XI, Innocentio XIII, Benedicto XIII, & Benedicto XIV, quorum lætitiam converſio ad ſacra Chriſtiana noſtra virorum ex genere utroque Principum, eorum nempe qui gentium illarum rebus qua civilibus, qua ſacris præerant, mirum in modum adauxit.

Age vero attingam obiter, per diſterminas Orientis Provincias diſcurrendo, præſtantiora documenta, ac proximiota, quæ non tam ad remotiores Eccleſiatum origines nos ducant, quam expreſſiorem præferant ſpeciem ejus ſollicitudinis, qua Romani Pontifices indefeſſo ſtudio Chriſtianam Religionem in gentes inferre, aut reſtituere curarunt, & procurarunt. Itaque Conſtantino M. imperante, teſte Cedreno ad annum 19. ejuſdem Imperii pag. 234, atque rerum in Armenia ſummam Tiridate Rege tenente, a S. Gregorio Illuminatore dicto chriſtiana illuc Religio inducta diu poſtquam loco ſtetiſſet, ac proſtrata deinde, plurimaque hæreſis labe coinquinata ſuccubuiſſet, ad eamdem demum erigendam, ac in priſtinum decus reſtituendam Romanotum Pontificum cucurrit ſimul, & convolavit ſollicitudo, nec litteris, nec legationibus abſtentum eſt, donec ſpes affulſit Armenos ad frugem redintegrandi. Emicuere inter alios in hoc egregii ſtudii genere S. Gregorius VII. lib. 7. epiſt. 28, & lib. 8. epiſt. 1. ad Archiep. Synnadenſem in Armenia; Eugenius III. apud Baronium ad an. 1145. n. 22, & ſeqq. ex Othone Friſing. lib. 7. cap. 31, & ſeqq.; Innocentius III. lib. 2. epiſt. 218, & ſeq. edit. Baluz. ad Leonem Regem, & Gregorium Patriarcham; Nicolaus IV. lib. 2. epiſt. 50. ad Haytonem Arm. Regem; Bonifacius VIII. lib. 4. epiſt. 261. ad Regem Sembat, ac 271. ad Gregorium Catholicum; Benedictus XII. apud Raynaldum ad an. 1341. n. 45, & ſeqq., Clemens VI. apud eumdem ad an. 1346. n. 6., & Eugenius IV. in Concilio Florent., quo in Concilio expoſitionis copiam a Legatis Armenis Pontifici exhibitam refert ex Cod. Mſ. Joſephi Antenoris Scalabrini Canon. Ferrar. Manſius in ſupplem. Concil. tom. 5. pag. 209; quæ verbis præclaris hiſce concepta legitur: *Chriſti Sedem tenes. Chriſti Vicarius es in Sede Apoſtolorum. Venimus ad Caput noſtrum. Venimus ad Paſtorem. Tu es fundamentum Eccleſiæ, quod membrum elongavit ſe a Te elongavit;*

vit; & Gregem, qui se a Te separavit, fera pessima laceravit. Ecclesia, quæ Te non fuit secuta, vel substentata, funditus fuit eversa. Caput condole membris. Pastor collige Gregem. Fundamentum confirma Ecclesiam. Tu qui habes potestatem Clavium Cælestium, aperi nobis portam vitæ æternæ &c. De Armenorum Christianis originibus confer Tillemontium tom. 5. pag. 112., & Schroederum in Thesaur. ling. Armen. pag. 249; De eorumdem conciliatione cum Jacobitis in Synodis Thevinensi an. 536., & Monaschiertensi an. 552. videsis Anonymum auctorem hist. Armen. apud Galanum in concil. Eccles. Arm. lib. 1. capp. 10, & 17, & Combefisium hist. Monothel. pag. 359; in Synodo altera in Syria habita an. 726. legito Assemanum Bibl. Orient. tom. 2. pag. 338; de conciliatione demum Armenæ Ecclesiæ cum Romana post Synodos Hierosolymitanas anno 1136, & 1143, in Synodis Sisensi an. 1307, & Adanensi an. 1309. adisis Galanum lib. 1. capp. 28, & 29: ubi cap. 22. regerit acta in Synodo Tarsensi an. 1177. pro concordia Armen. cum Græcis: de conciliatione altera cum Romana Ecclesia inita in Synodo Armena anno 1342. vide Martenium vet. Monum. tom. 7. pag. 320.

In Persidem post Apostolos Cyriacus Diaconus Ecclesiæ Romanæ a S. Marcello Papa directus Christum prædicans Saporem Regem cum plurimis aliis cum ex primoribus, tum ex populo ad Christianæ rei cultum perduxisse refertur in actis S. Marcelli apud Surium tom. 1. ad diem 16. Januar. Verum de hac narratione pro ingenuitate, probitateque insigni sua valdequam dubitat Emin. Annalium Eccles. parens ad an. 309. n. 4. Cassanum Persidis Regem efficacissimis litteris a Nicolao IV. sollicitatum, solemni subinde ad Bonifacium VIII. legatione decreta, in Christianæ Religionis cultum se transdedisse, eumdemque cultum in Persidem restituere enixum fuisse ex Aythone in hist. Orient. capp. 40, & seqq. refert Raynaldus ad an. 1291. n. 34, & seq., ac 1301. n. 37. Benedicto XI. obedientia, & obsequio se devovit deinde Hyabalaha Persarum Patriarcha, cujus litteras hac de re conscriptas legere præstat apud eumdem Annalistam ad an. 1304. n. 23., & seqq. In Persidem a Paulo V, & a V. Innocentio XI. ex diversis Religiosis Ordinibus delectos Missionarios destinatos tradit Urbanus

nus Cerrius in relat. Stat. Rom. Eccl. pag. 157. De hac Perſica Miſſione conſule P. Raphaelem Cenomanenſem Ord. Cappuc. in Amænitatibus exoticis, ac Itinerarium P. Pacifici a Provinio ejuſdem Ordin., nec non Ludovicum de Bavia hiſtor. Pontif. Cathol. tom. 3. In Malabariam, Indiamque fidem invectam fuiſſe a S. Thoma Apoſtolo negant, bene vero a Thoma altero, ſive Thamo Manichæos errores diſſeminatos affirmant Jacobus Tollius lib. inſign. Itinerum pag. 143. nota 63, & Veiſſerius la Croze hiſt. Chriſt. Indiæ pag. 41. At vero Cl. Aſſemanus Bibl. Orient. tom. 4. pag. 25. propagati apud Indos Evangelii primum auctorem S. Thomam oſtendit. Promovere ſubinde in iiſdem partibus Chriſtianam Religionem pro virili portione allaboraſſe Gregorium XIII, Sixtum V, & Clementem VIII. certiſſimis ex documentis demonſtrat laudatus Ludovicus de Bavia tom. 3. pag. 269, & ſeq. Inter Alexandri III. epiſtolas, quæ ſub num. 48. extat, Indorum Regi inſcribitur, cui de Chriſtiana Religione ſaluberrima conſilia inſpirare ſatagit. Sed & in Indias Chriſtianæ fidei peramplum aditum patefecit ab anno 1552. ad an. 1605, quo mortem adſpexit, Akbar magni Mogoris Imper., animo erga noſtros optime affectus, quem imo in Chriſtianæ rei cultu defunctum tradit P. Franciſcus Catrou in hiſt. gener. Imp. Mogoris pag. 155, & ſeq. Inter Tartaros jamdiu Chriſti nomen auditum, & ab anno 636. Chriſtianis locum extitiſſe obſervat Euſebius Renaudotius in animad. ad veteres duas Relationes itineris ſuſcepti a duobus Muhamedanis an. 851. in Indiam, & an. 877. in Chinam ex Arabico Gallice verſas Pariſ. 1718. Adlectos ex Ordine Minorum mactos virtute viros ad efferatæ gentis mitigandas Evangelio mentes feſtinare juſſit Innocentius IV., cui fuit proinde, cur Sattacho Tartarorum Principi de amplexata Religione Chriſtiana gratularetur apud Raynaldum ad an. 1254. n. 1, & ſeqq. Collata pariter opera Clementis IV, Nicolai IV, Bonifacii VIII, Clementis V, Johannis XXII, Benedicti XII, Urbani V. &c. amplificatam magis, magiſque apud Tartaros Religio eſt Chriſtiana, eidem devictas manus dantibus Elegage, Tuctane, & Anichohamine Reginis, Argone, Chobila, Caſſano, Abuſcano, & Elchigadano Regibus, de quibus adeundi Petrus Bergeronius in tract. de Tartar., & Odoricus Raynaldus,

ubi res præclare geſtas a præl. Rom. Pontificibus perſequitur;

Prima Evangelii propagati in Sinas exordia in annum 636. confert Tetus inſigne Saxum inſculptum an. Chriſti 780. characteribus Syriacis, & Sinicis, effoſſumque an. 1625. in Urbe Sigani. vulgo Siganfù Provinciæ Xenſi, quod Latine exibet Kircherus Chinæ illuſt. cap. 3, Gallice Dalquiejus, Sinice cum latina verſione Andreas Mullerus Commentario novenſili edito, ubi Syriacum Dei nomen *Alobo* exprimitur *Holoüy*, Chriſti D. vero *Mi Xio*. Ex hujus enim Lapidis fide eruitur liquido tres olim in Sinas fuiſſe expeditiones ſuſceptas 1. ab Olopuen circa an. 636; 2. a Kieko circa annum 757; 3. ab Anonymo Mogoramo circa an. 781, in quo anno Lapis claudit hiſtoriam annorum 144. Inter Eruditos autem non convenit a Syris ne, an ab Ægyptiis, alteriuſve genus hominibus expeditiones illæ fuerint expletæ, de quibus confer Mullerum loco ind., & Renaudotium in animad. ad cit. duas veter. Relationes. Inducta eſt ſecundo in Sinas Religio an. 1256, quo Tartari in Sinas erumpentes liberum Chriſtianæ Religionis exercitio locum permiſere: ſed Tartaris ejectis, Religio pariter ceſſavit. Penetravit rurſus per Miſſionarios Societ. J. an. 1582, ubi ſtabilita an. ſeq. a Matthæo Riccio, & Michaele Rogero, & exculta ſubinde aliorum ſudoribus reviruit aliquando, utque reviſceret adhuc, nec operæ, nec impenſis pepercit Innocentius XII. pro ingenti, quo conflagrabat, ſtudio Religionis propagandæ, reparandæque. In Japoniam primus anno 1549. ingreſſus S. Franciſcus Xaverius Pauli III. vicibus indutus, Evangelii ſalutare lumen ſecum invexit, de quo Orlandinus lib. 9, & Turſelinus lib. 3, & 4. De legatione trium Japoniæ Principum anno 1585. ad Gregorium XIII. dixi, quantum operæ pretium erat, par. 1. art. 9. §. 3. pag. 508, & ſeqq. De inſigni altera legatione ad Paulum V. expleta an. 1615. a Principe Japoniæ Idato Maſamuna adeundus Scipio Amatus in relat. Rom. edita anno eodem. In Inſulis Philippinis ab anno 1564, ex quo eas Hiſpani tenent, ſub auſpiciis Sedis Apoſtolicæ, Chriſtiana res propagata adeo eſt, ac potiſſimum in earumdem quadraginta, quæ Hiſpanis parent, (ſunt enim, qui earum numerant ultra 1200.), ut dicere plura non interſit, non ſecus ac de Miſſionibus promotis

motis Rom. Pontificum opera, nuperque Clementis XI, ad Insulas innumeras Orientalis Oceani, Marianas, Maldivas, Moluccas &c.

Postquam Africa Saracenorum armis subacta est; ab Amro Duce Alexandria occupata an. 641, Hegiræ 20; Provinciis aliis expugnatis ab Abdalla anno Hegiræ 27, Christi 647; ab Hasano Carthagine an. 691. subjugata, validaque copiarum impressione facta Africa tota pervasa an. 696, Religioni deinceps Christianæ decrescenti, ac demum undique pene deletæ quam parum retinendæ, aut restituendæ Africa Saracenorum potentia, sævitiaque magis, magisque sub jugo firmata, tyrannideque Turcarum usque in præsens oppressa, apta fuerit, & opportuna conjecturam hinc facere pronum est, atque Saracenicæ historiæ demandata litteris monumenta produnt. Non id prohibuit attamen quin Romani Pontifices de Saracenis a superstitione vindicandis, invitandisque ad Christiana sacra, sancta sæpe consilia exagitarent, ac perducere ad exitum conarentur. Et quidem Alexander III, Honorius III, & Gregorius IX. litteris datis, ac Missionariis ex Ordin. Minor. destinatis Jconii Soldanum Albujacob Miramolinum, Sultanum Damasci, & Calipham Baldacensem ad Evangelii lucem evocasse leguntur apud Wadingum, & Raynaldum ad annos 1219, 1225, & 1233. n. 16, & seqq. Confer & Cl. Bremondum tom. 1. Bullar. Ord. Præd. Litteris de fidei Mysteriis exaratis, ac Prædicatorum opera Turcarum Soldanum ad fidem invitavit Innocentius IV, de quo Raynaldus ad an. 1254. n. 5. Sed & sub auspiciis Johannis XXII. quatuor Minoritæ insigni miraculo Saracenos a superstitione abducere adnixi sunt, de quibus Wadingus ad annum 1321 n. 1, & seqq. Feliciori successu per alias Africæ plagas apud Guinenses, Angolanos, Congenses, Æthiopes, Coptos &c. propagata Religio quam altas radices egit, tam uberes protulit fructus. Itaque ab Urbano V. invecta in Cananias Insulas est, uti licet videre apud Raynaldum ad an. 1369. n. 14. Sub Innocentio VII. in Insula S. Thomæ transplantari anno 1405, excolique cœpit. Ab anno 1449. de Christiano nomine, curante Nicolao V, audire cœperunt Azores. Rex Congi baptismi lavacro an. 1491. lustratus, inde Emanuelis nomine accepto, Innocentio VIII. obedientia, & obsequio integre se cum suis dedidit,

didit, & demisit; qui ideo digno mactatus elogio legitur apud Raynaldum n. 5, & seqq. Jalophis Æthiopiæ Occidentalis Populis Congi finitimis sub id quoque temporis Evangelii lux affulsit: nam eorum Rex Bemornus baptismo ablutus per litteras confestim eidem Pontifici obedientiam detulit apud Maffejum lib. 1, ac Ludovicum Carvajalem hist.general. Africæ edit. Gall. 1667. tom. 3. pag. 76, & seqq. In Guinea Rex Manicongi veræ fidei lumine colluſtratus in Clementis VII. clientelam se transcribere religioni duxit, de quo Damianus Goez Hispan. illust. tom. 2, & Raynaldus ad an. 1533. n. 20. Locupletes sinceræ fidei suæ, qua Romanæ deinceps adhærere indivulse Ecclesiæ deliberaverat Alphonsus Congi Rex alter, testes litteras Julio II. P. M. inscriptas describit Maffejus lib. 5. Religionis haud imparis refertissimas litteras a Davide Æthiopum Rege accepit idem Pontifex, quas legere est apud eumdem Damianum Goez pag. 1287, & seqq., ac Bartholocium Bibl. Rabbin. tom. 1. pag. 43. Quam prospere inlatam, tam quotidie feliciter adolescentem fidem confirmare perinde allaborarunt opera, & impensis, in Congo Paulus III, atque in Æthiopia Innocentius XII. De Missione ad Coptos decreta anno 1562. a Paulo IV. confer Sacchinum hist. Soc. J. par. 6, ac Richardum Simonium hist. Crit.de fide Nation. Orient. cap. 10: de Legatione vero Coptorum peracta ad Clementem VIII, geminisque litteris a Gabriele Patriarcha Alexand., & Johanne Como Chorepiscopo ad eumdem exaratis adeundus Baronius ad calcem tom. 6. Annal.Minoritis denique Missionem Æthiopiæ confirmavit, excollendamque magis, magisque commendavit Clemens XI.

Quæ postremo tempore, ultimæque Provinciæ imperio Christi, & Ecclesiæ in America, seu versus Occidentem accrevere, longe uberiorem Romanis Pontificibus, ingenti pro labore, indefessaque opera respondentem fructum reddidere. Atque principio quidem ad Americanorum origines quod attinet, propaginem esse Judaicæ gentis, ex reliquiis decem Tribuum in Americam ipsam dispersis, ideoque veteri Judæis usitato in cultu innatos Americanos, & innutritos, qui exuta deinde paullatim, ut Barbaris fieri solet, natura, Judæi demum esse desierint, ex morum, rituum-

rituumque Americanorum congruentia cum Judaicis arguunt Joſephus Franc. Lafitæus in opere Gall. de Moribus American. collatis cum morib. prior. temp.; Ludovicus Hennepinus Ord. Min. in ſuo Itinere edito an. 1704; Auctor Gallus oper. de Cærem. Religios. Idolat., ac de popul Americ. &c., qua de opinione agunt Calmetius in diſſert. de regreſsu, & diſpers., loco regres., & diſpers. decem Tribuum; Hugo Grotius de Origine Gent. American, Georgius Hornius de eodem argumento, Wolfius in Bibl. Hebr. tom. 1., Hermannus Witſius lib. de decem Tribub. cap. 8, aliique apud Fabricium Salut. Luc. Evang. cap. 47: contra quos pugnant collato poplite Henricus Witſius diſsert. 2. de Evangelio in Amer. non prædicato; Jacobus Saurinus diſsert. hiſt. Crit. Theolog. & Moral. tom. 2. pag. 322, & Jacobus Baſnagius hiſt. Judæor. lib. 6. cap. 3. In utramque etiam partem diſputatur de Evangelio ab Apoſtolis propagato in Americam apud præfatum Frabricium pag. 763, & ſeqq., qua diſputatione dimiſsa, atque exordium capiendo ab anno 1492, quo ad Americam patefactus eſt aditus, principio Franciſcum Ximenium auctorem fuiſse, cur ad Americanos fide Chriſtiana informandos ex Hiſpania ingenti numero, virtuteque ſtrenui Religioſi viri ablegarentur, refert Gomezius lib. 2. de ejuſdem geſtis. Ex eadem Minoritarum Ordine, cui ſane ex Ximenio eximium adhæſit decus, inſignes Miſſionarii alii in eaſdem ſollicitudinis, enixæque partes curæ ſubingreſſi, ingenti cum animarum lucro, Chriſtianique nominis gloria, Religionem longe, lateque per Americam amplificaverunt: ex quibus unum dumtaxat, vel alterum attingendo, Petrus Gandavenſis in Mexico in litteris a Raynaldo deſcriptis ad an. 1529. n. 95, & ſeqq. fide affirmat ſua ab ſe, ac ſocio frequenter una die hominum quatuordecim millia, interdum decem millia, aut octo ſacro fuiſſe baptiſmo luſtrata, univerſim biſcentena omnino millia. Martinus vero Valentinus in epiſtola relata a Wadingo ad an. 1530. n. 1, & Raynaldo ad an. 1531. n. 103. teſtatur a ſe, ac ſociis duodecim hominum pluſquam decies centena millia ad Chriſtianam fidem perducta fuiſſe, baptiſmoque regenerata, quibus imo Surius in Comment. an. 1558. apud Raynaldum ad an. 1524. n. 114., & ſeqq. centena quatuor alia ſuper millia ab eiſdem paucos intra annos

annos baptiſmo abluta dinumerat. Eximias haſce Minoritarum laudes celebravit Zumarraga Epiſcopus Mexicanus in epiſtola ad Minoritas ipſos Europæos deſcripta a Wadingo ad an. 1531, decennio poſt nempe, quam a Corteſio ſubjugatum Mexicum fuerat, & a Raynaldo n. 104, perhibens Minoritarum opera paucorum flexu annorum in Mexico pluſquam decies hominum centena millia ad Chriſtiana Sacra fuiſſe transducta, quingenta ſaltem Idolorum delubra ſolo æquata, Idolorumque ſimulacra pluſquam viginti millia confracta.

Unde autem, ſi te veritas amet, ſucceſſum tam auſpicatum ſortitas autumes Miſſionem iſtam, aliaſque inde ſubſecutas, quas optime demeruiſſe Religioſorum aliorum pariter Ordinum virtuto mactos, ſtrenuoſque Viros confertim ad labores, ad certamina, ad victorias confluentes non dubium eſt? Ab indefeſſo ſtudio, meherele, ab indigete ſollicitudine, ab amore profuſo, ab induſtria pervigili, ab auctoritate principali Romanorum Pontificum Alexandri VI, Julii II, Leonis X, Hadriani VI, Clementis VII, Pauli III, Julii III, Pii IV. &c., a quibus Miſſionariis abſque intermiſſione miſſis, & Epiſcopatibus ubique erectis amplificata per Americam Religio Chriſtiana, atque in ſuos Eccleſiaſticos gradus diſtributa paullatim ad eum ſplendoris, quo nunc eſt, ſtatum perducta eſt, adeo ut Lindanus in apolog. cap. 2. apud Raynaldum ad an. 1532. n. 97. quadraginta annorum intercapedine ſex millia ibidem Monaſteria ædificata, ſexcentoſque fuiſſe erectos Epiſcopatus affirmare non dubitaverit. Plura in hanc rem non conferam, de qua tibi præſto erit Raynaldus iis in locis, ubi a præfatis Pontificibus præclare geſta perſequitur. Id unum interea obſerves velim, in illud ſummopere contendiſſe ſemper, ac luctando, & conando intendiſſe Apoſtolicos homines propagatum Evangelium qua in Orientem, qua in Occidentem, longe, lateque, qua patet Orbis, progreſſos, ut Populos univerſos Chriſtiana luce perfuſos, ad Apoſtolicæ Sedis pariter obedientiam, obſervantiam, obſequiumque pertraherent, ſummeque intereſſe ſuaderent ſacratiſſimæ eidem Sedi demiſſe auſcultare, & individue adhærere: perſuaſum habentes tum demum cuncta rei Chriſtianæ optime ceſſura, ſi id ſcilicet effeciſſent, ut in Apoſtolicam Sedem

tanto

tanto inflammarent studio, quo fieri amplius nequiret, ut vel transversum ab ea unguem abludere ingenti absque piaculo fas sibi arrogarent. Testes non alios adhibeo, ampliores enim nescio, an adhiberi valeant, quam in Gentibus ipsis Principatum gerentes, sive rei Ecclesiasticæ, sive rei Civilis, a quibus frequentissime sive legationes, sive litteræ Pontificibus Maximis missæ, ac submissæ sunt, de quibus suo abunde loco, nihilque prætermissum est, quo de Apostolica Sede optime mererent, quove erga ipsam animo essent approbe comparati, manifestarent. Tamdiu autem, teste experientia totius ætatis, res Christiana apud ipsos integra, intemerataque mansit, quamdiu ipsi in eadem sanctissima sententia manserunt.

Ex Jure definiendi Causas circa Dei Servorum Beatificationem, ac Beatificatorum Canonizationem.

§. II.

MUltiplices inter, & Majores Ecclesiasticas Causas definiendas uni Romano Pontifici reservatas, in quibus ejusdem suprema potestas, ac judicii firmitas ineluctabilis magis, magisque explicet se se, & eluceat, quin una ea sit, in qua Dei Servos in Sanctorum Canonem referre, ac publicæ Christifidelium veneration exponere unius Pontificis officio, religionique cedit, nullus, opinor, nisi pravi sit admodum pervicax, vocabit in dubium: ut proinde, quæ generatim de Pontificis suprema potestate, infallibilitatisque privilegio disputata sunt, gravissimo hinc argumento confirmentur; de quo ut rite agamus, ordine erit agendum. Atque principio, siquidem recta a nomine ad rem procedere oratio solet, Canonizationis nomine a Theologis accipitur publicum Ecclesiæ universæ propositum a Romano Pontifice testimonium de Sanctitate, & Beatitate alicujus Dei Servi jam defuncti; simul atque judicium, quo a Pontifice decernuntur eidem honores illi, qui debentur iis, qui cum Deo feliciter regnant. Non eadem omnino notio Beatificationi subjecta est, nec circa eamdem omnes conveniunt viri docti: nam aliis

Beati-

Beatificationis hoc nomine venit re quidem idem teſtimonium, ac judicium, minus tamen ſolemne; aliis vero teſtimonium, ac judicium peculiare dumtaxat quoad locum, ac permiſſivum quoad cultum: quo de diſcrimine copioſius paullo infra, adirique interea poterunt Cardinales ampliſſimi Tuſcus Conc. 41, & Pignatellus Con. Can. 53; Johannes a S. Thoma in 22. q. 1. diſp. 9. art. 2; Matthæuccius Theolog. Prat. Canon. quæſt. procem., Contelorus de Canon. cap. 2, aliique loco ſuo laudandi. Pontificem autem Maximum in Beatorum, aut Sanctorum albo Dei Servis, aut Beatis adſcribendis ad hoc nobile propoſitum dumtaxat reſpicere, videlicet ad honorem ſanctæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei Catholicæ, ad chriſtianæ Religionis augmentum, ad cultum Sanctorum, eorumque invocationem, ad ſignificationem communionis, ac conjunctionis Eccleſiam Triumphantem inter, & Militantem, ad Chriſtifidelium incitamentum, & exemplum, alioſque hujuſmodi fines, ex Bullis paſſim Canonizationis probus quiſquis, æquuſque perſpiciet. Quibus prælibatis, quod ad præſens diſputationis genus pertinet, mihi propoſitum eſt differere 1. de Ritu a Romano Pontifice adhibito in Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione: 2. de Jure Romano Pontifici reſervato Beatorum, aut Sanctorum faſtis adſcribendi Dei Servos, aut Beatos: 3. de Judicio Romani Pontificis in hujuſmodi cauſſis Beatorum, ac Sanctorum definiendis indefectibili: differam autem paucioribus, quoad ejus fieri poterit, ſiquidem provincia iſta præoccupata jam fuerit, aureiſque ſuis libris de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione a Benedicto XIV. P. M. numeris omnibus abſoluta: ex quo imo pleraque multa in paginam derivaſſe fateor, ingenueque profiteor: quod fateri utique, ac profiteri tam rem honeſti pudoris, honoriſque plenam arbitror, quam cur per eum potius voluerim proficere, fatear, ac profitear rationem fuiſſe, atque propoſitum certam præ oculis habendi regulam, quam in re perquam difficili tuto perſequerer, eoque præferente facem, ducatumque præbente, periculoſiſſimum opus abſque periculo explicarem.

Quod igitur ad primum attingit, quia Militantis, veræque Chriſti Eccleſiæ duo propria ſunt ſigna præ aliis, notæque præcipuæ,

puæ, Sanctitas, & Miracula, ideo de utroque iſto charactere, num inſignitus nempe fuerit, ac refulſerit, quæſtionem ante diligenter inſtituere ſolemne Eccleſiæ ſemper fuit, quam ad eorum quempiam faſtos referendum deſcendat, qui cum Deo Triumphanti in Eccleſia regnant. Iſte igitur Ritus eſt ab Eccleſia quam induſtrie, antiquituſque inductus, tam religioſe, hodieque retentus, quem omni ex parte probandum conſtantiſſime affirmo. Eccur non, amabo, probandum omni ex parte affirmem Ritum illum tam remotum, quam proximum, illum quidem tam ſevera, & exacta agendi ratione adhibitum, iſtum vero tantas poſt conſultationes, & preces cæremoniis tam ſacris celebratum? Atque principio de Ritu remoto loquendo, ad hoc ut de Servi Dei Sanctitate, ſive heroicis virtutibus, ſcilicet tribus Theologicis, ac quatuor Cardinalibus in gradu eximio, deque Miraculis in earumdem probationis ſupplementum accerſitis evidentiſſime conſtet, quam non diligentiam adhibuerunt olim, adhibentque nunc, adhibendamque jugiter præſcripſere Romani Pontifices? A tempore antiquiori, atque ab ipſis prope Religionis incunabulis in Eccleſia Romana Chriſtianæ rei præſide, & cuſtode, veritatis arbitra, & Magiſtra, ſinceræque virtutis directrice, ac Judice, integrum viguit hoc inſtitutum, ut Sanctorum hominum, eorumque præſertim, qui pro Sacrorum defenſione vitam poſuiſſent, res geſtæ diligenter inveſtigatæ, collectæque litteris mandarentur. Tanta erat autem diligentia ejuſmodi, tamque anxia ſollicitudo in conquirendis, colligendis, conſignandiſque SS. Martyrum Actis, ut partim Chriſtiani Gentilibus ipſis ſemet immiſcentes, dum Judicibus Martyres ſiſterentur, dicta, & geſta conſcriberent; partim Chriſtiani ſuapte Notariatum gererent, ut Acta SS. Martyrum ipſis conſcribere liceret: abſtinentes tamen a ſcribendis mortis edictis, uti de S. Geneſio Arelatenſi legere fas eſt apud Ruinartium in Act. ſinceris; partim a Notariis Gentilibus, numerata pecunia, Acta SS. Martyrum emerent. Porro non inutile, nec injucundum erit obſervare heic obiter cum Lipſio tom. 2. epiſt. Centur. 1. epiſt. 27. Notarios olim dici conſueviſſe non ſimpliciter ab arte ſcribendi, ſed a ratione ſcribendi ad celeritatem per notas, ſive per ſcripturæ compendia, ut paucis, ac cur-

ſim pleraque complecti poſſent. Hinc Notarius Ταχυγραφος, ideſt *velox Scriptor*, ſive Ταχυγραφος, hoc eſt *Exceptor* denominari vulgo ſolebat. Duplex enim apud veteres ſcribendi vigebat ratio, Scripturæ, & Notariæ, illam Καλλιγραφιαν, hanc Ταχυγραφιαν nuncupare conſuebant. Notarum iſtarum primum inventorem Latinum Ennium facit S. Iſidorus lib. 1. cap. 21; Græcum potius Xenophontem facere maluit loco cit. Lipſius. Notæ vero juxta diverſum uſum, ad rem Uulgarem, Judicialem, ac Militarem, diverſum ſortiebantur vocabulum, nam aliæ Uulgares, aliæ Juridicæ, aliæ Militares nominabantur; Juris vero Notas Juſtinianus Imp. poſtea a Legum libris exulare juſſit, quia multis ingenio callidis per eas ignaros decipere familiare venerat: omnium autem uſus inſerviebat ad arcane, myſtice, celeriterque ſcribendum, ac legendum. Notas ejuſmodi Hæbreis uſu etiam veniſſe obſervat Johannes Pineda lib. 3. de reb. Salom. cap. 13, ac documenta clara deducit ex S. Scriptura Pſal. 44. 2; Iſajæ 29. 12; Ezech. 9. 4; Daniel. 5. 25, & 8. 26; & Apocalyp. 13. 16, & 17. Hinc S. Paulus 1. Corinth. 1, 19. Sapientes, & Scribas, qui Crucis Myſterium attingere intus nequibant, irridens *Ubi Sapiens?* inquit, *Ubi Scriba?* ſignificans nempe Scribarum munus, & ſcientiam in ſcribendo, ac legendo, quæ & ſcribere, & legere difficillimum erat, fuiſſe contentam. Ægyptiis ſacræ etiam erant Notæ, ſive Hieroglyphica, quæ primum conſcripſiſſe Chæremon fertur. Inter Græcos celebres habebantur Notæ Platonicæ. Apud Romanos Ennius mille, & centum Notas induxiſſe dicitur; Tullius deinde Tyro Ciceronis libertus alias adinvenit, & poſt hunc Perſannius Pilargirus, & Aquila libertus Mœcenatis addiderunt alias; ac deinde Lucius Annæus Seneca conjuncto omnium, digeſtoque, & aucto numero opus effecit ad quinque millia prolatum. De Romanorum Notis interpretandis libellum elucubravit Valerius Probus, quem multis poſtmodum Notis Petrus Diaconus auctiorem reddidit. Eiſdem Notis ſuo in Theſauro Inſcriptionum locum dedit Janus Grutherus; Grutherianis vero ſimillimas Notas ſibi occurriſſe multis in Codicibus Bibl. Ambroſianæ teſtatur Muratorius Antiq. Ital. diſſert. 12. Confer, ſi vacat, qui de his multa congeſſit, libriſque quinque de furtivis litterarum Notis com-

complexus est, Johannem Bapt. Portam lib. 1. cap. 1, & seqq.

In viam nunc meam, unde paullisper digressus sum, ut regrediar, ad consulendum certa, meliorique, qua fieri posset, ratione memoriæ SS. Martyrum, S. Clemens quatuordecim Urbis Regiones inter septem Notarios, binas singulis assignando, distribuisse, qui Martyrum gesta colligerent, & conscriberent, legitur apud Auctorem libri Pontificalis, quem vir doctiss. Ciampinus in exam. lib. Pontif. ab hæreticorum invidia liberare, vindicareque curavit. Annos post 150. a S. Fabiano idem refert Notariis superadjectos Subdiaconos, qui Acta vel conquirerent, deferrentque ad Notarios describenda, vel descripta relegerent, & ad Diaconos referrent, a quibus perinde accurate recensita Acta Pontifici M. offerebantur, qui prius a Notariis proxime accipere, ac perspemet recognoscere Acta eadem consueverat, ut ex his, quæ in S. Antero denarrat, abunde liquet. Ab Ecclesia Romana manasse id moris colligendi Acta SS. Martyrum in ceteras per Orbem Ecclesias documento sunt Acta S. Polycarpi ab Ecclesia Smyrnensi conscripta, & cum Encyclica ad Orientis, ac forse etiam Occidentis Ecclesias transmissa apud Eusebium lib. 4. cap. 14, & Bollandum ad diem 26. Jan. Acta S. Ignatii Antiocheni, aliorumque apud Ruinartium. Acta SS. Martyrum Alexandrinæ Ecclesiæ, quæ collecta diligenter a S. Dionysio Alex. transmissa fuisse ad Fabium Antioch. auctor est Eusebius lib. 6. cap. 34. Acta S. Sabæ Martyris, quæ a Gothica Ecclesia accurate conscripta legere est apud Ruinartium. Africanæ Ecclesiæ religionem, ac diligentiam in conquirendis S. Martyrum Actis dignis celebrat laudibus Pontius principio Actor. S. Cypriani, quæ ipse collegit: quin ipse pariter S. Cyprianus pleraque de SS. Martyrum agonibus suis passim in epistolis exhibet. Qua diligentia in Actis hujusmodi conscribendis incumberet Gallicana etiam Ecclesia, adparet liquido ex Actis SS. Martyrum Ecclesiæ Lugdunensis, & Viennensis, a qua datis Encyclicis missa ad Ecclesias Asiæ, & Phrygiæ refert Eusebius lib. 6. cap. 34. Quin in super sæpius ab ipsis SS. Martyribus Acta sua fuisse descripta exploratum est: ita enim S. Ignatius Romanos de iis, quæ in itinere a Militibus perferebat, certiores fecit in epistola ad eos præmissa. S. Felicitas de suo ipsius

martyrio conſcripſit; idemque Saturus, Flavianus, aliique paſſim de ſe ipſis præſtiterunt. Adeundi, ſi placet, Baronius in apparatu ad Martyrolog., Bollandus in præfat. ad Acta SS. §§. 2, & 3, Ruinartius in præfat. ad Acta ſincera SS. Martyr.; Laderchius in Actis SS. Martyr. vindicatis lib. 2. cap. 18, ac Florentinius in præfat. ad Martyrolog.

Diu quidem poſt, fateor, SS. Confeſſores colendi Ritus in Eccleſiam inductus eſt, at non adeo remote mos iſte repetendus, ac recentior eſt reputandus, quin jamdiu pridem Confeſſorum quoque, qui vitam pie actam inſigni opinione Sanctitatis compleviſſent, præcipue ſi prodigiis ab obitu fuiſſent celebrati, ſcribi res præclare geſtæ conſueverint. Ex his multas ſcriptis celebrare ſuis, atque ex viſu retexere, idoneoque ideo teſtimonio comprobare ſuo, religioni duxere plerique ex veteribus Patribus, a quorum pleriſque Sanctorum vitæ litterarum monumentis conſignatæ etiamnum conſpiciuntur, ut S. Pauli, & S. Sincleticæ a S. Athanaſio; S. Gregorii Nazianzeni a S. Gregorio Theologo filio; S. Macarii Alexandrini, pluriumque aliorum a Palladio; S. Simeonis Stylitæ a Coſma Presbytero; S. Macedonii, aliorumque plurium a Theodoreto; SS. Patrum Sinæ a S. Nilo, Thebaidis a Caſſiano, Scetis, Tabennæ, Ægypti, & Palæſtinæ a Johanne Moſco; SS. Paulæ, & Marcellæ a S. Hieronymo, nec non SS. Pauli, & S. Hilarionis, quæ utique a S. Gelaſio approbatæ Cap. *Sancta Romana Eccleſia* diſt. 15. leguntur; S. Macarii Ægyptii, multorumque aliorum a Ruffino; S. Euthymii a Cyrillo Monacho; S. Alexandri Acœmetæ a Diſcipulo; S. Honorati Maſſilienſis a S. Hilario Arelat.; S. Epiphanii Ticinenſis ab Ennodio; S. Æmilianæ a S. Gregorio; S. Marcelli Papæ miracula ab Urſione Abbate, aliorumque ab aliis, quæ regeſta paſſim videre licet apud Bollandianos. Quo perinde officio erga pleroſque alios longius quidem ab ipſorum conſpectu poſitos, quorum tamen approbe perſpecta habebant præclara facinora, egregie perfuncti ſunt S. Jo: Chryſoſtomus, S. Ceranius, S. Gregorius M., S. Gregorius Turon., V. Beda, Fauſtus, Prudentius, Fortunatus, Leontius, Jo: Diaconus, Simeon Metaphraſtes &c.; quorum omnium ad cumulum faciunt, quæ poſtmodum ex vetuſtis

ſtis illis genuinis Actis contracta ſunt a Vincentio Bellovac., Jacobo de Voragine, Petro Clodienſi, Bernardo Guidone, S. Antonino Florent., Petro de Natalibus, Johanne Gilemano, Antonio Gentio, Mombritio, Wicelio, Lippomano, Surio, Moſandro, Haræo, Graſio, Lippeloo, Ribadeneira, Roſvveido, Bailletto, Mabillonio, Tillemontio, Bollandianis &c.

Ex monumentis hiſce, aliiſque in Eccleſiarum Archivis diligenter aſſervatis, aut Marmoribus inſcriptis confecta Martyrologia fuiſſe, Kalendaria, Menologia, Faſtos, Catalogos, alioſque hujus genus ſacros libros præſumere pronum eſt: quorum uni, vel alteri, vel etiam multis, etſi non tantam conciliandam auctoritatem, ut fidem faciant indubiam, doceat in eruditiſſ. litteris ſuis Apoſtolicis ad Johannem V. Portugalliæ Regem præfixis novæ Martyrologii Rom. edit. Ven. 1751. n. 4. Benedictus XIV. P. M., quo loci nominatim differit de triplici Martyrologio Florentino magni Etruriæ Ducis uno, Senatoris Strozzi altero, tertio edito an. 1486, quin conciliari tamen indubia debeat, non infitetur iis, quæ a veteribus, probatiſque omni ex parte Martyrologiis petuntur. Arqui Martyrologiis paſſim inter SS. Martyres illuſtri loco deſcriptos SS. Confeſſores reperies, Romano, S. Hieronymi, V. Bedæ, & Flori, de quo Bollandus tom. 2. Martii, & in præf. cap. 4. §. 4; S. Willebrordi, Uſuardi, Rabani, Wandelberti, Adonis, Notkeri, Dithmari de quibus Bollandus §§. 7, & 8, quorumve fidem confirmant Martyrologia deinde recenſita a Maurolico, a Caniſio, a Galeſino, a Florentinio, a Labbæo, a Dacherio, ab Holſtenio, a Frontone, a Mabillonio, a Wilthemio, a Papebrochio, a Sollerio, a Caſtellano, &c. Martyrologia inſuper, quæ uſu peculiari Eccleſiis pleriſque venerunt, inter quæ Hiſpanum Johannis Tamay; Luſitanicum Georgii Cardoſi; Anglicum Johannis Wilſoni; Scoticum Adami Regii; Gallicanum Andreæ Sauſay; Belgicum Jo: Molani, & Willotii; Brixienſe Fayni apud Papebrochium Propylæi antiq. par. 3: ut nihil interea retexam de Martyrologiis Ordinum Regularium propriis, Benedictino Wionis, Menardi, & Bucelini; Præmonſtratenſi Jo: Chryſoſtomi Vander-Sterre; Ciſtercienſi Chryſoſtomi Henriquez; Canonicorum Regularium S. Salva-

S. Salvatoris Conſtantini Ghinii; Ord. Prædicatorum Seraphini Sicci, atque Minorum Arturi. Nec minor Græcis inerat SS. Confeſſores recolendi inter Martyres religio, cujus certiſſimo argugumento ſunt Menæa, ac Martyrologia Baſilii Imperat., Chriſtophori Mytilinæi, Antonii Contii, Genebrardi, Card. Sirleti, Caniſii tom. 2. antiq. lect.; Anthologion Arcudii; Hagiologium Habeſſinum Ludolphi; Diptychon Conſtantinopolitanum Chiffletii; Hagioptychon Græco-Moſcum, atque Ephemerides Græco-Moſcæ Papebrochii tom. 1. Maji; Kalendaria Syriacum Genebrardi; Ruthenicum Poſſevini; Hieroſolymitanum Wadingi tom. 3. ad an. 1342; Maronitarum Collegii Romani apud Bollandum in præfat. ad Januar. cap. 4. §. 12.

Nec parum conferunt ad perſuaſionem hanc piam ingerendam, fovendamque pleraque alia hujus genus Eccleſiarum uſu dedicata monumenta pro diverſo uſu diverſa, quæ tamen eò omnia collineare videntur, ut omnino ſuadeant ad unum omnia non aliunde profecta, quam ex una religione, religioſoque SS. Confeſſores colendi ritu. Ut recolatur enim vero modo horum, modo illorum memoria, videre licet, ſi vacat, in Faſtis Auberti Miræi, & Alexandri Eſſebienſis; in Kalendariis Romanis Bucherii, Cuſpiniani, & Martenii tom 5. Analect.; in Kalendario Gothico-Hiſpano Franciſci de Piſa, & Kalendario Mozarabico Johannis Pinnii tom. 6. Julii; in Catalogis Ferrarii, & Fitſimonii; in Kalendariis Felicii, & Radulphi Tungrenſis; in Augienſi, in Lucenſi, ac S. Floridi Civitatis Caſtelli apud Sebaſtianum Donatum in append. lib. 3. de Diptychis vet. prof., & ſacris, ſexcentiſque horum ſimilibus Eccleſiaſticis libris. Quem perinde in cenſum optimo venire jure tam poſſunt, quam debent vetera Diptycha, in quibus paſſim legenti obvia cum SS. Martyribus occurrent SS. Confeſſorum nomina, dignoque non raro mactata elogio. Ea quidem in opinione verſatur Card. Bona rer. Liturg. lib. 2. cap. 12, ut exiſtimet Ritum veterem Diptychis inſcribendi Epiſcopos cum opinione ſanctitatis vita functos, ſpeciem quamdam habuiſſe Canonizationis, ſive Beatificationis, quam perſuaſionem ſuam confirmare ſtudet teſtimonio deprompto ex Hierarch. Eccleſ. cap. 3. §. 9. S. Dionyſio Areop. attribu-

tæ:

tæ: quam pariter ſententiam ſequutus prælaudatus Donatus lib. 1. cap. 18. e veteribus Eccleſiarum Diptychis originem nactas ſuam Canonizationes SS. autumat. Neque hinc procul abfuit Papebrochius in Exegeſi de Epiſcopis Mediolan. par. 1. ex eo, quod Epiſcopi viventes Diptychis inſcripti communi priſcorum temporum uſu Beati, & Sancti denominari conſueverint, arguens facile factum, ut ſequiori ſub ætate iidem Epiſcopi Sanctorum honore, locoque habiti ſint. Pugnat in oppoſitam partem vir doctiſſ. Chriſtianus Lupus in diſſert. de Synodo V. cap. 8. obſervans a S. Cyrillo Hieroſolym. Catech. 5. Myſtag. tres inſcriptorum Diptychis, ac recitandorum diſtingui, ac recenſeri diſtinctim ordines 1. Beatorum, 2. Epiſcoporum, 3. Chriſtifidelium; & a S. Auguſtino lib. 1. Collat. Carthag. cap. 230. doceri Epiſcoporum defunctorum nomina, non uti Sanctorum utique, ſed ut piorum virorum, qui Sacerdotali officio ſine querela perfuncti fuerant, & a nobis cum pace, bonaque fama ad Deum profecti, ad Altare e Diptychis recitari conſueviſſe. Stet igitur ſententia Lupi de Epiſcopis, negari tamen nequit, quin recenſita quoque ſæpius in Diptycha fuerint, Miſſarum inter ſolemnia ad Altare recitanda SS. Confeſſorum nomina, quæ vetera luſtranti Diptycha paſſim ſuccurrent, ut in Arelatenſi ſub ævum S. Gregorii M. apud Mabillonium vet. Analect. pag. 220; ut in Leodienſi ſub ſæculo VI. apud Wilthemium; ut in Lipſienſi apud Leichium de Diptych. veter. pag. 38; ut in Rambonenſi circa finem ſæculi IX. apud Donatum lib. 2. cap. 15; ut in Ambianenſi ſub ſæculi XII. initium apud Saligium de Diptych. cap. 20; ut in Lucenſi apud cit. Donatum lib. 3. cap. 5. Longe autem vetuſtiorem eſſe in Eccleſia Diptychorum uſum adparet ex S. Athanaſio de ſentent. S. Dionyſii Alex., ex Synodo Ægyptia in epiſt. 3. Codic. Encyclii ad Anatolium; & ex Clero Apameenſi in libello oblato Synodo Conſtantinopolit. ſub Menna act. 5. Denique neque deſunt exempla Tabularum publica auctoritate confectarum ad vindicanda SS. Confeſſorum geſta, ad eumque ferme digeſta morem, quo nunc confici ſolent. Aque quidem Papebrochius in Propylæo antiq. par. 1. cap. 2, & ad 20. Martii ex Julio Sanſedonio Epiſcopo Groſſetano triginta fere profert Notarialia Inſtrumenta ſubſcrip-

ſcriptionibus communita de B. Ambroſii Senenſis miraculis ex ore teſtium juratorum a diverſis Notariis anno 1287. confecta.

Atque hæc quidem quoad Ritum remotiorem attinebat: deſcendendo nunc ad devexiorem, mediamque Eccleſiæ ætatem, antequam a Sixto V. Sacrorum Ritum Congregatio inſtitueretur, Sanctorum cauſſas pertractare Romanis Pontificibus in more poſitum erat modo in Conciliis, modo extra Concilia: ſive in Conciliis autem, ſive extra Concilia rem tam Sanctam peragerent, imprimis diligenter perpendebantur Dei Servi virtutes, ac miracula, teſtes fide digni adhibebantur, atque ſi in Conciliis agebatur cauſsa, Epiſcoporum conſultationibus, ac deliberationibus præſtabatur: cujuſmodi veteris moris idonei valdequam teſtes accedunt Calliſtus II. in cauſſa Canonizationis S. Conradi Conſtantienſis apud Mabillonium ſæculo V. in præf. §. 6; Eugenius III. in diplomate pro Canon. S. Henrici I, & Alexander III. in Bulla Canoniz. S. Eduardi Regis Bullar. tom. 1. pag. 67. Atque de exquiſita diligentia hacce conſtabit utique liquido perluſtranti, ac perpendenti acta Canonizationum S. Uldarici Auguſtani, quem Johannes XV. in Romana Synodo anno 993. Conſt. *Cum Conventus* Sanctorum faſtis adſcripſit apud Baronium ad cit. an. n. 1, Mabillonium ſæculo V. Bened. pag. 478, Sollerium tom. 2. Jul. pag. 80, & Fontaninum in Codice Canonizat. pag. 1. S. Deodati ex Nivernenſi Epiſcopo Abbatis Vallis Galliæ in Voſago, cujus heroicas virtutes S. Leo IX. digno mactavit elogio in Synodo Romana an. 1049. apud Bollandiſtas ad diem 19. Junii pag. 883, ac Manſium tom. 1. Supplem. Concil. pag. 1288: quo tamen anno Ticini, non Romæ fuiſſe S. Leonem arguit Fontaninus pag. 9. S. Gerardi Tullenſis ab eodem Pontifice inter Sanctos relati Conſt. *Virtus* in Synodo Romana an. 1050, quam referunt Mabillonius ſæculo V. Bened. pag. 894, ac tom. 4. Annal. pag. 738, ex ipſo Fontaninus pag. 5. S. Nicolai Peregrini, cujus cauſſam Bizantio Tranenſi Archiepiſc. commiſſam ab Urbano II. in Concilio Romano III. an. 1099. conjicit Ruinartius in vita Urbani II. pag. 317. S. Godehardi Hildesheimenſis, quem Innocentius II. in Concilio Remenſi an. 1131. albo SS. adcenſuit Conſt. *Veniens* apud Mabillonium ſæculo VI. Bened. par. 1. pag. 433, Bollandianos tom. 1.

Maji

Maji pag. 523, & Pagium ad cit. an. n. 14. Coram Patribus, qui Concilium celebraturi Pisas convenerant, non in ipso Concilio, ut putavit Natalis, neque post idem Concilium, veluti persuasum fuit Baronio, ab eodem Pontifice celebratam S. Hugonis Gratianopolitani Canonizationem an. 1134, cujus Diploma incip. *Divinis* legere est apud Baronium ad eumdem an. n. 2, ostendunt Pagius uterque, Senior ad cit. an. n. 2, Junior vero in Innocentio II. Præterea in Lateranensi II. generali Synodo an. 1139. idem Innocentius Const. *Dignum* S. Sturmium Fuldensem Abb. Sanctorum honoribus donandum decrevit apud Brovverum in antiq. Fuldens. lib. 3. cap. 9, & Mabillonium sæculoIII. par. 2. pag. 284. S. Bernardi Claræ-vallensis ab Alexandro III. an. 1174. SS. ritu colendi publice denuntiati, cujus & acta recensuit Mabillonius tom. 2. ejusdem oper. pag. 1341, & causam antea exagitari cœptam in Turonensi Concilio an. 1163. ab eodem Pontifice habito ostendit. S. Brunonis Signini, quem anno 1182. a Lucio III. in Cardinalium, & Episcoporum Conventu in SS. catalogum recensitum prodit vetus inscriptio Signii in Ecclesia S. Mariæ exarata. Hinc constat, inquam, nonnisi certissimis præhabitis documentis, fide omni prorsus dignis, de Servorum Dei virtutibus heroicis, ac miraculis, illos solemni Ritu Sanctorum fastis adscriptos fuisse.

Differendo nunc de SS. causis definitis extra Concilia, ducendoque seriem usque ad Sixtum V, qua non diligentia procedendum sibi Romani Pontifices ante ducebant, quam ad aliquem Divorum honoribus afficiendum devenirent? Causas enim vero ejusmodi non ante peragi consuevisse, quam fama publica de virtutibus, ac miraculis Servi Dei constitisset, quam ad opus, & consilium advocati fuissent, & adhibiti Cardinales, & Episcopi, nec antequam processus a Notariis confecti doctorum, proborumque virorum, qui modo Sacræ Rotæ Auditores erant, modo Auditoribus adsciti doctiss. Theologi, modo utrisque adjuncti tres Cardinales, diligenti examine perpendendi fuissent subjecti, manifestissimum evadit ex Apostolicis litteris in causis editis Canonizationum S. Harduini Arimin. a Johanne XV, de quo Castellinus de certitud. glor. SS. in ind. SS. Canon. S. Adalberti Pragen. a

Gregorio V, de quo Chromerus lib. 3, & Dugloſſus ad an. 997. S. Adelhardi Corbejenſis Abb. an. 1020. a Johanne XX. apud Mabillonium in præfat. ad ſæcul. V. Bened. n. 102. S. Simeonis Eremitæ an. 1016. a Benedicto VIII. Conſt. *Requiſiſtis* apud eumdem Mabillonium ſæculo VI. par. 1. pag. 149, & Annal. tom. 4. pag. 252. SS. Stephani Hung. Regis, ac Emerici filii an. 1036. a Benedicto IX. apud Angelum Roccam, Caſtellinum, & Azorium Inſtit. Moral. tom. 2. par. 2. cap. 6. S. Simeonis Syracuſani ab eodem Pontifice an. 1042. Conſt. *Quoniam crebris* ad Popponem Trevir. apud Brovverum, & Conſt. *Divinæ* apud Mabillonium ſæculo VI. par. 1. pag. 387, & Pagium in Brev. S. Heriberti Colon. Antiſt. a Gregorio VI, (volunt alii a S. Gregorio VII.) apud Surium, & Henſchenium ad 16. Martii. S. Wiboradæ Virg., & Martyris an. 1047. a Clemente II, de qua Burchardus lib. de caſibus ſui Monaſt., & Mabillonius ſæculo V. S. Maximi Patavini a S. Leone IX. ex Tabulis Eccleſiæ Patav., & ex Actis S. Proſdocimi; & S. Romarici Abb. ab eodem Pontifice, ut auctor eſt Ruerus in antiq. Vogeſenſibus par. 1. lib. 4. cap. 12. S. Arialdi Martyris ab Alexandro II. an. 1067. apud Landulphum Junior. in hiſt. Mediol. tom. 5. Theſauri Murat., & Pagium ad cit. an. n. 1, & ſeq. S. Johannis Parmenſis Abb. ab eodem Pontifice apud Caſtellinum. S. Paſchaſii Radberti an. 1173. a S. Gregorio VII. apud Bailletum in ejus vita. S. Alferii Cluniac. a Victore III, de quo Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ad 12. April. SS. Herlembaldi Martyris, & Attilani Zamorenſis Epiſcopi ab Urbano II. an. 1096, de quibus Pagius in Brev., & Azorius loco cit. S. Godolevæ apud Sollerium tom. 2. Julii, & S. Mamiliani Panorm. Epiſcopi ab eodem Pontifice apud Caſtellinum, ſive a Pio II, ut aliis placet. S. Guiberti a Paſchali II. an. 1099. apud Molanum in Uſuardum ad 23. Septemb. S. Petri Anagnienſis Epiſcopi anno 1109. ab eodem Pontifice Conſt. *Dominum*, de qua Baronius ad an. 1105. n. 14, Mabillonius tom. 5. Annal. lib. 70. §. 114. pag. 484, & Card. Vincentius Petra in Comment. ad Conſtit. Apoſtol. tom. 1. pag. 402. SS. Angilberti, & Angilramni ab eodem Paſchali II. apud Mabillonium ſæculo IV. par. 1. pag. 106, & tom. 5. §. 108. pag. 551. SS. Bertoldi Parmenſis

menſis Epiſcopi, Hugonis Cluniac. Abb., quem a Calliſto II. SS.Canoni adſcriptum vult Henſchenius ad 29. Aprilis, & Conradi Epiſcopi Conſtant. apud Caſtellinum, Chronog. Clun., & Labbæum tom. 12. Concil. edit. Ven. pag. 1340. SS. Petronii Bonon., & Juſti Teatini Epiſcoporum, de quibus Ferrarius ad 18. April., & Memmius in catalogo SS. Canon. pag. 192. S. Henrici I. Imp. ab Eugenio III. Conſt. *Sicut*, non anno 1152, ut cenſuit Baronius n. 4, ſed anno 1145, ut oſtendit Sollerius tom. 3. Julii pag. 715. Ab Alexandro III. S. Eduardi Angliæ Reg. anno 1161, de quo Baronius n. 1, Alfordus tom. 3. pag. 578, & tom. 4. par. 2. pag. 101, Card. Petra tom. 2. pag. 72, & Mabillonius in præf. ad ſæcul. V. §. 6. S. Helenæ Viduæ, ac Martyr. an. 1164, de qua Pagius in Brev. S. Canuti Danorum Regis an. 1168, de quo Angelettus in ejus vita, & Pontacus rer. Dan. lib. 6. ad an. 1631. S. Thomæ Cantuar. an. 1173, de quo Baronius ad cit. an. n. 1, & ſeqq., Ughellus Ital. ſac. tom. 1. pag. 1237, & Lupus in ejus actis edit. Bruxel. 1682. S. Theobaldi Eremitæ, de quo Mabillonius ſæculo VI. par. 2. pag. 182., quem perperam ab Alexandro II. Catalogo SS. adſcriptum putant Bollandiani tom. 5. Junii pag. 597. SS. Johannis Medæ Inſtitutoris Humiliatorum; Galdini Mediol. Antiſtitis; Davini Armeni; & Guillelmi Fundatoris Ordinis Eremitarum Montis Virginis, de quibus Caſtellinus in Ind. SS. Canoniz. S. Guarino præterea, Card. Prænestino ab eodem Alexandro III. Cælitum honores delatos refert Surius tom. 7. ad diem 16. Februarii.

Pari diligentia incubuiſſe Pontifices alios in perveſtigandis Servorum Dei geſtis ante, & poſt obitum egregie patratis, dubitare non ſinunt Diplomata, quæ non tam præclarum de Sanctorum Dei hominum heroicis virtutibus, ac miraculis teſtimonium perhibent, quam de prudentia, diligentiaque Pontificum fidem indubiam faciant. Nec enim, niſi circumſpectiſſima agendi ratione, rebuſque ad eorum cauſſas pertinentibus accurate perpenſis, ad actum Canonizationis deveniſſe paſſim in Diplomatibus referuntur Pontifices, ab eo præſertim deinceps tempore, quo Romano Pontifici expreſſe Canonizationibus reſervatis, ab eiſdem religioſe abſtinere Epiſcopi juſſi ſunt, Clemens III.

S. Malachiæ, ut haberur ad calcem ejus vitæ a S. Bernardo adornatæ edit. Ven. 1726; S. Othonis Bamberg. an. 1189. Conſt. *Ad Audientiam*, & altera *Cum Sedi Apoſtolicæ*, de quibus adeundi Baronius n. 13, Gretzerus de Divis Bambergenſ. pag. 374, Pagius ad cit. an. n. 9, & Bollandiani tom. 1. Junii pag. 367; S. Stephani Ordin. Grandimontenſis auctoris eodem anno Conſt. *Ideo Sacros. Rom. Eccleſiam*, de quo Mabillonius Annal. tom. 5. pag. 65, & ſeq., & Bollandus ad diem 8. Febr.; S. Rudeſindi Compoſtellani Epiſcopi, velut autumat Caſtellinus, etſi Baronius ad an. 977. n. 10. actum id tribuat Card. Hiacyntho Alexandri III. Legato, confirmatum ſubinde a Cæleſtino III, cujus hac de re Bullam adducit Jo: Tamajus Martyrologii Hiſp. tom. 2. pag. 40. Cæleſtinus III. an. 1191. Conſt. *Benedictus Deus* S. Ubaldi Eugub. apud Baronium ad an. ſeq. n. 1., Labbæum tom. 10. pag. 1770, & Bollandianos tom. 3. Maji pag. 639; S. Petri Tarantaſienſis Epiſcopi eodem anno apud Mabillonium in præf. ad ſæcul. V. §. 6; S. Ladislai Hung. Regis apud Bonfinium de reb. Hungar. lib. 4. decad. 3; S. Bernuardi Hildeſheimenſis an. 1192. Conſt. *Cum univerſorum*, de quo Mabillonius ſæculo VI. par. 1. pag. 251; S. Johannis Gualberti an. 1193. Conſt. *Glorioſus*, de quo Sollerius tom. 3. Julii pag. 338; S. Geraldi Altivillaris Abb. anno 1197. Conſt. *Sicut* apud Mabillonium ſæculo VI. par. 2. pag. 874, & Henſchenium tom. 1. April. pag. 409. S. Silvani olim diſcipuli S. Bernardi apud Caſtellinum. Innonentius III. in Canonizatione S. Homoboni Conſt. *Quia pietas* anno 1198. tom. 1. lib. 1. epiſt. 530. edit. Baluzii; S. Chunegundis Imper. Conſt. *Cum ſecundum* an. 1200. ſæculo VI. Bened. par. 1. pag. 465, & in Actis Bolland. tom. 1. Martii pag. 281; S. Vulſtani Wigornienſis Epiſcopi an. 1203. Conſt. *Cum ſecundum*, quam deſcribit Raynaldus n. 62; S. Petri de Caſtronovo Martyris Conſt. *Ne nos* anno 1208., & Conſt. *Rem crudelem*, quas Henſchenius tom. 1. ad 5. Martii pag. 414, & Fontaninus ex lib. 11. epiſt. 26. edit. Baluz. tom. 2. pag. 147. exhibent; S. Guillelmi Aquitaniæ Ducis apud Baronium ad an. 1202; S. Gilberti Ordin. Sempringamenſis inſtitutoris apud Bromptonum ad an. 1211; S. Procopii Bohemi Abb. apud Surium tom. 7; S. Guillelmi Eremitæ apud Fontaninum

tanìnum in append. pag. 644. Honorius III. S. Willelmi Bituricenſis Antiſt. an. 1218. Conſt. *Etſi electi*, alteraque in Codice Fontanini pag. 49, & ſeqq.; S. Hugonis Lincolnienſis Conſt. *Divinæ* an. 1220. in hiſt. Angl. Matthæi Pariſ. ad eumdem an.; S. Willelmi Canon. Regul. an. 1224. Conſt. *Sacroſ. Eccleſia* in Cod. Fontan. pag. 53; S. Laurentii Dublinenſis Archiep. Conſt. *Ineffabili*, an. 1225. apud Beſſinum par. 2. Concil. Provinc. Rotomag.; S. Willelmi Eborac. Antiſt. an. 1226. Conſt. *Qui ſtatuit* apud Fontaninum pag. 57; & S. Gertrudis apud Caſtellinum in Catalogo.

Inerat ſane arcte inſita animo religio iſta tam de præcavendo ſuſpectionis omnis periculo, quam de promovendo virorum proborum cultu Gregorio IX, a quo S. P. Franciſcus an. 1228, S. Antonius Patavinus anno 1232, S. Virgilius Salisburgenſis anno 1233, S. Dominicus Ord. Præd. parens an. 1234, & S. Elizabetha Turingiæ Landgravia an. 1235. non ante Sanctorum Faſtis adcenſiti ſunt, quam fide indubitatiſſima conſtitiſſet dignos illos fuiſſe quammaxime, qui adcenſerentur, uti videre licet in Cod. Fontanini pag. 60, & ſeqq. Innocentio IV, cui poſt exquiſitum examen, acceptæ referuntur Canonizationes S. Edmundi Cantuar. an. 1246; S. Willelmi Briocenſis an. 1247; S. Petri Veron. Martyr. an. 1253, apud Fontaninum pag. 76, & ſeqq.; & S. Stanislai Cracovien. Martyr. eodem anno apud Papebrochium tom. 2. ad diem 7. Maji. Alexandro IV, a quo S. Claræ Aſſiſ. anno 1255. Conſt. *Clara claris*, & S. Columbano Sanctorum honores ſunt decreti, eoſdem demerentibus evidentiſſimis utriuſque heroicis virtutibus: de quibus pariter, atque de miraculis Auguſtini Nidroſienſis, & Nicolai filii Regis Daniæ diligentiſſime inquirendi ſpartam demandaſſe legitur apud Raynaldum ad an. 1255. n. 25, & 26. Urbano IV, qui paria ob merita S. Richardo Ciceſtrenſi Epiſcopo Cælitum detulit cultum Conſt. *Exultet* an. 1262. legenda apud Henſchenium tom. 1. April. ad diem 3. Clementi IV, a quo S. Heduiges Poloniæ Regina an. 1267. Conſt. *Exultat* ob inſignes virtutes divinos honores promeruit. B. Gregorio X, qui S. Leoni Rotomag. Epiſcopo, & Martyri, ac S. Francæ Virg. in SS. Faſtis illuſtrem feciſſe locum refertur a Caſtellino loco indicato.

Lectu

Lectu profecto dignæ ſunt, quæ præcipitis judicii ſuſpicionem prorſus omnem ſuſtollant, Conſtitutiones Bonifacii VIII. *Gloria, Laus* an. 1297. pro S. Ludovico IX. Franc. Rege tom. Bullar. pag. 201. Clementis V. *Qui facit* an. 1313. pro S. Petro a Murone, in Pontificatu Cæleſtino V. eodem Bull. tom. 1. pag. 214. Johannis XXII. *Sol oriens* an. 1317. pro S. Ludovico Epiſc. Toloſano ibid. pag. 216, quam in rem pleraſque alias refert Fontaninus pag. 127, & ſeqq. ex Vadingo tom. 3. Annal.; Conſt. *Unigenitus* an. 1320. pro S. Thoma Hereſordienſi tom 1. Bullar. pag. 213, & Conſt. *Redemptionem* an. 1323. pro S. Thoma Aquinate ibid. pag. 216. Inſtitutum jam ante ab Urbano IV, Clemente IV, & Clemente V. de Philippi Bituric. virtutibus, & miraculis examen a Johanne XXII. inſtauratum videre eſt apud Raynaldum ad an. 1323. n. 67. Clementis VI. *Ad ſpiritualis* an. 1347. pro S. Ivone Bull. Rom. tom. 1. pag. 278, & Conſt. *Laudabilis* anno 1351. pro S. Roberto conditore Cœnobii Caſæ Dei in Cod. Canoniz. Fontan. pag. 145. Gregorii XI. *Rationi congruit* anno 1371. pro S. Blazzaro pridem ab Urbano V. Sanctorum Canoni adſcripto in Cod. Fontanini pag. 147. Bonifacii IX. *Ab origine* an. 1391. pro S. Brigitta tom. 1. Bull. pag. 297, cujus filia S. Catharina pridem ab Urbano VI. eodem honore cumulata fertur apud Angelum Roccam. Eidem Bonifacio adſcribitur etiam apud Caſtellinum Canonizatio S. Johannis Bridlingtoni Canon. Reguris. Martino V. tribuitur a nonullis Canonizatio S. Sebaldi Eremitæ filii Regis Daniæ, atque S. Monicæ Matris S. Auguſtini, apud Caſtellinum, Molanum, Ferrarium ad 19. Aug., ac Petrum de Natal. in addit. ad Catalog. Eugenii IV. *Licet militans* an. 1447. pro S. Nicolao Tolent. Bull. tom. 1. pag. 370. Refertur etiam Eugenio Canonizatio Bellini Patav. apud Roccam, & S. Flotentini Argentin. apud Caſtellinum. Nicolai V. Conſt. *Miſericordias D.* an. 1450. pro S. Bernardino Senenſi Bullar. tom. 1. pag. 375, & apud Vadingum tom. 5. pag. 575. Calliſti III. Conſt. *Ab extremis* an. 1456. pro S. Oſmundo Saresberienſi in Codice Fontanini pag. 169, & apud Raynaldum ad an. 1457. n. 81. Ab eodem Pontifice inter Sanctos relatus eſt S. Vincentius Ferrerius, Bulla vero *Rationi congruit* anno 1458. a Pio II. promulgata

tom. 1. Bullar. pag. 382; de quo adeundus Henſchenius tom. 1. April. pag. 477. Pii II. Conſt. *Miſericordias D.* an. 1461. pro S. Catharina Senenſi tom. 1. Bullar. pag. 386, apud Bzovium ad an. 1370. n. 20, Raynaldum ad an. 1461 n. 124, & Bollandianos tom. 3. April. pag. 993, quo loci auctor eſt Pius pridem a Prædeceſſoribus ſuis Urbano VI, Innocentio VII, & Gregorio XII. plus vice ſimplici tractatum initum de Cælitum honoribus S. Virgini decernendis, ſed ſchiſmatis moleſtiis, ac bellorum tempeſtatibus agitatos, & impetitos hanc ſibi implendam provinciam integram reliquiſſe.

Ne cui vero forzitan obreperet aliquando Pontificia iſta Diplomata, quibus Dei Servis paſſim locus inter Cælites adſtruitur, divinique honores decernuntur, potiuſquam ex accurata meritorum conſideratione, ex faciliori pietatis affectu proficiſci, cautionem illam conſulto ſuis in Conſtitutionibus adhibere Pontifices conſuevere, ut de eorumdem virtutibus, ac miraculis præcones æque, atque inſtructiſſimos Judices ſe profiteantur. Unde uſu eiſdem venit Conſtitutiones ſuas ex Dei Servorum actis ſelectioribus contexere, ex quibus tam de Sanctorum egregiis meritis, quam de Apoſtolicæ Sedis conſultiſſima agendi ratione conſtet. Conſtat id vero tum ex præcitatis, tum ex ſequentium Pontificum Conſtitutionibus, Sixti IV. *Cum alias* an. 1481. in cauſſa quinque SS. Martyrum Ord. Minor. apud Surium ad diem 16. Januarii, Bollandum tom. 2. Jan. pag. 62., Raynaldum n. 43., Vadingum tom. 1. pag. 241, & Fontaninum pag. 188. Ex Conſt. *Superna* an. 1482., qua S. Bonaventura in SS. numerum recenſetur tom. 1. Bullar. pag. 437., de quo conſuleſis Cardin. Petram in Comment. ad Conſt. Apoſt. tom. 5. pag. 579., ac Sollerium tom. 3. Julii pag. 830. Ab eodem Pontifice SS. faſtis adnumeratus fertur S. Albertus Carmelita, quem a Calliſto III. potius hoc adauctum honore alii exiſtimant apud Angelum Roccam. Ex Conſtitutione *Sacroſanctam* Innocentii VIII. an. 1485. in cauſſa S. Leopoldi Auſtriæ Ducis tom. 1. Bull. pag. 463., cujus Sancti acta luſtrare præſtat apud Pezium rer. Auſtriac. tom. 1. pag. 674., Surium ad 16. Decemb., Raynaldum ad cit. an. n. 54., & ſeq., ac Lambecium Bibl. Vindob. tom. 2. pag. 631., & 916. Julio II., ab aliis Calliſto III.

ſto III. tribuitur Canonizatio SS. Martyrum Johannis, Benedicti Matthæi, Iſaaci, Chriſtini, Athanaſii, Laurentii, Rogumilii, ac Sociorum Ord. S. Romualdi. Ex Conſtit. *Excelſus* an.1519., qua Leo X. SS. Canoni adcenſet S. Franciſcum de Paula Bullar. tom.1. pag.*606*., apud Surium die 2. April. Ab eodem Pontifice eidem Catalogo adſcripti leguntur S. Bruno Carthuſianorum auctor, de quo Angelus Rocca, S. Leo Senonenſis, de quo Caſtellinus, & S.Caſimirus Poloniæ Regis filius, de quo Spondanus ad an.1484., & Henſchenius ad diem 4. Martii. Ex Conſt. *Excelſus* ab Hadriano VI. edita an.1523. in cauſſa S. Bennonis Miſnienſis tom.1. Bull. pag.*633*., de quo Raderus Bavar. Sanc. tom.3. pag. 185, & Papebrochius tom.3. Jun. pag.*146*. Ex Conſt. *Rationi congruit* an.1523. a Clemente VII. evulgata, qua a deceſſore ſuo Hadriano VI. inter Cælites adnumeratus S.Antoninus Florent. aſſeritur Bullar. tom.1. pag.*636*. Fertur ab eodem Pontifice Hadriano SS. faſtis adſcriptus S. Famianus, de quo Philippus Ferrarius in catalogo ad diem *9*.Auguſti. Julio III. Canonizatio S. Silveſtri Baſiliani Monachi tribuitur apud Caſtellinum in Ind. SS.Canoniz. Ex Conſtitutione demum Sixti V. *Rex Regum* an.1588. in cauſſa S. Didaci Bullar. tom.2. pag.*635*., ſive Bullar. ejuſdem Pontificis par.2. pag.*79*., de quo Vadingus tom.*6*. pag.323., & 573. Bonanus quoque Numiſma refert ſub eodem Pontifice cuſum cum hujus Sancti lemmate tom.2. pag.407. Hæc vero prima ex Pontificiis Bullis his de cauſſis editis legitur in Codice Fontanini S.R. Eccleſia Cardinalium ſyngrapha conſignata.

Non abſimili prudentiæ, diligentiæque plena ratione agebantur a Romanis Pontificibus, ideſt nonniſi prius comprobatis virtutibus heroicis, ac miraculis complurium fide dignorum teſtimonio, additaque aliquando ea clauſula etiam, quod ii non cenſerentur Canonizati, ut appoſita legitur a Clemente VII. in litteris pro cultu Servi Dei, nunc Sancti Hiacynthi, cauſſæ Beatificationum, antequam ſacrorum Rituum Congregatio inſtitueretur: quarum primum exemplum habetur in Beatificatione Petri Gonzalez, vulgo S. Telmi, ab Innocentio IV. peractæ apud Bzovium ad an.1246.; veluti patet ex Beatificationibus ſubinde pertractatis a Romanis Pontificibus vel per ſe, de quibus Bollandiani

ni tom.1. Maji pag.536., tom.2. Januarii pag.1070., & 1076., tom.3. Martii pag.245., ac tom.1. Aprilis pag.165.; vel per ſuos Legatos, e quibus Hiacynthus Cardinalis Alexandri III. auctoritate Rudeſindum Compoſtellanum Epiſcopum; atque Epiſcopus Conſtantienſis ex commiſſione Julii II. Notkerum Beatorum faſtis adnumerarunt, aliique Legati alios, quorum meminere Socii Bollandiani tom.1. Martii pag.118., tom.3. Februarii pag.160. & tom.1. Aprilis pag.380. Quanta hinc, & quam majori augurari certo certius fas eſt proceſſiſſe circumſpectione Pontifices in cauſſis delegandis Canonizationis, quas juſtis ex cauſſis per ſe met ipſi pertractare nequirent? Atque quidem ab Urbano II. B. Nicolao Peregrino debitum cultum declarandi Biſantio Tranenſi Archiepiſcopo demandata ſparta, ſub diligenti indagine in ejuſdem virtutes, & miracula, legitur in ejuſdem litteris, de quo confer Bollandianos ad diem 2. Jun. tom. 19. pag. 249, & Benedictum XIV. de Canoniz. lib. 1. cap. 44. n. 13., & 14. Calliſti II. auctoritate, qua indutus erat, Conon Epiſcopus, & Card. Præneſtinus ejuſdem Legatus in Synodo Bellovacenſi an. 1120. Arnulpho Epiſcopo Sueſſionenſi religioſum cultum Cælitibus debitum detulit apud Harduinum tom. 6. Concil. par. 2. pag. 1102. Ab Alexandro III. an. 1062. cauſsa Canonizationis B. Eneconis Abb. Onnienſis commiſsa Petro Burgenſi in Hiſpania Epiſcopo commemoratur apud Papebrochium tom.1. ad diem 1. Junii pag.119. Univerſim autem uſque ad ætatem Cæleſtini III. ad veritatem factorum, quæ de Servis Dei perferrret fama, aſsequendam, inque tuto ponendam confici auctoritate publica Tabulæ, idoneique adhiberi Teſtes conſuebant. At ab Innocentio III. deinde mos deſuper inductus eſt, ac retentus, atque inſtauratus ab Honorio III, Gregorio IX, Innocentio IV, Alexandro IV, & Clemente IV, ut in ipſorum Teſtium fidem inquiſitio diligentiſſima inſtitueretur, ad fidem non admitterentur Teſtes, niſi probatiſſimi, quibus nulla infamiæ nota, ac ſuſpicio adhæreret, iidemque demum ad confirmanda dicta jurisjurandi religione adigerentur.

Poſtquam vero Sixtus V. S. Congregatione Inquiſitionis confirmata, inter alias quatuordecim inſtitutas Conſt.74. tom. 2. Bullar., maximo totius Chriſtianæ Reipublicæ, ac Ditionis Ec-

cleſiaſticæ commodo, ac utilitate; quinto ex ibidem numeratis loco ſpecialem pro ſacris Ritibus, & Cæremoniis Congregationem conſtituiſſet, eidem deinceps cauſſarum omnium Beatificationis, Canonizationis, Cultuſque Sanctorum, antequam ad Conſiſtorium coram Pontifice deferrentur, curam, onuſque commiſit. Quæ S. Congregatio vel eſt Ordinaria, atque in Palatio Apoſtolico quolibet ſaltem Menſe cogitur, in eaque ſoli Cardinales ſuffragium ferunt, ac dubia peculiaris indaginis, ac difficilioris reſolutionis coram Pontifice proponi ſolent, qui Emin. Cardinalium auditis votis, rem per ſe met ad omnes prudentiæ, veritatis, diligentiæque regulas ſevere, exacte, ſeduloque perpendere ſolet, Deique opem enixis precibus implorare, antequam judicium proferat. Vel eſt Antepræparatoria, atque in ædibus Cardinalis Relatoris cauſſæ habetur, inſtitutaque eſt poſt decreta Urbani VIII, & V. Innocentii XI. pro ejuſdem Relatoris inſtructione: in ea vero interveniunt Conſultores, ac Magiſtri Cæremoniarum, ſub hoc tamen diſcrimine, quod Conſultores dumtaxat ſuffragium ferendi prærogativa fruuntur. Vel eſt Præparatoria, atque quum opus appetit, a Cardinali Relatore cogitur in Palatio Apoſtolico, eique interveniunt Cardinales, Conſultores, ac Magiſtri Cæremoniarum; ſed ſoli Conſultores ſuffragium ferunt, ideo ut Cardinales de cauſſæ meritis inſtruantur: unica vero cauſſa diſcuti conſueſcit circa dubium aut virtutum, ſive Martyrii, aut miraculorum. Vel eſt Generalis, atque coram Pontifice celebratur, & celebranda juxta Urbani VIII. decreta ter quolibet anno eſſet, treſque, quatuorve cauſſæ in ea proponi poſſent. At ſub Benedicto XIV. bis tantum cogi in anno cœpit, atque in unaquaque una cauſſa dumtaxat proponi, videlicet in una dubium de virtutibus, aut Martyrio, in altera dubium de miraculis, ſive dubium, an approbatis virtutibus, ſive Martyrio, atque miraculis procedi tuto poſſit ad Beatificationem, aut Canonizationem. Ei interveniunt Cardinales, & Conſultores, ſuffragiumque ferunt primo Conſultores, poſtea Cardinales: quorum ſi ſuffragia non concordent, Secretarius id Pontifici refert, a quo in Ordinaria ſuffragia iterum exquiruntur. Vel eſt Particularis, quæ de mandato Pontificis habetur, cuique ab eo delecti

Cardi-

Cardinales, & Conſultores cum Secretario, & fidei Promotore interſunt. Ex Alexandri VII. decreto Congregationis hujuſce Cardinales, & Cardinalis Ponens, ſive Relator, & Cardinalis Præfectus a Pontifice eliguntur. Ex decreto vero Sixti V. Conſultores intereſſe debent, iidemque a Pontifice deligendi, qui ex decreto Clementis XII. ex eo Ordine eſſe nequeunt, cui nomen dederit Dei Servus, de cujus agitur cauſſa. Ex formula vero juramenti a prælaudatis Pontificibus præſcripta Cardinales, & Conſultores tenentur Acta cauſſarum diligenter expendere, Verbales informationes attente audire, Congregationibus ſtatis diebus adeſſe, & ſuffragium ferre, inviolabileque ſervare ſecretum ſub pœna excommunicationis Pontifici reſervatæ. Ad hæc ex decretis Urbani VIII. Secretarius Congregationis intereſſe debet examini Teſtium, dum in Urbe auctoritate Apoſtolica conficiuntur Proceſſus pro hujuſmodi cauſſis: quod examen non eſſet authenticum, niſi ab eodem Secretario ſubſcriptum. Viden, ut prudentiſſima ratione puritati Religionis proſpicere, rerumque fidem ad veritatis trutinam ponderare Romani Pontifices, ſevere, & ſedulo & ſtudeant, & ſoleant!

Retro paullisper flectendo veſtigia, paullo ante hac S. Rotæ Auditoribus, atque quidem tribus ut plurimum a S. Congregatione ipſa, vel a Pontifice M. deſignatis ejuſmodi aleæ plenæ cauſſæ committi conſuebant ideo videlicet, ut factorum informationes undique reciperent, eaſque diligenter examinarent: qui quum opus eſſet, Theologorum in dubiis de virtutibus, & Medicorum in dubiis de miraculis conſilia exquirebant, cauſſæque relationem compoſitam, ac ſubſcriptam S. Congregationi, & Pontifici exhibebant. Si Auditoribus conſentiebat S. Congregationis ſententia, cauſſa deferebatur ad Conſiſtorium: ſi ſecus, cauſſa ſuſpendebatur. Sub Innocentio X. tamen Auditorum Rotæ examen, & relatio ceſſavit; atque tres dumtaxat antiquiores Auditores Congregationi uti Conſultores deinceps adſiſtunt. Præterea ab Urbano VIII. inſtitutus eſt Promotor fidei, cujus prima mentio occurrit in Brevi Leonis X. pro cauſſa S. Laurentii Juſtiniani; dein Clementis VII. in cauſſa S. Jacobi de Marchia apud Vadingum ad an. 1525. n. 9., & Raynaldum ad eumdem an. n. 103. Denique in Cle-

Clementis VIII. Bullis Canonizationum, quamvis is esset Fisci procurator, qui in fidei Promotorem deputabatur. Promotor vero fidei ex Advocatis Consistorialibus a Summo Pontifice deligitur; cujus munus est Processus causarum examinare, Processibus omnibus interesse per se, vel per Subpromotorem, super dubiis tam de virtutibus, quam de miraculis difficultates proponere, atque jussus, aut consultus vel a S. Congregatione, vel a Pontifice suffragium ferre, sensumque suum ex obedientia, & pro veritate integrum aperire. Ad hæc Advocati Consistoriales in hisce causis operam suam commodaturi adhibentur quoad virtutes, & Martyrium; quoad miracula vero adhibentur Medici, Chirurgi, & Mathematici, si opus fuerit. Adeundi, si libet, hac de re copiose agentes Contelorius de Canon. SS. cap. 22., & seqq.; de Matha par. 5. cap. 1.; Memmius Rit. Sacr. cap. 6.; præsertim vero Benedictus XIV. tom. 1. lib. 1. a cap. 16., & tom. 2. lib. 2. a cap. 8., ex quo injucundum non erit decerpere, brevique oratione integram actorum seriem in causis Canonizationum ab Apostolica Sede institutam exhibere; unde pateat nullam amplius desiderandam relinqui diligentiam.

Propterea Causæ hujusmodi vel sunt Martyrum: introductæ vero vel ante, vel post Urbani VIII. decreta: aguntur etiam vel per viam non Cultus, vel per viam Casus excepti: versantur denique vel circa Servi Dei Beatificationem; vel circa Beati Canonizationem. Igitur in causis Confessorum post decreta Urbani VIII. introductis, quæque agitantur per viam non Cultus, Pontifex non procedit, nisi prius probata sit fama publica virtutum, & miraculorum; & probatus sit non Cultus: adeoque Ordinarius Processum super virtutibus, & miraculis in genere conficit; Processum quoque super non Cultu, ac obedientia decretis Urbani VIII. præstita: quem tamen potest omittere, ut qui postea a Sac. Congregatione conficitur super Cultu publico non præstito Servo Dei in vim decretorum Urbani VIII. Ordinarii Processus Romam delati, Notarioque S. Congregationis a Secretario traditi ad Postulatorum petitionem in Congregatione Ordinaria, testibus præsentibus, & fidei Promotore, aperiuntur; inde Cardinalis causæ Relator a Pontifice eligitur. Si Servi Dei extent opera scripta,

Revisor

Reviſor quoque a Cardinali Relatore, vel a Præfecto eligitur. Aperti Proceſſus obſignantur denuo, non aperiendi, niſi poſt decem annos: quibus tranſactis, ſi opera ſcripta fuerint antea approbata, fit locus ſignaturæ Commiſſionis; qua via aperitur ad conficiendos Proceſſus Apoſtolicos, a quo tempore Ordinarius nullum amplius propria auctoritate poteſt conficere Proceſſum, quandoquidem Apoſtolica Sedes manum appoſuit ſuam. Ergo auctoritate Apoſtolica fit primo Proceſſus ſuper non Cultu, approbataque ſententia ſuper non Cultu lata ab Ordinario, vel Delegato Sedis Apoſtolicæ, a S. Congregatione fit locus litteris Remiſſorialibus. Litteras porro Remiſſoriales petunt a S. Congregatione cauſſæ poſtulatores ad conficiendum Proceſsum ſuper fama virtutum, & miraculorum in genere, quæ litteræ conceſsæ tribus Epiſcopis, clauſula adjecta, ut duo ſaltem inquirant ſimul, inſcribuntur. Confecto Proceſsu, & fama probata, & in Congregatione approbato Proceſsu, expediuntur novæ litteræ ad conficiendum Proceſsum ſuper virtutibus, & miraculis in ſpecie. Quibus receptis, apertis, & approbatis in Congregatione Ordinaria, in eadem S. Congregatione, (modo anni 50. ab obitu Servi Dei elapſi fuerint juxta Urbani VIII. decreta, ac niſi his expreſse derogarit Pontifex), prius proponitur dubium ſuper virtutibus, poſtea ſuper miraculis: utrumque vero hoc dubium viciſſim proponitur in Congregatione primo Antepræparatoria, ſecundo in Præparatoria, tertio in Generali, in quibus dubio ſuper virtutibus in favorem Servi Dei abſoluto, eodem ordine in Congregationibus Antepræparatoria, Præparatoria, & Generali proponitur dubium ſuper miraculis. Porro ſi virtutes probatæ fuerint per teſtes de viſu, duo miracula patrata quidem poſt obitum Servi Dei pro Beatificatione requiruntur, ac ſufficiunt, vel ſaltem ut poſt Servi Dei obitum unum patratum ſit neceſſe eſt, ac ſufficere videtur juxta decretum S. Congregationis 13. Junii an. 1679. in cauſa Beatificationis Alphonſi Thurribii. Si autem virtutes probatæ fuerint per teſtes de auditu, aliiſque adminiculis, ex decreto Benedicti XIV. requiruntur quatuor miracula. Ante Clementem XI. approbatis in Congregatione Antepræparatoria, & Præparatoria virtutibus, & miraculis, de eiſdem dubium coram Ponti-

Pontifice in Congregatione generali proponebatur, qui auditis Conſultorum, & Cardinalium ſuffragiis judicium ferebat: ſi approbaſſet, Conſultoribus, & Cardinalibus iterum dubium proponebat, an procedendum eſſet ad Beatificationem; auditiſque eorum ſuffragiis ſuſpendebat judicium, donec ope divina invocata, fuſiſque, indictiſque precibus tutius ſententiam ferret. At Clemens XI. auctor extitit, ut approbatis virtutibus, & miraculis in Congregationibus laudatis, de iis Pontifex certior factus a Secretario, & Promotore fidei cogere debeat ultimam Congregationem generalem, in qua proponit dubium, an tuto procedi ad Beatificationem poſſit: auditis iterum ſuffragiis Pontifex ſenſum non exprimit, ſed preces indicit, & fundit, divinamque implorat opem: accitis demum denuo Secretario, & fidei Promotore mentem ſuam de Beatificatione aperit, peragendæ diem ſtatuit, atque Secretario Brevium denique mandat, ut conſuetas litteras Apoſtolicas expediat.

Si vero a Beatificatione ad Canonizationem tranſeundum ſit, in cauſſis iiſdem, ſcilicet Confeſſorum poſt Urbani VIII. decreta per viam non Cultus introductis, aliquando Acta omnia pro Beatificatione iterato examini ſubjecta fuiſſe conſtat ex pleriſque Canonizationum Bullis, atque præſertim ex Actis in cauſſa S. Thereſiæ. Impræſentiarum vero Acta illa non amplius ad examen revocantur, bene vero nova miracula, quæ poſt Beatificationem patrata ſint, requiruntur, duoque ſufficiunt, etiamſi tertii generis ſint: quibus a Beato patratis, Poſtulatores a S. Congregatione Ordinaria petunt pro ſignatura Commiſſionis, Reaſſumtionis, ac litteris Remiſſorialibus ad Proceſſus auctoritate Apoſtolica ſuper novis miraculis conficiendos; in quibus conficiendis, tradendis, & aperiendis ſervatur idem ordo, de quo ſupra in cauſſis Beatificationis. Approbatis Proceſſibus, dubium ſuper novis miraculis proponitur ſimiliter in Congregatione Antepræparatoria, Præparatoria, & Generali, quibus approbatis olim in eadem generali Congregatione proponebatur dubium, an deveniri tuto poſſet ad Canonizationem; cujus reſolutionem deinde Pontifici referebat vel Secretarius, vel Præfectus, uti conſtat ex Actis Canonizationis S. Franciſci Borgiæ, & S. Caroli Borromæi. At

nunc

nunc juxta morem inductum a Clemente XI. abſoluto in una generali Congregatione dubio ſuper novis miraculis, in altera Congregatione etiam generali proponitur dubium, an deveniri tuto ad Canonizationem poſſit coram Pontifice, qui reſolutionem differens, donec ope divina implorata, precibuſque qua fuſis, qua indictis, accerſitis Secretario, & fidei Promotore, ſententiam fert, diemque Canonizationis peragendæ ſtatuit, & Secretario Brevium pro expediendis litteris mandat. Iccirco vero nova requiruntur miracula, quod Beatorum cultus ſit permiſſus, Canonizarorum vero ſit præceptus: de quo diſcrimine infra copioſius agendum erit.

In Cauſſis Martyrum poſt decreta Urbani VIII. per viam non Cultus introductis eadem ſeries Actorum ſervatur, quæ in Confeſſorum cauſſis, niſi quod ubi in his de virtutibus agitur, in illis agitur de Martyrio, & cauſſa Martyrii: ac rite quidem, quandoquidem virtutes omnes ſupplet, imo illis ſupereminet Martyrium. Ad Bearificationem quoque Martyris ex decreto Clementis XI. duo ſaltem miracula requiruntur, ac ſufficiunr, quæ quamvis ad id neceſſaria eſſe negent nonnulli, inter quos Auguſtinus Triumphus de poteſt. Eccleſ. q. 16. arr. 13., Chriſtianus Lupus rom. 3. in Notis ad Synodum Romanam IV. ſub S. Leone IX., & ex parte, nempe quum evidenter conſtar de Martyrio, aut inſigne Martyrium eſt, Caſtellinus de inquiſit. miracul. in cauſſa Martyr. cap. 8., Contelorius de Canoniz. SS. cap. 21., Bordonus variar. Reſolut. reſolur. 113. num. 32., & alii; miracula tamen etiam in Martyrum cauſſis rite nunc exigit Eccleſia: id conſtat ex Actis Beatificationum, & Canonizationum a Pontificibus Maximis peractarum, quales fuere S. Wiboradæ Virginis, & Martyris a Clemente II., apud Mabillonium loc. cit.; SS. Canuti Regis, & Martyris, ac Thomæ Cantuarienſis ab Alexandro III. apud Radulphum de Diceto inrer ſcriptores hiſtor. Anglicanæ rom. 1. 3 B. Perri de Caſtronovo Monachi Ciſtercienſis apud Baillerum ad diem 5. Martii; B. Johannis Vicentini Epiſcopi, & Martyris ab Honorio III. apud Bollandianos ad 16. Martii; SS. Perri Martyris Ord. Prædic., & Sranislai Epiſcopi Cracovienſis ab Innocentio IV. in Canoniz. Bullis; SS. quadraginta novem Martyrum Sandomi-

domirenſium Ord. Prædic. in Brevi Alexandri IV.; S. Vernheri, in proceſſu tempore Martini V. confecto apud Bollandianos ad 19. Aprilis; B. Angeli Carmelitæ a Pio II. apud Bolland. tom.2. Maii; BB. Berardi, & Socior Ord. Minor. a Sixto IV.; SS. Danielis, ac Socior. item Ord. Minor. a Leone X. Id conſtat etiam ex conſuetudine inducta, & ſervata ſtatim, ac inſtituta eſt Sacrorum Rituum Congregatio: ita in cauſſa BB. viginti ſex Martyrum Japponenſium, ut conſtat ex Brevi Beatific. apud Bolland. tom. 1. Februarii; in cauſſa B. Joſaphat Martyris Pollocenſis, ut conſtat ex Brevi Beatificat. Urbani VIII. Bullarii Rom. tom.5.; in cauſſa B. Petri de Arbues; SS. Martyrum Gorgomienſium; S. Johannis de Prado; S. Johannis Nepomuceni, & S. Fidelis a Sigmaringa, ut conſtat ex Brevibus eorum Beatificat., aut Canonizationis. Dixi nunc ex more inducto miracula exigi: nam antiquitus etſi aliquando in Martyrum vindicatione miraculorum ratio haberetur, ut patet ex epiſt. Eccleſiæ Smyrnenſis de Martyrio S. Polycarpi apud Euſebium lib.4. hiſt. Eccleſ. cap.15., & ex Actis ſinceris SS. MM. apud Ruinartium, aliquando tamen ut Martyres vindicarentur, Martyrium dumtaxat, & cauſſa Martyrii attendebatur: unde legitur tom.15. Bibl. PP., quod S. Eulogius Archiepiſcopus, & Martyr Toletanus cauſſam SS. Cordubenſium Martyrum adverſus obtrectatores vindicavit, licet illi miraculis non coruſcaſſent. Dixi etiam ex more inducto rite miracula exigi: nam quemadmodum quoad Eccleſiam Militantem in cauſſis Confeſſorum ultra virtutes requirantur miracula, uti docent in præcitatis Bullis paſſim Johannes XV., Benedictus VIII., Benedictus IX., S. Leo IX., Paſchalis II., Innocentius II., Eugenius III., ſequenteſque ad unum omnes apud Cl. Fontaninum in Codice Canoniz. conferendi: eadem ratione in cauſſis Martyrum ultra Martyrium requiruntur miracula, velut obſervavit Hurtadus de vero Martyr. reſolut. 44. §.3., docent vero diſtincte Alexander III. in Bulla Canoniz. S. Thomæ Cantuar. apud Fontaninum pag.17., Innocentius IV. in cauſsa Canoniz. SS. Petri Veronen. Ord. Præd., & Stanislai Cracov. ibidem pag.85., & 90., & Sixtus IV. in Elogio SS. quinque Martyrum Ord. Minor. eodem loci pag. 188., rite, inquam, requiruntur miracula, tum ut Eccleſia judicii tanti ſecuri-

tati

tati magis consulat, atque de Martyrio, & causa Martyrii certior reddatur ; tum ut eadem hæreticorum calumniis occurrat, atque malorum hominum malitiam, fraudesque declinet.

In causis sive Confessorum, sive Martyrum, quæ post Urbani VIII. decreta, & per viam Casus excepti introducuntur, (sunt autem illæ exceptæ ab Urbano, in quibus Servo Dei cultus exhibitus probatur, vel a tempore immemorabili, vel ex Apostolicis indultis, vel per SS. Patrum, virorumque Sanctorum assertiones, & scripta) in hisce, inquam, causis primo ab Ordinario conficitur Processus super fama virtutum, & miraculorum, si sit Confessor ; vel super fama Martyrii, & miraculorum, si sit Martyr ; alterque Processus construitur super Casu excepto a decretis Urbani VIII. ; qui si ab Ordinario fuerit prætermissus, fit auctoritate Apostolica post signatam Commissionem. Processibus ad S. Congregationem delatis, ac modo superius recensito apertis, quin expectetur decennium, proponitur in S. Congregatione dubium, an signanda sit Commissio introductionis : quo absoluto in favorem Servi Dei, proponitur dubium, an sit confirmanda sententia Ordinarii, vel Delegati super Casu excepto ab Urbani decretis : quo in favorem Servi Dei pariter absoluto, certior fit Pontifex, a quo S. Congregationis sententia confirmatur, & qua confirmata, Servus Dei dicitur æquipolenter Beatificatus. Plurima harum æquipollentium Beatificationum exempla exhibet laudatus Benedictus XIV. lib. 1. cap. 31., quorum primum est B. Columbæ Reatinæ, postremum est B. Pacifici a Ceredano. Porro Ritus proximus, de quo infra, seu solemnis nullus in hujusce generis Beatificationibus peragitur, ut quæ non comprehendantur in decreto Alexandri VII., de quo paullopost. Jamvero si a Beatificatione hujusmodi æquipollenti transeundum sit ad formalem Canonizationem, distinguendum est, nam vel Beato cultus publicus permissus, & concessus est, postquam juridicum præcessisset examen super virtutibus, & miraculis, aut super Martyrio, & miraculis ; atque eo in casu in S. Congregatione proponitur tantum dubium super miraculis post indultum cultum patratis, ut factum est in causis SS. Philippi Benitii, & Laurentii Justiniani ; duobus vero probatis, proponitur dubium, an procedi tuto possit. ad

Canonizationem, & cetera peraguntur juxta ſuperius dicta de tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem in caſibus non exceptis. Si vero ante permiſſum cultum non præceſſit examen juxta Proceſsus ſuper virtutibus, & miraculis, aut ſuper Martyrio, & miraculis, cultuſque indultus fuerit dumtaxat ex prævia gravi fama virtutum, aut Martyrii, & miraculorum, hoc in caſu in S. Congregatione primo proponitur dubium ſuper virtutibus, vel ſuper Martyrio, quo expleto proponitur dubium ſuper patratis miraculis poſt cultum permiſſum, atque reliqua modo ſuperius expoſito peraguntur. Iſta conſtant ex Actis in cauſſis SS. Hiacynthi, Raymundi, Johannis de Capiſtrano, Catharinæ Bononienſis, Johannis a S. Facundo, Stanislai Koſtkæ, aliorumque, in quibus quia ante declarationem Caſus excepti, atque indultum Cultum in Beatificatione non præceſserat examen dependens a Proceſſibus ſuper virtutibus, proinde in tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem primo excitatum eſt dubium, ac Proceſsus ea de re ſuper virtutibus in anteceſsum fieri debuerunt. Quod ſi probatæ virtutes, aut probatum Martyrium in hiſce Proceſſibus dumtaxat fuerint per teſtes de auditu, & alias ſubſidiarias probationes, tunc ex decreto Benedicti XIV. in hoc tranſitu requiruntur omnino quatuor miracula per teſtes de viſu probata, ac poſt conceſsum, permiſsumque cultum patrata. Ad hæc antequam Pontifex Congregationis ſententiam confirmet, mentemque aperiat ſuam, deſiderantur iteratæ Populorum, ac Principum preces; fiunt, ac fieri ad Deum preces a Pontifice jubentur; Epiſcoporum omnium in Urbe degentium, imo intra centeſimum ab Urbe lapidem demorantium a Secretario Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum per litteras Encyclicas vocatorum adhibentur a Pontifice ſuffragia: Conſiſtorium ſecretum, in quo ſoli adſunt Cardinales, habetur; dein Conſiſtorium publicum, adquod ultra Cardinales vocantur ceteri, quos acciri ſolemne eſt; inſuper Conſiſtorium ſemipublicum, cui interſunt Epiſcopi cum facultate ferendi ſuffragium, aliique de more, aut conceſſione, in quibus auditis eorum ſuffragiis, implorata Dei ope, expoſitiſque virtutibus, ac miraculis Beati, ac precibus pro Canonizatione ſupplicantium, Pontifex in Conſiſtorio ſemipublico, & ultimo diem ſtatuit, & locum deſignat Canoni

nonizationis peragendæ, qua recurrente Beatum SS. Faſtis adſcribit. Adiſis Benedictum XIV. loc. cit. copioſe, eruditeque de his diſſerentem, ex quo hæc delibavimus.

Atque hæc quoad Ritum remotum. Quoad Ritum propinquum attinet, is antiquitus varius erat, ac varius quoque pro varietate Beatificationis, & Canonizationis. Beatificationis ſolemnis Ritus ante Pontificatum Alexandri VII. a Romanis Pontificibus Romæ adhibitus nullus legitur. Ergo Alexander VII. primam S. Franciſci Saleſii Beatificationem in Baſilica Vaticana die 8. Januarii an. 1662. celebrandam edixit, ut ex Actis ejuſdem S. Franciſci Saleſii a Dominico Capello collectis conſtat, cujus exemplo ceteræ nunc Beatificationes ſolemnes celebrantur: in eo vero conſiſtit ſolemnis is Ritus, ut eo die Chriſtifideles utriuſque ſexus Confeſſione expiati, & ſacra Communione refecti Indulgentiam plenariam lucrentur: ut Emin. Cardinales, & Conſultores Rituum, nec non Clerus ejuſdem Baſilicæ Feſtivitatem præſentia ſua cohoneſtent: ut legatur, affigaturque Breve Apoſtolicum: ut Hymnus *Te Deum* in gratiarum actionem ſolemniter decantetur: ut Servi Dei Imago venerationi omnium exponatur: ut recitetur in Eccleſia Beati Collecta, ac thuris oblatione eadem Imago honoretur: ut in ejuſdem honorem Miſsa celebretur: ut Pontifex poſt Veſperas ad colendam Beati Imaginem accedat. Quorum omnium, ut a Notario S. Congregationis Rituum publicum conficiatur inſtrumentum, curant Poſtulatores. Peractis in Baſilica Vaticana ſolemniis in Brevi Beatificationis conceditur, ut eadem Solemnia cum Officio, & Miſsa celebrentur primo anno a data Brevis inchoando certis in Eccleſiis, puta Ordinis, ſi Religioſum Ordinem fuerit profeſsus, puta loci Nativitatis, Domicilii, ac Depoſitionis, certiſque diebus ab Ordinario Diœceſis ſtatuendis, ac intra ſex Menſes celebrentur: quamvis in Regionibus longinquis annus computetur a die, qua illuc Breve pervenit; aliquando vero ex gratia annus prorogetur, atque ad alia quoque loca amplietur. Confer Benedictum XIV. in laudatiſſimo opere de Servorum Dei Beatif., & Beatorum Canoniz. lib. 1. cap. 24. n. 6., & ſeqq., ubi ſolemnes Beatificationes ab anno 1662. deinceps actas ex ordine numerat.

Canonizationum autem Ritum ſolemnem quod attinet, non idem ſemper ubique obtinuit, ſed varius per varias veluti ſucceſſiones, auctiorque redditus eſt. Antiquitus, ideſt uſque ad ſæculum IV. religioſus SS. Martyribus dumtaxat cultus deferebatur, qui per intervalla temporum perinde incrementa, & ornamenta plurima accepit. SS. Martyrum porro memoria ſequenti ferme ritu tum vindicari, tum recoli conſuevit. Atque quidem quemadmodum qui a fide perſequutionum tempore deficiebant, varii generis erant, vario nomine deſignati; nam qui negabant, Negatores, Lapſi, & Blaſphemi dicebantur; qui Idolis cultum impendiſſent, Idololatræ, Thurificati, & Sacrificati; & qui libello exhibito teſtificabantur ſe Chriſtum non ſectari, nec ſe Chriſtianos eſſe, Libellatici nuncupabantur: quamvis, & alterius generis quoque audiebant Libellatici, qui nempe numerata pecunia Libellos impetraſſent, quorum obtentu nulla ipſis ob Religionis cauſſam inferretur moleſtia, aut noxa: ita pari modo, qui pro fide Chriſtiana fortiter, ſtrenueque ſtetiſſent, variis honoris inſigniri nominibus ſolebant: denominabantur etenim Extorres, ut apud S. Cyprianum in epiſt. 56., qui ſponte perſequutionem declinantes fugam capeſſiviſſent, aut qui Chriſtum confeſſi a Judicibus Ethnicis in exilium expellerentur: Libellatici, qui Chriſtum confeſſi ſoluta pecunia ſe a vexatione redemiſſent; quibus quidem Lapſorum invidioſam notam inuſſit Tertullianus lib. de fuga cap. 12., rite vero eoſdem excuſavit S. Petrus Alex. de Pœnit. Can. 12. apud Harduinum tom. 1. Concil. pag. 231. Profeſſores, qui ſponte ſe pro Chriſtiana fide Judicibus, ac Martyrii periculo obtuliſſent: Confeſſores, qui Chriſto D. illuſtre coram Judicibus teſtimonium reddidiſſent: Martyres denique, qui pro Chriſtianæ fidei confeſſione inter tormenta occubuiſſent, aut poſt tormenta ex ſe mortem inferre valentia in pace quieviſſent, ut apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 2., & S. Thomam 2. 2. q. 124. art. 4. ad 4. Ex Martyribus vero alii Deſignati, alii Conſumati, ſive Coronati, alii Vindicati dicti ſunt: Deſignati, in quos mortis ſententia fuiſſet pronunciata: Conſummati, ſive Coronati, qui ex tormentorum vi mortalitatem expleſſent: Vindicati, quibus Eccleſia religioſum cultum detuliſſet, poſtquam nempe eidem Eccleſiæ

cleſiæ approbe conſtitiſſet de Martyrio, & cauſſa Martyrii: unde de S. Thomæ Cantuarienſis Martyrio ſcribens Willelmus Senonenſis Antiſtes lib. 5. epiſt. 82. inter epiſtolas S. Thomæ edit. Lupi tom. 10. oper. ad Alexandrum III. P. M. ajebat: *Sicut omnis Eccleſia aſſerit, ipſum facit Martyrem cauſſa pariter, & pœna: pœna, dolor paſſionis illatæ; cauſſa, rigor Eccleſiaſticæ cenſuræ, quia pro lege Dei certavit uſque ad mortem.*

Vindicabat igitur Martyres olim Eccleſia, antequam eis cultum impenderet, actiſque eorum diligenter collectis accedebat Eccleſiæ exquiſitum examen, quo veri a falſis Martyribus diſcriminarentur. Quam in rem liquidos, ac locupletes invoco teſtes Tertullianum lib. de Anima, lib. de reſurect. Carn. cap. 43, & in ſcorp. cap. 12; ac S. Cyprianum in epiſt. 4. ad Epiſcopos, & Diacon., 6. ad Rogatianum, 55. ad Antonianum, & 57. ad S. Cornelium. Hac ducta ratione Illiberitana Synodus inhibet Can. 60. eos honorari, quos Gentilium furor internecioni dediſſet ob publicam Idolorum fractionem. Diligenter etiam diſcernere inter veros Chriſti Martyres, atque obtruſos ab hæreticis Eccleſiæ ſolemni in more poſitum confirmat perantiquus Auctor apud Euſebium lib. 5. cap. 16. Completo examine, ut Eccleſiæ univerſæ conſtaret de Martyrio, & cauſſa Martyrii, ejuſdemque judicium, & conſenſus unanimis, & communis evaderer, mos olitanus erat SS. Martyrum nomina, & acta ad alias in Orbem tranſmittendi Eccleſias, quo de more oppido multa ſuperius documenta ſuppeditavi. In Romana Eccleſia ſeptem Diaconis, totidemque Subdiaconis onus incubuiſſe Acta SS. Martyrum a Notariis congeſta excipiendi, meditateque expendendi ſignificat Euſebius lib. 6. cap. 43. SS. Martyrum geſta, quæ multiplicibus tormentorum cruciatibus, ac mirabilibus confeſſionum tormentis irradiabant, agnoſcere ſe, & amplecti gloriabatur jure S. Gelaſius in epiſt. 33. Ab Eulogio Alexandrino efflictim rogatus, ut quæ ab Euſebio collecta fuerant SS. Martyrum geſta Roma Alexandriam ad ſe tranſmitteret S. Gregorius M., adparet ex lib. 8. epiſt. 29. In Eccleſia Africana collecta ab Epiſcopis SS. Martyrum acta ad Primatem Carthaginenſem tranſmitti conſueviſſe auctor eſt S. Auguſtinus in Brevic. collat. dici 3. cap. 13, ubi refert a ſecundo Tin-

Tingitano exactam relationem gestorum a SS. Martyribus fuisse missam ad Mensurium Carthaginensem Antistitem. S. Optatus Milevit. lib. 1. adversus Parmen. tradit a S. Cæciliano ideo Lucillam nobilem fœminam reprehensam fuisse, quod ante Communionem ossa cujusdam Martyris non vindicati deoscularetur. De S. Martino Turonensi refertur apud Sulpitium in ejus vita cap. 11. egregium facinus illud, quo religiosum cultum Latroni cuipiam a vulgo ignaro SS. Martyribus adcensiti sustulit, & abolevit. Ad Romanum autem Pontificem undique Acta SS. Martyrum mittere Ecclesiarum omnium religioni cedebat, tum ut in summa illa arce Religionis servarentur monumenta Gentium omnium, quæ Christo colla submisissent, eorumque potissimum, qui inter gentes pro Christi nomine glorioso agone perfuncti fuissent; tum ut a summo Religionis Præside SS. Martyrum gestis serio perpensis, riteque probatis, religiosus honor eisdem decerneretur ab Ecclesia deinceps impendendus, atque ab eo facilius ceteris Orbis Ecclesiis communicatis eisdem actis universos Christifideles tum ad eorumdem imitationem incitaret, tum ad eorumdem venerationem accenderet. Moris istiusmodi documentum illustre repetit Cl. Andreas Sausajus ex S. Dionysio Parisiensi, de quo fertur S. Eutropii Sanctonensis gesta ab se congesta misisse ad S. Clementem, suis vero commendasse, ac jussisse, ut quæ ipse perpessus fuisset supplicia, & quæ in ipsis fuisset effatus, accurate consignata litteris, post suum obitum ad Romanum Pontificem mitterent. De Actis hisce etsi locus dubitandi sit nonnullis, non est tamen, cur dubitatio moveatur de Actis SS. Martyrum Lugdunensium, qui apud Eusebium lib. 5. capp. 3, & 4. ad S. Eleutherum legato misso S. Irenæo litteras de suis certaminibus dedisse leguntur, postquam variis perfuncti tormentis extremam luctam opperirentur. Nec desunt alia, quibus vetustus mos iste confirmetur, argumenta, cujusmodi esse possunt, minus quidem probabiliter epistolæ S. Ignatii ad Romanos, & S. Pii ad Justum Vienn. apud Baronium ad an. 166. in quibusdam Cod. Mss. ad Verum, qui Concilio Arelatensi an. 314. subscriptus legitur, magis autem epistolæ S. Cypriani 28. ad Moysem, alioque Confessores Romanos, ac reciproca 31. eorumdem ad S. Cyprianum,

Acta

Acta S. Vigilii Episcopi Tridentini, illustrique Martyrio an. 400. affecti ad Pontificem tum S. Innocentium I. missa apud Bollandianos ad diem 26. Junii; a quo Vigilio pridem de passione SS. Martyrum Sisinnii, Martyrii, & Alexandri in agro Tridentino epistola conscripta fuerat ad S. Simplicianum Mediol., & ad S. Jo: Chrysostomum apud Papebrochium ad diem 29. Maji; S. Gregorii Turon. testimonium, quo lib. 1. de glor. Martyr. capp. 51, & 64. perhibet Basilicas in honorem S. Benigni, ac S. Patrocli ædificatas post fuisse, quam ex Italia perlata ipsorum Acta passionis fuissent prolata; epistola præcit. S. Gregorii M. ad Eulogium, qua SS. Martyrum Acta ab Eusebio collecta Romæ non reperiri scribit, bene vero Codicem alterum, in quo omnium pene Martyrum nomina recitabantur. Confer Laderchium in Actis SS. Martyrum vindicatis lib. 2. cap. 9, & seqq.

Inde igitur obtinuisse Tabulas Ecclesiasticas, Fastos, Diptycha, atque ex his confecta Passionalia, Martyrologia, & Kalendaria, de quibus paullo superius, pronum est existimare. Publico Ecclesiæ judicio vindicatis SS. Martyribus, publicus iisdem decernebatur, deferebaturque cultus. Is vero erat, quod anniversaria die recurrente eorum memoria ritu solemni recolebatur: in Ecclesiis coadunato Christifidelium cœtu eorum Acta sincera legebantur: Templa, & Oratoria eorum memoriæ dedicabantur, erigebanturque super eorum sepulchra Altaria, sacrique Tumuli; unde SS. Martyrum cineribus superimposita Ara Confessio, aut Martyrium denominabatur, teste Josepho Scaligero in animad. ad Eusebii Chronic. Super eadem SS. Martyrum sepulchra Missæ celebrabantur, eorumque commemoratio, antequam Martyrologia utique condita sint, in Canone Missæ fieri jam consueverant, velut observavit Du-Cangius in Glossar. Latin. V. *Canonizatio*, non quo pro iis oraretur, sed potius ut ii pro Populo orarent, ut ajebat S. Augustinus tract. in Johannem, quo de more consulesis etiam Burchardum de casibus S. Galli cap. 6, & Stephanum Durandum de Rit. Eccles. lib. 2. cap. 35. Neque vero sepulturæ commendabantur, quin Dalmatica, aut Colobio purpurato honoris gratia obvolverentur eorum corpora, uti eruitur ex decreto S. Eutychiani, de quo Auctor libri Pontificalis in S. Euty-

S. Eutychiano, in quem conferendi viri Cl. Bencinus, & Blanchinius in Notis hiſt. ad Anaſtaſium tom. 2. ſect. 28. pag. 242, & ſeqq. Unde quia idem honos Pontificibus tribui jam cœperat, S. Gregorius M. in Synodo Rom. an. 595. ſancivit lib. 4. epiſt. 44. ne feretrum, quo Romani Pontificis corpus ad ſepeliendum deferebatur, Dalmaticis tegeretur. Extat, ut res nunc teſtimoniis illuſtretur, vetus Kalendarium Eccleſiæ Carthag. apud Mabillonium Analect. tom. 3, in quo deſignantur dies Natalium SS. Martyrum, quorum celebris in eadem Eccleſia memoria erat. Et certe S. Cyprianus in epiſt. 19, & 37. ad Presbyteros, & Diacon. SS. Martyrum paſſiones, dieſque Natalitios adnotari diligenter juſſerat, & anniverſaria commemoratione per Africam celebrandos indixerat. Auctor eſt Ammianus Marcellinus lib. 22. cap. 11. ab Ethnicis cadavera SS. Dragontii, & Diodori, quos Martyrio affecerant, igne cremata, in mare fuiſſe projecta ideo, ne ædes illis ſacræ a Chriſtianis juxta morem exſtruerentur. In vita S. Gregorii Thaumaturgi auctor eſt. S. Gregorius Nyſsenus ab eo legem fuiſſe ſancitam de Feſtis diebus in honorem SS. Martyrum celebrandis: cujuſmodi religioſi cultus erga Martyres etiam meminere Tertullianus de corona Milit. cap. 3, & S. Ambroſius ſerm. 72. In Actis S. Bonifacii Martyris apud Holſtenium legitur S. Aglaes eidem S. Bonifacio iter ſuaſiſſe ad Orientis partes, ubi tum Diocletianææ perſecutionis vigebat ſævitia, ut inde Reliquias ſecum defetret, ſuper quas ſubinde Oratorium ab ſe ipſis ædificaretur. Carthagine memoriæ S. Cyptiani duo conſecrata Templa, unum ubi ſanguinem fuderat, alterum ubi fuerat ſepultus, fide affirmat ſua S. Auguſtinus ſerm. 113. de Diverſ., qui perinde ſerm. 274, & tribus ſeqq. S. Vincentii Martyris Valentini Paſſionis Acta, quorum ipſe fragmenta refert, in Eccleſiis legi ſolita teſtatur. Cujuſmodi moris legendi ad fidelium ædificationem SS. Martyrum glorioſa geſta mentio fit a Concilio Carthaginenſi III. an. 397. Can. 47, & a S. Gregorio Turon. de glor. Martyr. cap. 86. de feſtiva die S. Polycarpi Martyris recurrente verba faciente. Ne vero deinceps adulterina legerentur in Eccleſiis, cautum ſummopere voluit S. Gelaſius apud Fontaninum poſt Antiq. Hortæ: quam in rem confer & Hadriani I. epiſtolam ad Caro-

Carolum M. apud Mabillonium in diſquiſit. de curſu Gallic. §. 1, ubi Patrum vitas a probabilibus Auctoribus conſcriptas, inter quas S. Gelaſius in ſuo decreto locum dederat vitis SS. Pauli, Antonii, & Hilarionis ſcripto a S. Hieronymo traditis, ab Eccleſia recipi, & in Eccleſiis relegi affirmat. A S. Felice I. conſtitutum, ut ſupra ſepulchra Martyrum Miſſæ celebrarentur auctor eſt Anaſtaſius. Oratoria, & Altaria ſupra Martyrum ſepulchra exſtructa commemorat S. Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum cap. 22. Ita ſupra Reliquias S. Johannis Bapt. ab Innocentio Abbate ædificatam Aram tradit Palladius hiſt. Lauſ. cap. 103. In Confeſſione SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli conſtituti Altaris meminit S. Paulinus in Natali 9. S. Felicis: deque ſimili erecto ſuper ſepulchrum S. Hippolyti Martyris loquitur Prudentius in ejus hymno. De inviolatis præſtandis hiſce SS. Martyrum Oratoriis expreſſa lex extat Theodoſii Imp. Cod. Theod. L. 7. *De ſepulcr. violat.* In Oratoriis iſtis, cultus SS. Martyrum cauſsa, Presbyteros conſtitutos perhibet S. Gregorius Turon. de miraculis Martyr. lib. 2. cap. 46; eorumque mentio occurrit in Concilio Aurelianenſi II. Can. 13. Confer Cardin. Bonam rer. Liturg. lib. 1. cap. 19; Henſchenium ad diem 25. Maji; Blanchinium in Johanne III; & Pagium Jun. in SS. Urbano I, Stephano I, Felice I, Gregorio III, & Paſchali I. Apud Surium ad diem 24. Nov., & Boldetum in obſervat. ad Cœmet. pag. 301. teſtatur Rodulphus Abbas repertum poſt octingentos, & aliquos annos a ſuo Martyrio, (quod ſub Diocletiano contigit), corpus S. Gereonis e legione Thebæa Colobio, ſive Dalmatica ſupra Chlamydem indutum: qua nempe poſt agonem honoris gratia a Chriſtifidelibus fuerat contectum.

Confeſſorum cultum quod attinet, eorum videlicet, qui cum heroicarum virtutum fama celebri, in pace tamen, mortem oppetiiſſent, quoſque aliquando SS. Martyribus adjunctos legere eſt apud S. Iſidorum Hiſp. lib. 7. Origin. cap. 11., religioſus ipſorum cultus non niſi Eccleſiæ ſæculo IV. incepiſſe videtur, non tardius tamen, velut auctor idoneus eſt Innocentius III. lib. 3. de Myſter. Miſſæ cap. 10., atque demonſtrant Stephanus Durandus de Ritib. Eccl. lib. 2. cap. 35., Bellarminus lib. 6. de Miſſ. cap. 20., Mabillonius in præfat. ad Sæcul. V. Bened. §. 6, maxime vero Bene-

dictus XIV. lib.1. cap.4. edit. Bonon. 1734. Equidem Card. Bona rer. Liturg. lib.2. cap.12., ac Florentinius ad vetus Martyrolog. admonit.9. obſervant, ideo in Canone Miſſæ Confeſſores minime commemorari, quod Canon antiquior ſæculo IV. ſit, quo illis nondum cultus impendebatur. Præterea generalem primam Conſtitutionem pro cultu publico Confeſſorum a Concilio Moguntino anno 813. habito Can.36., quo feſtiva quotannis celebranda SS. Remigii, & Martini dies indicitur, latam exiſtimat Thomaſſinus de Feſt. celeb. lib.1. cap.6. Atque utique Synodus Atrebatenſis ann.1025.apud Dacherium Spicileg. tom.13. pag.2. hæreticis deputat, qui SS. Confeſſoribus juſtiſſima religioſi cultus obſequia denegarent. Cæterum religioſi cultus SS. Confeſſoribus impenſi vetuſtiſſima detegere veſtigia licet in Eccleſiaſticis, quæ litteris mandata ſunt, monumentis. Enim vero in Orientalium Liturgiis apud Renaudotium locus inter Martyres factus SS. Confeſſoribus liquet, & quidem in Liturgia S. Baſilii nomine inſcripta SS. Athanaſio, Baſilio, Jo. Chryſoſtomo, Gregorio, Cyrillo, Paulo, Antonio, utique Macario &c. tom.1. pag.185 in Liturgia S. Gregorii pag.34., in Liturgia Æthiopica pag.506., & 516., in Liturgia S. Ignatii tom.2. pag.221., SS. Confeſſorum indiſtinctim in Liturgia S. Jacobi pag.36., & in Liturgia Gregorii Abulfaragii pag.464. Verum hæc recentiora ſunt, ac minoris momenti, quam exinde confici rite graviſſima res iſta poſſit. Itaque in Liturgia Maronitarum apud Card. Bonam lib.2. cap.12. poſt S. Martyres Confeſſorum quoque mentio ad Altare facienda occurrit. SS. Hilarioni, Ephraemo, aliiſque in Eccleſia Orientali celebribus Confeſſoribus impenſum cultum legere præſtat apud S. Gregorium Nyſſenum tom.2.oper.pag.1028., & ſeq., & apud Sozomenum lib.3. capp.14., & 16., ac lib.8. cap.19. SS. Nilamoni, & Marciano Cælitum delatos honores, exſtructaſque ædes auctores ſunt Socrates lib.8. cap.19., & Theodoretus hiſt. Relig. cap.3. In Sacramentario Veronenſi S. Leonis M., ut alii exiſtimant, aut S. Gelaſii, ut malunt alii, edit. Blanchinii tom.4. Anaſt. opuſc.2. pag.51. ſub num.34. commemoratio cum S. Confeſſoris titulo habetur S. Silveſtri: de qua tamen confer Muratorium diſſert. de reb. Liturg. pag.33., & 38., & Acamium de antiq. Sacram.

cram. Veron. pag. 18., & 180. In Sacramentario Gallicano apud Mabillonium Muſæi Ital. to. 1. par. 2. pag. 279., & ſeq. memoria celebratur SS. Hilarii Pictav., & Martini Turon., cujus nomen in honore etiam habitum legitur ab Epiſcopis Concilii Turonenſis anno 461., ejuſque in honorem jamdiu ædificatam Eccleſiam a Perpetuo Succeſſore fuiſſe inſtauratam refert Sidonius lib. 4. epiſt. 16. SS. Confeſſores alii celebres occurrunt in Sacramentariis aliis apud Martenium de antiq. Eccleſ. Rit. pag. 402., & ſeq. in Colbertino n. 1348., Gellonenſi ſæculi IX., Turonenſi ante annos 800. exarato, & Bibliothecæ Regiæ annorum 900. In vetuſtiſſimis Litaniis Eccleſiæ Latinæ cum honore invocati leguntur SS. Confeſſores poſt SS. Martyres, de quibus conſulendi Nicolaus Serrarius tom. 3. lib. 1. cap. 14. de Litan., & lib. 2. capp. 7., & 8. de Proceſs., ac Card. Bona de Divin. Pſalm. cap. 14., §. 4. Atque ita in Litaniis Hartmanni apud Caniſium tom. 2. antiq. lect. par. 3. pag. 192., Ratperti pag. 199., aliiſque apud Mabillonium tom. 7. veter. Analect. pag. 682.

Poſtquam vero religioſus SS. Confeſſoribus cultus impendi cœpit, non antea impenſus cuiquam eſt, quam publico, authenticoque Eccleſiæ judicio decretus idem fuiſſet. Cujus rei documentum capere licet, præter quam ex iis, quæ paullo ſuperius attacta ſunt, monumentis, ex Conciliis Agrippinenſi apud Ivonem par. 3. decr. cap. 54., & Francofordienſi Can. 42., ubi quominus novos Sanctos colant, aut invocent, niſi qui ex vitæ merito fuiſſent electi, Chriſtifideles inhibentur. Ex Capitulari Caroli M. in append. 1. cap. 18. apud Harduinum tom. 4. pag. 955, quo loci Sanctos noviter inventos, niſi Epiſcopo probante, venerari prohibet. Ex religione ſumma, qua Epiſcopi afficiebantur cultum errore populi aliquibus exhibitum abrogandi, cujus clara exempla S. Martini ſuppeditat Sulpitius; S. Anſelmi, aliorumque legere eſt apud Lupum in Not. ad Synodum Romanam IV. S. Leonis IX. Et quidem Urbanus II. in cauſſa Guolgoſi præter teſtimonia de virtutibus, miracula deſuper requiſivit, quæ per teſtes de viſu comprobarentur. Ex Ritu veteri, quo SS. Confeſſorum Elevationes fieri, aut Reliquiæ transferri conſueverant, de quo paullo poſt copioſius, modo vero non alterum illuſtriorem,

amplioremque teſtem adhibebo, quam S. Petrum Damianum in opuſc. 6. cap. 29., qui ad Henricum Ravennatem Antiſtitem referens acta in Canonizatione SS. Romualdi Camerinenſis, Amici Ratiſponenſis, Guidi Pompoſiani, Firmani Firmenſis, aliorumque complurium perhibet non antea ſuper eorum cadavera erecta fuiſſe Altaria ad Miſsas celebrandas, quam de eorumdem Sancta converſatione conſtitiſſet, nec niſi eorum interceſſione patratis miraculis ita exigentibus, nec niſi publica ex Sacerdotalis Concilii auctoritate. Ex Actis denique, ac diplomatibus Apoſtolicis in cauſſis ejuſmodi Canonizationum editis, ex quibus planiſſimum fit, nonniſi præmiſso diligentiſſimo examine, nec niſi poſtquam de SS. Confeſſorum heroicis virtutibus, ac miraculis evidentiſſime conſtitiſſet, ad eoſdem eo honoris in Eccleſia loco collocandos, quo nunc ſunt, Pontifices MM. pro officii particula ſui proceſſiſſe. Præcipuas enim partes religioſi cultus ſive erga Martyres, ſive erga Confeſſores decernendi penes Romanum Pontificem ſtetiſſe, a quo probatus cultus in ceteras deinde Eccleſias derivaretur, infra demonſtrare operæ pretium faciam.

Interea ut me ad varias revolvam veteris Ritus ſpecies, ac gradus, per quos veluti ad eum, qui nunc obtinet ſolemnior, aſcendit, valdequam mirum accidit Papebrochio in diſſert. 35. alias 30. Conat. chron. hiſt. de ſolemnium Canonizationum initiis, & progreſſibus inſcripta, veteres nullas inveniri formulas Ritus, quibus Dei Servi Cælitum faſtis adſcribi ſolemne fuerat. In ea vero exiſtimatione vir doctus verſatur id contigiſſe ideo, quod uſu, moreque veteri Canonizationes peragi in Synodis ſolerent, quas annue Pontifices coram ſe indicebant, in quibus ſola ferme voce decernebantur pleraque, quæ fama jam apud vulgum trita, pervulgataque eſſent: in quibus locum habuiſſe Canonizationes auguratur. Ut ſit de iſta Papebrochii conjectura, ante Innocentii II. ætatem ſimplicem admodum fuiſſe Canonizationis Ritum ex S. Petro Damiano in fine vitæ S. Romualdi cap. 79. apud Surium tom. 3. ad 19. Junii, atque ex teſtimonio Card. Baronii ad an. 1027. pag. 92. edit. Rom. 1605. arguit Morinus de Sacr. pœnit. lib. 10. cap. 20., in eoque ferme juxta ipſum Ritus ille ſitus erat, ut a Sede Apoſtolica facultas indulgeretur Altare ſupra corpus

corpus defuncti Servi Dei erigendi, quo erecto peracta eſſet Canonizationis ſacra Cæremonia. Atque quidem Ritum hunc in more poſitum fuiſſe nemo inficias eat, cujus tot, ac tam illuſtria documenta hiſtoria ſuppeditat Eccleſiaſtica. Enim vero V. Beda lib. 4. capp. 19., & 30. auctor eſt liquidus S. Ethildritæ corpus extra Eccleſiam jacens, novo indutu amictum, honoris cauſſa in Eccleſiam illatum fuiſſe, atque a Monachis Lindisfarnenſibus, impetrata ab Eadberto Epiſcopo venia, S. Cuthberti corpus e ſepulcro effoſſum, novo amictu involutum, novaque in theca reconditum, loco in Eccleſia elevato fuiſſe collocatum. De S. Johanne IV. in ordine Neapolitano Epiſcopo cognomento Scriba, a quo Kalendarium Neapolitanæ Eccleſiæ marmoreum paullo ante an. 850. ſcalptum fuiſſe oſtendit Cl. Mazochius in ſine Diatribæ præviæ Commentario ad illud Kalendarium, ſcribit Johannes Diaconus in Chron. Epiſcop. Neapolit. uſque ad an. 872. exarato circa an. 903. apud Muratorium tom. 6. par. 2. rer. Ital. pag. 287., ab eo corpora ſuorum Prædeceſſorum de ſepulcris levata fuiſſe, & in Eccleſia Stephania, aptatis unicuique arcuatis tumulis, ac deſuper eorum depictis imaginibus, diſtinctim collocata. In Milonis Monachi Elnonenſis ſupplemento circa medium ſæculum IX. legitur S. Amandi Trajectenſis Epiſcopi corpus e tumulo altiorem in locum in Eccleſia elevatum, de quo confer Mabillonium ad Sæcul. II. Bened. pag. 719., & ſeq., & Henſchenium tom. 1. Febr. pag. 873., & ſeqq. Apud Walafridum a Boſone Conſtantienſi Antiſtite defoſſum corpus S. Galli in Cenotaphio nobiliori fuiſſe reconditum liquet. Juſſu, ac permiſſu Halitgarii Cameracenſis Epiſcopi e tumulo elevatum, translatumque in locum illuſtriorem corpus S. Urſmari Abb. Lobienſis refertur in Chron. Lobienſi ad an. 823. apud Folquinum, de quo Dacherius tom. 6. Spicileg. pag. 541., edit. nov. tom. 2. pag. 730. Circa idem tempus ex conſenſu Stephani Tarvenenſis Antiſtitis ſimili ritu elevatum corpus S. Folquini Tarvenenſis olim Epiſcopi anno 854. vita functi legere præſtat apud Mabillonium ſæculo IV. Bened. pag. 622. In Chronico Cameracenſi a Balderico cognomine Rubeo Epiſcopo Tornacenſi elaborato a Clodovæo uſque ad an. 1030. refertur Engrammus Epiſcopus levaſſe corpus S. Hadulphi deceſſoris ſui, plebique

que diem in ipſius honorem indixiſse feſtivam. De elevatione, ac translatione Reliquiarum Johannis Abb. Reomenſis, aliorumque auctoritate Epiſcoporum facta præſtat adire Cl. Fontaninum in diſſert. de S. Petro Urſeolo; deque elevationibus corporum Adhelardi Abb. Corbejenſis, & Paſchaſii Radberti, quæ Romani Pontificis auctoritate peractæ ſunt, conferendus, ſi placet, Mabillonius in præfat. ad Sæcul. V. Bened. S. Romani Abbatis corpus in Villa Tullenſi ut e tumulo elevaretur, S. Leo IX. indulſit apud Surium ad diem 1. Januarii. Idem Pontifex in tertia ſua profectione Germanica par nobile alterum Dei Servorum per ſe met Sanctorum Canoni Ratiſponæ adſcripſit per elevationem, nempe SS. Wolfangum, & Herhardum, apud Pagium ad an. 1052. n. 3: quibus adjungendus S. Bertinus pari honore à S. Leone IX. cumulatus. SS. Stephani Hungariæ Regis, & Gerardi Epiſcopi, ac Martyris laceras exuvias S. Gregorii VII. juſſu e tumulo fuiſse elevatas cenſet Baronius ad an. 1079. pag. 537., qua de re conferendus etiam Surius tom. 4. ad diem 20. Auguſti, & tom. 5. ad 24. Septemb. Calliſti II. accedente conſenſu S. Arnulfi Sueſſionenſis Epiſcopi corpus elevatum de tumulo a Conone Legato in Synodo Bellovacenſi an. 1120. ex Liſiardo Sueſſion. Antiſtite in ejus vita c. 15. refert Harduinus tom. 6. par. 2. pag. 1101., & ſeq. Eugenii III. juſſu ab Eberhardo Bambergenſi Epiſcopo factam elevationem corporis S. Henrici Imperat. adnotavit Sollerius tom. 3. Julii pag. 716. Pro elevatione ſolemni corporis S. Johannis Gualberti peragenda litteras tribus Epiſcopis dedit Cæleſtinus III., novaſque adjecit Innocentius III., quas recenſent Sollerius tom. 3. Julii pag. 338., & ſeq., ac Fontaninus in Cod. Canoniz. pag. 32. S. Roberti corporis ſolemnem elevationem faciendam Anicienſi Epiſcopo commiſiſſe legitur Clemens VI. apud Mabillonium Sæculo VI. Bened. par. 2. pag. 185., & Fontaninum pag. 146. Sed hoc de Ritu ſatis jam, ac ſuper.

Nec minus in more poſitus erat Ritus alter pervetuſtus ſupra Confeſſorum ſepulcra conſtruendi ædes Sacras, ſive Aras, ſive Tumbas, ſive Ciboria, ſive Fredas, ſive Repas, quæ Cenotaphii ſpecies erant. Ciborium enim umbraculi genus erat quatuor columnis ſuffultum, & in pyramidem, aut conum, aut abſidem deſi-

deſinens : cujuſmodi cum ſuis columnis quatuor ex argento puro ſuper Confeſſionem S. Petri ædificatum a S. Gregorio M. memorat Anaſtaſius , & cujuſmodi argenteum Ciborium memorat Raynerius de Translat. SS. Eutychetis , & Acutii apud Mazochium in Diatriba de ætate Kalend. Marm. SS. Eccleſ. Neapol. cap. 2. §. 3. Freda , ſive Repa , dicta etiam Requies , ſive Requietorium , de quibus Du-Cangius in Gloſsar. , Mauſolei, ſive arcuati tumuli erat genus , ſive tumbæ ſupra corpora SS. Confeſsorum intra terram jacentia exſtructa. Ita enim a Chlotario Rege opera S. Deſiderii Epiſcopi ſuper corpus S. Germani Antiſiodorenſis ædificatam Fredam auro , argentoque decoratam tradit Henricus Monachus ſeculi IX. ſcriptor de mirac. ejuſdem S. Germani. Ita Requiem ſupra Reliquias S. Sturmii Fuldenſis Abb. conſtructam memorat Ægil ejuſdem Cœnobii Abbas , quem Rabanus excepit , in vita S. Sturmii apud Mabillonium Sæculo IV. Bened. par. 1. pag 266. Ita a S. Eligio Noviomenſi tumbam auro , argento , gemmiſque exornatam ſupra corpus S. Quintini erectam tradit in ejuſdem S. Eligii vita S. Audoenus lib. 2. cap. 6. apud Surium ad 1. Decemb. Refert huc Ritus ille , quo in honorem S. Simeonis Padolironenſis Eccleſiam exſtrui, ac juxta eum Altare conſecrari non tam indulſit , quam juſſit Benedictus VIII. apud Mabillonium Sæculo VI. par. 1. pag. 149. , & 168. Ritus ille , quo ſupra S. Romualdi corpus , quienquiennio poſt ipſius obitum, Romani Pontificis auctoritate , tum Johannis XIX. , aut Benedicti IX. , Altare erectum memorat in ejus vita S. Petrus Damiani : quo pariter ſacras ſupra Reliquias S. Bononii Abb. Locedienſis , Epiſcopo , & Clero Vercellenſi rogantibus , erigi Aram conceſſit Johannes XIX. apud Surium ad diem 30. Auguſti . Ritus ille , quo S. Deodati Nivernenſis Epiſcopi geſta legi in Eccleſia conceſſit S. Leo IX. apud Bollandianos tom. 3. ad 19. Junii, & Manſium in ſupplem. Concil. to. 1. pag. 1288.

Speciem Ritus alteram veterum Canonizationum inducere conatus eſt vir ſummus Mazochius in Not. ad cit. Diatribam §. 5. pag. 34. in eo ſitam , ut Confeſsorum effigies coloribus exprimerentur , atque ita Chriſtifidelium venerationi exponerentur . Repugnat tamen, ac rite quidem mea ſententia, vir doctiſs. Maurus Sar-

Sartius Monachus Camaldulenſis in diſſert. de veteri Caſula diptycha Claſſenſi cap. 2. §. 3., alias etenim ſubiiſſe cauſſas, præterquam Canonizationis, cur Epiſcoporum, (de quibus eo loci Mazochius loquitur), imagines in Sacris ædibus depingerentur, ex quibus hanc ego unam puto, ut non tam ipſis publicus impenderetur cultus, quam ut de ipſorum perpetua ſucceſſione conſtaret, pronum eſt percipere ex pervetuſto more pingendi indiſtinctim Epiſcoporum imagines: cujuſmodi veſtigia relegere eſt Romæ in Baſilica S. Pauli, ubi Rom. Pontificum ſeries jam inde ab ætate S. Leonis, aut S. Symmachi coloribus expreſſa etiamnum cernitur, de qua Blanchinius in opuſc. 11. tom. 2. Anaſt. cap. 4. pag. 79. id comprobans ex epiſtola Hadriani I. ad Carolum M.: extaſſe in Baſilicis etiam Vaticana docet Ciampinus de Sacr. ædif. a Conſtantino M. conſtructis cap. 4. Tab. 10., & 11, & Lateranenſi obſervat idem Blanchinius loco cit. cap. 3. pag. 75., Romanorum Pontificum ſeriem efformari antiquitus conſueviſſe admonens nedum Imaginibus, ſed etiam Muſivis, ſed etiam hiſtoriis. Relegere eſt in Eccleſia Ravennate apud Agnellum lib. Pontif. par. 2. in vitis Maximiani pag. 100., & Boni pag. 263. Relegere eſt in Eccleſia Neapolitana, ſive in Cœmeterio S. Gaudentii, ubi olim depictæ Epiſcoporum imagines conſpiciebantur, quorum ſeriem veteri ex conſuetudine orbiculis commendatam ex Codice Bibl. Florentinæ, quem vidit etiam Holſtenius, exhibet Blanchinius in append. ad diſſert. Emanuelis Scheleſtratii tom. 2. Anaſt. pag. 61., & ſeqq. Relegere eſt in Orientis Eccleſiis, e quibus decreto Synodi VI. Cyri, Sergii, Pauli, Pyrrhi, & Petri Monothelitarum principum imagines ſublatas fuiſſe denarrat Anaſtaſius in S. Agathone; quem in locum ſect. 145. tom. 4. pag. 101. obſervat Dandinus Altaſerra ex S. Ambroſio de interpellat. cap. 9., de Offic. lib. 1. cap. 49., & in Pſal. 38., nec non ex eodem Anaſtaſio in Conſtantino Imperatorum imagines nedum in Urbibus, ſed etiam in Eccleſiis depingi conſueviſſe.

Ad certiores igitur Canonizationis veteris Ritus ſpecies ut me revolvam, antiquius ſæculo X. exemplum non ſuppetit Ritus ſolemnis, quo Confeſſores Sanctorum albo ſint adcenſiti. Equidem Andreas Molfeſius conſuetud. Neapolit. conſil. 46. refert legiſſe

legiſse ſe in Actis Mſs. Sanctorum Eccleſiæ Conſtantienſis a Stephano III. anno 770. ſolemni ritu Sanctorum faſtis adſcriptum S. Tudpertum . Sed apud eruditos fide valdequam laborant Acta iſta , quorum in Eccleſia Romana ne leve quidem veſtigium extat ; qua de re adeundus Henſchenius ad diem 27. Martii . Religioſum Cælitum cultum Apollioni Eremitæ a Judæis interempto decretum a S. Nicolao I. affirmat Troilus Malvezzius de Canoniz. dub. 4. prop. fin. , ſed monumentis illis , unde narrationem hanc ille deduxit , auctoritatem omnem detrahunt viri docti , in quibus Angelus Rocca de Canoniz. SS. cap.5. Primum ergo Canonizationis ſolemnis exemplum a Leone III, a quo ſolenni ritu in Canonem Sanctorum relatum S. Suitbertum fert Epiſtola S. Ludgeri , quam recitat Surius tom.2. cap.9. , repetunt Baronius , Bellarminus , Cornelius a Lapide , Angelus Rocca , Gonzalezius lib.3. Decret. tit.48. , Vincentius Petra tom.1. Conſt. ad Conſt.1. Eugenii IV, aliique plures . Atqui Leonis III. factum hoc pernegant,& S. Ludgeri hanc Epiſtolam pſeudo-epigraphis adnumerandam probant Brovverus in Not. ad vitam S. Ludgeri cap. 3. ; Henſchenius ad 26. Martii in vita S. Ludgeri, & apud ipſum San-Felicius Nuncius Apoſtolicus in Germania in epiſt. ad eruditum Amicum ; Mabillonius ad Sæcul.III. Bened. par.1. in Elogio hiſt. S. Suitberti; Pagius uterque, Senior ad an.749. n.3., & 754. n.7. , Junior in Leone III. ; ac Morinus de Sacr. pœnit. lib.10. cap.20. Quamquam eidem Morino aſſentiri in eo , quod addit primum ſolemnis Canonizationis exemplum , quod legitur , eſſe S. Hugonis Gratianopolitani , ſecundum vero S. Bernardi , quominus poſſim , ac debeam , prohibent exempla alia pleraque antiquiora Canonizationum jam commemorata , quæ a Johanne XV. , Benedicto VIII. , Benedicto IX. , Clemente II. , S. Leone IX. , Alexandro II. , Urbano II. , & Paſchali II. peractæ ſunt . Ab Hadriano II. Cælitum honor indictus fertur etiam S. Walburgæ , de quo tamen nullibi , ut ſciam , conſtat ; nec non S. Nicolao I. , cujus quidem nomen ſacris Diptychis inſcribi epiſt. ad Synodum Tricaſſinam juſſit , eumque plurimis coram Epiſcopis , Presbyteris , & Optimatibus Sancti nomine cohoneſtavit , quin tamen Sanctorum cultum illi decreverit : Diptychis vero inſcriptionem longe a Canonizationis

Ritu abfuiſſe jam demonſtratum eſt. Quamquam igitur antiquus is Ritus fuerit admodum ſimplex ante Innocentium II., & Alexandrum III., non adeo tamen ſimplex erat ſæculi IX. ſub exitum, multoque minus ſub exordium ſæculi XII: quandoquidem ex diplomate Johannis XV. in Canonizatione S. Udalrici Auguſtani Epiſcopi, quod primum Canonizationis ſolemnis indubium monumentum reputant Mabillonius in præfat. ad Sæculum V. Bened., Papebrochius in diſſert. de ſolem. Canoniz. initiis, & progreſſibus, & Pagius ad an. 993. n. 2., edito in Romana Synodo an. 993., regeſtoque a Baronio n. 1., a Marco Velſero pag. 587., a Sollerio ad diem 4. Julii, ab Harduino tom. 6. par. 1. pag. 727., & a Fontanino in Cod. Canon. pag. 1., conſtat non abſque magna ſolemnitate Canonizationem ejuſmodi eſſe celebratam, de cujus etiam celebritate ſolemni loquitur S. Gregorius VII. lib. 6. epiſt. 38. ad Henricum Epiſcop. Aquilejenſem. Nec minori ſacri honoris apparatu, & pompa Canonizationes peractas fuiſſe adparet S. Simeonis Eremitæ a Benedicto VIII. apud Mabillonium ſæculo VI. par. 1., S. Simeonis Recluſi a Benedicto IX. apud Bollandianos tom. 1. Jun. pag. 97., S. Wiboradæ a Clemente II. apud Burchardum de caſibus S. Galli, S. Gerardi a S. Leone IX. apud Mabillonium ad Sæculum V. pag. 894., S. Arialdi ab Alexandro II. apud Landulphum Junior., & Pagium ad an. 1067. n. 1., & ſeq., S. Herlembaldi ab Urbano II. apud Puricellum lib. 1. cap. 6., & lib. 4. cap. 81., & S. Petri Anagnienſis a Paſchali II. apud Papebrochium in Conat. Cron. hiſt. §. 162. n. 30.

Ab Innocentio II. ſolemniores primum Ritus adhibitos fuiſſe obſervat Muſantius in Tabul. Chronolog. pag. 99, in Canonizationibus nempe SS. Hugonis Gratianop., & Sturmii Fuldenſis. Solemniori etiam Ritu Sanctorum catalogo adſcriptos ab Alexandro III. SS. Thomam Cantuar., & Bernardum Claræval. dignoſcere licet ex eorum Actis deſcriptis a Lupo, & Mabillonio. Novis adauctus Cæremoniis ſolemnior evaſit Ritus iſte, quo Cælitum honores Confeſſoribus, de quorum heroicis virtutibus, & miraculis conſtitiſſet, a Pontificibus decernebantur. In Canonizatione S. Chunegundis, & S. Vvlſtani ſpecialis Collecta, ſive Oratio ab Innocentio III. edita, ac recitata legitur ad calcem

Apo-

Apoſtolicarum litterarum in Codice Canon. Fontanini pag. 39, & 41. Apud Cherubinum Bullar. Rom. tom. 1. ſub n. 7, & Pagium in Brev. hiſt. Honorius III. primus legitur, qui in Canonizatione S. Laurentii Dublinenſis omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui in ipſo die Feſtivitatis, aut infra Octavam ad ejuſdem Eccleſiam precaturi acceſſiſsent, viginti dies Indulgentiæ conceſserit; atque in die translationis S. Willelmi Eboracenſis fidelibus, qui adfuiſsent, aut in feſtivo die anniverſaria ad ejus ſepulchrum oraturi conveniſsent, quadraginta dierum Indulgentiam elargitus ſit apud Fontaninum pag. 59, & Pagium loco cit. Novus item Ritus a Gregorio IX. in Canonizatione S.P. Franciſci Aſſiſinatis inductus legitur apud Raynaldum ad ann. 1228. n. 36, & Pagium in Brev. tom. 3. pag. 260, triennio nempe ab ejuſdem obitu: nam S. viri virtutes, ac miracula cum laude a Pontifice digno ſermone celebrata ſunt: Hymno *Te Deum* D. O. M. gratiarum ingentes actiones decantatæ: cum palmis, & cereis accenſis, confluentique populi corona ſolemnia peracta: Pontificis pretioſis ornati veſtibus præſentia, & Cardinalium adſtantium cœtu cohoneſtata. Alius iterum ſolemnis Ritus ab Innocentio IV. adhibitus eſt in Canonizatione S. Petri Veronenſis apud Papebrochium in Propylæo diſsert. 20. n. 8, & S. Stanislai Cracovienſis apud Dugloſsum lib. 3. ipſius vitæ cap. 2, & Bollandianos tom. 2. Maji pag. 260: quippe adſtante ſibi Cleri, populique ingenti frequentia, eximio ſacrarum veſtium apparatu ipſo, Temploque ornatis, atque cereis ardentibus omnium manibus delatis Canonizationis ſententia mox in area ante Eccleſiæ fores patenti, mox ex ambone ab ipſo met in Eccleſia pronunciata, Petrum, & Stanislaum Sanctorum faſtis adſcripſit. Confer Fontaninum pag. 91, quo loci ex Bucelino, & Bollandianis ad 29. Junii pag. 505. obiter adnotat Boleslaum Poloniæ Regem S. Stanislai interfectorem poſt tantum facinus peregre abiiſse, inque Cœnobio Oſſiacenſi Ord. S. Bened. in Carinthia prope Villacum in claſse Fratrum, qui Converſi nuncupari ſoleni, uſque ad obitum ignotam vitam, pœnitentemque tranſegiſse. Sane Ritus ſolemnis, qui ſæculo XII, & ſeqq. uſu Pontificibus venerat, quo nempe auditis viri Dei de virtutibus, ac miraculis teſtimoniis

niis idoneis, fideque dignis, poſt recitatum Hymnum *Veni S. Spiritus*, Cælitum religioſus cultus eidem decernebatur, poſtque decantato Hymno *Te Deum* Canonizati Oratio recitabatur, in Miſſa præterea a Cardinali Diacono mentio fiebat, atque a Pontifice ipſo abſolutione peracta, mentio occurrit apud Hoſtienſem in Cap. *Audivimus de Reliq.*, *& Vener. SS.*, Mabillonium tom. 2. Muſ. Ital. in. Ord. Rom. Card. Cajetani, & Bollandianos ad diem 19. Maji in vita S. Petri Cæleſtini.

Porro Cæremonias Sacras in Canonizationibus ejuſmodi univerſim obſervari ſolitas primum deſcriptas reperiri in Mſ. Codice Vaticano ſub n. 4737. ab Auctore Rituum hiſce formulis cudendis præfecto ſub Clemente VI. circa annum 1347. admonent, eaſdemque deſcribunt Odoricus Raynaldus ad eumdem an. n. 34. & ſeqq., & Marcellus Corcyrenſis in Cæremoniali veteri, quod vetuſtiſſimo Ordini Romano ſuccedens in uſu fuit uſque ad Leonem X. Innocentius VIII. in cauſſa S. Margaritæ Scotorum Reginæ celebris haud contentus provinciam demandaſſe Archiepiſcopo Sant-Andreano, Epiſcopo Glaſguenſi, Electo Aberdonenſi, & Abbati S. Crucis Diœceſ. S. Andreæ de geſtis ejuſdem, rebuſque admirandis, atque teſtium dictis publicas in tabulas referendis, interrogatoria præterea facienda ipſis præſcripſit legenda, ſi vacet, apud prælaudatum Annaliſtam ad an. 1487. n. 26, & ſeqq. Altera formula ſub Alexandro VI. procuſa eſt Cæremoniarum, quibus in hujuſmodi procedere cauſſis Pontificibus M. ſolemne tum evaſerat. Eamdem ex Codice Mſ. Archiepiſcopi Cantuarienſis pag. 202. accurate deſcriptam exhibet Harduinus tom. 9. Concil. pag. 1547, & ſeqq. lectu quidem valdequam dignam, ſed quam præterire ego cogor, quum mihi potius brevem operam dare præſtet iis deſcribendis Ritibus, qui nunc uſu præcepto veniunt. Ergo Innnocentii IV. exemplo mos receptus eſt, ut in Eccleſia ipſa, Vaticana ſcilicet Baſilica, Canonizationes celebrentur, earumque ſententia denuntietur, unde, tametſi in Baſilica Lateranenſi nonnullæ peractæ fuerint, Benedictus XIV. Conſtitutione lata eaſdem deinceps Canonizationes in Vaticana Baſilica peragendas declaravit. In Canonizatione S. Brigittæ a Bonifacio IX. celebrata præter uſitatas ex priſco more panis, vini, &

ceræ

ceræ oblationes, Cæremonia offerendi Summo Pontifici Columbas, & Turtures primum visa est, arbitrio Petri Amelii, de qua Mabillonius in Mus. Ital. tom. 2. pag. 537. Quam tamen Avium oblationem in solemni Offertorio factam displicuisse Benedicto XIII, fierique solemniter in Canonizatione octo Sanctorum ab ipso habita in Vaticana Basilica prohibuisse, adnotant Fontaninus in Cod. Canoniz. pag. 160, & Memmius de sac. Ritib. cap. 13. Confer eumdem Amelium in Ord. Rom. cap. 153, & Philippum Bonanum in Numism. Pontif. tom. 2. pag. 42. Aliarum rerum, Aviumque plurium oblationem factam Eugenio IV, dum Sanctorum catalogo adnumeraret S. Nicolaum Tolentinum, refert Ciacconius.

Veteribus hactenus enumeratis alii accesserunt Ritus. Indulgentiæ enim ampliores iis, quæ ab Honorio III. concessæ sunt, impertiri solent, uti plenaria confessis, & sacra Communione refectis, qui Canonizationis solemniis intra octiduum interfuerint; septem vero annorum, ac totidem quadragenarum iis, qui Canonizatorum tumulos Natali eorum die recurrente invisserint: imo nonnullæ applicandæ aliis Regularibus eidem Regulæ, quam Canonizatus professus sit, adstrictis, aliquando concedentur. Recentior Ritus is est, ut processione ad Basilicam Vaticanam peracta, in qua Canonizandi Imago in vexillo depicta defertur, cuique gestandi vexilli ritui initium dedit vexillum, quod in Canonizatione S. Stanislai Cracovienſis ab Angelis delatum apparuit, ut observavit Papebrochius tom. 2. ad 11. Maji, Pontifex in solio sedens auditis ter repetitis precibus, quibus ab Advocato Consistoriali nomine Procuratoris Canonizatio petitur, bisque indictis precibus, primo Litaniarum Sanctorum, postea Hymni *Veni Creator Spiritus*, post tertiam suam aperit mentem, definitque Dei Servum Beatorum, aut Beatum Sanctorum Catalogo esse adcensendum, id est aut illi cultum delatum permittit, aut deferendum præcipit. Sententiam hanc a Pontifice exceptam Advocatus Consistorialis publicam facit, petitque litteras Apostolicas; quarum instrumentum Protonotarii conficiunt, testesque adhibentur quotquot Pontificio adsistunt solio. Tum canitur *Te Deum*, & Canonizati memoria in Collecta, Confessione, & Bene-

& Benedictione recolitur: celebratur imo Missa vel a Pontifice; vel ipso impedimento aliquo detento, a Cardinali antiquiore, in eaque Indulgentiæ conceduntur; & oblationes fiunt, scilicet ad Offertorium offeruntur panes aureati, & argentati, parvi Cadi argentati, & aureati vino pleni, avesque diversæ vivæ, præsertim Turtures, & Columbæ in caniſtellis depictis inclusæ. Porro Ritus hujusmodi a tempore Sixti IV. in hodiernum diem obtinet, aguntque diligenter de eodem Ritu Acta Canonizationum, Ordines Romani Cardinalis Cajetani, & Petri Amelii apud Mabillonium tom. 2. Musæi Italici; Cæremoniale Marcelli Archiepiscopi Corcyrensis; Hostiensis in Cap. *Audivimus*; Rocca in tract. de Canoniz. Sanctor.; Contelorius de Canoniz. SS.; de Matha; Memmius de eodem argumento, præsertim vero Benedictus XIV. tom. 1. lib. 1. de Servor. Dei Beatif., & Beator. Canoniz., qui provinciam istam explevit, numerisque omnibus prorsus absolvit.

Obscurare sacros hos Ritus adnituntur Heterodoxi apud Rodulphum Hospinianum in tract. de origine, progres., cærem., & ritib. festorum cap. 6., & Johannem Albertum Fabricium Bibliograph. antiq. cap. 8. n. 24., obgannientes hujusmodi Ecclesiæ Romanæ Ritus originem sumpsisse ex Apotheosi Gentilium. Ea scilicet erat solemnis apud Græcos, & apud Romanos Cæremonia, qua consecrabantur homines ob præclara facinora celebres, atque inter Divos adscribebantur; quamque fuse describunt post Herodianum hist. lib. 4. cap. 2., Johannes Rosinus antiquit. Roman. lib. 3. cap. 18., & Thomas Dempsterus in Paralip. ad antiq. Roman. Rosini, ac Ovidii Metam. lib. 9. Peragebatur autem hisce ferme superstitionis plenis modis ex affectu, & gratia assentandi potius, quam ex veræ existimatione virtutis, qua consecrandus excelluerit, profectis, ut animadvertit Grutherus lib. 2. cap. 5. Nempe superiori loco splendores inter, & radios Sole coruscantis Zodiaci viri illustris Monogramma describi solebat. Mediam Apotheosis tabulam occupabat Divi effigies, quam duo alati Genii utrinque complectentes turbinem inter, & nebulam efferre in Cælum fingebantur. Prostabat in inferiori parte pluribus distincta ordinibus Pyra, e cujus penetralibus Aquila aut una, aut gemina, libera

bera in aerem emittebatur. Sed in Fœminarum Apotheosi Pavo, Junonis ales, e rogi fastigio finebatur, tanquam ipsius heroinæ anima, in Cælum evolare. Quadrigis impositum conspiciebatur simulacrum, quod, si viri, trahebant elephantes, si vero fœminæ, ad carpentum admotæ videbantur mulæ. Atque ita celebratas ab Ethnicis Apotheoses Romuli, Augusti, & Antonini Pii observarunt ex eorum Diptychis, & Numismatibus Bonarotius in observat. ad Numis. pag. 171., 236., & seq., Montfauconius in supplem. antiq. tom. 3. pag. 220., & seq., Sponius de antiq. dissert. 24., & Patinus in Suetonium cap. 11. Videsis Rom. Magnitud. Monumenta edit. Rom. 1699. tab. 124. Ita quoque absolutas ferme Apotheoses Agrippinæ Claudii matris, Domitillæ uxoris Vespasiani, ac Juliæ Titi filiæ, & Faustinæ augurari fas est ex Vaillantio in Numis. tom. 1. pag. 120., & Vignolio de Columna Anton. Pii cap. 8.

Porro Christi Domini Apotheosim, ejusque inter Divos relationem tentasse Tiberium Imperatorem, postquam ejusdem Christi D. acta, ac prodigiorum narrationem acceperat a Pilato, sed obstitisse Senatum, auctores sunt Tertullianus Apologetici cap. 5, Eusebius lib. 2. hist. Eccles. cap. 2, S. Johannes Chrysostomus hom. 26. in epist. 2. ad Corinth., S. Hieronymus in Chron. ad an. 23, Paulus Orosius lib. 7. hist. cap. 4., & S. Gregorius Turon. lib. 1. hist. cap. 25.: quibus accedunt ex Catholicis Baronius ad an. 34., Huetius demonstr. Evangel. prop. 3., Serrius in exercit. de Christo, ejusque Matre exercit. 64., & Mamachius orig., & antiq. Christian. lib. 2. cap. 21. §. 4. not. 1., ex Heterodoxis vero Pearsonus lect. in Acta Apost., & Samuel Petitus in Diatriba de jure Principum edictis Ecclesiæ quæsito: quamvis contra pugnent Tanaquillus Faber tom. 2. epist. 12., Antonius Wandale dissert. de actis Pilati lib. 2. de oraculis, Sigebertus Havercampus in notationibus ad cap. 5. apolog. Tertull., Samuel Basnagius in Annal. ad an. 33. Qua de re consule Tillemontium Monum. hist. Eccles. tom. 1. Not. 18. in vita S. Petri; Natalem hist. Eccles. ad Sæcul. 1. cap. 4., Serrium loc. cit., alioque. Christo etiam Servatori Templum exstruere voluisse, ejusque Apotheosim tentasse Hadrianum, & Alexandrum Severum Imperatores, idque ne facerent ministros falsorum Numinum impediviſse, refert Ælius Lampridius in Alex.

Se-

Severo cap.43. Inficiantur id Pagius ad an.134. n.4., Caſaubonus Notat. in hunc locum Lampridii, & Baſnagius ad an.126. contra Lampridio ſcriptori ethnico de Chriſto bene loquenti non eſse denegandam fidem defendunt Huetius loc.cit., Dominicus de Colonia Soc. Jeſu tom.2. *De la Religion Chretienne autorizè &c.*, Serriuſque cit.exercit. 64. Cum ejuſmodi igitur Gentilium Apotheoſi convenire Sanctorum Canonizationem, ab eaque derivari contendunt heterodoxi.

At vero commenta inania ſunt iſta a Proteſtantibus ad religioſum Sanctorum cultum traducendum in invidiam inventa: quam enim longo, latoque diſcrimine inter ſe diſtent Ritus hi ſacri apud Chriſtianos a ſuperſtitionibus Ethnicis obiter ſic oſtendo. Nam Ethnicorum Apotheoſis vel ex vana unius teſtis relatione, vel ex impotenti amore præpotentis cujuſpiam erga aliquem ſibi carum decernebatur, idque ſat ſuperque erat, ut ille inter Cælites conſecraretur, veluti de Apotheoſibus Romuli, Octaviani, & Druſillæ indicant Livius lib.1., Svetonius in Octaviano cap.101., Plutarchus in vita Romuli, & Dio lib.59. Contra vero Sanctorum Canonizatio ab Eccleſia non perficitur, niſi poſt gravium teſtium de virtutibus, & miraculis apertiſſimam aſsertionem. Apud Ethnicos Apotheoſes dumtaxat Imperatoribus, fœminiſque Auguſtis decernebantur, utcumque cum illi, tum iſtæ impietate celebres evaſiſsent: quamvis enim privatis quibuſdam Divi titulus aliquando tribueretur, illis tamen Apotheoſis non deferebatur. At vero Canonizationes de quocumque, ac cujuſcumque conditionis homine celebrantur, modo virtutibus, & miraculis clarus evaſerit. In Apotheoſi Ethnicorum denique Conſecrato divinus honor tribuebatur, utque Deus habebatur: in Eccleſia vero Canonizatus ſolummodo tanquam Dei Servus, & amicus colitur, uti docent S. Cyprianus de exhort. Martyr., Euſebius Emiſſenus in ſer.de S.Romano Martyr. tom.6. Bibl. PP., S. Auguſtinus lib.22. de Civit. cap.10. S. Cyrillus Alex. lib.6. contra Julian., & Concil. Nicænum II. act.3. Unde ortum duxit Theologorum doctrina de Cultu civilis obſervantiæ, Duliæ, Hyperduliæ, & Latriæ. Videant ergo ſummum eſſe inter Apotheoſim, & Canonizationem diſcrimen tum in honoribus, qui decernebantur, tum in hominibus, meri-

meritiſque, quibus, & ob quæ decernebantur, tum demum in modo, quo decernebantur. Adeundi Memmius de ſacro Ritu Canoniz. cap.1, Marangonius de rebus Gentilium ad noſtra ductis cap.31., Benedictus XIV., aliique ſupra laudati.

Evidentiſſimum ergo eſt Canonizationem Sanctorum non ex Apotheoſi Ethnicorum dimanaſſe, ſed ex doctrina catholica de Sanctorum cultu, invocatione, imitatione, & interceſſione: ſed ex Eccleſiæ antiqua diſciplina, juxta quam Sanctos Canonizandi Eccleſiæ cauſſa fuit Sanctæ, & Individuæ Trinitatis honor, fidei Catholicæ exaltatio, Chriſtianæ Religionis augmentum, atque utriuſque Eccleſiæ communionis ſignificandæ gratia: ſed etiam ex ſimilibus olim in Lege Moyſis indictis Ritibus: nam Spiritum Sanctum eo ſenſim Eccleſiam adduxiſſe, ut omnes veteris Legis figuræ in ea adimplerentur, obſervant Theologi noſtrates apud Bellarminum lib. 2. cap.32. Sed eſto ex ſimili Apotheoſi Ethnicorum ratione quadam manarit Ritum Canonizationum, is emendatus, expiatus, & conſecratus ab Eccleſia eſt, ac tam non improbandus, quam non improbandum cenſuerunt Patres, quod Paganorum Templa ritu ſacro expiata, veroque Deo dicata Chriſtianis Sacris addicerentur; uti S. Auguſtinus epiſt.47. ad Publicolam, Theodoretus ſer.8. de Martyr., & S. Gregorius M. lib.11. epiſt.76. ad Mellitum, & lib.2. Dialog. cap.8. Poſtremo religioſo Sanctorum cultui S. Scriptura ſuffragatur Numer.22, 31., Joſue 5, 13; 14, 15; 3.Reg.18,7; & 4. Reg.2, & 4. Quamvis non frequens invocationis Sanctorum mentio fiat, in veteri quidem Teſtamento ob propenſionem hebræi populi ad Idololatriam; in novo autem ob periculum, ne Gentiles recens converſi Sanctos eſſe Deos crederent. Sed hactenus de Ritibus Canonizationis, quos procul dubio cuilibet frugi, liberalique viro probandos omni ex parte fore eſt demonſtratum.

Jam vero quod nunc ad 2. propoſitæ diſputationis caput attingit, ſolius eſſe Romani Pontificis ſive una cum Concilio, ſive extra Concilium Servos Dei Beatorum, aut Beatos Sanctorum albo adſcribere probandum aggredior ratione, auctoritate, & exemplis: ratione, Sanctorum ſiquidem Canonizatio, ſeu Sanctis cultus indictus, & invocatio decreta factum quidem eſt, ſed dog-

maticum, ideſt factum connexum cum jure, factum inquam, quo conſtat aliquem eſſe Sanctum; ſed connexum cum jure, ideſt cum hoc dogmate, ſeu articulo catholico, quod Sancti colendi ſint, & invocandi. Atqui ad Pontificem ſolum ſupremo, ac prorſus irreformabili, ut ajunt, infallibilique judicio de factis dogmaticis, ſive de factis connexis cum jure decernere pertinet. *Honor, quem Sanctis exhibemus, quædam fidei profeſſio eſt*, inquit S. Thomas quodl. 9. art. 16. Ne igitur fidei puritas ex cultu ſuperſtitioſo labem contrahat, & Eccleſia cultum alicui indebitum deferendo periculum erroris incurrat, de ejuſdem Sanctitate, & glorificatione conſtare omnino debet. At Eccleſiæ de Sanctorum glorificatione, & Sanctitate liquido non conſtat, niſi ex definitione Romani Pontificis: quippe qui ſicuti de ceteris rebus fidei, morumque certo definit, ita de Sanctorum cultu, & invocatione; quia ſcilicet ipſe ſolus Regula viva eſt agendorum, & credendorum, controverſiarumque cunctarum indubius Judex; ipſi ſiquidem Chriſtus Dominus in hujuſce generis maximis cauſſis juris dicundi, & quidem indefectibilem poteſtatem, atque ſupremam fecit verbis illis: *Super hanc petram &c. Paſce Oves meas*; *Tibi dabo Claves* &c. *Rogavi pro te* &c. Brevius, & clarius. Deus propoſitione univerſali revelavit Eccleſiæ Sanctos regnare ſecum glorioſos in Cælis, eoſdemque colendos eſſe, & invocandos, uti late oſtendunt apud Bellarminum, Natalem, Gotti de vera Chriſti Eccleſia tom. 2. par. 2. art. 14., alioſque Theologi noſtrates: in propoſitione vero univerſali explicite revelata, implicite Deum revelaſſe omnes particulares in ea contentas indubium eſt: ut itaque in Eccleſia quis Sanctus, & Beatus habeatur, duo requiruntur, ac ſufficiunt, virtus morum, & veritas miraculorum, veluti appoſite Gregorius IX. explicavit in Bullis Canonizat. SS. Franciſci Aſſiſinatis, & Antonii Patavini: duobus autem hiſce certo Eccleſiæ conſtat quempiam hominem contineri in propoſitione generali revelata, quod Sancti ſint apud Deum: conſequenter ideo certo Eccleſiæ conſtat quempiam Sanctum in alia propoſitione generali item revelata comprehendi, quod Sancti ſint colendi, & invocandi. Jamvero Pontificis M. ſolius eſt definire hominem quempiam virtutibus, & miraculis eſſe clarum, ideoque eumdem eſſe San-

Sanctum, & ut Sanctum colendum, & invocandum: verbo hominem quemquiamalbo Sanctorum adscribere.

Procedendo nunc auctoritate, principio Dei Servos Beatorum, & Sanctorum catalogo adscribendi potestatem uni Romano Pontifici adjudicant Theologi, Canonistæ, ac Pontifices ipsi, hac in re plane tam supremi Judices, quam testes idonei. Quum enim Sanctos colere, & invocare non modo licitum, ac honestum sit, sed imo colere necessarium, & invocare utile, veluti ex S. Scriptura tum veteris Testamenti Num. 22. Josue 5; & 3 Reg. 2; tum novi Apoc. 1, 5, 8; S. Petri epist. 2., & alibi; atque ex Traditione SS. Patrum, Irenæi lib. 5. contra hæres. cap. 19., Origenis lib. 8. contra Celsum; S. Cypriani in epist. 57. ad S. Cornelium; aliorumque apud Theologos, Bellarminum præsertim, Tournellium, Natalem, Gotti, aliosque patet: quumque ad Sanctorum cultum, & invocationem necessaria sit eorumdem Canonizatio, uti fatetur ipsemet Dallæus lib. 3. cap. 21., palam fit penes Romanum Pontificem eam potestatem esse. Quinimo quum Ecclesiast. 44. Sanctorum laudes nuntiare Ecclesia jubeatur; & Epist. vicissim ad Hebr. cap. 11. Sanctorum laudes celebrare Apostoli religioni cesserit, idque rite fieri nequeat, nisi prius de Sanctorum virtutibus constet, & miraculis, consequens est a Pontifice definiri posse, qui nam Sancti sint cultu, & invocatione digni. Quare Dei verbo cum scripto, tum tradito secure innixi potestatem inter Sanctos referendi viros virtutibus, ac miraculis claros rite sibi tribuunt Pontifices, velut in Bulla Canonizationis S. Franciscæ Romanæ, & in Brevi Beatificat. S. Francisci Salesii; ipsisque recte Pontificibus vindicant Theologi apud Dominicum a SS. Trinitate to. 10. Bibl. Maximæ Pontif. c. 18. Atque speciatim hanc potestatem soli Romano Pontifici jure optimo adjudicant ex Theologis, & Canonistis Augustinus Triumphus de potest. Ecclesiæ q. 14. art. 1.; Johannes de Turrecremata in Cap. 1. *De Consecr.* dist. 3; S. Antoninus par. 3. tit. 22. cap. 5; Malvezzius in tract. de Canoniz. Sanct.; Bellarminus de Sanct. Beatitud. lib. 1. cap. 8;, Saussajus in apologet. theolog. de SS. cultu §. 9. post Martyrolog. Gallic; Papebrochius in Conatu dissert. 20.; Castellinus de Canoniz. Sanct. cap. 1.; Schiarra de potest. Pontif.; Contelorius; de Matha

loc. cit.; Bordonus variar. reſoluti on. par.3. reſolut.113; Matthæuci Controv.7. cap.5., Benedictus XIV. cap.7., & ſeqq: quibus hac in ſententia præiverant Abbas Panorm., Hoſtienſis, Johannes Andreas, Ancharanus, Fagnanus, Barboſa, Pirringhius, Anacletus, aliique apud ipſos in Cap. *Audivimus de Reliquiis, & Vener. Sanctorum* lib.3.decretal. Cujuſce privatæ poteſtatis (adeo ut neque Concilio generali abſque Pontificis auctoritate poteſtas hujuſmodi competat), rationes tradunt Gloſſa, Hoſtienſis, Fagnanus in Cap. cit. *Audivimus*; inter quas 1. Quia hæc una eſt ex majoribus cauſſis, quas ad Apoſtolicam Sedem referendas eſſe decreverunt S.Innocentius I. in epiſt.2. ad Victricium Rotomag., S. Leo I. in epiſt.4, S. Gregorius M. lib.5. epiſt.54. ad univerſos Regni Childeberti Epiſcopos, aliique alibi laudati, & habetur Cap. *Majores de Baptiſmo*, ex Innocentio III. Cap. *Multis* Diſt. 15., & Cap. *Ut debitus*, *de Appellat.*2. Quia ſolus Pontifex vices Chriſti D.in terris gerit Cap.2,3,& 4. *de Translat.Epiſcop.*, & Cap. *Ut Noſtrum* 1., *Ut Eccleſia benefic.* Unde quum ſolius ſit Dei homines ſanctificare, uti dicitur Levit. 21., & Ezech. 20., ita ſolius eſt ejuſdem Vicarii Sanctos declarare.3. Quia cauſſas ad univerſam Eccleſiam ſpectantes, ſeu quæ Eccleſiam univerſam adſtringunt, cujuſmodi eſt Sanctorum Canonizatio, ſolius Pontificis eſt definire, quum ipſe ſolus in Eccleſiam univerſam poteſtate præcellat Cap. *Cuncta* 17., & 18., & Cap. *Per principalem* 9. q.3. Mitto rationes alias legendas apud Hoſtienſem loc. cit., a quo eaſdem mutuavit Gloſſa ibidem.

Verumtamen Theologorum, & Canoniſtarum longe præſtantior, potiorque Romanorum Pontificum auctoritas dubitationem omnem ſuſtulit, Sanctorum Canonizationem tanquam unam ex majoribus cauſſis ad Romanum Pontificem pertinere decernentium. Ita namque Alexander III.relatus lib.3.Decretal. tit.45. *de Reliquiis, & Vener. SS.* Cap. *Audivimus* monitus ab Arnulpho Epiſcopo Lexovienſi Procuratorem Monaſterii Griſtani in ebrietate occiſum tamquam Martyrem coli, hujuſmodi cultum prohibuit, rationem reddens: *Quum etiamſi per ipſum miracula fierent, non liceret ipſum pro Sancto abſque Eccleſiæ Romanæ auctoritate venerari.* Porro hacce Decretali novum jus conditum

eſſe,

eſſe, quo Romano Pontifici Sanctorum Canonizatio privative reſervatur, Bellarminus lib. 1. de SS. Beatitud. cap. 8., Mabillonius in præfat. ſæcul. V. Benedict., aliique cenſent. At vero ejuſmodi jus antiquum eſſe, & a memorata Decretali non induci, ſed indictum ſupponi Papebrochius loco cit., Pagius in Brev. hiſt., Matthæucius loc. cit., Benedictus XIV. lib. 1. cap. 10., aliique verius exiſtimant. Ea vero de re edita ab Alexandro III. ea Decretalis eſt, ut Metropolitanis, & Epiſcopis jus deinceps adimeret omne Canonizationes hujuſmodi peragendi; unde ab an. 1153. nulla ab illis Canonizatio amplius peracta legitur: imo Archiepiſcopus Viennenſis, ejuſque ſuffraganei an. 1231. a Gregorio IX. poſtulantes Canonizationem Stephani Dienſis Epiſcopi an. 1213. defuncti, jus illud Sedi Apoſtolicæ privative reſervatum expreſſe cognoverunt. *Quia nemo*, inquientes, *quantacumque meritorum prærogativa polleat, ab Eccleſia Dei pro Sancto habendus, aut venerandus eſt, niſi prius per Sedem Apoſtolicam ejus Sanctitas fuerit approbata*. Idem jus privative Romano Pontifici aſſeruere Innocentius III. in Cap. 1. *de Reliq., & Vener. SS.*, nec non in Bulla Canoniz. B. Chunegundis Imperatr., & Clemens VI. in epiſt. ad Patriarcham Armenorum. Hinc Bonifacius VIII. apud Platinam corpus Hermanni, cui a Ferrarienſibus Cælitum impendi cultum acceperat, comburi omnino juſſit, quin etiam in ejus hæreſim diligenter inquiri, cujus ſuſpicione haud leviter laborabat. Urbanus V. quoque certior factus a quibuſdam in Britannia Carolo e Bleſis, & a quibuſdam in Italia duobus aliis apud ipſos virtutum fama celebribus religioſum cultum deferri, qui illis nondum ab Eccleſia fuerat decretus, gravibus litteris datis apud Raynaldum legendis ad an. 1368. n. 11., & 12. utroſque acerrime perſtrinxit, removerique abuſum diſtricte præcepit. Quia vero poſt Alexandri III. Decretalem non deerant Theologi, & Canoniſtæ, inter quos Thomas Waldenſis, qui Epiſcopis adhuc facultatem indulgendi in Diœceſi Beatificationis honores adjudicarent; atque reipſa Epiſcopi nonnulli id ſibi jus adhuc aſſererent, ut ex nonnullis Beatificationum exemplis apud Bollandianos tom. 3. Februar., & tom. 3. April. ad diem 26. conjicere eſt; ea propter Urbanus VIII. jus iſtud omne Epiſcopis intercidit, cauſſaſque etiam Beatificationis uni Romano Pontifici reſervavit. Hiſce

Hiſce ſummorum Pontificum decretis ſuffragantur geſta, in quibus præclarum ſupremæ poteſtatis iſtius ſpecimen intueri liceat, exindeque plane intelligere ſolius eſſe Romani Pontificis Dei Servos Beatis, aut Sanctis adcenſere. Quæ quidem geſta perveſtigando, ante ſæculi V. initium certo auſpicari facile, non inficeor, haud ſuppetet, auſpicio certo ſint tamen vetuſtiſſimi juris Romanæ Eccleſiæ coævi, in eaque jugiter, religioſeque ad hanc uſque ætatem retenti. Igitur S. Vigilii Tridentini Epiſcopi, & Martyris, a quo jampridem Siſinius Diaconus, Martyrius Lector, & Alexander Oſtiarius pro fide interfecti Beatis adnumerati fuerant, eorum in honorem a fundamentis excitata Eccleſia, eorumdemque Acta certaminis una cum parte Reliquiarum ad S. Simplicianum Mediolanenſem, & S. Jo: Chryſoſtomum miſſa, S. Vigilii, inquam Martyrii Acta ad Romanum Pontificem tunc S. Innocentium I. miſſa fuiſſe, a quo confirmata fuerint, referunt Bollandiani ad diem 26. Junii. Aliud documentum ex eodem Pontifice, a quo S. Chryſoſtomus in Cælis regnans dictus in epiſt. ad Arcadium, ejuſque nomen reſtituendum ſacris Diptychis juſſum eſt, quod ab Alexandro Patriarcha Antiocheno reſtitutum fuiſſe ſignificavit S. Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus in epiſt. ad Petrum, & Ædeſium Diaconos apud Bollandum tom. 1. Januar. ad diem 8. repetunt nonnulli: ſed de eo exemplo dubitat jure Benedictus XIV. lib. 1. cap. 7., eo quod etſi S. Innocentius S. Doctorem in Cælis glorioſum dixerit, nullum tamen eidem cultum decrevit; & quamvis ejuſdem nomen Diptychis inſcribendum judicarit, idem non erat, ac albo Sanctorum inſcribere, ſed id unum Patrum ſcilicet defunctorum tabulis adnumerare, uti colligitur ex epiſtola S. Cyrilli Alex. ad Atticum. Quocirca S. Jo: Chryſoſtomo cultum tunc primum Eccleſiæ judicio delatum cenſet, quum ejuſdem Reliquiæ Conſtantinopolim translatæ ſunt: quamquam cultus hujuſmodi in Eccleſia univerſa non obtinuerit, niſi accedente Romani Pontificis aſſenſu. S. Mauri Abbatis vitam a Fauſto Monacho exaratam, ſibique oblatam auctoritate ſua confirmavit Bonifacius III, ut auctor eſt Leo Hoſtienſis Chron. Caſſin. lib. 1. cap. 3. apud Muratorium tom. 4. Scriptorum rer. Italicarum: extat vero ea vita apud Mabillonium ſæculo I. Benedict., quam tamen ſæculo IX.

culo IX. ab Odone Abbate Glanafolienſi interpolatam fuiſſe oſtendit in Crit. Baronii ad an. 543. n. 7, & ſeq. Antonius Pagius. Auctor vitæ S. Kiliani Epiſcopi, & Martyris apud Caniſium tom. 4. antiq. Lect., & Mabillonium ſæculo II. Benedict. refert, quod poſtquam a Conone Papa Epiſcopali dignitate, nulli tamen certo loco adſtricta, ille adauctus fuiſſet, atque Evangelium prædicatum in Franconiam miſsus, eo quia Gozbertum Franconiæ Ducem ab uxoris fratris ſui conjugio non abſtinentem corripuiſſet, Martyrio una cum Colomanno Presbytero, & Totmanno Diacono ſociis ſuis affectus eſt: quum vero ad eorum ſepulchra multa fierent miracula, S. Zachariæ P. M. auctoritate, & juſſu an. 752. a S. Burchardo Epiſcopo Wirtzburgenſi primum eorum corpora e tumulo honorifice elevata ſunt, ut refert Anonymus auctor vitæ ejuſdem S. Burchardi apud Mabillonium par. 1. ſæculi III. Benedict. Perperam proinde a S. Bonifacio Moguntino ea elevatio facta dicitur apud Lambertinum: nam Auctor vitæ S. Kiliani teſtatur quidem ea corpora elevata ex præcepto Zachariæ, operam commodante S. Bonifacio, ſed ita intelligi id debet, ut Bonifacius a Zacharia juſſus id S. Burchardo præſtandum juſſerit. Porro iis temporibus Sanctorum e tumulo elevationes fiebant, ut illis honor deferretur, ac proinde erant æquipollentes Canonizationes, ut pluribus oſtendit Mabillonius. Elevatio e tumulo S. Othmari Abbatis auctoritate Stephani III. facta eſt, de qua legere eſt Surium tom. 6. ad 16. Novemb., Trithemium de viris illuſtr. Ord. S. Benedicti lib. 3. cap. 233, Mabillonium ſæculo III. Benedict., & Burchardum de caſibus S. Galli cap. 1. Poſtquam Offa Merciorum Rex doloſe Ethelbertum Anglorum Orientalium Regem occidiſſet, facti pœnitens, ut facinus expiaret, Romam profectus ab Hadriano I. impetravit, ut Templo, ac Monaſterio Herefordiæ in honorem S. Albani Inſulæ Protomartyris ab ſe exſtructo, in illud ejuſdem S. Albani Reliquiæ inferrentur. Rem omnem narrant Matthæus Pariſius in vita Offæ II, Matthæus Weſtmonaſterienſis ad an. 794, & Spelmannus tom. 1. Concil. Angliæ. Dum in Galliis ageret Johannes VIII. Girbaldo Epiſcopo Cabilonenſi efflagitante ſeptem Epiſcopi acis Cabilonenſibus inter eos S. Agricolæ, & uni Presbytero

bytero cultum decrevit, ut affirmat Sauſſajus in Martyrolog. Gallic. ad diem 20. Novemb., vel ſaltem cultum illis delatum probavit, ut exiſtimat Henſchenius ad diem 30. April. S. Wilibaldo primo Epiſcopo Eiſtetenſi, qui S. Bonifacio Moguntino Epiſcopo ſocius prædicationis acceſſerat, cultus non niſi Leonis VII. auctoritate delatus eſt apud Sollerium ad diem 7. Julii. S. Burchardi primi Herbipolenſis Epiſcopi, a quo ejuſdem S. Bonifacii ſtudia egregie adjuta fuerant, e tumulo elevatio ex Benedicti VI. conſenſione celebrata eſt apud Mabillonium ſæculo III. Benedict. SS. Landoaldi Presbyteri, & Amantii Diaconi, qui Roma a S. Martino I. prædicatum Evangelium in Belgium directi fuerant, de quibus copioſe agunt Surius ad 19. Martii, & Molanus in indice Sanctor. Belgii, Johannes XIII. a Vomaro Abbate rogatus cultum confirmavit, apud Bolland. tom. 3. ad 19. Martii. Atque hæc quidem ſat habeo perduxiſſe uſque ad Johannem XV, cui Ritum ſolemnem in SS. Canonizatione primum inductum, ac poſtinde adauctum initium debere ſuum jam dixi; Canonizationum vero exinde celebratarum uſque ad Sixtum V. ſeriem paullo ſuperius dedi. Ceteras enim ſolemnes inde habitas legere præſtabit in Codice Fontanini a pag. 248, & ſeqq.

Atqui pro enixa, qua Religionis tam puritati conſulere, quam religioſo Cultui Sanctis, Beatiſque deferendo proſpicere ſtudebant Romani Pontifices ad hanc uſque devexiorem ætatem deſtitere nunquam a diligentia omnimoda adhibenda, quo cultus ejuſmodi in tuto poneretur, omninoque procul abigerentur abuſus, quibus adhuc Eccleſiæ non deſiſtebant aliquæ a religioſo cultu aliquibus deferendo abſque Sedis Apoſtolicæ conſcientia, & conſenſu. Itaque S. Pius V. Conſt. 9. Tumulos in Eccleſiis ſuper terram elevatos omnino amoveri, & cadavera infra terram tumulari juſſit. Ne impoſterum Cælitum honores cuipiam deferri a quopiam propria auctoritate, abſque delectu, Sediſque Apoſtolicæ aſſenſu, contingeret, Congregationem ſacrorum Rituum, quæ rebus hiſce diligentem impenderet operam, attenteque invigilaret, Sixtus V. inſtituit. Clemens VIII. S. Congregatione coram ſe indicta die 25. Novemb. an. 1602. in modum optimum ſtatuendi religioſum erga Sanctos cultum, ac ſecernendi publicum

cultum

cultum a privato inquiri diligentiſſime juſſit apud Ceparium directorii Canoniz. par. 2. cap. 5. Decreta pleraque opportune a Paulo V. edita de religioſo cultu Dei Servis præſtando, quoad Reliquias ſcilicet, Sepulchra, Elogia, Vitas, Imagines &c. proſtant apud Caſtellinum de certitud. glor. SS. cap. 2, & Boldettum in obſervat. ad Cœmet. SS. Martyr. lib. 1. cap. 43. Denique Urbanus VIII. anno 1625. re mature in Congregatione S. Inquiſitionis diſcuſsa, cultum Dei Servis, Romano Pontifice inconſulto, deinceps impendi prohibuit; cultuſque hujuſmodi varias diſtinxit ſpecies, expoſuitque, de quo legenda celeberrima ipſius Decreta circa eorumdem Imagines, Libros, Tabulas, Luminaria &c. Religio hæc eadem tam propria Romanorum Pontificum, alios pariter Eccleſiarum Præſules, viroſque probos, & auctoritate præſtantes inceſſit ſe ſe opponendi abuſibus paſſim irrepentibus, quibus Cælitum honores abſque Sedis Apoſtolicæ licentia nonnullis Dei Servis impendi non deſinebant. Ita enim Simeon de Cramando Pictavienſis Antiſtes in Synodo Provinciæ ſuæ cultum, qui nonnullorum Reliquiis, de quorum virtutibus, ac miraculis certitudo ſuberat nulla, tribui conſueverat, ſub anathematis pœna ſubmoveri præcepit. Auctor Græcus defenſionis pro quinque capitibus Concilii Florentini, qui apud Fabium Benevolentium, Leonem Allatium lib. 3. Conſenſ. cap. 6, Raynaldum ad an. 1453. n. 15, & in Bibl. PP. Colon. tom. 4. pag. 1456. Gregorius Scholarius, ſive Gennadius Conſtantinopolit. fertur, verius tamen a Petro Arcudio, a Matthæo Caryophilo, & a ſe ipſo in Reſponſ. ad Marcum Epheſin. apud Labbæum tom. 13. Concil. pag. 707, eſt Joſephus Methonenſis, cap. 5. ſect. 15. gentilibus ſuis ingenti crimini vertit, quod religioſo Cælitibus debito cultu Palamam, & Marcum Epheſinum homines ſchiſmaticos, & hæreticos proſequerentur. Miſsarum ſolemnia, quæ in Dei Servi Nicolai Anachoretæ honorem jam ab annis 62. Saxellæ celebrari ſolebant, Johannes Georgius ab Halvil Conſtantienſis Epiſcopus omnino interdixit. Synodus Carnotenſis anno 1526. diſtricte prohibuit, ne incogniti cujuſpiam Dei Servi Imago publice colenda exponeretur. Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. in Decreto de Invocat., venerat., Reliq. Sanct., & ſacr.

Imaginibus ſaluberrima multa hanc in rem ſcitu digna ſancivit. S. Carolus Borromæus quo ſtudio Sanctorum religioni promovendæ incumbebat,eo intentus, ne quid ſuperſtitionis irreperet, cujuſdam cadaver, qui coli a nonnullis cœperat, qnin tamen de eo quidpiam ſibi compertum eſſet,alte ſub humo condi curavit.Totus in id etiam indefeſſus allaboravit S.Vincentius Ferrerius,ne feſtus dies cujuſdam apud Græcos ſchiſmaticos loco inter Sanctos celebri habiti a Latinis celebraretur. Operam pariter egregiam impenderunt collatis utrinque viribus Religioſi utriuſque Ordinis Præd., & Minor., ut Arnaldi hæretici Albigenſis, alteriuſque viri homicidæ, quibus jam ab annis 16. ab ignara plebe honor impendebatur, oſſa, & cineres diſperderentur. S. Inquiſitio Valentina cultum omnem Franciſco Hieronymo Samo detraxit. Congregatio S. Rom. univ. Inquiſitionis coram V.Innocentio XI. anno 1680. habita Johanni Cala Anachoretæ honorem aſſertum ademit, ejuſque Reliquias, & Imagines ſevere interdixit. S.Congregatio Rituum anno 1681. Imagines F. Pauli Juſtiniani Auctoris Congregationis Montis Coronæ cum laureola, & Beati titulo impreſſas deleri juſſit, imprimique deinceps prohibuit. Si plura in hanc rem adhuc aveas tibi auctor ſum, ut præ ceteris adeas ſæpius prælaudatum, laudeque omni facile ſuperiorem Benedictum XIV. lib. 2. cap. 12, & ſeqq.

At vero inquiunt, qui ingenio præpoſtero fervent hanc juris particulam Romano Pontifici detrahendi,ejuſque ex æquo participes faciendi Epiſcopos, antiquam eſſe in Eccleſia diſciplinam, Eccleſiæque facile coævam, ut Epiſcopi propria auctoritate ſuis in Diœceſibus Dei Servis cum virtutum odore, ac fama defunctis,ac poſt fata miraculorum gloria refulgentibus Sanctorum honores decernerent, ſub eorum invocatione Templa dedicarent, Araſque conſtruerent; corpora e tumulis elevarent, feſtivas dies agendas indicerent, eaque præſtarent, quæ eodem reciderent, atque ſit albo Sanctorum adſcribere. Atque hanc quidem diſciplinam, de qua agit copioſe Martenius tom. 4. cap. 30, uſque ad Alexandrum III.in Eccleſia obtinuiſſe multis demonſtratMabillonius in præfat. ad ſæculum V. Bened., viguiſſe quin etiam, ſaltem quoad Servorum Dei Beatificationes,uſque ad Urbanum VIII. argu-

argumento ſunt plane, quæ paſſim habent Bollandiani tom. 3. Febr., tom. 3. April. ad diem 26, & tom. 1. Julii. Sane ſex tantummodo annis antequam Pontificatus faſtigium aſcenderet Alexander III, Metropolitis veterem morem uſu adhuc veniſſe Sanctorum Canoni adſcribendi Dei Servos, Apoſtolica Sede inconſulta, oſtendit Pagius Junior in eodem Pontifice, ſub quo ab Hugone Rotomagenſi Antiſtite S. Gualterii Abbatis ſacræ exuviæ ſunt elevatæ, conceſſæque Indulgentiæ iis, qui ejuſdem Sancti viri beneficia devote invocarent. Circa eamdem ætatem a Trauvardo Epiſcopo Cameracenſi Cælitum honores Hadulpho proximo deceſſori ſuo fuiſſe decretos refert Baldricus Tornacenſis Epiſcopus in Chron. lib. 1. cap. 35. Elevationem corporis S. Guiberti Gemblacenſis peractam ab Oberto Legienſi Antiſtite deſcribit Sigebertus in Chron. ad an. 1210. Longe quin imo poſt, atque ſub annum 1473. in honorem S. Feliciani Epiſcopi feſtivam diem per totam Diœceſim celebrandam fuiſſe indictam a Wedekindo Mindenſi Antiſtite ſcribit ad eumdem an. Chronographus Mindenſium Epiſcop. Ad hæc illud accedit, quod in Concilio Conſtantienſi S. Rochus in Sanctorum album relatus legitur; expeditæque litteræ remiſſoriales pro inſtruendis Proceſſibus ſuper virtutibus, ac miraculis Nicolai Lincopenſis, Brynulphi Scarenſis Epiſcoporum, & Ingridis Sanctimonialis proſtant apud Raynaldum ad annum 1416. n. 22. In Concilio Baſileenſi præterea Petri Luxemburgii propoſita Beatificatio fuit, expeditæque litteræ pro informationibus habendis ſuper ejuſdem virtutibus, & miraculis. Quid vero quod auctor eſt Theodoretus lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 26. Telemachum Monachum, quum Romæ Gladiatores compeſcere eniteretur, ab eiſdem occiſum Martyrum propterea numero ab Honorio Imperatore fuiſſe adcenſitum? Sed & Fridericus Ænobardus diploma pro elevatione, & exaltatione corporis Caroli M. dediſſe legitur. Præterea a Conciliis Francofordienſi anno 794. Can. 42, & Moguntino anno 813. Can. 51. relato a Gratiano Can. 37. *Corpora Sanctorum, de Conſecrat.* diſt. 1. Sanctis cultum, Cælitumque honores decernere, atque eorum Reliquias transferre in Epiſcoporum poteſtate eſſe poſitum haud obſcure indicatur. Denique ut obſervat Van-Eſpenius par. 1. tit. 22.

cap. 7. quum primum ad Canonizationes adhiberi cœpit Pontificum auctoritas, ipsi Pontifices id sibi juris non assumpserunt, nisi comprobante Episcoporum Synodo: ita enim Urbanus II. rogatus a Benedicto Abbate Rempeflegiensi pro Canonizatione Guolgosi decessoris sui respondit desiderari tum testes, qui miracula visa suis oculis attestarentur, tum plenariam Synodum, cujus firmarentur assensu.

His absque delectu, indigestimque congestis antequam offendam, prænotare operæ pretium duco, quod generatim actus alii Cultus religiosi Beatis ante, ac post Beatificationem, alii vero Sanctis post Canonizationem deferri ex præscripto Romanorum Pontificum solent. Enim vero quamvis olim *Servi Dei* titulus veteris Testamenti viris Dei, uti Moysi 2. Esdræ 9. tributus legatur, eumdem usurpaverint in Testamento novo Apostoli, ut S. Paulus, de quo S. Johannes Chrysostomus tom. 1. in epist. ad Roman., ac Summi Pontifices, in quibus S. Gregorius M., eumdemque imo tribuant Græci recens baptizandis in forma Baptismi, qua de re Græcis nec ab Eugenio IV. in Concilio Florentino, nec ab Episcopis Synodi Londinensis an. 1556. ullum facessitum negotium est; attributum quin etiam aliquando fuisse Abbatibus ex Synodo Suessionensi an. 744. observarit Petrus de Marca de Concord. lib. 6. cap. 24; Clericis tributum legatur a S. Cælestino I. in epist. 14. edit. Cout. ad Clerum Constantinopolit.; Monachis tandem a Concilio Germanico an. 742. Can. 2, & 6: nunc tamen juxta consuetudinem Congregationis Sacrorum Rituum iis dumtaxat attribuitur, qui cum Sanctitatis laude fini concesserunt suo, aut quorum Beatificationis caussa eadem in S. Congregatione exagitari cœperit. Quamvis etiam olim titulus *Venerabilis Servi Dei* aliquando hominibus sacro Charactere insignitis, præsertim Episcopis, aut Presbyteris insigni cum Sanctitatis opinione defunctis delatus legatur, ut Hincmaro a S. Nicolao I. epist. 12. edit. Hard., ac Bedæ, ut adnotavit Baronius ad an. 731. pag. 109. edit. Antuerp. 1601; aliquando Romanis ipsis Pontificibus, ut in Synodis Romanis sub S. Hilaro, & Bonifacio II; aliquando Episcopis in vivis adhuc agentibus, ut in Collatione 1. Carthag. cap. 62; aliquando laicis

cis etiam Principibus, uti Carolo M. ab Hadriano I. in epiſt. ad Epiſcopos Hiſp. adverſus Elipandum; aliquando Martyribus ipſis vindicatis, ut S. Flaviano a Marciano Auguſto in Conſtit. revocatoria Conſtitutionis Theodoſii Jun. pro pſeudo Synodo Epheſina apud Harduinum ex verſione Ruſtici Diaconi tom. 2. Concil. pag. 675; & aliquando Noſocomia, aliaque loca ſacra, ut in Concilio Forojulienſi an. 791. cap. 12; nunc tamen uſu recepto, uſurpatoque a S. Congregatione Rituum *Venerabilis Dei Servi* nomine conſecrantur dumtaxat ii, quorum celebris fama virtutum judicio Eccleſiaſtico experta, probataque jam fuerit, aut quorum in cauſſis fuerit jam ſignata introductionis, uti vocant, commiſſio. Poſtremo quamvis Beati, & Sancti titulus promiſcue ſæpe pro eodem uſurpetur, ut in Codice Carolino, ubi Apoſtoli, in Martyrologiis, ubi plerique Sanctorum ita paſſim appellantur: quin etiam Beatitudinis etſi nomine cohoneſtati legantur nedum S. Gregorius M. a Mauritio Imper. apud Harduinum tom. 3. pag. 527, ſed Hincmarus a S. Nicolao I. epiſt. 12, ſed Johannes Ravennas a Johanne VIII. epiſtola 16, ſed a Ludovico Pio Sicharius Burdigalenſis, & Magnus Senonenſis Antiſtites apud Harduinum tom. 4. pag. 1176, & 1178: quamvis denique Sancti olim nominati legantur Chriſtifideles a SS. Paulo, & Luca, & Sancti utcumque vocari queant quotquot in gratia ſanctificante vitam finiunt: nunc tamen ex Sacrorum Rituum Congregationis diſciplina Beatus dumtaxat is dicitur, cui cultus hujuſmodi indultus eſt, Sanctus autem, cui Cælitum honor eſt decretus.

Poſt hæc vero prænotare ulterius non pœnitebit varios eſſe Cultus ejuſmodi modos, ac longum, latumque intercedere diſcrimen inter Cultum, qui Beatis, & qui Sanctis defertur. Generatim Beatis ab immemorabili cultus illius ſpecies tribuitur, quem retroacto longiſſimi temporis intervallo, Apoſtolica Sede haud contradicente, a Vulgo illi obtinuerunt: Beatis vero ex indulto Sedis Apoſtolicæ is tantummodo cultus eſt tribuendus, qui in litteris Apoſtolicis deſignatur; cujuſmodi actus cultus, qui Beatis indulgeri ſolent, diſtincte ab Alexandro VII. determinati ſunt in Decreto edito die 27. Septemb. anno 1659., declaratique a Congregatione Sacr. Rituum die 17. April. an. 1660. Cultus vero ſpecies

cies, ſive actus, qui Sanctis exhiberi ſolet, ſeptem enumerat Bellarminus lib.1. de Beatitud. SS. cap.7, videlicet 1. Qua eorum nomina Catalogo Sanctorum adſcribuntur; cujus nomine non jam Martyrologium intelligi debet, ſed Sanctorum cum Deo in Cælis regnantium conſortium, cui adſcitos declarat illos Eccleſia. 2. Qua eorum ſuffragia publicis Eccleſiæ precibus invocantur, Imagines, atque Reliquiæ ſolemni cum pompa deferuntur. 3. Qua eorum in honorem, ac memoriam Templa, ſive Altaria dedicantur. 4, Qua in eorumdem honorem Miſſa, & Officium in Eccleſia celebrantur: ubi obſerves velim obiter aliquando in honorem Beatorum Miſſam, & Officium indulgeri pro determinatis tamen locis, non pro Eccleſia univerſali; aliquando etiam in honorem Sanctorum pro aliquibus dumtaxat locis Miſſam, & Officium concedi; in Eccleſia vero univerſa celebranda aliquando dumraxat permitti, aliquando vero præcipi, prout in litteris Apoſtolicis præfertur. 5, Qua eorum die anniverſaria recurrente dies feſti aguntur, & quidem aliquando ſub præcepto feſtive agendi vel in propria Diœceſi ab Epiſcopo, vel ubique in Eccleſia a Pontifice præſcripti. 6, Qua eorum Imagines cum radiis non modo, cum quibus Beatorum quoque depingi poſſunt, ſed etiam cum diademate, cum quo Beatorum nequeunt, depinguntur, ac publice deferuntur, quomodo neque deferri Beatorum Imagines queunt. 7, Qua eorum Reliquiis publicus exhibetur honor, eæque publicis in Proceſſionibus honorandæ circumferuntur.

Ita diſtinctis Cultus ſpeciebus, qui Beatis, & qui Sanctis tribuendus ſit, in diſtinctionem nunc præſtat inquirere, quæ Beatificationem inter, & Canonizationem intercedit. Utramque promiſcue accipi poſſe aliquibus perſuaſum eſt, ſed verius putant multo plures inter utramque longum, & latum intercedere diſcrimen, de quo tamen non una eſt, eademque ſententia: nam alii Canonizationem diſtinguentes in particularem, & univerſalem, particulari Beatificationis nomen appingunt, univerſalem proprie Canonizationem appellant. Alii vero Beatificationem vocare malunt eam, quæ peculiari Epiſcoporum judicio olimperagebatur; Canonizationem aurem, quæ publico, univerſalique Eccleſiæ in Concilio coactæ, aut Sedis Apoſtolicæ judicio decernebatur

batur. Atque rite quidem juxta veterem disciplinam, qua Episcopis fas erat Dei Servis religiosum cultum indicendi, Beatificationis nomine inscribendus erat cultus ille, qui judicio aut Episcopi in Diœcesi propria, aut Metropolitani, aut Synodi in Provincia cuipiam deferebatur. Canonizatio viciſſim censenda venerat cultus ille sacer, ac solemnior, quo ab Ecclesia universa ex Apostolicæ Sedis consensu tacito, vel expresso quispiam excipiebatur. Juxta novam disciplinam, qua tum Beatificationes, tum Canonizationes uni Romano Pontifici reservantur, difficilius quidem statui discrimen inter illas potest, statutum est tamen ab Innocentio III., & Hostiensi in Cap. *Audivimus, de Reliq., & Vener. SS.*; a Benedicto XIV. lib. 1. cap. 39.; a Scacho de Notis, & sign. Sanct. sect. 1. cap. 1; a Gonzalezio in cit. Cap. *Audivimus*; a Conteloro de Canoniz. SS. cap. 2; a Memmio de Sacro Ritu Canoniz. cap. 1; a Matthæucio in pract. ad cauſ. Beatif., & Canoniz. quæst. procem. cap. unico, qui postremus contra communiorem opinionem censet cultum etiam in Beatificatione præcipi, exceptisque Missa, & Officio, ad Ecclesiam universam extendi. Quæ profecto sententia ex parte quidem veritati innititur, nam aliquando in Beatificatione cultus præceptus legitur, ut ab Alexandro III., qui Officium in honorem B. Guillelmi a Malavalle celebrari in Diœcesi Grossetanensi jussit; ut ab Innocentio III., qui id confirmavit; ut a Leone X., qui Officium pariter in honorem B. Hosannæ in Urbe, ac Territorio Mantuano recitari voluit; ut a Clemente IX., qui B. Rosæ Limanæ in Indiarum Patronam adlectæ memoriam Officio recoli præcepit; ut a Clemente X., qui B. Stanislaum Kostkam Poloniæ, & Lithuaniæ Patronum renuntians Officio cultum eidem impendi injunxit. Aliquando quin etiam in Beatificatione cultum ad universam Ecclesiam fuisse extensum, constat, sicuti B. Johannis Boni ex concessione Sixti IV., & B. Rosæ Limanæ ex indulto Clementis X. Cæterum ex altera parte corruit prorsus opinio Matthæucii, nam regulariter in Beatificatione cultus dumtaxat permittitur, & ad loca determinata restringitur, veluti liquido adparet ex Brevibus Beatificationum Pii V, Philippi Benitii, Jacobi de Marchia, aliorumque, de quibus Codex Fontanini pag. xxi., & seqq. videri poterit; in Canonizatio-

zatione vero cultus præcipitur, atque ad universam Ecclesiam ampliatur, uti constat ex Bullis Canonizationum SS. Didaci, Hiacynthi, Raymundi de Pennafort, Franciscæ Romanæ, Caroli Borromæi, aliorumque, quorum seriem ordinat Codice eodem Fontaninus a pag. 233, & seq. Quamobrem in eo rite constituitur Beatificationem inter, & Canonizationem discrimen, quod illa sit cultus dumtaxat permissus, & si quandoque præceptus, limitatus sit tamen ad certa loca, & si quandoque ad Ecclesiam universam extensus, ita tamen intelligatur extensus permissive dumtaxat, non præceptive; sitque demum directus ad futuram definitivam sententiam a Pontifice in Canonizatione proferendam. Iste vero, idest Canonizatio, sit summi Pontificis suprema definitiva sententia, qua cultus in Ecclesia universa præcipitur, atque ex præcepto eodem Pontificis ad universam Ecclesiam extenditur.

Quibus ita præoccupatis, jam difficile non est objecta diluere; ajo siquidem Episcopos olim juxta veterem disciplinam cultum Martyribus, aut Confessoribus in Diœcesibus suis decernentes, Beatificationis spartam quamdam explesse, non etiam Canonizationis solemnem ritum compleviſse, proque Beatificatis privatis in Diœcesibus illos haberi potuisse, non item fuisse habitos pro Canonizatis ab Ecclesia universa, donec Romani Pontificis accessisset auctoritas; neque proinde erroris periculo Beatificationes hujusmodi caruisse, donec ejusdem Pontificis auctoritate expresse, vel tacite confirmatæ fuissent. Duo ergo Beatificationibus illis ab Episcopis propria auctoritate persolutis deerant, cultus præceptus, universalisque, atque periculi erroris immunitas: utrique vero defectui ea ratione olim ab Episcopis obviam itum ostendi, quod SS. Confessorum, sive Martyrum acta, & miracula diligenter conquisita, & collecta ad Ecclesias cæteras, maxime autem ad Romanam mitti consueverint. Postquam vero Canonizationes non modo, sed Beatificationes etiam soli Romano Pontifici reservari cœperunt, quæ adhuc peractæ ab Episcopis feruntur, Beatificationes nihili habitas in Ecclesia fuisse; nisi quæ expresse a Romanis Pontificibus fuerunt probatæ, multis ostendit Benedictus XIV. lib. 1. cap. 31: quæ vero Beatificationes a Romanis

manis ipſis Pontificibus celebratæ ſunt, quomodo ab omni prorſus erroris periculo immunes evadant, quove auctoritatis gradu habendæ ſint, paullo infra exponam. Ad auctoritatem quod attinet, quam ſibi Concilium Conſtantienſe arrogavit, reſpondeo S. Rochum jam ante Concilii Conſtantienſis epocham cultum obtinuiſſe, ac tunc tantummodo ejuſdem Imaginem ad avertendam graſſantem luem per Conſtantienſem Urbem fuiſſe ſolemni pompa delatam. Hinc vero Phœbeus apud Papebrochium in diſſert. 20. putat Vexillorum profectum uſum, ac Proceſſionum ſolemnium, qui nunc in Canonizationibus obtinet. Ad eoſdem Epiſcopos Conſtantienſis Concilii ab Epiſcopis Sueciæ ſupplicatum eſt equidem, ac ſupplicationem ex Benzelio in Diario Vaſtanenſi pag. 200. affert Cl. Manſius in ſupplem. Concil. tom. 4. pag. 129, pro Canonizatione Nicolai, Brymulphi, & Ingridis; quin etiam ab eodem Concilio tribus Sueciæ Epiſcopis datæ ſunt litteræ apud Raynaldum legendæ ad an. 1416. n. 22, demandataque provincia diligenter inquirendi ſuper illorum virtutibus, & miraculis: at vero novam Martinus V. deinde commiſſionem demandaſſe, atque Asloenſi, & Verionenſi in Suecia Epiſcopis novas dediſſe de hacce cauſa litteras legitur apud Cl. Bremondum tom. 1. Bullar. Ord. Præd. ad annum 1415, & Manſium pag. 131, & ſeqq. Ad cauſſam quod attinet Petri Luxemburgii, ea quidem a Clemente VII. pſeudo-Pontifice tribus Cardinalibus ex ſua obedientia fuerat demandata: Petro Fuxenſi præterea a Concilio Baſileenſi provincia impoſita fuerat, ut præhabitæ informationes ſuper ejus virtutibus, & miraculis conquiſitæ ad Concilium tranſmitterentur, quas de re litteras Synodales regerit præcit. tom. 4. Manſius pag. 1141. Proceſſus attamen ejuſmodi in cauſſa confecti Conſtantiam jam antea ab Andrea de Borvil delati fuere ad Martinum V, a quo Beatificatio poſtulata eſt, quam poſtremo Clemens VII. legitimus Pontifex abſolvit, uti liquet ex ipſius litteris Apoſtolicis deſcriptis a Ciaconio in Cardin. creat. 2. Martini V, a & Sollerio tom. 1. Julii.

Porro heic obiter præſtat obſervare, quod Canonizatio S. Birgittæ quia a Bonifacio IX. tempore ſchiſmatis peracta fuiſſet, ideoque a Johanne XXIII. obnixis precibus Regum Scotiæ,

Daniæ, & Norvegiæ inflexo in Concilio Conſtantienſi iterata, nihilotamen minus Martinus V. *Ad conſcientiarum ſerenationem*, uti dicitur in ejus Diplomate Florentiæ die 1. Julii anno 1419. dato, iterum eamdem confirmavit. Sed & Pius II. in Bulla Canonizationis S. Catharinæ Senenſis apud Bzovium ad an. 1370. n. 20, Raynaldum ad an. 1461. n. 124, & Henſchenium tom. 3. April. pag. 993. Divino conſilio factum affirmat, ut eadem tempore ſchiſmatis Sanctorum albo minime adſcriberetur, veluti de eadem adſcribenda conſilia agitaverant Urbanus VI, Innocentius VII, & Gregorius XII, ne ſcilicet quæ Urbano VI. adhæſerat, obtrectationibus aliorum, qui aliorum pſeudo-Pontificum fuerant partes conſectati, eſſet obnoxia: *Ne ſæviente diviſionis procella, quod Sanctum una obedientia decreviſſet, profanum altera cenſuiſſet*. Quod de Telemacho ex fide Theodoreti traditur, ita demum accipi debet, ut Honorius Imp. de ipſo Sanctorum faſtis adſcribendo apud Romanum Pontificem ſollicitum ſe præbuerit: ecquis enim probus æqui, juſtique æſtimator Principales inter partes hanc quemptam in Sanctorum catalogum referendi poteſtatem recenſeat? Ita pariter non tam Friderico Imperatori, quam Paſchali pſeudo-Pontifici Caroli M. in SS. Canonem relatio accepta referenda eſt: quæ idcirco Romana ab Eccleſia recepta non eſt, nec ejus nomen in Romanum Martyrologium relatum. Quamvis quod non reperiantur legitimi Pontifices diploma illud Paſchalis aboleviſſe, factum putant Hoſtienſis, & Jo: Andreas in Cap. 1. *de Reliq.*, & *Ven. Sanct.*, ut tacita permiſſione, ſive tolerantia ejuſdem Imperatoris memoria in Eccleſiis pleriſque Galliæ, Belgii, & Germaniæ ſub Sancti titulo celebretur, & colatur, velut advertit Baronius ad an. 814. pag. 609. edit. Antuerp. 1601. Nec me loco movent objecta ex Conciliis Francofordienſi, & Moguntino, quæ demum eodem recidunt, ut ſuadeant Epiſcoporum in propriis Diœceſibus officio cedere, ne quid in cultum Sanctorum irreligioſi, ac ſuperſtitioſi irrumpat, non etiam ut Epiſcopos in hoc erga Sanctos officio præſtando Pontifici ex æquo participes agerent. Denique veteri quidem in more poſitum fuiſſe, ut Romani Pontifices Sanctorum Canonizationes in Synodis peragerent, falſus, & profeſſus eſt Urbanus II. nedum, ſed Eugenius

genius III. quoque in Bulla Canoniz. S. Henrici Imp., quo loci tamen rationem attexit, cur priſco ei mori a Pontificibus derogatum ſit, videlicet *Auctoritate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ omnium Conciliorum firmamentum eſt.* Qua pariter ratione Alexander III. a priſca conſuetudine peragendi in Conciliis ejuſmodi Canonizationes, cujus & ipſe meminit in diplomate Canoniz. S. Eduardi, recedere fas ſibi aſſeruit. Adeundus, ſi libet, qui egregie argumentum iſtud exagitat, multiſque illuſtrat Cl. Chriſtianus Lupus tom. 4. oper. in Notis ad S. Leonis IX. Synodum Romanam IV. pag. 263, & ſeqq.

Profligatis hiſce, ac pene ad umbilicum perductis, aggrediendum ſupereſt tertium perdifficile, fateor, diſputationis caput, quod tamen, invitis adverſariis, moleſteque ferentibus, ſic ſtabilio, Romanum Pontificem cum in Beatificationum, tum in Canonizationum cauſſis dum ex Cathedra, veluti vocant, loquitur, falli, & fallere omnino eſſe neſcium aſſerendo. Tam vero conſtanter, confidenterque aſsero, quod in hanc quidem ſententiam pedibus, manibuſque conceſſiſſe ſciam viros doctiſſ. Bellarminum lib. 1. de Beatitud., & Canoniz. Sanct.; Suarezium in diſput. 5. ſect. ult.; Valentiam tom. 3. diſput. 1. q. 1.; Toletum apud Caſſinum; Petrum de Marca, & Andream Duvallium, alioſque Gallos Scriptores apud Thyrſum Gonzalez; Thyrſum ipſum Gonzalezium in manuduct. adverſus Mahumet. par. 1. lib. 3. cap. 6. §. 11, Lauræam de fide diſput. 6. ſect. 1.; Franciſcum Leytam in Clypeo Pontif. dignit.; Ricciolium in tract. de Immunit. ab errore definit. Sedis Apoſt.; Lupum in Not. ad Synodum IV. Rom. S. Leonis IX. pag. 268, & ſeqq.; Aguirræum de auctor. infallib., & ſumma Cathedræ S. Petri; Chriſtophorum Rasler de externa fidei regula artic. 16, & ſeqq., Dianam Coord. tom. 9. tract. 3. reſolut. 15, & in Dogmatico tract. 4. de infallib. reſolut. 3, & ſeqq.; Petitdidierum in tract. de auctor. Pontif.; Benedictum XIV. lib. 1. cap. 42, & ſeqq.; Antonium Caſſinum Encyclop. tract. 5. prop. 3, alioſque plures, de quibus infra. Qua vero certitudine id tenendum ſit, controverſia eſt inter Doctores, pro cujus reſolutione animadvertere præſtat 1. Quod Pontificem M. errare poſſe in Canonizatione, multoque magis in

Beatificatione affirmant Gloſsa, Innocentius, Hoſtienſis, & Felinus in Cap. *Audivimus de Reliq., & Vener. SS.*; Cajetanus in tract. 15. de Indul. cap. 8; Auguſtinus Triumphus de poteſt. Eccleſ. cap. 14. art. 4; & Troilus Malvezzius de Canon. SS. dub. 3: quamvis hi duo poſtremi eo in caſu putant Eccleſiam non errare, quum ſecundum allegata, & approbata pro Sancto colit, qui Sanctus non ſit. Quam diſtinctionem velut inanem jure optimo impugnat Fagnanus in lib. 2. Decret. cap. 52. *Venerabili, de Teſtibus, & atteſtat.*, ut ut enim ab errore tum excuſaretur, ſtaret tamen Eccleſiam tum errare. 2. Quod Pontificem M. errare non poſſe in Canonizatione SS. pie credendum fore quidem, fide divina tamen id non tenendum docent D. Thomas in Quodl. 9. q. 8; Johannes de Turrecremata de Eccleſ. q. 51, & 73; S. Antoninus par. 3. tit. 12. cap. 8. §. 2; Melchior Canus lib. 5. de loc. Theolog. cap. 5; Silveſter V. *Canonizatio*; Tabiena eodem verbo; Covaruvias variar. reſolut. lib. 2. cap. 10; Ambroſius Catharinus de Canoniz. Sanctor.; Bannez 2 2. in brevior. Comment. dubit. 7. concluſ. 2.; Malderus dubit. 6. prop. 4; Johannes a S. Thoma in 22. diſput. 9. art. 2; Granadus in 22. controv. 1. tract. 7. diſput. 3. ſect. 3; Franciſcus de Caſtillo lib. 5. Sent. diſput. 16. q. 8; Fagnanus loco cit.; Dominicus a SS. Trinit. tom. 3. lib. 3. ſect. 4. cap. 28; & Natalis Alexander hiſt. Eccleſ. ad ſæculum IV. diſſert. 17. in reſp. ad object. 2, & in ſcholio: qui tamen ſubjungunt certum etſi non ſit fide divina, infra divinam fidem, tamen certitudine maxima id certum eſſe in Canonizatione Pontificem errare non poſſe, adeo ut propoſitio negans Sanctorum catalogo a Pontifice adſcriptum Cæleſtem gloriam adeptum ſit temeraria, quia contra communem Doctorum, ac ſenſum fidelium; ſcandaloſa, quia fideles a Sanctorum cultu, & invocatione retrahens; impia, quia honorem Sanctis debitum imminuens; ſuſpecta de hæreſi, quia negare præſumitur tum in Pontifice auctoritatem Canonizandi; tum Canonizatos religioſo cultu dignos. 3. Quod Pontificem M. ita in Canonizationis judicio eſſe infallibilem, ut id fide divina ſit omnino credendum, tenent præter Theologos priori loco pro noſtra ſententia laudatos Turrianus in 22. diſput. 17. dubit. 6; Caſtropalaus tract. 4. diſput. 1.

put. 1. punc. 5. §. 4; Verricelli tract. 8. q. 25; Amicus tom. 4. disp. 7. sect. 4.; Arriaga tom. 5. disp. 9. sect 5; Poncius disput. 28. q. 1; Matthæucius controv. 7. cap. 5; Card. Petra in Comm. ad Const. 1. Alexandri III. n. 25. Porro S. Bonaventura in opusc. contra Guillelmum: *Ad infidelitatem*, inquit, *spectat de Sancti Canonizati gloria dubitare*. Quamquam Benedictus XIV. lib. 1. cap. 65. prostremam hanc utramque opinionem in sua probabilitate relinquendam esse putat, donec ab Apostolica Sede de hac re prolata fuerit sententia, ideoque antequam Sedes Apostolica mentem aperuerit suam, neutri opinioni hæresis notam esse inurendam existimat.

Distincte nunc de Beatificatione loquendo, observare quoque non pigeat 1. Quod in Beatificatione Pontificem ab errore immunem utique pronunciant, non ita tamen, ut id fide divina credere oporteat, ideoque fide divina haud fore credendum Beatificatos cælestem gloriam fuisse adeptos, ita tamen ut id pie credendum sit, putant Gonzalezius in Cap. *Audivimus*; Scachus de Not. & Sign. Sanct. sect. 1. cap. 8, aliique oppido multi. 2. Quod in Beatificatione peræque, atque in Canonizatione Pontificem ita infallibilem esse, ut id fide divina sit certum, divinaque ideo fide credendum Beatificatum cælesti perfrui gloria, pugnant Leyta loco cit.; Castropalaus in tract. 4. disp. 5.; p. 5; Megallius V. *Canonizatio*; Verricelli in tract. 8. q. 5; Bordonus de Canon. SS. controv. 13; Lezana consult. 1; & Matthæucius loc. indic. 3. Quod in Beatificatione Pontificem errare non posse citra fidem tenendum quidem sit, ita certum sit tamen, ut contrarium tenere sit temerarium, sit scandalosum, sit impium, & sit errori proximum, communior fert opinio, pro qua decertant Gravina de præscrip. Cathol. par. 2. tom. 4. dub. 1; Valentia tom. 3. disp. 1. q. 1; Amicus tom. 4. disp. 7. sect. 4; Arriaga tom. 5. disp. 9. sect. 6; Johannes a S. Thoma in 22. disp. 9. art. 2; Tannerus in 22. tom. 1. disp. 17; Diana in tract. 4. de infallib. resolut. 7, aliique, præsertim vero Benedictus XIV. lib. 1. cap. 42; a quibus illud observatum interea diligenter est non ita ab errore immunes abiisse Beatificationes, quas olim juxta veterem disciplinam peragere Episcopis in propriis Diœcesibus solemni in more positum erat, permissumque; quando-

quandoquidem neque exempla deſint errorum, qui hac in re plus vice ſimplici privatis Epiſcopis adhæſere. Ita namque, diſcurrendo per nonnulla, Severo Sulpitio teſte, a quibuſdam Epiſcopis in honorem cujuſdam pſeudo-Martyris ædificatum Altare fuerat, quod hominis comperta nequitia S. Martinus Turon. ſubvertit. Ammonio Monacho populari ſeditioni mixto, & occiſo Martyris cultum fuiſſe a S. Cyrillo Alex. decretum tradit Socrates lib. 1. cap. 14, ſed Chriſtianis modeſtioribus diſplicuiſſe hoc S. Cyrilli ſtudium erga hominem, qui non tam pro Chriſto fortiter ſtetiſſet, quam temeritatis ſuæ juſtas dediſſet pœnas: neque enim pro Religione Chriſtiana, ſed pro temporali Alexandrinæ Eccleſiæ principatu mota ſeditio fuerat, fœdeque pugnatum. *Quamobrem*, concludit Socrates, *Cyrillus ipſe hujus rei memoriam paullatim ſilentio obliteravit*. Lucifero Epiſcopo olim ſuo, homini Schiſmatico, religioſum cultum Eccleſia Calaritana deferre jamdiu conſueverat, pro quo ſtant quidem Bollandiani ad diem 29. Maji tom. 5, quem primo a ſe neque probari, neque reprobari Urbanus VIII. die 20. Junii an. 1641. declaraverat, ſed poſtea, re mature perpenſa, Miſſam, & Officium in Luciferi honorem celebrari deinceps interdixit, nec licere ejuſdem Imaginem colendam exponere an. 1647. die 17. Octob. denuntiavit. Mirum quam turpi errore decepta laborarit Eccleſia Lemovicenſis Cælitum honores deferens Euſebio Cæſareenſi, homini ideſt, Ariana labe a capite ad talos, ut norunt omnes, aſperſo, ejuſdem plenam ignominiæ memoriam feſto recolere, & Officio non verita, veluti ex veteri Breviario Mſ. Lemovicenſis Eccleſiæ lect. 1. oſtendit Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæculum IV. diſſert. 17. in reſp. ad object. 2, ubi & veterem profligat ejuſdem Eccleſiæ perſuaſionem de Euſebii ad frugem, rectamque fidem regreſſu. Eumdem circa Euſebium errorem irrepſiſſe in Menologium Græcorum, nonnullaque Latinorum Martyrologia, atque Euſebii Samoſateni loco ibidem inſcriptum homonymi Cæſareenſis infame nomen obſervat Emin. Baronius ad diem 21. Junii, non ſecus atque per errorem in idem Græcorum Menologium intruſam fuiſſe Marci Arethuſii hominis Ariani memoriam oſtendit ad diem 29. Martii. De impio Photio ſcribit in vita S. Ignatii Nicetas Paphlago, quod ad Baſilii Imp. aucu-

aucupandam gratiam ab ipſius filio Conſtantino morte prærepto in Sanctorum cenſum referendo, publiceque in Eccleſia recolendo non abſtinuit. Diu redoluit, teſte Nicephoro, eadem ſuperſtitione erga Juſtinianum Imper. Eccleſia Conſtantinopolitana, & Epheſina. Non tam ex pietatis exceſsu, quam ex proprii impendi affectu, ac impetu imprudentiæ proficiſcebatur cultus erga Roſimondam Henrici II. Angliæ Regis quondam pellicem, quem poſtea abolevit Hugo Lincolnienſis Epiſcopus, ut habet Johannes Bromptonus ad an. 1198. Par inoleverat irreligio Willelmo Oſberto homini inſigniter ſeditioſo, ideoque ſuſpendio necato, impenſa, donec ab Huberto Cantuarienſi Archiepiſcopo penitus exterminata eſt, referentibus Radulpho de Diceto, & Henrico Chryngtono.

Factu optimum igitur, effectumque ſaluberrimo conſilio, eſt, ut Dei Servorum deinceps ſive Beatificationes, ſive Canonizationes uni Romano Pontifici reſervarentur; ex quo periculum haud ſubeat irrumpere in Eccleſiam iſtiuſmodi errores poſſe. Principio enim quamvis gradum eſſe, ſicut in ceteris, ſic in hujuſce generis judiciis negari nequeat, atque erroris immunitas in cauſſis Beatificationis altera ſit adſtruenda ab ea, quæ in cauſſis Canonizationis adeſt, attamen in cauſſis etiam Beatificationis Pontificem ita ab errore immunem eſſe, ut abſque inſigni temeritatis Theologica nota id inficiari nequeat, certum eſt. Qua etenim certitudine tenendum eſt Beatificatum gloriam in Cælis adeptum fuiſſe, eadem certitudine profecto tenendum eſt Pontificem in Beatificatione errare non poſſe, ac ſicut abſque Theologica temeritate negari nequit illud prius, ita neque iſtud ex illo conſequens, & cum illo connexum poſterius. Probatis enim vero pleniſſime, ut fieri ſolet, Dei Servi meritis, ac miraculis, certo certius evadit eum, de quo per quam diligentiſſime, & diſtrictiſſime merita, ac miracula fuere probata, unum eſſe ex numero eorum, qui in propoſitione univerſali revelata de Beatorum glorificatione, cultuque eiſdem impendendo, comprehenduntur: itaque perinde certum eſt, ac certius Pontificem id declarantem in Beatificatione, infallibili id declarare judicio; propoſitio enim conſequens ex propoſitione revelata, & connexa cum propoſitione

ne altera Theologice certa, propoſitio eſt revelata conſequenter, ac certa quoque Theologice. Junge modo, quod in judiciis ejuſmodi Pontifex ex ſpeciali Dei adſiſtentia procedit, cujus indicium haud obſcurum eſt ſacer Ritus, quo Beatificatio peragitur; documento quoque eſſe poteſt, motivum, quo Pontifex ad Beatificationem peragendam accedit, nempe major Dei gloria, Eccleſiæ Militantis exaltatio, erga Dei Servum religio, & Chriſtiani populi ædificatio. Accedit illud graviſſimum, quod Beatorum cultus, etſi non ſemper ſit præceptus, eſt tamen Eccleſiæ univerſæ permiſsus: atqui nefas eſt putare univerſæ Eccleſiæ poſſe cultum falſum a Pontifice permitti: itaque putare nefas eſt pariter in Beatificatione Pontificem falli poſſe, & fallere. Cæterum, ut dixi, Beatificationem inter, & Canonizationem latum diſcrimen intercedit, neque eo, quo in Canonizatione, infallibilitatis gradu ſtat in Beatificatione Pontificis judicium, ita ut ſicuti Beatificatio eſt cultus tantummodo permiſsus, & circumſcriptus, Canonizatio vero eſt cultus præceptus, & univerſalis, ideoque in tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem ſæpe novum examen ſuper virtutibus, ſemper vero inquiſitio nova ſuper miraculis poſt Beatificationem patratis inſtituitur, ita pariter judicium Pontificis tam in Beatificatione, quam in Canonizatione infallibile quidem ſit, diverſo tamen infallibilitatis gradu, ita videlicet ut in Canonizatione eſſe infallibile certum ſit certitudine dogmatica, cui abſque hæreſis periculo contradici nequeat; in Beatificatione vero infallibile eſse certum ſit certitudine Theologica, cui inſigni abſque temeritatis flagitio nequeat repugnari. Atque quidem ad hujus genus judicia ſufficere certitudinem Theologicam infra fidem exemplis aliis ſit perſpicuum. Ita namque Feſtum, ac Officium in honorem Immaculatæ Conceptionis B.V. Mariæ, quinimo ejuſdem Aſſumptionis quoad animam, & corpus in Cælum præceptum eſt, neutrum tamen fide divina certum eſt, etſi neutrum ingenti abſque temeritate revocare in dubium liceat. Circa Matrimonia rata, & continentiam Religioſæ profeſſioni adnexam plus vice ſimplici diſpenſarunt ſummi Pontifices; quam diſpenſandi poteſtatem habere illos ſententia eſt Theologice certa, etſi non certa dogmatice, ſiquidem ei non infimi ſubſellii Theo-

Theologi refragentur, velut advertit Card. Capiſuchius controv. 11. §. 3. Sit igitur certum Theologica certitudine Beatificatum Cæleſtem gloriam conſequutum, eique licite cultum dependi, atque Pontificem in Beatificatione falli, & fallere neſcium eſſe, neutrum tamen certum eſt certitudine Dogmatica. Conſer Maurum tom. 2. Theolog. lib. 7. q. 140, Ricciolium in tract. de immunit. ab errore lib. 1. cap. 6, & Benedictum XIV. lib. 1. cap. 42, cui hacce præſertim in ſententia utroque pollice ſubſcribere libentiſſime mihi plaudo.

Quod nunc ad principalem propoſitionis pertinet partem, Romanum Pontificem in Canonizationis negotio infallibilem prorſus eſſe, atque ita quidem, ut fide Divina, ſive dogmatica certitudine tenendum id ſit, & credendum, qua ratione, qua auctoritate oſtendendum adorior. Atque primo quidem ratione ſic argumentor. Pontifex ex Cathedra pronuncians (tum pronunciare eum ex Cathedra principio operis admonui, non quando dumtaxat loquitur, & definit ex Epiſcoporum omnium, aut ferme omnium conſenſu, quod contendunt Natalis, & Boſſuetius, neque quando ex conſenſu ſaltem Cardinalium judicium profert, quod cenſent Hiacynthus Serrius, & Edmundus Simonet, ſed quando loquitur ad totam Eccleſiam cum intentione eamdem obligandi), Pontifex, inquam, pronuncians ex Cathedra, toti Eccleſiæ loquitur, totam Eccleſiam edocet, toti Eccleſiæ jubet, totamque Eccleſiam ita obligat, & obſtringit, ut eidem loquenti, edocenti, & jubenti Eccleſiam totam obauſcultare, obedire, & obtemperare omnino oporteat: quare ſi erraret Pontifex, erraret pariter Eccleſia: atqui Eccleſia in errorem prolabi nequit, neque igitur Eccleſiæ propinare errorem, aut periculum errandi facere, auctoremque præbere ſe erroris poterit Pontifex. Præterea Sanctorum cultus, & invocatio ad fidem pertinet ex definitione Conciliorum Nicæni II. act. 6, Conſtantienſis ſeſs. 45, & Tridentini ſeſs. 25: quare ſi in Sanctorum Canonizatione erroris periculum incurrere Pontifex poſſet, in re pariter ad fidem pertinente errore decipi poſſet Eccleſia, ſcilicet in cultu, & invocatione Sanctorum: quæ igitur religio Eccleſiam ab omni prorſus erroris periculo immunem prædicandi nos afficit, ea-

dem nobis incumbit pari insignitum prærogativa affirmandi Pontificem. Ex auctoritate nunc argumentum instaurando, Pontifices in Canonizationis caussis, præmissa circa virtutes, & miracula diligentissima, qua major desiderari nequeat, disquisitione, tum demum ad definitivam proferendam sententiam procedere se profitentur ex prævia Spiritus Sancti adsistentia, qua infallibiliter percipiunt Dei Servum, cujus virtutes, ac miracula tanta diligentia, ac discussione comprobarunt, unum profecto ex iis esse, qui cum Christo regnant in Cælis, quique comprehenduntur in propositione universali, qua Deus revelavit tum Sanctos gloriam æternam adeptos Psal. 14; Matth. 19. 29; Johan. 12, 26. &c., tum Sanctis cultum esse tribuendum, eorumque suffragia invocanda 4. Reg. 2. 12, Eccles. 44. 15; S. Petri 2. cap. 1. 15, Apocalyp. 5. 8, & 8. 4. &c., quem proinde tanquam Sanctum credendum, atque colendum præcipiunt, & proponunt. Ideo ad hanc Divinam indicandam adsistentiam eas adhibere loquendi formulas solent, quibus definire se affirmant vel *Ex confidentia Divinæ misericordiæ, sive ex Omnipotentis Dei virtute*, velut in Bullis Canonizationum S. Bernardi Alexander III; S. Ubaldi Cælestinus III; S. Homoboni Innocentius III; S. Claræ Alexander IV; S. Richardi Urbanus IV; S. Heduigis Clemens IV; S. Ludovici Regis Bonifacius VIII; S. Ludovici Episcopi Johannes XXII. &c. vel ad definitivam proferendam sententiam se prorupisse ajunt secuti *Divinum judicium, sive Divinam voluntatem, & nutum, aut Divinam illuminationem*, sicut Honorius III. in Canoniz. S. Laurentii Dublinensis; Pius II. in Canon. S. Catharinæ Senensis; Sixtus IV. in Canon. S. Bonaventuræ; Leo X. in Canon. S. Francisci de Paula; Hadrianus VI. in Canon. S. Bennonis &c. vel definitivam a se prolatam sententiam profectam asserunt *Ex S. Spiritus revelatione, sive illustratione, aut testimonio, sive ex Dei declaratione, aut voluntate, & consilio*, ut in Bullis Canoniz. S. Ubaldi Cælestinus III; SS. Francisci, & Antonii Gregorius IX; S. Thomæ Aquin. Johannes XXII; S. Bernardini Senen. Nicolaus V; S. Osmundi Callistus III; S. Didaci Sixtus V. &c. vel definire se profitentur *Ex auctoritate D. N. Jesu Christi, & BB. Apostolorum Petri, & Pauli*, ut Innocentius IV.

tius IV. in Canon. S. Edmundi Cantuar.; Clemens V. in Canon. S. Cæleſtini Papæ &c. vel demum ab ſe definitis *Apoſtolica auctoritate* adquieſcere integre Chriſtifideles omnes jubent, ac fideliter, firmiterque tenere Canoni adſcriptum Sanctorum Beatitudinem adeptum, Sanctorumque cultu eſſe dignum, uti Clemens III. in Canon. S. Othonis; Clemens VIII. in Canon. S. Hiacynthi; Paulus V. in Canon. S. Franciſcæ Rom., & S. Caroli Borromæi &c. Quam demum in rem confer Marcelli Corcyr. Archiep. Cæremoniale ſub Leone X. conſcriptum, in quo Formula a Romanis Pontificibus in Canonizationibus uſurpari jam ſolita exhibetur.

Hinc illud exſurgit ſententias ab Apoſtolica Sede in Canonizationum cauſſis latas, Divina auctoritate libratas, ac Spiritus S. ſpeciali adſiſtentia ſuffultas, ita ab errore immunes evadere, ut id tanquam de fide tenendum ſit, negarique abſque periculo hæreſis nequeat. Ut enim verbo repetam, ea propoſitio ad fidem pertinere reputanda eſt, quæ ex duplici propoſitione de fide profluit, nempe ex illa: Romanus Pontifex Eccleſiæ dicens, eamque docens errare nequit in iis, quæ ſpectant ad materiam fidei, & Religionis; nec non ex iſta: Sanctorum Canonizatio ſpectat ad materiam fidei, & Religionis; ſive Sanctorum cultus, & invocatio ad fidem, & Religionem pertinent. Paullo aliter ſic arguendo procedo. Ea propoſitio ſpectat ad fidem, quæ in propoſitione fidei includitur, vel cum ea connectitur, vel ex ea ſequitur: atqui Sanctorum Canonizatio includitur in propoſitione revelata de Sanctorum Beatitudine, connectitur cum propoſitione revelata de Sanctorum cultu, ſequitur ex propoſitione revelata de Sanctorum invocatione: ad propoſitionem igitur fidei, ſive revelatam ſpectat. Hinc in Bullis Canonizationum in refractarios interminatam paſſim excommunicationis pœnam, quæ pœna hæreticorum propria hoc loci videri poteſt, legere eſt veluti a Johanne XV. in Bulla Canon. S. Uldarici; a Gregorio XI. in Bulla Canon. S. Elzeari; a Nicolao V. in Bulla Canon. S. Bernardini; a Pio II. in Bulla Canon. S. Vincentii; ab Innocentio VIII. in Bulla Canon. S. Leopoldi, uſuque univerſim recepto a ceteris Romanis Pontificibus ad hanc uſque ætatem. Hinc, teſte Galeſinio in actis S. Didaci par. 3. cap. 12, in ultimo Conſiſtorio pro Canonizatione S. Di-

daci habito Sixtus V. Romani Pontificis in Canonizationis negotio judicium omnino infallibile esse, idque etiam de fide, absolute affirmavit. Jam pridem imo Martinus V. in Const. *Inter cunctas* Constantiensi in Concilio edita inter Articulos, quos fide divina tenendos, adversus Johannis Wicleſi, & Johannis Hus errores, præscripsit, hunc inter alios proposuerat: *Utrum credat, & asserat licitum esse Sanctorum Reliquias, & Imagines a Christifidelibus venerari*: persuasum itaque ei intime erat tam esse credendum Pontificem in cultu erga Sanctos decernendo errare non posse, quam credendum præciperet eisdem Sanctis licite cultum deferri. Quamvis autem hæc ita se habeant, religio tamen est mihi ab hæresis nota adversæ sententiæ inurenda abstinere, donec hacce de re suum Apostolica Sedes judicium proferat, quod præoccupare Theologo privato tam pro religionis officio non licet, quam pro studio pacis non decet.

Age tandem ad trutinam revocentur momenta, quibus contra pugnant, qui in oppositam partem descendunt, contenduntque Canonizationum in causſis Pontificem haud prorsus infallibilem esse, multoque minus id fide Divina tenendum. Pontifex enim vero, inquiunt, hujusmodi in causſis non agit ex Divina revelatione, siquidem nullibi revelatum constat hominem hunc Sanctorum Catalogo adscriptum revera inter Sanctos locum in Cælis adeptum, Cælitumque honore, & cultu habendum esse; sed agit ex mediis dumtaxat humanis, qualia hominum consilia sunt, & testimonia, quæ proculdubio fallibilia sunt, quum sint humana. Quin & in miraculis in supplementum accersiri solitis falsitas subesse potest, utpote quæ aliquando contingere potest, ut naturæ creatæ vires non superent. Rationis in adjutorium vocant auctoritatem Glossæ, Innocentii III, & Hostiensis in Cap. unic., *de Reliq.*, *& Vener. Sanct.* in *6*, a quibus Pontificis judicium hujusmodi in causſis errori subjectum esse affirmatur: quibus accedit Textus in Cap. *Sicut*, *de Testib.*, *& attest.*, & in Cap. *A nobis* 28, *de Sentent. Excom.*, quo loci falli, & fallere Pontificem in hujusce genus factis posse confirmatur. Nec eos pervulgatum terere piget S. Augustini effatum, quo ait: *Multorum corpora venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in Inferis.* Quorsum enim, subinferunt

ferunt, id S. Doctor tam absolute protulisset, nisi firma ei animo inhæsisset persuasio venerationem cuipiam indebitam tam impendi posse, quam imperari? Quid autem quod, velut arguit Gonzalezius in 3. Decret. tit. 45. cap. 3. n. 6, ex Cæremoniali Leoni X. inscripto a Marcello Corcyrensi, quod extat in Ordine Rom. Petri Amelii, aliquando Pontifices, antequam ad definitivam sententiam de aliquo Sanctorum in album referendo accederent, publice constat protestatos suæ intentionis non esse errorem exinde ullum in Ecclesiam inducere? Inductum quinimo revera a S. Gregorio VII, dum omnium usque ad S. Siricium veterum Pontificum festa, & nomina, atque in his Liberii Arianæ quondam hæresis labe aspersi, Breviario Romano inseruit, post Bennonem affirmare non dubitant. Qui si per semet Canonizationum negotia expedientes de infallibilitatis privilegio sibi plaudere nequaquam possunt, quì fieri poterit, ut quo ipsi carent, privilegium impertiantur aliis, quibus idem Canonizationum negotium perficiendum demandant, quemadmodum definiendas causas demandasse leguntur B. Eneconis Petro Burgensi Alexander II, B. Nicolai Peregrini Bisantio Tranensi Urbanus II., B. Rudesindi Hiacyntho Card. Legato suo Alexander III; B. Othonis Bambergensis Episcopis Merseburgensi, & Eistettensi; ac B. Stephani Grandimontensis Johanni Cardinali S. Marci Legato suo Clemens III?

Atqui Romanum Pontificem in facto Dogmatico, sive cum Jure connexo, cujus generis est Sanctorum Canonizatio, errare non posse argumento invictissimo sunt, quæ paullo superius in medium protuli momenta. In ejusmodi enim factis Pontifex agit non velut homo privatus ex naturali, propriaque notitia; sed uti Doctor, & Magister Ecclesiæ ex speciali S. Spiritus adsistentia decernit: unde in Canonizationis negotio utitur testimonio humano, non ut motivo credendi, & decernendi, sed ut medio, sive conditione explicante testimonium Divinum in S. Scriptura, & Traditione universaliter revelatum de omnibus, qui in Dei gratia decedunt, atque Dei gloriam adipiscuntur, quibus ideo cultus decernitur, & dependitur. Testimonium istud præterea quum publicum sit, & authenticum, proinde ex S. Spiritus adsistentia spe-

ſpeciali profuſum æſtimari profecto debet, ne videlicet ſi falſum ſit, falli Eccleſiam univerſam eveniat. Adde Teſtimonium iſtud corroborari etiam miraculis, miracula vero ad probationem non admitti, niſi totius naturæ creatæ vires excedere, & ipſa evidentiſſime probentur. Quod ut probe teneas, diſcere te non pœniteat duplicis generis diſtingui generatim miracula, quorum alia proprie talia ſunt, quæ fiunt præter ordinem totius naturæ creatæ; alia minus proprie, quæ fiunt præter ordinem ſolius naturæ corporeæ. Primi generis miracula, quæ abſoluta dicuntur, totiuſque vires naturæ creatæ ſuperant, niſi a Deo, ſive Divina virtute fieri nequeunt: miracula ſecundi generis, quæ relativa nuncupantur, vireſque tantummodo excedunt naturæ corporeæ, fieri naturali virtute, tametſi ſuperiori, puta ab Angelis, utique poſſunt, de quibus heic non loquor. Loquendo vero de miraculis abſolutis, triplex inter hæc differentia intercedit: ſcilicet alia ſunt ex re ipſa, quæ fit; alia ex ſubjecto, in quo fiunt; alia ex modo, quo fiunt. Inter miracula primi generis, quæ totius naturæ creatæ vires, & poteſtatem excedunt ob magnitudinem rei, quæ fit, ſive ob ſubſtantiam facti, locum habent Myſteria Dominicæ Incarnationis, & Sanctiſſ. Euchariſtiæ; Solis, aut Lunæ latio, aut retroceſſio; ejuſdem corporis in pluribus locis ſimul xiſtentia, ſive plurium ſimul corporum eodem in loco conſiſtenia. Ad ſecundum pertinent genus miracula, quæ naturæ totius reatæ ſuperant virtutem ob contrariam habitudinem illius, in uo res fit, ſive ob ſubjecti repugnantiam, puta redditio vitæ moruo, aut viſus oculis capto, ſive membri reſtitutio omnino aut ublati, aut vitiati, aut corrupti. In tertia demum claſſe reponuntur miracula, quæ totius creatæ naturæ vim antevertunt quoad modum facti, ſive quoad ordinem faciendi rem, cujuſmodi ſunt gravis aut vulneris, aut morbi alterius ſanatio momento, ſive minimo temporis motu, redintegratis etiam ſubito viribus. Hanc miraculorum diſtinctionem, ſive gradus diverſos tradit S. Thomas par. 1. q. 105. art. 8; amplexus eſt Innocentius VIII. in Conſt. 19, in Codice Fontanini 75. *Sacroſanctam Matrem Eccleſiam*; conſectantur Doctores ferme omnes, diffuſeque pertractant Benedictus XIV. lib. 4. cap. 1, & ſeqq., Caſſinus Encyclop.

tract. 5. prop. 10, Caſtellinus, Rocca, Matthæucius, illuſtreſque Theologi alii apud ipſos. Jam vero miracula, quæ in cauſſis ſive Confeſſorum, ſive Martyrum non niſi ex abſolutis adhibentur, tum argumenta ſunt, quibus vel probantur virtutes heroicæ, aut Martyrium, & cauſſa Martyrii, vel probationes ſupplentur, ſi rei probandæ teſtimonia paria non ſint ex omni parte, vel ſi ſatis per ſe ſint, ac ſuper, corroborentur magis, magiſque confirmentur: tum argumenta ſunt, ex quibus certo ad eam deducitur Eccleſia cognitionem hujuſmodi homines a Deo miraculis colluſtratos regnare profecto cum Deo, placereque Deo, ut ab hominibus honorentur. Hæc duo plane a miraculis indubie præſtari, ſive miraculorum ope ad hæc duo nos ſecure pertingere affirmant S. Gregorius M. lib. 4. Dialog. cap. 6; Alexander III. in Conſt. *Redolet* pro Canon. S. Thomæ Cantuar.; Innocentius III. in Cap. 1. *de Reliq.*, & *Vener. SS.*; Honorius III. in Conſt. *Ineffabilis* pro Canon. S. Laurentii Dublin.; Gregorius IX. in Conſt. *Mira* pro Canon. S. Franciſci Aſſis.; Innocentius IV. in Conſt. *Olim* pro Canon. S. Stanislai Cracov.; & Benedictus XIV. lib. 4. cap. 5, & ſeqq. Confer & Caſſinum in Encyclop. tract. 6. prop. 3. Quibus poſitis, quis in dubium revocet adhuc, quin in cauſſis Canonizationum Pontificis mens ſuperno imbibita lumine, Divinoque communita teſtimonio judicium proferat, a quo longe procul abſit omne prorſus erroris periculum?

Neque vero eſt, cur quempiam moveat, minuſque cur ab hac intima perſuaſione amoveat quorumdam moroſiorum cunctatio, quibus hacce in re anceps hærebat animus, animoque ſubrepebat inanis ſuſpicio, fieri an poſſit, ut falſus a Pontifice cultus decernatur; quod nunquam factum, quod fieri nullo poſſe modo tam gravia momenta tam evidenter demonſtrant, ut dubitationem procul omnem prorſus eliminent. Ergo a Gloſsa, ab Innocentio, ab Hoſtienſi, (ſi tamen eis ſententia iſta, de qua inveſtigare curioſius otium modo non ſuppetit, non eſt ſuppoſita), recedendum eſt, ſiquidem recedere ineluctabilis ratio, & auctoritas invictiſſima cogat. Nec vero ad rem faciunt allegati Textus Juris Canonici, qui facta dumtaxt particularia reſpiciunt, non facta mixta cum jure, non facta dogmatica cum fide, Religione-

que

que connexa, atque universam Ecclesiam spectantia, cujusmodi sunt caussæ Canonizationum. Effatum S. Augustini, quod attinet, si ejus sit, (nam in S. Augustino non reperiri viri docti, a quibus data requisitum diligenter est opera, fide affirmant sua), alii de superbis Gentilium sepulchris interpretantur; alii de honorificis reproborum epitaphiis; alii de pseudo-Martyribus hæreticorum, ut Bellarminus, Diana &c. nam a Donatistis suos Martyres habitos, & honoratos referunt SS. Optatus lib. 1. adv. Parmen., & Augustinus in serm. 325. de Natali 20. Martyr., liquetque ex Concilio Carthaginensi V. Can. 41, quo trucidatis a Turino Africæ Comite Circumcellionibus erecta in eodem cædis loco velut Martyribus, & albis velis ornata Altaria, ac deinde per agros passim, ac vias constructa dirui mandantur. Sabbathium hominem Novatianum a suis Rhodo Constantinopolim translatum Cælitum loco habitum, sed eidem ab Attico Constantinopolit. Episcopo cultum interdictum testatur Socrates lib. 7. cap. 25. Johannem Hussium a suis illustres inter Martyres recensitum, illique religiosum cultum fuisse repensum cunctis est notum. Interpretantur alii de suppositiis Sanctorum Reliquiis, ut Covaruvias tom. 2. variar. resolut. lib. 1. cap. 10, & Fagnanus in Cap. *Venerabili*, lib. 2. Decret. de Testib., & attestat. n. 39; alii denique de honoratis, locoque Sanctorum habitis ab Ecclesiis particularibus, de quibus superius, ut Benedictus XIV. Protestationem, quæ a Pontificibus olim emitti ante consueverat, quam ad judicium in Canonizatione proferendum devenirent, ex qua Pontificiæ infallibilitati præjudicium inferri gravissimum arguit non modo Jo: Albertus Fabricius de Secta Lutheranorum homo in Bibliog. antiq. cap. 8, sed etiam Natalis Alexander subacti alioquî vir ingenii hist. Eccles. ad sæcul. IV. dissert. 7. in resp. ad object. 2., judicii hujusce indefectibilitati nequaquam officere affirmo: nam vel huicce protestationi is rectus ineſt sensus, quod Sanctis tribuendus non sit cultus Deo soli debitus, quod proinde facere contra fidem se non intendere, Sanctis scilicet indebitum cultum indicendo, protestabantur jure, optimeque Pontifices ad omnem ab Ecclesia removendum errorem. Atque ita sensum istum attingunt, & indicant Johannes XV. in Bulla Canoniz. S. Uldarici, & Card.

& Card. Petra in Not. ad Conſtit. 1. Alexandri III. Itaque ſenſu iſto proteſtatus legitur in Synodo VII. act. 3. Conſtantinus Conſtantienſis in Cypro Epiſcopus adorationem latriæ, Deoque ſoli debitam ſervitutem ſoli, ac individuæ Trinitati ab ſe impendi, non etiam Imaginibus: vel hujuſmodi proteſtatione a Deo petere adſiſtentiam, ſpecialeque adjutorium, ut immune ab errore judicium evaderet, Pontifices intendiſſe arguit Hoſtienſis in Cap. *Audivimus*; quam in rem confer denique Benedictum XIV. lib. 1. cap. 64.

Longe vero procul errandi periculum abfuiſſe, Canonizationis cauſsas ſive per ſemet explerent Pontifices, ſive per alios expediri procurarent, quam pie, vereque æſtimare fas eſt, tam demonſtratu perquamfacile evadit. Imprimis itaque atrox calumnia eſt aſtu a maledicentiſſimo Bennone adverſus S. Gregorium VII. conſuta, adinventaque non minus ad conflandam huic invidiam, quam injuriam quoque Liberio irrogandam. Liberium Ariana labe non utique aſperſum, ſed Euſebianorum ſcabioſa dumtaxat communione leviter contaminatum, certum eſt, ac certius itidem a S. Athanaſio, a S. Ambroſio, Marcellino, & Fauſtino, Theodoreto, Sozomeno, aliiſque laudum elogiis valdequam dignis, & tanquam virum eximiæ Sanctitatis Liberium fuiſse mactatum. Eccur igitur in culpam vocabitur S. Gregorius VII, qui lucidis horum teſtimoniis innixus Liberii nomen Romano Breviario inſeruit? Exinde vero expunctum eſt utique ob eam, quam olim ex communione cum Euſebianis contraxerat maculam: at hæc a Liberio abunde deterſa S. Gregorio VII. nocere nequivit, cujus judicium tantum abeſt, ut reprobatum fuerit, ratum, fixumque manet, & permanet. Demonſtrare nunc aggredior nunquam a Romanis Pontificibus Canonizationis decretoriam ſententiam alteri cuipiam fuiſse demandatam, nec imo demandari potuiſse, quum peculiare ſit iſtud ſoli Pontifici inſitum, & innatum privilegium alteri neutiquam demandandum, atque ita ad exempla in contrarium allata ſequentia, ac brevia apto reſponſa. B. Eneconis Canonizationem Alexander II. peregit, in executionem vero Pontificii mandati cultum eidem deferri Petrus Burgenſis Epiſcopus procuravit. Beati Nicolai Peregrini Canonizationem efflictim

poſtulaverat in Concilio Romano ab Urbano II. Biſantius Tranenſis Antiſtes, atque ab eo patrata miracula coram Pontifice, & Concilio e ſcripto recitaverat: Beatificationem igitur Dei Servi duntaxat juxta illius temporis diſciplinam eidem Biſantio permiſit Pontifex, ideſt ut in propria Diœceſi eidem Beato cultum dependi per ipſum liceret, indulſit. B. Rudeſindi Beatificationem, quam Alexandri III. vicibus indutus celebraverat Hiacynthus Cardinalis, Pontificatum adeptus poſtea ſub Cæleſtini III. nomine confirmavit, atque ad ſolemnem Canonizationis Ritum tranſtulit, & evexit. B. Othonis heroicæ virtutes, & miracula Apoſtolicæ Sedi abunde conſtabant: in eadem nihilominus iterum diligentiſſime inquiri ab Epiſcopis Merſeburgenſi,& Eiſtettenſi Clemens III. juſſit; quibus rite probatis ipſum Canonizatum tum demum auctoritate promulgari Apoſtolica permiſit. Quocirca non Canonizationem, ſed ejuſdem promulgationem tantummodo permiſsam Epiſcopis illis a Pontifice fuiſse probat Ricciolius in tract. de immunit. ab errore lib. 5. cap. 6. Confer ejuſdem Clementis diploma ad Bambergenſes in Codice Fontanini pag. 25, & Ebbonem Monachum in ejuſdem vita apud Sollerium ad diem 2. Julii. Beato Stephano ſacer cultus ab eodemmet Clemente III. decretus eſt,in cujus executionem decreti a Johanne Legato vicinis accerſitis Epiſcopis cultus eidem delatus eſt. Eſto denique Canonizationis judicium aliis fuerit a Pontifice demandatum, tum illlud firmum, ac infallibile prorſus non fuiſset, donec Pontificis tacita, vel expreſsa confirmatio acceſſiſſet: quomodo Beatificationes olim ab Epiſcopis celebratæ in Canonizationes tranſibant, accedente nempe alterutro ex hiſce modis Apoſtolicæ Sedis aſsenſu, quo ad univerſam Eccleſiam cultus extendebatur. Atque de ampliſſimo hoc argumento hactenus, ſatiſque pro Volumine iſto, quod ad juſtæ magnitudinis molem excreviſse jam ſentio.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A

AEgypti Civilibus rebus adminiſtrandis Præſes ab Auguſto, unde Auguſtalis, præfici, non a Senatu ſolebat. Metropolis ordine Civili nunc Taneos, nunc Thebe; at Eccleſiaſtico ſemper Alexandria habita eſt, cujus Patriarcha gradu Antiochenum antecedebat, quum tamen Ægypti Præfectus ab Orientis Præfecto tertium occuparet locum *pag.* 27. Ægyptus primo in tres Provincias diſſecta, duabus aliis deinde adaucta, ad novem demum excrevit: quibus acceſſit ſubinde Æthiopia tam ſuperior, ſive Habeſſinia, quam inferior, ſive Nigritia *p.* 28. Ægypto univerſæ Metropolitico jure unus præerat Alexandrinus Patriarcha; decurſu temporis alii Metropolitæ obtinere cœperunt, quorum mentio apud Eutychium occurrit, ſi fidem is tamen meretur *p.* 29. Metropoles hæc vero aliæ ordine Civili, aliæ Eccleſiaſtico, & ab Alexandrino diſtractæ aliæ *p.* 30. Alexandrinæ Eccleſiæ quando ex Latinis Patriarchæ admoveri cœperint, & quot admoti fuerint, definiri certo nequit. Simonii quod attinet additamentum de Patriarchis 18. Latinis ſubvertit Sollerius *p.* 57, & *ſeq.* S. Petro dignitatem Patriarchicam Eccleſia Alexandrina acceptam debet *p.* 138, & *ſeqq.* Complures ſucceſſu temporis in Ægypto Metropoles excitatæ ſunt, quæ tamen Alexandrino Patriarchæ tandiu obnoxiæ manſerunt, quandiu ipſe ſub obedientia Romanæ Eccleſiæ integer manſit, qua ejurata, tum ipſius diſcerpi jura cœpere in Melchitas, in Coptos &c. *p.* 145, & *ſeq.*

Africa diverſis temporibus diverſas a Romanis diviſiones ſubiit: principio enim Provincia una dumtaxat erat, poſtea alterius facta eſt acceſſio, tum in tres, ac deinde in ſex diviſa, quibus demum ſeptima fuit adjuncta *p.* 79. & *ſeq.* Præfectus a Juſtiniano ei datus eſt, cui etiam Sardiniam voluit ſubjacere *p.* 80. Carthaginenſi Primati Africa Occidentalis univerſa ſemper paruit: ubi ingens Epiſcoporum numerus vigebat, nec 560. minor ex ſolis Catholicis ſub initium Sæculi V. Ab anno 439, quo Carthago occupata eſt, uſque ad annum 513. circiter Epiſcopatus 104. extincti ſunt. Nihilo tamen minus ingens adhuc ſub Hunnerico eorum numerus erat, adeo ut 690. Dupinius dinumeraverit: donec anno 691. Africa a Saracenis pervaſa, deficere paullatim cœperunt, ita ut Sæculo XII. nullus ferme ſuperſtes videretur *p.* 81, & *ſeq.* Carthagine non ante annum 120. Chriſtianæ fidei initia cœpiſſe contra Baronium, & Grammajum pugnat Scheleſtratius *p.* 121. Illuc cum Religione Chriſtiana, inde per Africam

univerſam propagata, inlatam a Romanis Pontificibus Eccleſiaſticam Hierarchiam indubium eſt. Præter Carthaginenſem Primatem nullus diu Metropolita audivit: qui poſtea inſtituti ſunt, Carthaginenſi ſubeſſe omnes debebant, nec ullus certo erat loco defixus, ſed qui prior ordinatione erat, Primatum is in Provincia gerebat *p.* 122, & *ſeq.* Primates deinde Provinciarum deligi in Synodo ex vitæ meritis voluit S. Gregorius M., deligi ante conſueviſſe ex ordinationis anterioritate teſtatur S. Leo IX. *p.* 123. Vide V. *Carthaginenſis Primas*.

Americanos Judaicæ gentis propaginem eſſe, ideſt ex reliquiis decem Tribuum in Americam ipſam diſperſis propagatos, multi pugnant, contra alii repugnant multi *p.* 582, & *ſeq.* In Americam poſtea Minoritarum præſertim opera propagata longe, lateque Chriſtiana Religio eſt, multaque centena hominum millia paucos intra annos ad Sacra noſtra perducta, adeo ut vel in Mexico uno quingenta ſaltem Idolorum delubra ſolo fuerint æquata, Idolorumque ſimulacra pluſquam viginti millia aut confracta, aut combuſta *p.* 583, & *ſeq.*

Antiochia totius Orientis Metropolis ordine ſive Civili, ſive Eccleſiaſtico olim ſub ſe plures complectebatur Provincias, quibus decurſu temporis diſtractis plures emerſerunt, qui Patriarchæ, aut Catholici, aut Archiepiſcopi nomine aſſumpto in proprium ſe jus aſſererent *p.* 31, & *ſeqq.* Porro Diœceſis Antiochena in decem primo, ac deinde in Provincias 15. diſcerpta eſt: quæ diviſio cui ſit attribuenda, inter doctos non convenit *p.* 32, & *ſeq.* Quæ vero Provinciæ, & quæ in his Metropoles olim dinumerarentur, propriis deſignatas nominibus habes *p.* 33, & *ſeqq.* Non eædem tamen in diſpoſitione Eccleſiaſtica, quæ ordine Civili erant Metropoles *p.* 34, & *ſeq.* Abſtracta ſubinde Arabia eſt *ibid.* Cyprus in diſpoſitione Civili Diœceſi Orientis erat obnoxia, non etiam ordinatione Eccleſiaſtica *p.* 36. Chaldæa perinde, ac Perſide abſciſſis, Neſtoriani Patriarcham ſibi inaugurarunt proprium: quæ dignitas paullo poſt inter illos pariter eſt diſpartita. Horum vero plerique ad Romanæ Eccleſiæ gremium regreſſi eidem obſequio, devotioneque ſe manciparunt *p.* 37, & *ſeqq.* Chaldææ, ac Perſidis celebriores Provinciæ, ac Metropoles deſcribuntur *p.* 39, & *ſeqq.*; aliæque plures uſque ad poſtremas Orientis oras *p.* 41, & *ſeq.*

Antiochenum Patriarchatum inſtitutum fuiſſe a S. Petro traditio eſt innumeris teſtimoniis innixa *p.* 146, & *ſeqq.* Quæ teſtimonia adjuvant, & corroborant ingenti numero Eccleſiaſtica monumenta; ut proinde non fuerit, cur traditionem illam adeo firmatam Tillemontius temere vellicaret *ibid.* Quo anno S. Petrus Antiochenam Cathedram occupaverit, quotve annis tenuerit, difficile eſt definire. Veri eorum videtur ſimilior ſententia, qui ab anno 33. per annos 7. retentam uſque ad annum 39. arbitrantur, qui perinde ab anno 40. uſque ad annum 65., aut ſeq. per annos 25. Romanam ab eo adminiſtratam Eccleſiam tenent *p.* 148. Cathedræ Antiochenæ poſt ſe S. Evodium præfecit, ejuſdem in locum pariter deſi-

deſignato ſucceſſore S. Ignatio *p.* 149, & *ſeq.* Tamdiu vero Eccleſiæ Antiochenæ integra manſit dignitas Patriarchalis ſua, quamdiu ſub Romanæ obedientia permanſit ipſa, devota: a qua receſſione facta, tum pariter ſciſſa in partes ipſius jura ſunt, ac transfuſa in Syros, in Chaldæos, in Neſtorianos, in Jacobitas *p.* 150, & *ſeqq.*

Apoſtoli quando, & a quo Epiſcopatus ordinem acceperint, non una eſt Eruditorum ſententia: nam omnes a Chriſto D. ordinatos quidem volunt alii, e quibus aliqui factum id in ultima Cœna, quidam vero poſt Reſurrectionem autumant: alii a Spiritu S. Epiſcopali charactere inſignitos cenſent: nonnulli tres dumtaxat a Chriſto D. ordinatos exiſtimant, SS. Petrum, Jacobum, & Johannem, atque ab his reliquos: plerique denique S. Petrum dumtaxat a Chriſto D. Epiſcopum, ac Pontificem fuiſſe conſecratum, ab eodemque viciſſim Apoſtolos ceteros Epiſcopali ordine exornatos *p.* 162, & *ſeq.* Apoſtolorum Canones dicti, videſis V. *Canones*.

Apoſtolicæ inſtitutionis cenſeri jure debent Eccleſiaſticæ pleræque Metropoles, ab exordio Eccleſiæ provide ab Apoſtolis ipſis erectæ. Atque quidem in harum referre cenſum fas eſt celebriores, quæ paſſim in S. Scripturis habentur Urbes, quibus præfecti ab Apoſtolis Epiſcopi frequenter occurrunt. Earum brevis exhibetur catalogus, prolixior apud Fabricium prolatus *p.* 228, & *ſeq.*

Apoſtolatus tres erant prærogativæ: 1. prædicare ubique gentium Evangelium, cum poteſtate ligandi, atque ſolvendi: 2. Fidei dogmata, legeſque diſciplinæ ſancire: 3. Eccleſias ubique terrarum Chriſtiano nomine dedicare. Quæ trina poteſtas quidem in S. Petro ordinaria fuit, ac proinde in Romanum Pontificem transfuſa eſt, in Apoſtolis ceteris extraordinaria, quæ idcirco in Epiſcopos non derivatur *p.* 339, & *ſeq.* In Apoſtolis duo officia diſtinguere oportet, Apoſtolatum, & Epiſcopatum: in Apoſtolatu nullus eis ſuccedit, ſed unus S. Petro Romanus Pontifex: in Epiſcopatu vero ſuccedunt Cardinales, & Epiſcopi, ſed diverſimode: quatenus enim Apoſtoli S. Petri coadjutores erant in regimine Eccleſiæ univerſæ, ſuccedunt Cardinales: quatenus ſingularibus deputati erant Eccleſiis, ſuccedunt Epiſcopi *p.* 340., & *ſeq.*

Apotheoſis apud Græcos, Romanoſque gentiles. Cæremonia erat ſuperſtitionis plena, qua conſecrabantur illuſtres homines, ac inter Divos adſcribebantur. Paullo diverſus in Apotheoſi Imperatorum obſervabatur ab eo, qui in Auguſtarum fœminarum Apotheoſi ritus adhibebatur: uterque vero paucis deſcribitur *p.* 632, & *ſeq.* Porro Chriſti D. Apotheoſim tentaſſe Tiberium, Hadrianum, & Alexandrum Severum, ſed impedimento fuiſſe qua Senatum, qua Idolorum Sacerdotes, fide in hac re valde quam digni Scriptores denarrant *p.* 633, & *ſeq.*

Aquileja Provinciæ Venetiarum, & Iſtriæ antiquiſſima Metropolis Civilis, Eccleſiaſtica quando evaſerit, in obſcuro latet: neque magis liquet ejuſdem Patriarchici juris vetus extenſio. In duos Patriarchatus hic diſſectus eſt deinde an-

no

no circiter 580, quo pariter obtinere Gradenſis cœpit, qui poſt quam annos 870. duraſſet, Venetias demum anno 1450. translatus eſt. Qui vero Aquilejæ poſthinc adhæſerat, in duos partitus eſt denuo a Benedicto XIV, in Utinenſem ſub Veneta, & Gorizienſem in ditione Auſtriaca *p.* 73. Ad hæc Metropoles aliæ cum obnoxiis Suffraganeis in Dominio Veneto, vel ad littora Adriatici Maris poſitæ attinguntur *ibid.*, *& ſeq.* Occaſio, quæ Patriarchatui Aquilejenſi ortum præbuit, diſtinctius aperitur, & occaſio perinde, quæ Gradenſi obſtetricata eſt *p.* 172, *& ſeqq.*

Aquilejenſis Cathedra Gradum non abſque Sedis Apoſtolicæ licentia translata eſt, quin tamen ejuſdem Patriarchalis dignitas probaretur. Præ Aquilejenſi erga Gradenſem proniores, facilioreſque præbuere ſe ſe Romani Pontifices, ideo quod hi præ illis Romanæ Eccleſiæ devotione, & obſequio deditiſſimi eſſent *p.* 174, & *ſeq.* Poſt hæc Aquilejenſi priſtini juris magnam partem dimiſit Gradenſis: ſed ipſe viciſſim Romani Pontificis beneficio novis Primatis juribus eſt indutus, donec hic Venetias translatus eſt, ille vero in duos diſtractus *p.* 175, & *ſeq.* Variam enim vero ſortem uterque ſubiit: nam Aquilejenſis mox ſupra Gradenſem jus Metropoliticum obtinuit a Johanne XIX. in Synodo Romana an. 1027, (ſi tamen Synodi iſtius acta a Rubeo deſcripta fide non laborant, uti dubitat Manſius), mox infra Gradenſem depreſſus legitur a Benedicto IX. Denique inter utrumque litem diremit, ac jurgium S. Leo IX. *p.* 486, & *ſeq.*

Arcani diſciplina, ſub qua multa olim circa Sacramenta occultari ſolebant, inviſa Proteſtantibus accidit, eamque veluti ritum ab Apoſtolorum, aut Patrum Apoſtolicorum more alienum, ac veluti rem inmera Rituum occultatione, non etiam in Sacramentorum confectione ſitam, cauſari non verentur. At veterem eſſe, Eccleſiæque coævam hanc diſciplinam, atque ad Sacramenta ipſa ſpectaſſe Theologi noſtrates oſtendunt *p.* 418.

Archiepiſcopi nomine olim appellati Romanus Pontifex, Patriarchæ, Urbiumque principalium Antiſtites paſſim leguntur: nunc uſu recepto apud Latinos pro Metropolitis, & apud Græcos pro Autocephalis nomen hoc uſurpari ſolet *p.* 227, & *ſeq.*

Arelate ab Honorio Imp. Prætorio Galliarum Præfecti Sedes circa annum 402. eſt conſtituta *p.* 8. Antehac Metropolim Eccleſiaſticam extitiſſe veri admodum ſimilis eſt ſententia. Cum Viennenſi de jure Metropolitico diu, multumque decertavit *p.* 88, & *ſeqq.* Viennenſi paria reportavit; quinin Viennenſem ipſam jus, Primatus dignitatem præterea, viceſque Apoſtolicas: donec Primatus hic penitus obliteratus eſt *p.* 90, & *ſeq.*, 201, & *ſeq.* Arelatenſis Provinciæ Epiſcoporum libellus oblatus S. Leoni M., non tanquam ſubditicius, ſed vere germanus eſt habendus *p.* 125.

Armenia ſive Minor, ſive Major in Diœceſi Pontica comprehenſi Exarcho Cæſareenſi olim erat obnoxia *p.* 13, 20, & *ſeqq.* Primus Armenæ genti Antiſtes S. Gregorius dictus *Illuminator* eſt datus. Majoris Armeniæ Metropolis non ſemper eadem fuit, nec ſemper una; ideoque

que Metropolitica jura tum in plures diviſa fuere, tum plura in loca translata. Quo anno Schiſma ab Armenis conflatum, & quo inſtituta peculiaris ipſorum Æra fuerit *ibid.* Plures apud Armenos ſemet in Patriarchas erexere; pluresque ex Patriarchis his ad unitatem regreſſi Romano Pontifici demiſſe ſe ſubmiſere *p.* 21, *& ſeq.* Summis viciſſim Pontificibus accepta, probataque evaſit toties eadem Patriarchalis dignitas, quoties cum ipſis Armeni reconciliati ſunt *p.* 160, & *ſeq.* Armenorum Legati in Concilio Florentino in expoſitionis copia Eugenio IV. exhibita verbis tam magnificis, quam veris Divinas Romani Pontificis prærogativas, ſignatimque ſupremam in Eccleſia poteſtatem, ac in fide indefectibilitatem prædicarunt, neceſſitatem quoque cum ipſo in fide conveniendi, ipſique obediendi faſſi, & profeſſi *p.* 577. & *ſeq.*

Aſiana Diœceſis plures diviſiones perpeſſa eſt. Ejus Metropolis Epheſus, vetus, ac nobiliſſima Urbs erat, cujus Exarchus pridem quinto habebatur loco in Eccleſia, eique plures obnoxiæ erant Provinciæ: quibus deinde in Patriarchæ Conſtantinop. jura tranſcriptis, eidem parendi Epheſinus pariter neceſſitatem expertus eſt *p.* 9, & *ſeq.*

B

Baptiſmus ritu ſolemni in ſola dumtaxat Paſchali ſolemnitate, ac Pentecoſtes diebus conferri debebat, lege, ac diſciplina lata, & decreta a SS. Siricio, Leone, & Gelaſio. Quæ diſciplina quidem obſervata ad finem uſque Sæculi XI, quin etiam devexiori adhuc ſub ætate documentis multis oppido demonſtratur *pag.* 424, & *ſeqq.* Quamquam nec eadem ſemper, nec eadem ubique obtinuit: in ipſa enim Romana Eccleſia Sæculo VI. exeunte extra Paſcha, & Pentecoſtem Baptiſmum conferre licebat. In Anglia paucos intra dies ab infantis nativitate debebat conferri. In Galliam conferendi mos inductus eſt diebus etiam Natalis D., Epiphaniæ, ac S. Jo: Baptiſtæ. In Hiſpania denique præter hos dies, conferri in diebus etiam Natalitiis SS. Apoſtolorum, ac Martyrum ſolebat. Univerſim tamen in Occidente ea lex obtinebat, ut in diebus Paſchæ, & Pentecoſtes dumtaxat Baptiſmus adminiſtraretur. Quæ diſciplina in Eccleſia Orientali etiam diu viguit, cui deinde adjecti ſunt dies Natalis D., & Epiphaniæ: donec tandem ea introducta eſt, ut pueri a die 8. baptizentur apud Græcos; a die 40. apud Moſchos, Chaldæos, Malabaros, & Maronitas; intra dies 80. vero puellæ *p.* 425, & *ſeq.*

Baptiſmum, de quo juſta ſubeat dubitatio, ulla abſque conditione reiterandum diſerte, expreſſeque declaravit par MM. Pontificum, SS. Leo, & Gregorius *p.* 428, & *ſeq.* Baptizatos ab hæreticis, qui forma Baptiſmi non fuiſſent abuſi, non eſſe denuo baptizandos, bene vero baptizatos ab eis, qui Baptiſmi formam depravaſſent, regula eſt in Eccleſia recepta: juxta quam Baptiſmum poſtea a Calviniſtis collatum in Trinitatis nomine validum declarave re poſt S. Pium V. Concilia pleraque Gallicana. Viciſſim iterandum Baptiſmum adminiſtratum ab

ab uno aquam fundente, alteroque formam pronunciante declaravit Concilium Mechlinenſe, cujus plane declaratio probata Benedicto XIV. evaſit. Omiſſæ tamen a Calviniſtis Cæremoniæ ſuppleri jubentur a Synodis nonnullis *p.* 449, & *ſeq.* Ad hæc denique Baptiſmum vel in SS Trinitatis, vel in Chriſti dumtaxat nomine collatum validum denuntians S. Nicolaus I. recto intelligi ſenſu tam vere poteſt, quam debet; religioque proinde mihi eſt ab omni prorſus ipſum abſtergere errore *p.* 475.

Baſnagius ex dejectione quorumdam Patriarcharum e ſuis gradibus peracta a Romano Pontifice hujus Primatum ſupra illos haud rite concludi peſſime arguens refellitur *p.* 293.

Beatificatio Dei Servorum in eo differt a Canonizatione, quod hæc ſit Romani Pontificis teſtimonium publicum Eccleſiæ univerſæ propoſitum, ac judicium erga Sanctum Dei hominem cultus præceptivum: illa vero ſit teſtimonium peculiare tantummodo quoad locum, ac judicium permiſſivum quoad cultum *p.* 585, *& ſeq.*, 648, *& ſeqq.* Vide V. *Canonizatio*.

Benedicti IX. memoriam, qua ſeptem ferme per ſæcula graviter apud homines laborabat, locupleti Diatriba de ipſius Sepulchro in Templo Monaſterii Cryptæ-Ferratæ nuper detecto adornata, abunde liberavit, & abſterſit doctiſſ. Gregorius Placentinus Baſilianus Monachus, fide omni dignis monumentis demonſtrans eum peſſima nequaquam morte periiſſe, uti præpoſtera fert vulgi opinio, ſed egregia pœnitentia defunctum, pie demum fini conceſſiſſe ibidem ſuo *p.* 486, *& ſeq.*

Bituricenſis Antiſtes Patriarchæ nomine delectatus eſt aliquando, quin tamen unquam re ipſa potitus ſit. Commentum eſt vero, & calumnia, quod Gallicana Eccleſia conſilium inierit de Patriarchatu iſto inſtaurando *p.* 179, *& ſeq.* Primatus jure potius in tres Provincias Hadriani I. beneficio adauctus eſt Bituricenſis, quo paullo poſt diminutus eſt, atque intra propriam, & Burdigalenſem cohibitus. Ab ipſo quin etiam poſtea Burdigalenſis eſt abſolutus, qui & Primatis jura in Provinciam Toloſanam extendere aliquando viſus eſt. Fruſtra ceſſit demum conatus omnis, quo Bituricenſi denuo Burdigalenſem ſubjugare enixi ſunt Carolus VII, & Ludovicus XI, intercedente Clemente V. *p.* 203, *& ſeq.*

Britannia a Britone Rege denominata, antea vero Albion a Montibus albis, in duas pridem diſcindebatur partes, Auſtralem, nunc Angliam, & Septemtrionalem Caledoniam dictam, nunc Scotiam: quas inter murus a Romanis Imperatoribus fuerat ædificatus, ultra quem videlicet in inferiorem, ſive Septemtrionalem Romanum Imperium non effundebatur *p.* 100, *& ſeq.* Auſtralis, ſive ſuperior, ſive Anglia modo in duas Provincias, in quibus Metropoles Londinum, & Eboracum, modo in tres, ac demum in quinque diſtracta eſt. Ad hæc Britannia utraque ſub Anglis, Saxonibus, ac Juttis in ſeptem Regna diſpartita eſt, quæ in unum denique coaluere ſub Saxonibus; cuique ſubinde acceſſit Hibernia, ac Scotia anno 1603. ſub Jacobo VI. Stuardo *ibidem*.

Britanniæ Eccleſiaſtica diſpoſitio hoc modo

modo olim ſe habebat. Sæculo II. chriſtiana ibidem excolebatur Religio. Sub Lucio Rege a S. Eleuthero Roma eò directi ſunt, qui Eccleſiaſticam ibi hierarchiam ordinarent. Acciſa ſub Diocletiano Religio in priſtinum decus ſub Conſtantino eſt reſtituta; quæ ſub Anglo-Saxonibus denuo collapſa a S. Gregorio M. rurſus eſt reſtaurata: quod pro impudentia inficiatus Parkerus refellitur. Tum vero a S. Auguſtino, ac Miſſionariis ſociis Britanniæ Reges ſacro Baptiſmo luſtrati ſunt *p.* 101, *& ſeqq.* In Scotiam fidei lumen inlatum opera S. Victoris, S. Siricio deinde procurante, ac S. Cæleſtino propagata Religio eſt, a quo pariter ſparta S. Patritio impoſita fidem in Hiberniam inferendi: temere vero Miſſionem hanc abrogare Henricus Mauritius eſt auſus *p.* 103. Itaque ſub S. Gregorio M. in Anglia Metropolis erecta Cantuarienſis eſt, Primatu deinde adaucta, ac vicibus Apoſtolicis, quam dignitatem in ſe tranſcribere fruſtra Eboracenſis ſæpe tentavit. Plures erectæ pariter Epiſcopales Cathedræ ſunt. Quæ vero in Scotia, Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjugatæ ſunt, donec Metropolis conſtituta eſt Sant-Andreana, ac deinde Glaſcovienſis *p.* 104, *& ſeq.*, & 129. In Hibernia primus Metropolita, ac Primas fertur S. Patritius; fuit certe vero Celſus Armachanus, quem S. Malachias excepit. Primatis iſtius perinde jura in Abbatem S. Columbæ translata ſunt, cui obnoxii ideo erant Inſulæ Epiſcopi omnes. Duæ aliæ deinde Metropoles excitatæ ſunt Caſſilienſis, & Tuamenſis *p.* 105. Atqui in Britannicis inſtituendis Metropolibus ad Civilem ordinem a Romanis Pontificibus reſpectus nullus eſt habitus *p.* 128 *& ſeq.* Porro Britanniæ originesEccleſiaſticas S. Petro, qui illuc profectionem adornaverit, acceptas referendas fore pugnant nonnulli monumentis, ac momentis non utique contemnendis. Eò contendiſſe S. Paulum, Eccleſias ibidem erexiſſe, ac hierarchiam ſtabiliviſſe Eccleſiaſticam pleriſque aliis perſuaſum eſt *p.* 252, *& ſeqq.*

Bulgaria ad Romani Pontificis jus Patriarchicum ab initio ſuſceptæ fidei pertinuit: quod jus a Græcis invaſum ſtrenue ſibi vindicarunt Hadrianus II, Johannes VIII, & Innocentius III. *p.* 177. Bulgari nihilominus peculiarem habere Patriarcham percupidi, hunc a Romano Pontifice fuiſſe petendum, accipiendumque probe agnovere; permittentes vero S. Nicolaus I, & Innocentius III. in eum ab Apoſtolica Sede derivari jura, iſtaque pro arbitrio poſſe coarctari, vel ampliari, vel transferri docuere *p.* 178. Bulgaris denique præclara multa diſciplinæ Eccleſiaſticæ capita] obſecratus pro officio præſcripſit S. Nicolaus I. *p.* 474, *& ſeq.*

C

CAnonem 6. Nicænum juxta Rufini interpretationem de Patriarchatus Romani veris, juſtiſque confinibus diverſos, & adverſos in ſenſus inflectunt qua hæretici, qua orthodoxi. Ex quibus legitimus, ſincerus, & optimus deligitur, quo nempe totus Occidens Patriarchatui Romano obnoxius demonſtratur *pag.* 61, *& ſeqq.* Porro Canone iſto ad Patriarchas Orientis comparari

Pontificis M. Jus Metropoliticum quidam volunt, jus Patriarchicum malunt alii, aliique demum jus Primatis *p.* 62, *& ſeqq.* Poſtremo Canon ille *6. De Primatu Romanæ Eccleſiæ* inſcribebatur olim in pleriſque Collectionibus, atque ita eumdem reapſe accipiendum complures Pontifices docuere *p.* 66.

Canonum variæ Collectiones uſu antiquiſſimo Eccleſiæ venere, nulla tamen ante ſæculum IV. adornata videtur, ſed ſolis Rom. Pontificum decretalibus Eccleſia univerſa dirigebatur *p.* 361, *& ſeqq.* Canones Apoſtolicos eſſe antiquiſſimos non dubium eſt: at auctores haud habuiſſe Apoſtolos, veluti dudum aliquibus perſuaſum erat, Eruditis hodie indubitatum evaſit *p.* 362, *& ſeq.* Ex his Canonibus tanquam genuini 50. dumtaxat habiti ſunt a nonnullis, reliqui vero 35. velut conficti circa ſæculi V. exitum: at & hi laudati ſæculo IV. leguntur. Parvo etiam in auctoritatis pretio ideo reputati ſunt omnes, quod a S. Gelaſio inter apocryphos recenſiti aliquibus viſi ſint: at in germano Gelaſiano decreto haud reperiuntur, & aliunde ex his 50. Romanæ Eccleſiæ accepti evaſerunt *p.* 363, *& ſeq.* Ut ut ergo Græcis 85. probati ſint, Latinis non niſi 50. placuere, quot ſcilicet dumtaxat admittendos eſſe decrevere Stephanus III, ſive IV, & Urbanus II. *p.* 468, *& ſeq.*

Canonum incerta Collectio ex ſolis Nicænis, & Sardicenſibus obtinuit uſque ad ſæculum V. Acceſſit uſque ad ſæculi VI. dimidium altera a Stephano Epheſino elucubrata; cujus geminum exemplar a Juſtello, & Queſnello in lucem editum fide valdequam laborat *p.* 365, & *ſeqq.* Quæ prima Canonum collectio pro Eccleſia Orientali exornata ſe offerat, ea eſt, quam a Sabino Heracleenſi elaboratam refert Socrates, ac reprehendit, quæque hodie fruſtra deſideratur, neque vero eſt, cur deſideretur. Altera ab anno 692. prodiit, approbata in Synodo Quiniſexta, quæ tamen Romanæ Eccleſiæ accepta minime evaſit *p.* 368, & *ſeq.* Ante hanc altera a Theodoreto adornata fertur; poſt vero aliam elucubravit Johannes Scholaſticus, ex qua profecti Nomo-Canones apud Græcos celebres *p.* 369, & *ſeq.* Prodiere ſubinde aliæ a Græcorum aliis procuſæ, de quibus fit ſermo *p.* 370.

Canonum inter Collectiones in Eccleſia Occidentali uſitatas celebris evaſit Codex Africanæ Eccleſiæ ab incerto Auctore concinnatus, ex Dionyſiana Collectione confectus, ſed multis capitibus, ac Nicænis Canonibus nominatim mutilus *p.* 370. Celebrior longe habita eſt, majorique in pretio Collectio a Dionyſio Exiguo circa medium ſæculum VI. exarata, quæ longo tempore uſu conſecrata eſt Eccleſiæ Romanæ, Gallicanæ, & Hiſpanæ. Quamquam non adeo accurate Collectio iſthæc elucubrata eſt, quin plurimis a Dionyſio prætermiſſis adaugeri indiguerit *p.* 371, & *ſeqq.* Porro Jus antiquum dicta Collectio hæc Dionyſiana obtinuit uſque ad annum 847. circiter, ſub quo Iſidorus Mercator ſuam conſarcinaſſe creditur, Jus novum dictam, ideo quod multo inde tempore uſu Eccleſiæ venerit, non qua ſpuriis innumeris, quibus ab eo conſpurcata eſt, undique ſcatet, ſed

ſed qua Judiciorum Eccleſiaſticorum ordini magis eſſet accommoda *p.* 373. Obtinuere perinde in Eccleſiis Latinis Collectiones aliæ ab aliis conſarcinatæ. Gallicanæ peculiarem fuiſſe cenſet Fevretus, negat Sirmondus. Corbejenſem, & Colbertinam acceptas Eccleſiæ Gallicanæ evaſiſſe autumat Coutantius: at privata auctoritate utraque adornata fuerat, poſterior vero ſuppoſititiis plurimis infarta *p.* 374, *& ſeq.* Meminit idem alterius, quæ in Codice Mſ. Bibl. Sorbonicæ aſſervatur *p.* 379. Potius in Gallia obtinuit Collectio Hadrianæa, quæ eſt ipſa Dionyſiana auctior: ex qua Dionyſiana pariter conflatæ ſunt pro Eccleſia Africana Breviatio Ferrandi, & Creſconii Collectio *p.* 375. Hiſpanæ Eccleſiæ propria evaſit Collectio, cujus Auctor ignotus Petro de Marca perperam juſſu S. Leonis exornatam exiſtimanti, & Aguirræo eam cum Ferrandi Breviatione inconſiderate confundenti, detectus eſt demum S. Iſidorus Hiſpalenſis a Coutantio, & Cennio *p.* 376, *& ſeqq.* Antehac altera pro Hiſpanis fuerat exornata a S. Martino Bracarenſi *p.* 378, *& ſeq.* Pro Eccleſia Germanica peculiarem contexuere Regino Prumienſis, & Burchardus Wormatienſis, aliaſque pro aliis procudere S. Anſelmus Lucenſis, S. Hildebertus Cenomanenſis, Ivo Carnotenſis, aliique plures, in quibus celebriores Gregorius Sabinenſis, Deusdedit, & Laborans *p.* 380, *& ſeq.* Celeberrima demum evaſit Gratianæa, ſed tot, ac tantis coinquinatæ mendis, ut expurgandæ plurimam a Romanis Pontificibus conferri operam oportuerit *p.* 381, *& ſeqq.* Videſis V. *Decretales*.

Canonizatio publicum eſt a Romano Pontifice Eccleſiæ univerſæ propoſitum teſtimonium de Sanctitate & Beatitudine alicujus Del Servi, ſimulque judicium, quo eidem Cælitum honor decernitur *p.* 585. In eo vero differt a Beatificatione, quod hæc teſtimonium ſit, ac judicium tantummodo peculiare quoad locum, & permiſſivum quoad cultum *p.* 586, 648, *& ſeqq.* Ritus in Beatificatione, & Canonizatione adhiberi ſolitus alius remotus, alius proximus, utriuſque autem ſpecies variæ *p.* 587, *& ſeqq.* Ad Ritum remotum attinet diligentia ſumma, qua colligendis SS. Martyrum actis paſſionum Eccleſiæ incumbebant, ac Romana quammaxime *p.* 589, *& ſeq.* Qua pariter diligentia in colligendis, deſcribendiſque SS. Confeſſorum præclaris facinoribus egregie defuncti Eccleſiæ Patres, ac Scriptores Eccleſiaſtici paſſim leguntur *p.* 590, *& ſeq.* Ex his actis confecta ſubinde ſunt Martyrologia, Kalendaria, Faſti, Catalogi, aliaque hujus genus Monumenta *p.* 591, *& ſeq.* Diptychis inſcribendi perinde homines cum opinione Sanctitatis defunctos Ritus obtinuit: quem ſpeciem prætuliſſe quamdam Canonizationis etſi ſint, qui exiſtimant, eorum tamen conjecturæ tanti non ſunt, ut a prudenti in re tam gravi extorquere valeant aſſenſum. Quamquam e Diptychis SS. Confeſſorum nomina inter Miſſarum ſolemnia recitari ad Altare conſueviſſe dubium eſſe non debet *p.* 592, *& ſeq.*

Canonizationes, quoad Ritum proxi-

mum attingit, peragi a Romanis Pontificibus aut in Conciliis, aut extra Concilia ſolebant, non ante tamen, quam diligentiſſime Servi Dei virtutes, ac miracula perpenſa fuiſſent, & approbata, velut ex Diplomatibus Canon. fit exploratum *p.* 594, & *ſeq.* Quo loci indicantur pleræque Canonizationes in Conciliis peractæ: peractæ vero extra Concilia *p.* 595, & *ſeqq.* Quæ ut rite peragerentur, adhiberi Inſtrumenta publica auctoritate confecta ſolebant, advocari teſtes fide omni digni, ac pro conſilio deligi viri probi, doctrinaque præſtantes *ibid.* Nec minori diligentia procedendum ſibi in Beatificationum cauſſis proponebant Summi Pontifices, ut fidem Acta faciunt *p.* 602, & *ſeqq.*; cui diligentiæ adjecta ea deinde pars eſt, ut in Teſtes ipſos diligentiſſima inquiſitio fieret *p.* 603. Recepta nunc praxi a S. Congregatione Rituum ejuſmodi cauſſæ exagitari conſuescunt: quæ Congregatio vel eſt ordinaria, vel antepræparatoria, vel præparatoria, vel generalis, vel particularis *p.* 604, & *ſeq.* Quæ vero, antequam Congregatio iſta a Sixto V. inſtitueretur, & quæ poſt ejuſdem inſtitutionem in cauſſis tam Beatificationum, quam Canonizationum obtinuerit, praxis obiter deſcribitur *p.* 605, & *ſeqq.* Porro Beatificationis ſolemnis Ritus primum ab Alexandro VII. in Beatificatione S. Franciſci Saleſii inductus legitur, qualis vero iſte ſit, breviter indicatur *p.* 613.

Canonizationis Ritus ſolemnis non idem ſemper, ſed minori, ſucceſſiveque majori cum ſolemnitate uſurpatus eſt *p.* 614, & *ſeqq.* Quod ad Martyres attinet, illos Eccleſia vindicare ante ſolebat, quam cultum eis decerneret: ut vindicaret vero, nulli diligentiæ ad aſſequendam veritatem Martyrii, attingendamque Martyrii cauſſam, parcebat *p.* 615., & *ſeq.* Atque tum demum varias illis cultus ſpecies dependebat; inter quas ſingulares erant: quod eorum corpora purpurato Colobio induta ſepulturæ commendabantur: quod ſuper eorum Sepulcris ædes ſacræ, & Altaria exſtruebantur: quod eorum paſſionis dies anniverſaria ſolemnis habebatur; eademque die acta eorum paſſionis in Eccleſia publice legebantur *p.* 618, & *ſeq.* Quoad Confeſſores ſpectat, eorum cultum nec citius, nec tardius ſæculo IV. cœpiſſe ex Liturgiis, Scriptoribus, Litaniis, & Sacramentariis adparet *p.* 619, & *ſeqq.* Nec tamen ante impendi ipſis ſolebat, quam de eorum heroicis virtutibus, ac miraculis liquido conſtitiſſet. Documento id etiam eſt diligentia ſumma, qua invigilabat Eccleſia, ne cuipiam ſuperſtitioſus, falſuſque deferretur cultus *p.* 621, & *ſeq.* Canonizationis autem Ritus ante Innocentium II. ſimplex admodum erat, in eoque ferme ſitus, ut S. Confeſſoris corpus in Eccleſia tumulo eminentiori elevaretur *p.* 622, & *ſeqq.*, vel ut ſupra S. Confeſſoris corpus in Eccleſia Tumbæ, ſive Ciboria, ſive Repæ, ſive Aræ excitarentur *p.* 624, & *ſeq.* Non etiam inter Ritus iſtius ſpecies referendus eſt ritus ille, quo Confeſſorum Imagines coloribus exprimi conſuebant, velut autumat vir ſummus Mazochius: nec enim is ritus adeo Sanctis viris ſingularis erat,

erat, quin aliis quoque nullo Sanctitatis præfulgidis ſigno communis eſſet *p.* 625, & *ſeq.* Solemnis Ritus ſpecimen vetuſtius Sæculo X. non ſuppetit, iſque inductus eſt a Johanne XV; qui perinde ſolemnior induci cœpit ab Innocentio II; noviſque adjectis Cæremoniis adaugeri perinde a ſequentibus Pontificibus *p.* 626, *& ſeqq.* Cæremoniæ porro iſtæ magis in dies, magiſque adauctæ primum deſcriptæ videntur ſub Clemente VI, ac deinde ſub Alexandro VI. *p.* 630, *& ſeq.* Canonizationis denique Ritus originem certe nactus non eſt ex Apotheoſi gentilium, a qua longo diſtare, latoque intervallo demonſtratur, originemque duxiſſe ex doctrina Catholica de SS. veneratione, & cultu, atque ex diſciplina veteri Eccleſiæ *p.* 632, *& ſeqq.* Canonizationis, ac Beatificationis cauſſas ad peculiare jus pertinere Romani Pontificis ratione, auctoritate, exempliſque oſtenditur *p.* 635, *& ſeqq.* Ratione, qua ipſum ſolum infallibilitatis gaudere prærogativa fateri cogimur. Auctoritate, in quam pedibus, manibuſque conſpirant Theologi, Canoniſtæ, ac Pontifices ipſi præſertim, e quibus Alexander III. diſerte hoc Apoſtolicæ Sedi jus vindicavit *p.* 637, *& ſeqq.* Exemplis demum, quibus a priſca ad hanc devexiorem ætatem deſideratam in hujuſce genus cauſſis Apoſtolicæ Sedis auctoritatem fuiſſe manifeſtiſſimum ſit *p.* 640, *& ſeqq.* Canonizationibus interea omni ex parte in tuto ponendis ſedulo incubuere Summi Pontifices, decretis prudentiæ, ſapientiæque plenis vice plus ſimplici editis *p.* 642, *& ſeqq.* Etſi vero Epiſcopos in cauſſis ejuſmodi introſpexiſſe multis doceamur exemplis, Beatificationis tamen dumtaxat, non etiam Canonizationis, propriiſque dumtaxat in Diœceſibus munus explebant: neque ipſis unquam Canonizationes perficiendi facultas a Pontificibus facta eſt, potuitque imo fieri *p.* 644, *& ſeqq.* Neque vero abs re eſt de variis titulis ante, & poſt Canonizationem Sanctis Dei viris tribui ſolitis diſſerere, uti de titulis Servi Dei, Venerabilis Dei Servi, Beati, & Sancti *p.* 646, *& ſeq.* Diſtinguere etiam oportet inter diverſos religioſi cultus modos, ac ſpecies, qui nempe Beatis defertur, & qui Sanctis decernitur *p.* 647, *& ſeq.* Denique Beatificationem inter, & Canonizationem, quod longum intercedit, latumque diſcrimen, adnotatur *p.* 648, *& ſeqq.* Poſtremo Summum Pontificem in cauſſis tam Beatificationum, quam Canonizationum falli, & fallere omnino eſſe neſcium ratione, & auctoritate propugnatur *p.* 653, *& ſeqq.*; quo plane infallibilitatis privilegio minime potiebantur Epiſcopi, dum propria auctoritate Beatificationum cauſſas agebant, quæ ideo omni aberrore tutæ non erant *p.* 655, *& ſeq.* Quamquam gradum eſſe in hujuſce genus judiciis fatendum eſt, atque erroris immunitatem in Beatificatione alteram eſſe adſtruendam ab ea, quæ in Canonizatione adeſt, adeo ut in hac ita Pontifex infallibilis ſit, ut id fide Divina ſit omnino tenendum; in illa vero infallibilis ſit ita quidem, ut inſignis abſque temeritatis nota id inficiari nequeat, certitudine tamen dumtaxat Theologica, ſive

infra

infra fidem tenere oporteat *p.* 657, *& ſeqq.* Quæ his opponi poſſunt, ac ſolent, levi admodum negotio profligantur *p.* 662, *& ſeqq.* Concluditur denique Canonizationum cauſſas definire infallibili prorſus judicio ad unum pertinere Romanum Pontificem *p.* 667, *& ſeq.*

Cantuarienſis Eccleſia, etſi Civili dignitate eminerent Eboracum, & Londinum, in Eccleſiaſtica diſpoſitione ceteris in Anglia eſt antelata *p.* 103, *ſeq.*, & 128. Ejus Antiſtes Primatis jure nedum inſignitus fuit, ſed Patriarchæ aliquando etiam nomine inſcriptus legitur. Quin inſuper privilegio inſigni adauctus, quo a nemine, præterquam a Romano Pontifice, judicari poſſet *p.* 183. Poſt hunc Primatus alter in Hibernia emerſit, nempe Armachanus *p.* 215.

Cardinalium Titulos inſtituit S. Evariſtus, adauxit S. Hyginus, ac deinde Calliſtus III, Sixtus IV, Leo X, Julius III, Paulus IV, Pius IV, & S. Pius V. Ex his Epiſcopi adfixi erant Baſilicæ Lateranenſi, reliquis quatuor Cardinales Presbyteri *p.* 67. Apoſtolis, prout coadjutores erant S. Petri in regimine Eccleſiæ univerſalis, ſuccedunt Cardinales *p.* 340, *& ſeq.*; quos 70. Seniorum quoque Moyſi adſiſtentium præclaram ſpeciem præferre, ut qui Romani Pontificis adjuvant partes, ſcribit Johannes VIII; ideoque illis rei Chriſtianæ ſedulo curandæ ſpartam commendat, ac Parochialia beneficia perpetuo confert *p.* 477, *& ſeq.*

Carthaginenſis Primas tam antiquus æſtimari debet in Africa, quam Africæ Religio ipſa Chriſtiana antiqua ſit *p.* 192, *& ſeqq.* Principio ei parebant tres Provinciæ, quæ perinde in quinque, ac poſtremo in ſex partitæ ſunt, quibuſve decurſu temporis præfecti ſingulares Metropolitæ, ſive Primates, Carthaginenſi tamen obnoxii omnes *p.* 193, *& ſeq.* Cujus juris erat Concilia totius Africæ cogere; Epiſcopos per totam Africam creare, & ordinare; Epiſcoporum decedentium, ac ſuccedentium nomina delata reciperе, ac Romano deinde Pontifici renuntiare; Synodicas Epiſcoporum nomine conſcribere, & Synodicorum decretorum obſervantiæ invigilare; Eccleſias viſitare, cauſſas Eccleſiaſticas dirimere; diſpenſationes largiri &c. *p.* 194. Primatum Carthaginenſem tam nefas eſt dubitare a S. Romana Eccleſia inſtitutum, quam autocephalum, & ab Eccleſia Romana abſolutum exiſtimare *p.* 195, *& ſeqq.*

Characteres Gallicanos circa Sæculi XII. medium Europæis fere omnibus fuiſſe communes obſervat vir ſummus Mabillonius: nempe Italis, & Germanis acceptos per Imperatores ſtirpis Carolinæ pro Langobardicis, & Teutonicis; Hiſpanis per Bernardum Toletanum in Concilio Legionenſi an. 1091. pro Gothicis; Anglis per Willelmum Conquæſtorem pro Saxonicis *p.* 494.

Chorepiſcopi ante Sæculi IV. exordium nullibi, ut ſciam, memorantur. Eorum prima mentio occurrit in Conciliis Ancyrano, & Neocæſareenſi circa initium Sæculi IV. Viciſſim circa Sæculi IX. exitum obliterari cœperunt, donec Sæculo X. penitus ſublati ſunt. Porro Chorepiſcopos omnes ordinatione Epiſcopos non fuiſſe, etſi aliqua Epiſcopalis officii parte defungerentur

rentur, certum videri poteſt. *p.* 321. & *ſeqq.* Quamquam aliquando Epiſcopali revera charactere fuiſſe inſignitos neque poſſit negari *p.* 326, & *ſeqq.*

Cognationis ſpiritualis impedimentum primus introduxit in Synodo Romana anno 743. S. Zacharias, atque inter Canonicas recepta eſt Lex 26. *De Nuptiis* de eodem impedimento ſancita a Juſtiniano *p.* 473. Impedimento iſti vim integram manere ſuam juſſit perinde Leo VII. *p.* 482. Conſanguinitatis viciſſim impedimentum non ex Laicis a Juſtiniano ornatis legibus adſtruendum, ſed ex Canonicis ab Eccleſia ſancitis dimetiendum adverſus Juriſconſultos nonnullos declaravit Alexander II. *p.* 492.

Confeſſionis auricularis uſum apud Orientales tam veterem, quam Religio ipſa repentina non fuit, ad Meſſalianorum errores felicius explodendos, pariter explodere conſilium inierat Marcus Patriarcha Alexandrinus e ſecta Jacobitarum. Contra adverſa fronte obſtitit Marcus alter doctor, cui poſtulatus cauſſæ victoriam detulit Michael Antiochenus Patriarcha Jacobitarum alter in Syria *p.* 45, & *ſeq.*

Conſtantinopolitanus Epiſcopus tribus Provinciis Aſiana, Pontica, & Thracica, aliiſque præterea Barbaricis dictis imperio ſuo ſubjugatis in Patriarcham aſſurrexit *p.* 9, & *ſeqq.* Quænam, & quot exinde Provinciæ eidem obnoxiæ evaſerint, quando, & a quo eædem partitæ ſi binde fuerint, explanatur *p.* 10, & *ſeqq.* Præfici eidem Eccleſiæ Patriarchæ Latini cœperunt ab anno 1204, ac perrexere uſque ad an. 1261. *p.* 57. Quandiu Patriarchali dignitati huic Eccleſiæ delatæ a Conciliis Conſtantinopolitano I. Can. 3, & Chalcedonenſi Can. 28. Romana contradixit Eccleſia, tandiu ea obtinere nequivit, quæ tum demum obtinuit, quum Romanæ Eccleſiæ conſenſus acceſſit *p.* 154. Tam fruſtra vero, quam falſo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ fundator S. Andreas fertur, jactaturque a Græcis ſchiſmaticis eo dolo, fraudeque, ut parem hinc faciant Romanæ: nam Eccleſiam hanc S. Apoſtolus non fundavit; ac ſi fundaſſet, nec hinc fas eſſet arguere eamdem parem in honore cum Romana poſſe incedere *p.* 154, & *ſeqq.* Primum Epiſcopum potius Eccleſiæ iſti a S. Petro fuiſſe præfectum augurantur alii: at conjectura non magis ſolida, verique ſimili *p.* 157.

Conſtantinopolitanæ ergo Eccleſiæ Patriarchalem hanc dignitatem injuſte uſurpatam abrogare non deſtitere SS. Leo, Simplicius, Felix, Gelaſius, Hormiſdas, Pelagius II, Gregorius M., Nicolaus I, Hadrianus II, Johannes VIII, Johannes XVIII, Leo IX, aliique, donec tandem œconomia quadam motus indulgendam e re duxit Innocentius III: quin unquam tamen in Provincias a Romano Patriarchatu abſtractas jus ullum permiſſum fuerit *p.* 157, & *ſeq.* Porro eo ipſo tempore, quo Conſtantinopolitanus Antiſtes ad titulum *Oecumenici* adſpirare valdequam cœpit, Conſtantinopoli inſtitutum eſt pariter a Mauritio Imp. Collegium 12. Doctorum, quibus qui præerat, Doctor *Oecumenicus* nuncupari delectatus eſt *p.* 158. Tandiu vero Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ integra man-

manſere jura, Pontificum indulgentia acquiſita, quandiu Romanæ Eccleſiæ juſtiſſima Canonicæ obedientiæ dependit obſequia: quibus denegatis, tum jura ipſa ſcindi inter Armenos cœpere, donec tandem in Latinos penitus translata ſunt *p.* 159, & *ſeqq.*

Corſica in Inſula, Græcis olim Cyrno, Metropolis Eccleſiaſtica nulla unquam erecta eſt, ſed ejuſdem Epiſcopi qua Piſano, qua Genuenſi Metropolitæ iverunt obnoxii. *p.* 73.

Curiales, eos nempe, qui Magiſtratibus, officiiſque Municipalibus deputabantur, ideo a Clero procul arcendos prudentiſſime voluit S. Innocentius I, quod eos a Curia abſtrahi Civilibus legibus vetitos, in Clerum adſcitos a Laicis Judicibus a Clericatus officiis ſæpe ſæpius abduci contingeret *p.* 409.

Cyprius, ſive in Cypro Salaminus, ſive Conſtantienſis Antiſtes an olim Antiocheno obnoxius eſſet, in obſcuro latet. Antiocheno ſubjugavit quidem S. Innocentius I, abſolvit viciſſim Synodus Epheſina; utriuſque decretum vero optima invicem ratione conciliatur, quin Pontificio ſupremo juri quæpiam a Synodo irrogata præſumi injuria poſſit *p.* 191, & *ſeq.*

D

DEcretales Romanorum Pontificum in corpus compingere complures viri docti intra ſpatium annorum 70. allaborarunt. Earum prima Compilatio anno circiter 1190. a Bernardo Circa adornata eſt. 2. Compilationem poſt annos 12. ex duabus Gilberti Abbatis, & Alani Antiſiodorenſis deſcripſit Johannes Vallenſis. 3. Compilatio ex Decretalibus Innocentii III. atque a tribus elucubrata eſt, a Rainerio Monacho, a Bernardo Majore, & Petro Beneventano, quæ poſtrema ab ipſo Innocentio probata eſt: atque hæc prima Compilatio publica auctoritate, ſive Pontificia in lucem prodiit *pag.* 383, & *ſeq.* 4. Compilatio ex Decretalibus poſt editis ab Innocentio III. conſarcinata eſt *p.* 384. 5. Compilationem ex Decretalibus Honorii III. confecit Tancredus Bononienſis, evulgavit vero Cironius Toloſanus *p.* 385. Ex Decretalibus Gregorii IX. libros quinque compegit S. Raymundus: cui Collectioni acceſſit deinde liber Sextus Decretalium Bonifacii VIII. *p.* 385, & *ſeq.* Collectio altera librorum quinque elaborata eſt ex Decretalibus Clementis V, Johannis XXII, aliorumque, cui tamen deeſt liber 4. *De Sponſalibus*. Libris hiſce quinque adjectus eſt liber ſeptimus a Petro Matthæo, alterque a Hieronymo Clario: denique liber 8, qui mox ſuppreſſus eſt *p.* 386. Qui in Corpus Juris Canonici Gloſſas, additiones, & notas adornarunt celebriores Juriſperiti digno mactantur elogio *p.* 387.

Diœceſes Imperii quænam olim, & quot dinumerari ſolerent, ac diviſæ ſint ordine ſive Civili, ſive Eccleſiaſtico *p.* 4, & *ſeq.* Diœceſis Orientis Metropolis erat Antiochia; Ægypti Alexandria; Aſiæ Epheſus; Ponti Cæſarea; Thraciæ Heraclea, ac deinde Byzantium *p.* 6. Illyrici Metropolis Civilis nunc Sirmium, nunc Theſſalonica; Eccleſiaſtica modo Sardica, modo Theſſalonica

ſalonica, modo Acrida *p.* 7, & 23. Italiæ Roma utique, cui adjunctum Mediolanum. Africæ Carthago. In Hiſpania ante ſæculum V. Metropolis nulla Eccleſiaſtica; Civilis vero nunc Tarraco, nunc Hiſpalis *ibid.* Galliarum principio Treviris, poſtmodum Arelate Civili ordinatione. In Britannia ordine Civili tum Eboracum, tum Londinum, deinde ſæculo VI. in diſpoſitione Eccleſiaſtica Cantuaria *p.* 8.

Diœceſis Aſiana quas complecteretur Provincias *p.* 9, *& ſeqq.* Quas Pontica *p.* 12, *& ſeqq.* Quas Thracica *p.* 15, *& ſeqq.* Quæ Provinciæ dicerentur Barbaricæ *p.* 16, *& ſeqq.* Quæ diviſiones in Provinciis hiſce factæ, & a quibus fuerint. Porro inter Barbaricas dinumerabantur Gothia *p.* 16, *& ſeq.* Blachia *p.* 17. Ruſſia *p.* 18, *& ſeq.* Zichia, Iberia, Cholchis, Albania, Alania, Abaſgia *p.* 19, *& ſeq.* Sub Pontica Diœceſi comprehendebantur Armenia minor *p.* 13, & Armenia major, cujus Metropolis nec ſemper una, nec ſemper eadem *p.* 20, *& ſeqq.* In Diœceſi Illyrici quænam, & quot Provinciæ; quoties, & a quibus partitæ; quales, & quando Metropoles conſtitutæ ordine ſive Civili, ſive Eccleſiaſtico *p.* 22, *& ſeqq.* Diœceſi Ægypti præerat Præfectus Auguſtalis, ideſt non a Senatu, ſed ab Auguſto præpoſitus, cui non integra tamen Ægyptus ſuberat. Quænam ibi Provinciæ, quoties diviſæ, & a quo. Quænam ordine Civili, & quæ in Eccleſiaſtica diſpoſitione *p.* 27, *& ſeqq.* Diœceſis Orientis primo in 10, ac deinde in 15. Provinciaa diſſecta eſt; Caput Antiochia *p.* 32, *& ſeqq.*

Diœceſis Italiæ quas in Provincias ſive Civiles, ſive Eccleſiaſticas diviſa olim fuerit: quoties, ac quot in ea Metropoles, & Cathedræ Epiſcopales fuerint conſtitutæ *p.* 66, *& ſeqq.* Videſis V. *Italia*. In Diœceſi Illyrici quænam, & quot olim cum Provinciæ, tum Metropoles, tam Civiles, quam Eccleſiaſticæ *p.* 76, *& ſeqq.* Videſis V. *Illyricum*. Diœceſis Africæ diverſis temporibus, diverſas partitiones Civiles ſublit: Eccleſiaſtico ordine unus præfuit ſemper univerſæ Carthaginenſis Primas *p.* 79, *& ſeqq.* Videſis V. *Africa*. In Diœceſi Galliarum qualis olim diſpoſitio Civilis, qualiſque Eccleſiaſtica obtinuerit *p.* 82, *& ſeqq.* Videſis V. *Galliæ*. Diœceſis Hiſpaniæ diverſas Civiles formas induit, prout diverſis Principibus obnoxia evaſit, ſub Romanis, ac deinde ſub Suevis, & Gothis, tum ſub Mauris, ac tandem ſub Catholicis Regibus *p.* 95, & *ſeqq.* Quod ad Eccleſiaſticam ordinationem attinet, non eadem ſemper, ſed decurſu temporis ornamenta, & incrementa accepit *p.* 97, *& ſeqq.* Videſis V. *Hiſpania*. In Diœceſi Britannica qui varius tam Civilis, quam Eccleſiaſticus viguit ſtatus, exhibetur *p.* 100, *& ſeqq.* Videſis V. *Britannia*. Diœceſis nomen, quo ſignificatur Regio, intra quam Epiſcopi ordinaria juriſdictio conſtringitur, circa ſæculi IV. exitum audiri dumtaxat cœpit: nam ante Diœceſes Parochiæ dicebantur *p.* 234, *& ſeq.*

Diplomata annorum Incarnationis Dominicæ, aut Nativitatis conſignandi nota omnium primus uſum induxit, non quidem S. Paſchalis I, ut falso obtrudit Aventinus, ſed

S. Leo IX, velut obſervat Mabillonius, quem perinde uſum ſequentes Pontifices ſequuti ſunt *p.* 488. Ideo nec uſus iſte primum acceptus Eugenio IV. referri debet, uti fecit Paulus Midelburgius: niſi forzan Eugenio, uti conjicit Papebrochius, attribuendus ſit mos Brevia pariter eadem afficiendi nota *ibid.*, *& ſeq.* Denique Plumbeis Bullis, prius ſolo Pontificis nomine notari ſolitis, in parte averſa SS. Petri, & Pauli capita cum media Cruce primus apponi Paſchalis II. juſſit *p.* 502, *& ſeq.*

Diptycha generis diverſi erant, profana, & ſacra, pro diverſo uſu, ſacro, & profano. A voce Græca *Πλίκω* dicta ſunt, unde Latine Tabulæ erant: atque Eccleſiaſtica quidem duabus primum ex tabulis confecta, in quarum una vivorum, in altera defunctorum nomina deſcribebantur. Ex pluribus deinde Tabulis compingi cœperunt, ut diſtinctim in eis deſcriberentur Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Clerici inferiores, Imperatores, ac Laici alii. Triplex generatim ſacrorum genus Diptychorum obtinuit; in 1. Epiſcopi recenſebantur; in 2. Viri dignitate conſpicui, aut de Eccleſia benemeriti; in 3. defuncti in communione catholica: adjunctum eſt 4. Baptizatorum. Horum uſus etſi vetuſtus, quando tamen induci cœperit, determinari certo nequit *p.* 169, *& ſeq.* Porro Diptychis Epiſcopos inſcribendi ritum quamdam prætuliſſe Canonizationis ſpeciem perſuaſum quibuſdam fuit; quæ perſuaſio tamen in falſo poſita oſtenditur *p.* 592, *& ſeq.*

Diſciplinæ leges Eccleſiæ univerſæ præſcribere ad Romanum Pontificem attinet *p.* 389, *& ſeqq.* Ita per diſciplinæ principaliora capita diſcurrendo, leges edidiſſe leguntur circa pœnitentiam lapſis imponendam S. Zephyrinus *p.* 391, *& ſeq.* Circa Lapſos recipiendos S. Cornelius *p.* 392. Circa Jejunium feriæ 5, & Dominicæ S. Melchiades *p.* 396. Milites pœnitentia functos regredi ad Militiam vetuit, Clericos a ſchiſmate regredientes recipi voluit, Diaconos continentiæ legibus obſtrinxit S. Siricius; cujus epiſtolas ad Himerium, & ad Africanos a Queſnelli, & Papebrochii cenſuris vindicant Baluzius, Pagius, & Coutantius *p.* 406, *& ſeqq.* Cum Baptizatis, & Ordinatis a Donatiſtis benigne indulſit S. Anaſtaſius I. *p.* 709. De Matrimoniis, Clericis, horumque criminibus, & continentia leges ſaluberrimas ſancivit S. Innocentius I, cujus epiſtola ad Victricium ab hæreticorum invidia liberatur *p.* 409, *& ſeqq.* Idem de Ordinationibus licitis, & illicitis *p.* 414, *& ſeqq.* De Jejuniis, ac ceſſatione a Sacrificio in die Paraſceve, ac Sabato ſequenti *p.* 418. Decreta ſapientiſſima adornarunt circa tempora Ordinationum S. Zoſimus; circa veſtes Clericorum, ac irregularitates S. Cæleſtinus *p.* 420, *& ſeq.* Circa Sacramentorum collationem, & receptionem, ac Clericorum continentiam S. Leo M. *p.* 421, *& ſeq.* Item circa Baptiſmum dubium; Matrimonii vinculum, ac cibos immolatitios *p.* 428. Circa Epiſcopos illicite ordinatos, eorum conſecrationes, & ordinationes Clericorum S. Hilarus *p.* 429, *& ſeq.* Circa varias pœnitentiæ ſpecies Lapſis in

in Afr'ca juxta varios ipſorum gradus, ac lapſus qualitates imponendæ S. Felix III. *p.* 430, & *ſeq.* Circa Monachos in Clerum cooptandos, Eccleſias dedicandas, & Ordinationes ſtatis temporibus celebrandas S. Gelaſius *p.* 431, & *ſeq.* Diſciplinam Eccleſiaſticam a Deceſſoribus ſuis optimo loco ſtabilitam novis in dies legibus communire non deſtitere, qui hos proxime excepere Pontifices. Ita cautas voluit Epiſcoporum electiones, & ordinationes Sacerdotum S. Hormiſdas *p.* 437. Ita decori Eccleſiaſtico conſuluit ab Arianis reduces, aut baptizatos recipi cum gradibus aut ad hos promoveri vetans S. Agapetus *p.* 437, & *ſeq.* Circa Baptiſmi collationem, & Rebaptizantium errorem; circa periocham *Gloria Patri* &c., circa delectum ciborum, ac feſtos celebrandi dies ritum decrevit multa Vigilius: cujus epiſtola ad Profuturum aut titulo ab Iſidoro, & duobus capitibus a Baluzio mutilata, aut integra a Gerbaſio, & Pagio amandata vindicatur, & reſtituitur *p.* 438, & *ſeqq.* Scitu digna ſunt, quæ circa Donatiſtas cum gradu recipiendos, ad altiorem vero non promovendos, ac circa unam, aut trinam in Baptiſmo merſionem ſancivit S. Gregorius M., de cujus epiſtola 41. lib. 1. ad S. Leandrum perperam dubitavit olim Alcuinus *p.* 440, & *ſeq.* Idem circa Judæos vi minime ad fidem compellendos, bene vero Manichæos, ac Barbaricinos *ibid.* Circa locorum Sacrorum immunitatem; circa Idola deſtruenda, non Idolorum delubra; circa proventus Eccleſiaſticos quatuor in partes dividendos; circa Matrimonii impedimenta &c. Cui ſane atrocem calumniam appingit Oudinus, dum eum participem agit erroris Calviniſtarum, quo Chriſti D. præſentiam ab Euchariſtia ablegaverit: qua a calumnia abunde expurgatur *p.* 443, & *ſeqq.* Incedebat in eadem veſtigia Bonifacius V, dum jus ſacrorum Aſylorum in tuto poſuit, ac teſtamenta condita juxta formam legibus Langobardicis præſcriptam valere perinde apud Romanos provide ſanxit *p.* 451, & *ſeq.* Sed & legibus ſaluberrimis circa Lapſos, & illicite electos, & ordinatos Orientis incolumitati proſpexit S. Martinus I. *p.* 457, & *ſeq.* Diſciplinæ tam veteri in tuto collocandæ, quam novæ, emergentibus novis malis, indicendæ pari ſedulitate allaborabant, qui poſt ſequuti Pontifices ſunt: in quibus S. Gregorius II. decreta pleraque edidiſſe legitur de Sacramentis Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis, Matrimonii &c. *p.* 459, & *ſeq.* Pleraque etiam circa Baptiſmum a Paganis collatum; immundos Cibos; Orationes pro defunctis; impedimenta Matrimonii; iteratas Nuptias; pœnitentiam Fratricidis, ac Patricidis imponendam; Epiſcopi ordinationem a duobus, aut tribus Epiſcopis celebrandam &c. ſaluberrime decrevit S. Gregorius III, cui hæc Decretalis, ſuo Deceſſori a Gratiano tributa, reſtituitur *p.* 463, & *ſeq.* De Presbyteris, & Diaconis vitiis deditis, de gradibus Conſanguinitatis, de ſucceſſore in Epiſcopatu deſignato, de Paganorum ſuperſtitionibus, de Baptiſmo collato a Sacerdote linguæ latinæ ignaro &c. egregia reſcripſit S. Zacharias *p.* 464, & *ſeq.* Stephano II. inter ſanctiones multas, quibus

bus Baptiſmi, & Matrimonii dignitati, ac Clericorum decori conſuluit, geminum irrepſiſe errorem de probatis ab ipſo Polygamia, ac Baptiſmo in vino collato quam temere, tam falſo profert Boſſuetius *p.* 467. Ad Canonica Epiſcoporum judicia rite tractanda; ad Eccleſiaſticæ hierarchiæ gradus approbe dimetiendos, ad Parochos Eccleſiis dignos præficiendos, ad Matrimonia legitima conjungenda &c. regulas prudentiæ refertiſſimas elaborarunt Eugenius II, & S. Leo IV, cujus ſcitu valdequam dignus ſermo de cura Paſtorali ab Epiſcopis recitandus in Synodis ad Parochianos *p.* 471, & *ſeq.* Ne pœnitentes ad Militiæ cingulum regredi præſumant; ne Privigni ad Confirmationem teneri a Vitricis permittantur; ne Conjugum interfectoribus (adoleſcentibus exceptis) ad ſecundas Nuptias tranſire fas ſit &c. decrevit S. Nicolaus I, a quo præclara longe plura diſciplinæ capita Bulgaris præſcripta ſunt *p.* 473, & *ſeqq.* Miſſarum ſolemnia, & Officia Sclavonica celebrari lingua permiſit Hadrianus II, quem poſtea alii quoque Pontifices ſunt imitati *p.* 475, & *ſeq.*

¶ Diſciplinam tot ſanctiſſimis legibus qua inſtitutam, qua inſtauratam obſcurari, aut obſoleſcere Romani, quotquot poſt ſucceſſere, Pontifices nullo paſſi ſunt modo. In his Johannes VIII. indiſſolubile Matrimonii vinculum tam vere dixit, quam rite diſſolvi vetuit: ideo calumniæ manifeſtiſſimæ coarguitur Launojus contrariam illi affiare ſententiam non veritus *p.* 477. Diſcretionis plena ſunt decreta circa purgationes Canonicas, & circa Lapſos in ſchiſmate Photii edita a Stephano V, ſive VI, a Formoſo, & a Johanne IX. *p.* 478 & *ſeqq.* Trigamiam licitam definivere Johannes X, & Benedictus XIV. *p.* 480, & *ſeq.* Cognationis ſpiritualis impedimentum primus induxit S. Zacharias, ac poſt confirmavit Leo VII. *p.* 473, & 482. Diſpenſare in impedimentis Matrimonii Pontificem ſolum poſſe declaravit Gregorius V. *p.* 483. Circa Clericorum continentiam, Presbyterorum filios, ac bona Eccleſiaſtica laicis obligata ſaluberrimos Canones edidit Benedictus VIII. *p.* 485. Clericos ab hæreſi regreſſos cum gradu recipiendos, non etiam promovendos ad ſuperiorem, decrevit S. Leo IX. *p.* 488. Eccleſiaſtico decori conſulendi gratia Clericos a ſimoniæ, & incontinentiæ ſpurcitiis abſtrahere viribus omnibus adnixi ſunt S. Leo IX, Victor II, Stephanus IX, Nicolaus II, & Alexander II. *p.* 492. Ad hæc a ſimoniaca labe, & pellicatu expurgare Clerum non modo, ſed ab Eccleſia procul eliminare laicas Inveſtituras, & inceſtas Nuptias allaborarunt S. Gregorius VII, Victor III, Urbanus II, Paſchalis II, & Calliſtus II. *p.* 496, & *ſeqq.* Qui cibi ſint vetiti, quo tempore Nuptiæ interdictæ, & quando celebranda Jejunia determinavit Urbanus II, qui perinde, non ſecus ac Paſchalis II, Communionem ſub utraque ſpecie ſumendam decrevit *p.* 498, & *ſeq.* Circa Juramenta, ac perſonarum, locorumque ſacrorum immunitatem præclara Innocentius II, & Cæleſtinus II. præſcripſere, atque circa pleraque alia diſciplinæ capita Eugenius III. decrevit *p.* 504, & *ſeq.*

Doro-

Dorothei nomini ſuppoſitum opus a Procopio, ut fertur, quodam Presbytero, de vita, & morte Prophetarum, Apoſtolorum, ac Diſcipulorum Chriſti inſcriptum, mendaciis undique, impoſturiſque ſcatere liquido demonſtratum eſt a viris Doctis *p.* 155, & *ſeq.*

E

ECcleſias Occidentis ad unam omnes a S. Petro, aut ipſius ſucceſſoribus Romanis Pontificibus fuiſſe fundatas, eiſdem præfectos Epiſcopos, ibidemque Eccleſiaſticam conſtitutam Hierarchiam multis oppido, idoneiſque conficitur teſtimoniis, initio ducto a S. Innocentio I, cujus illuſtrem locum temere vellicare Tillemontius auſus refellitur *pag.* 254, & *ſeqq.* Eccleſiæ vacantes quænam Pontifici reſervatæ ſint *p.* 263.

Eccleſias ab Epiſcopis dedicari ſua abſque licentia diſtricte interdixit S. Gelaſius: cujus interdicti tum congruentior ratio, tum veriſimilior interpretatio redditur, & enucleatur *p.* 431, & *ſeq.* Eccleſiæ bona diſtrahi prohibuit, in beneficium vero conferri ad tempus permiſit S. Symmachus: hinc originem nacta Beneficia, aut penſiones Eccleſiaſticæ inoleviſſe videntur *p.* 436. Eccleſias dedicare in Diœceſi quacumque, aut dedicandas aliis committere Pontifex poteſt. Documento illuſtri eſſe poteſt dedicatio Monaſterii Belliloci a Johanne XVIII, & Sergio IV. ſibi reſervata, & vindicata. Quod jus Pontifici Romano perperam invidere, Glabri fluxa fide ſuffultus, adorſus eſt Boſſuetius *p.* 484, & *ſeq.* Eccleſiaſticæ Provinciæ Videſis V. *Diœceſes*.

Epiſcopi quoad Ordinem inſtituti a Deo ſunt: quoad juriſdidictionem Romano a Pontifice dependent. Ideſt Epiſcopatus inſtitutus a Deo eſt cum dependentia a Pontifice M. *p.* 234. A Pontifice vero tam profluit in Epiſcopos Jurisdictio, quam profluxerit Juriſdictionis diſcretio *p.* 235. Epiſcopos porro ubique gentium S. Petrus conſtituit: quamvis conſtitutos pleroſque fuiſſe ab Apoſtolis, ac S. Paulo quammaxime fatendum ſit, quorum juxta probabiliores traditiones Catalogus texitur *p.* 236, & *ſeqq.* Certe Patriarchis Orientis fas non erat proprio arbitratu Epiſcopos præficere Eccleſiis, ſed horum electiones peragi in Synodis debebant *p.* 240. Contra vero Pontifici M. poteſtas ampliſſima ineſt pro libitu Epiſcopos deligendi, ubilibet locorum conſtituendi, aut gradu deturbandi. Exemplo præivit ſuo S. Petrus, a quo Epiſcopi plurimi Eccleſiis præfecti leguntur *p.* 240, & *ſeqq.* Epiſcoporum electiones, & Ordinationes a Romano Pontifice aut celebrabantur, aut celebrari, ipſo inconſulto, olim prohibebantur in Africa, in Illyrico, in Italia *p.* 257; in Gallia *p.* 258, & *ſeq.*; in Hiſpania *p.* 259, & *ſeq.*; in Polonia *ibid.*; in Germania *p.* 160; in Anglia *ibid.*, & *ſeq.* Diſciplinæ alterius deinde ſpecies inducta eſt, ne Epiſcopi eligerentur, & ordinarentur abſque Comprovincialium ſuffragiis, & Metropolitani aſſenſu *p.* 261. Poſtinde electiones Capitulis Eccleſiarum reſervatæ ſunt *p.* 262. Devexiori ſub ætate alia invecta eſt diſciplina, juxta quam Romano Pontifici reſervatæ ſunt Eccleſiæ

ſiæ vacantes in Curia, aut in Provinciis Italiæ pleriſque, eorum quoque, qui Romam accederent, aut inde recederent *p.* 263. Electi confirmari a Pontifice debent, confirmati etiam adminiſtrare Eccleſias prohibentur, antequam Bullas receperint *ibid.* Ad vacantes Cathedrales demum nominandi facultas Regibus pleriſque facta eſt, alicubi vero Capitulis relicta *p.* 264, & *ſeq.* Quo loci refellitur Salgadus inſtiuſmodi jus Principalia inter jura reponere non veritus.

Epiſcopatuum novorum erectiones per quinque priora ſæcula a Synodis Provincialibus, cum Metropolitani conſenſu, fieri indultum a Pontificibus fuerat. A ſæculo VI. deinceps fieri abſque Pontificis auctoritate prohibitæ ſunt *p.* 265, & *ſeq.* In Regionibus recens ad Religionem converſis omni tempore ea obtinuit diſciplina, ut a Romano Pontifice aut Epiſcopi ad novas regendas Eccleſias dirigerentur, aut Epiſcopales novæ erigerentur Cathedræ *p.* 266, & *ſeqq.* Itaque Romanorum Pontificum indefeſſa opera in Occidente Eccleſiæ omnes aut inſtitutæ ſunt, aut reſtitutæ, in Gallia *p.* 267; in Hiſpania *ibid.*, & *ſeq.*; in Britannia *p.* 268, & *ſeq.*; in Germania, aliiſque Regionibus Aquilonaribus *p.* 269, & *ſeqq.*; in Polonia, Hungaria &c. *p.* 271; in Africa *p.* 272, & *ſeqq*; in Aſia *p.* 274, & *ſeq.*; in America *p.* 275, & *ſeqq.* Epiſcoporum Titularium origo vetuſtiſſima eſt, Eccleſiæque coæva, id tum exigente naſcentis Eccleſiæ bono, vel ut duo ſimul eidem invigilarent Eccleſiæ; vel ut nulli certæ adfixi Eccleſiæ, Eccleſiis undique verſum ædificandis incumberent, ubi opportunitas aperiretur; vel ut in Eccleſiaſticis rebus agendis, Evangelioque diſſeminando unus opere adeſſet alteri, parteſque adjuvaret, atque unus alteri e veſtigio ſuccederet, ne Eccleſias diu vacare contingeret *p.* 277. Ita provide factum a S. Petro Romæ, & Antiochiæ; Hieroſolymis ab Apoſtolis; Romæ rurſus a SS. Victore, & Zephyrino, ac num etiam fieri a Patriarcha Conſtantinopolitano perhibetur *p.* 278, & *ſeq.* Ea nunc obtinet diſciplina, ut Epiſcopi Titulares non creentur, niſi certis admoti Eccleſiis, re, aut ſpe adminiſtrandis, aut niſi ſint Eccleſias Cardinalibus commendatas adminiſtraturi *p.* 279.

Epiſcopi ubique omnes Romani Pontificis ampliſſimæ poteſtati ita ſubjacent, ut nihil impedimento eſſe poſſit, quo a ſummo in ipſos diſtringendo jure prohibeatur. Atque diſtrictum quidem frequentiſſime fuiſſe, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumenta luſtranti adparebit, in Orientales *p.* 281, 284, 287, 288, & 289; in Illyricos *p.* 287, & 289; in Africanos *p.* 283, 285, & 286; in Italos *p.* 283, 286, 288, & 289; in Gallicanos *p.* 282. 283, 286, 287, & 289; in Hiſpanos *p.* 287, & 289; in Anglos *p.* 287, & 288; in Germanos *p.* 289; in Polonos *p.* 499. Jure merito itaque Epiſcoporum graviores, ac Criminales cauſſæ Apoſtolicæ Sedis judicio reſervatæ ſunt *p.* 289, a Gregorio IV. *p.* 290, a S. Nicolao I. *ibid.*, & *ſeqq.*, a S. Leone IX. *p.* 293, & a Leone X. *p.* 292. Qui cauſſas ejuſmodi Synodorum Provincialium ſuprema definiri ſententia debere pugnant, non autem ad Romani Pontificis tribunal eſſe trahendas, næ ii toto abs veri-

veritate aberrant ostio *p* 293, & *seqq*. Nullo vero tempore ab exercendis illiusmodi in Episcopos judiciis ubique locorum Romanos abstinuisse Pontifices innumeris fit exploratum exemplis *p* 295, & *seqq*. Episcopatus dignitatem, exordium, ac jura sortitus est ab Apostolicæ Sede, in qua ejus summa consistit *p*. 307, & *seq*. Episcopos jure Divino superiores esse Presbyteris, sive Presbyteratu ordine superiorem Divina institutione Episcopatum esse, adversus Arianos, Calvinistas, & Presbyterianos lato demonstrant calamo nostræ Communionis Theologi præstantissimi, quibus ex Protestantibus ipsis consentiunt plerique docilioris ingenii *p*.302, & *seq*. Qua plane in sententia præiverant, facemque prætulerant Ecclesiæ Patres *p*. 303, & *seqq*. A Pontifice in Episcopos proxime jurisdictionem promanare, eamque, prout oportuerit, ampliari posse, restringi, auferri, restitui, & transferri invictis momentis fit manifestum depromptis ex S. Scriptura *p*. 306, & *seq*.; ex testimoniis Romanorum Pontificum *p*. 307, & *seq*.; ex traditione SS. Patrum p. 309, & *seqq*. Argumentum illorum, qui pugnant S. Petrum non tam in propria, quam pro communi Episcoporum persona Claves potestatis symbolum a Christo D. accepisse, profligatur, & ad SS. Patrum traditionis justum tramitem reducitur *p*. 312, & *seqq*. Ad quam utique traditionem accedere plerique ex Protestantium grege, multoque magis præstantiores de Schola Theologi religioni duxere *p*. 314, & *seqq*. Sententiæ demum huic suffragantur gravissima e rationis Theologicæ penu momenta petita *p*. 319, & *seq*.

Episcopi ordinationem a duobus saltem Episcopis celebrari debere, adeoque ut ab uno dumtaxat celebrata sit illicita nedum, sed etiam invalida, pugnant Theologi plerique. At longe probabilior est, atque tenenda opinio illorum, qui propugnant ordinationem Episcopi ab uno peractam validam, quin imo Pontificis accedente consensu, licitam esse: quæ opinio multis confirmatur, & comprobatur *p*. 323, & *seq*. Episcopi olim aliquando nulli Ecclesiæ deputati ordinabantur, *Regionarii* ideo dicti, quod prædicatum Evangelium in gentes dirigerentur: aliquando in compensationem vitæ pie anteactæ, ac laborum, quibus pro Ecclesia fuissent egregie perfuncti *p*. 332: aliquando præficiebantur Monasteriis absque jurisdictione extra Claustra *p*. 333. Episcopi duo quandoque eidem admoti Ecclesiæ leguntur. Vicissim uni eidemque Episcopo quandoque duæ administrandæ Ecclesiæ commendabantur. Urbibus etiam nondum subactis quandoque Episcopi destinati sunt *p*. 333, & *seq*. Vetus est vero disciplina, qua ad eamdem curandam Urbem, regendamque Ecclesiam Coadjutores assumi ab Episcopis consuevere *p*. 335, & *seq*. Eorum denique argumentis, qui Episcoporum jurisdictionem a Deo immediate derivari pugnant tanquam pro aris, ac focis, fit abunde satis *p*. 336, & *seqq*. Formula, qua Episcopi se Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopos nuncupant, longe antiquior est, quam existimarit Cl. Thomassinus: cœpit enim Sæculo XI. in Italia, sub-

ſubinde in Cypro uſurpata eſt, deinde in Gallia, perinde ac in Germania *p.* 342, *& ſeq.* Vetus eſt obligatio, qua Epiſcopi Romano Pontifici aut immediate, aut in Metropolitæ perſona mediate obedientiæ ſacramento obſtringi ſolent. Obligatio hæc non oneri utique novo, bene vero juri veteri deputanda, nec tarde incepit, nec unam ob cauſſam inducta eſt *p.* 347, *& ſeqq.* Obedientiæ tandem iſtius Canonicæ formulæ nonnullæ uſurpari ſolitæ exhibentur *p.* 351, *& ſeqq.*

Evangelii gentibus prædicandi munus Pontifice Romano inſcio, & inconſulto aſſumere verebantur ſummopere ipſimet Eccleſiarum Præſules *p.* 238, *& ſeq.* Videſis V. *Miſſionarii*.

Euchariſtiæ præſentem corpore, anima, ac divinitate Chriſtum D. negaſſe S. Gregorium M. quam imprudenter, tam impie commentus eſt, & calumniatus Oudinus: cujus elumbia prorſus, ac ficulnea argumenta funditus evertuntur; germana vero, integraque S. Gregorii fides exponitur, & vindicatur *p.* 444, *& ſeqq.* Ejuſdem S. Gregorii Sacramentarium equidem purum nondum lucem adſpexit, proxime tamen ad illud accedunt, quæ pluries a viris doctis producta ſunt. Ex Gelaſiano etiam partem maximam, & quoad ſubſtantiam conflatum fuiſſe augurari fas eſt; atque Gelaſianum viciſſim ex primigenio S. Romanæ Eccleſiæ profluxiſſe certum videri poteſt. Jam vero ex utroque Chriſti D. in Euchariſtia præſentia evidentiſſime conficitur *p.* 448, *& ſeq.*

Eutychio Alexandrino fidem, qua ut plurimum valdequam laborat, haud facile, imprudenterque adhibendam admonent, multiſque oppido demonſtrant viri doctiſſ. Renaudotius, Naironus, & Mazochius *p.* 48, *& ſeq.*, 144, *& ſeq.*

Exarchi nomen Sæculo IV. uſurpari cœpit a Conciliis Sardicenſi, & Carthaginenſi III, pro Metropolita tamen. Pro Præfecto Provinciis uſurpatum a Concilio Antiocheno anno 445. videtur. Canone Nicæno 6. Exarchorum jura deſignata nonnulli conjiciunt. Eos primum obtinuiſſe in Concilio Conſtantinopolit. anno 382. Sozomenus perperam ſcribit *p.* 186, *& ſeq.* Quo primum cœpere Patriarchæ, eopſe Exarchos occepiſſe putat Dupinius, contra pugnat Blancus. Tres Exarchos ſero cœpiſſe, citoque deſiiſſe, atque vix Sæculum unum impleviſſe non recte Thomaſſinus autumat *p.* 187. Canonibus 9, & 17. Chalcedonenſibus deſignatos tres Exarchos contendit Sirmondus, cui adhæret Lupus; contra deſignatos Patriarchas cenſet Salmaſius, cui adſtipulatur Blancus: utraque opinio vero in ſua probabilitate relinquitur *p.* 188, *& ſeq.* Tres porro Exarchi tribus Diœceſibus Aſiæ, Ponti, & Thraciæ olim præerant, Epheſinus, Cæſareenſis, & Heracleenſis. Cur præ aliis tres iſti ad illuſtrem hanc poteſtatis dignitatem aſſurrexerint, ea videtur ratio, quod tres haſce Exarchias vel per ſemet inſtituerit S. Petrus, vel per S. Paulum, aut S. Johannem inſtitutas probaverit *p.* 190, *& ſeq.* Exarchis hiſce adnumerare licet Cyprium, & Theſſalonicenſem Antiſtites *p.* 191, *& ſeq.*, de quibus videſis V. *Cyprius*, & V. *Theſſalonicenſis*.

Fla-

F

FLamines Gentilium, præſertim in Africa, fuere, locoque poſt Sacerdotes ſecundo, atque ſingulis Municipiis præfici ſolebant: hiſce tamen ſuffectos Epiſcopos fuiſſe, non ſecus atque Archiflaminum gradum occupaſſe Archiepiſcopos, hiſtoria eſt ex figlinis contexta, ac fabula pura, putaque *pag.* 110. Voces haſce uſurpantes S. Gregorius VII, & Urbanus II, ideoque nonnullorum invidiam experti, a Cl. Thomaſſino tam pie, quam vere, expurgantur, & vindicantur *p.* 201.

Formulas Canonicæ obedientiæ, fideique præſtandæ Metropolitis, & Epiſcopis præſcribere varias pro varietate temporum, & cauſſarum Romanis Pontificibus veteri, ſolemnique poſitum in more fuit. Atroci non abſque calumnia, inſignique mendacio fingitur non aliud Romanos Pontifices juramenti hujuſmodi imponendi conſilium inceſſiſſe, quam proprii amplificandi plus æquo juris propoſitum, ac ſtudium: ſiquidem certiſſima, unaque cauſſa fuerit perſonas Eccleſiaſticas intra debitæ obedientiæ, fideique obſequia conſtringendi, faſtumque, quo ad Autocephaliam, ac ſchiſma adſpirabant, comprimendi, atque intra æqui, juſtique terminos cohibendi *p.* 351, & *ſeqq.*

Formulis hiſce fidei, ac juramenti S. Romanæ Eccleſiæ obſtringere, indiſſolubilique unitatis vinculo devincire, ac conglutinare quam maxime curarunt Germanos, Galloſque S. Gregorius II, Ravennates S. Nicolaus I, Græcos Hadrianus II, Schiſmaticos S. Gregorius VII, Hungaros Paſchalis II. *p.* 353, & *ſeqq.*, (cujus epiſtola non ad Panormitanum Archiepiſcopum, non ad Poloniæ, ſed ad Colocenſem Metropolitam inſcripta haberi debet *p.* 356., & *ſeq.*) ab Eccleſia Romana ſegreges Alexander III, Eccleſiis Cathedralibus admotos Innocentius III, Gregorius IX, Clemens VI, & Urbanus V, perſonas quaslibet ad Eccleſiaſticas dignitates adſpirantes Patres Tridentini, & Pius IV, Epiſcopos denique inaugurandos Clemens VIII, & Urbanus VIII. *p.* 358, & *ſeqq.*

G

GAlliæ principio Civili ordinatione in tres Provincias, deinde in quatuor, poſtea in quatuordecim, demum in decem ſupra ſeptem diviſæ ſunt, & diſtractæ. Diviſio altera dein inducta eſt in Gallias, & ſeptem Provincias: altera item in Provincias quinque, & Gallias *pag.* 82, & *ſeq.* In diſpoſitione Eccleſiaſtica Metropoles inſtitutæ ſunt Lugdunenſis, cui Primatus etiam attributus, cujuſque Metropolitica deinde jura diſpartita fuere in Rotomagenſem, Turonenſem, & Senonenſem *p.* 83, & *ſeq.* Trevirenſis, cui ſubinde Remenſis ſuccrevit: utraque vero in alias poſtea diſtracta, & partita eſt *p.* 85. Moguntina, cujus mox in Metropolitica jura ſubintroivit Agrippinenſis *p.* 86, & *ſeq.* Veſontienſis, Tarantaſienſis, Ebredunenſis, & Aquenſis, quæ diverſam, ac nunc adverſam, nunc propitiam ſubjere ſortem *p.* 87, & *ſeq.* Viennenſis, & Arelatenſis, inter quas de juribus Metropoliticis di-

ra interceſſere, diuturnaque jurgia *p.* 88, & *ſeq.* Bituricenſis, cui Primatis jura tributa, quin imo Patriarchæ nomen aliquando inditum *p.* 91, & *ſeq.* Narbonenſis, Auſcienſis, Burdigalenſis *p.* 92, & *ſeq.* Quibus acceſſere deinde Pariſienſis, Albienſis, Avenionenſis, Toloſana, Mechlinenſis, Cameracenſis, Ultrajectina &c. His vero qui Suffraganei Epiſcopi ſubjacent, obiter indicantur *p.* 93, & *ſeq.*

Gallicana Eccleſia quam religioſe, tam maximopere cautum voluit, ne ex frequenti diviſione Civilis Imperii, pariter dividerentur Eccleſiarum diſpoſitio, & jura: cujus cautionis experimenta capere non uno ex loco licet *p.* 124, & *ſeq.* Nullo perinde reſpectu habito ad Civiles Urbium dignitates, a Romanis paſſim Pontificibus Galliarum Primatus mutatis vicibus delatus eſt modo Lugdunenſi, modo Moguntino, nunc Metenſi, nunc Senonenſi, qua Remenſi, qua Bituricenſi, aliquando Narbonenſi, aliquando Viennenſi, atque frequentius Arelatenſi *p.* 126. Ad hæc aliqui in Galliis Præſules Patriarchæ nomen aut ſibi aſſumere non dubitarunt, aut de eo ſibi delato delectati ſunt: ita Lugdunenſis, ita Bituricenſis, ita Viennenſis *p.* 179, & *ſeq.* Erat nomen tamen inane, nullo ampliori jure affectum. Commentum eſt vero, & calumnia de affectato novo Patriarcha, ſive de conſilio inito Patriarchatum inſtaurandi, Gallicanæ Eccleſiæ affiata, quo a Romanæ Eccleſiæ jugo ſe in libertatem aſſerere moliretur, a quo nefario excogitato ſemper celeberrima Eccleſia ſummopere abhorruit *p.* 180.

Gallicanæ Eccleſiæ origines a Romana procul dubio repeti debent; unde a S. Petro, ac ſucceſſoribus Romanis Pontificibus in Galliae Evangelii lumine imbuendas, ibique Eccleſiaſticam hierarchiam erigendam deſtinatos paſſim Epiſcopos, alioſque viros Apoſtolicos Eccleſiaſtica tradunt Monumenta *p.* 247, & *ſeq.* Lugdunenſem hinc excipiendam fore quam temere, tam falſo, nulloque prorſus fundamento Tillemontius confingit *p.* 248. In Gallia porro Epiſcoporum judicia frequentiſſime a Romanis Pontificibus exercita fuiſſe Gallicanæ Eccleſiæ ſacra luſtranti Monumenta liquido adparebit *p.* 295, & *ſeqq.* Quin etiam Romano Pontifice inconſulto, ab ſe ejuſmodi judicia perfici, definirique nequire Gallicani ipſi Epiſcopi faſſi ſunt, & profeſſi *p.* 482, & *ſeq.* Diſpenſationes circa impedimenta Matrimonii largiendi ſibi fas arrogantes Galliarum quidam Epiſcopi gravi reprehenſione cohibiti ſunt a Gregorio V. *p.* 483.

Georgiæ Catholicus non multo antehac noſtræ Cappuccinorum Congregationis Miſſionariorum opera a ſchiſmate abſtractus, Romanæque Eccleſiæ reconciliatus eſt. Quod in cauſſa fuit, cur graviſſima in ipſum, ipſiuſque converſionis auctores Cappuccinos tempeſtas commoveretur *p.* 19, & *ſeq.*

Germaniæ ſtatus Civilis, & Eccleſiaſticus exhibetur. Videſis V. *Gallia*. Germanicarum Eccleſiarum origines antiquiſſimas indicant S. Irenæus, Tertullianus, ac Theodoretus, procul dubio a Diſcipulis illuc deſtinatis a S. Petro, ac Romanis ſucceſſive Pontificibus Evan-

vangelium ibi diſſeminatum eſt, & Eccleſiaſtica conſtituta Hierarchia *p.* 250, & *ſeqq.* Chriſtianam itaque Religionem longe ante Caroli M. ætatem ibidem viguiſſe certo certius eſt p. 251. Similis ratio haberi, inirique debet de Eccleſiarum Aquilonarium exordiis *ibid.*, & *ſeq.*

Gothofredi, & Salmaſii conjecturas leviſſimas de Regionibus ſuburbicariis elidunt penitus, & evellunt Petrus de Marca, & Sirmondus *p.* 63, & *ſeq.* Ejuſdem Gothofredi, & Cujacii Scholion ad Legem Theodoſii de Metropoli Berytenſi explodit jure optimo Lupus *p.* 112, & *ſeq.*

Gradus Academicos, ſuggerente Gratiano, ut ſtudioſos ad Juris Canonici præ Civili ſtudium magis accenderet, Bononiæ primus inſtituiſſe fertur Eugenius III. Gratiani vero exemplo Petrum Lombardum auctorem ſe præbuiſſe, ut iidem gradus in Academiam Pariſienſem pariter inducerentur, refert Bulaeus *p.* 505.

Græcæ Eccleſiæ levitatem, diſciplinæque laxitatem in Eunuchis ordinandis Epiſcopis, adeoque ut loco unius fœminam ordinatam fama perceperit, graviſſimis verbis exprobat S. Leo IX. Quo loci graviſſimum argumentum ad fabulam Johannæ Papiſſæ explodendam vir ſummus Mabillonius aſſumpſit *p.* 488.

H

HAmburgenſis Eccleſiæ Primatus in Eccleſias Sueciæ, Daniæ, Norvegiæ, aliaſque Aquilonares in S. Anſchario inſtitutus eſt a Gregorio IV, & S. Nicolao I; atque in S. Adalberto confirmatus ab Alexandro II. *p.* 208, & *ſeq.* Hamburgo poſtea Bremam translata Sedes pacificatione Monaſterienſi demum ſuppreſſa eſt *p.* 209.

Hierarchia Eccleſiaſtica duo complectitur, Ordinem, & Officium. Ordo triplex diſtinguitur, ſive in tres diſpeſcitur gradus, Diaconatum, Presbyteratum, & Epiſcopatum, quibus longe præcellit Romanus Pontifex. Traditio eſt iſta religioſe, jugiterque in Eccleſia retenta, cujus locupletes teſtes, liquidoſque magno invoco numero Eccleſiæ Patres. Hanc vero Hierarchiæ notionem pervertere tentantes Proteſtantes, poſtque ipſos Suavis Polanus, rem inutilem prorſus, ac iniquam moliuntur. Officium quoque Hierarchicum trifariam prope dividitur, in officium nempe leges ferendi, pœnaſque infligendi; Sacramenta adminiſtrandi, benedictioneſque impertiendi; Verbum Dei prædicandi, ac Chriſtifideles ſacris doctrinis imbuendi *p.* 517, & *ſeqq.*

Hierarchiam Eccleſiaſticam juxta Reipublicæ Judaicæ politiam ab Apoſtolis inductam fuiſſe ingenioſe quidem, minus ſolide tamen excogitavit Bacchinius *p.* 107, & *ſeqq.* Multo minus ea ad Civilis Imperii diſpoſitionem, ac rationem fuit exacta, quemadmodum perſuaſio hęc præpoſtera hæſit Proteſtantium, ac Catholicorum oppido plurimis *p.* 109, & *ſeqq.* Certum enim videri debet Regimen Eccleſiaſticum ad Civilem ordinationem confirmatum non fuiſſe in Eccleſia Orientali ante exitum ſæculi IV; nec niſi longo poſt tempore,

nec ubique in Occidentali *p.* 111, & *ſeqq.* Hæc igitur lex utraque in Eccleſia ſacra viguit juxta Civilem Imperii diſpoſitionem nequaquam Eccleſias diſponendas eſſe, ſicuti diſcurrendo per Diœceſes ſingulas id liquido oſtenditur, de Alexandrina, aliiſque *p.* 111, & *ſeq.*; de Antiochena, pariterque aliis *p.* 113, & *ſeq.*; de Italica *p.* 115, & *ſeqq.*; de Africana *p.* 121, & *ſeqq.*; de Gallicana *p.* 124, & *ſeqq.*; de Hiſpanica *p.* 126, & *ſeq.*; de Britannica *p.* 128, & *ſeq.*

Hieroſolyma hoc nomine uſque ad annum 134. audivit: Ælia deinde ex Ælio Hadriano nomine derivato. Ei ad id uſque temporis Epiſcopi 15. ex Judæis ad Chriſtiana ſacra converſis præfuiſſe; ab anno vero 135. Epiſcopi ex Gentibus ad fidem traductis admoti feruntur *p.* 53. Hieroſolyma ſubverſa, Cæſarea Paleſtinæ caput evaſit, a cujus juriſdictione tandem Hieroſolymitanus ſe ſubduxit Antiſtes, quin etiam Patriarchæ jura in tres Palæſtinas conſequutus eſt *p.* 54. Ex Patriarchis his plures Romano Pontifici obedientia, demiſſoque obſequio ſe mancipare religioni duxere *p.* 55, & *ſeq.* Ex Latinis demum eidem præfici Eccleſiæ Patriarchæ ab anno 1099. uſque ad annum 1291. cœperunt *p.* 57.

Hieroſolymitana Eccleſia multis etſi digna, & celebrata elogiis fuerit, Patriarchali tamen dignitate initio exornata non fuit: cujus rei optimam reddit S. Petrus Damiani rationem *p.* 161, & *ſeq.* Ratio vero quædam fuit, cur poſtea Romani Pontifices, quominus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Patriarchalis deferretur dignitas, admodum inviti non repugnarint *p.* 163. Porro hoc illuſtri nomine primus non audivit Johannes S. Cyrilli ſucceſſor, uti Papebrochio viſum eſt, ſed Juvenalis, in quo titulum hunc tolerare viſus eſt S. Leo M., cujus exemplo ſequiores Pontifices iſto de titulo Hieroſolymitanis Patriarchis nullum faceſſiviſſe negotium leguntur *ibid.*, & *ſeq.* Patriarchalis hæc dignitas poſtea diſtracta eſt in Melchitas, & Monophyſitas, ac tandem in Latinos translata, quam ab anno 1099. per annos 192. uſque ad annum 1291, ejuſdem genus homines 30 numero tenuere *p.* 164, & *ſeq.*

Hiſpania, quoad Civilem ſtatum attinet, primitus duas in partes, unde dicta Hiſpania eſt, diſſecta Citeriorem, ſive Tarraconenſem, & Ulteriorem, ſive Bæticam, ab Auguſto ſubacta anno Urbis 714, ſequenti anno Æra peculiari uti cœpit, quæ annis 38. Dionyſianam ſuperat: quæ Æra, velut obſervat Voſſius, uſi ſunt Aragonii uſque ad an. Chr. 1358; Caſtellani uſque ad an. 1383; & Luſitani uſque ad an. 1415. In tres diviſa ab Auguſto Provincias eſt deinde, adjecta duabus illis Luſitana, in quibus Metropoles Tarraco, Hiſpalis, & Emerita. Diſtinctæ rurſus in Provincias ſex, tribus illis nempe adjunctis Gallœcia, Carthaginenſi, & Tingitana, quibus acceſſere demum Inſulæ Baleares. Hiſpaniæ peculiaris nunquam præfuit Præfectus, uti putavit Pancirolus, ſed Galliarum Præfecto ſemper paruit. Sub Alanis, Vandalis, Suevis, & Gothis aliam Civilem induit formam, pars

pars enim alia parebat Suevis, Gothis alia, & alia Romanis, donec Sedes Regni a Gothis anno circiter 577. Toleti defixa eſt *p.* 95, & *ſeq.* Ab anno 711, quo Hiſpania a Mauris occupata eſt, in nova pariter Regna diſcriminata eſt, donec poſt annos 780, Mauris expulſis, unam Regni ſubiit rationem *p.* 96, *& ſeq.* Hiſpaniæ porro Reges *Catholici* nomine inſigniti leguntur primo Reccaredus ob Gothos ad fidem traductos; poſtea Chintillas ob Judæos Regno undique pulſos; ac tandem Ferdinandus V. ob Mauros penitus ab Hiſpania profligatos: quem perinde illuſtrem titulum Hiſpaniæ Regibus hæreditarium deinceps voluere Alexander VI, & Julius II. *p.* 97.

Hiſpaniæ Eccleſiaſtica Hierarchia vetus in obſcuro admodum latet, ſpiſſiſque obvolvitur tenebris. Circa Metropoles: earumque primam inſtitutionem non conſentiunt viri Eruditi. A Conſtantini M. tempore quinque Metropoles obtinuiſſe, Tarraconenſem, Hiſpalenſem, Emeritenſem, Bracarenſem, ac Toletanam perſuaſum quibuſdam fuit: contra alii pugnant nullam inſtitutam ante Concilii Illiberitani epocham *p.* 97, *& ſeq.* Veri ſimilius videtur ſæculi V. initio Metropoles fuiſſe conſtitutas Tarraconenſem, Hiſpalenſem, & Emeritenſem, quibus deinde adjectæ ſunt Bracarenſis, & Lucenſis; item Cæſarauguſtana, Carthaginenſis, & Toletana; ac tandem Compoſtellana, Ulyſſiponenſis, Valentina, Granatenſis, & Burgenſis *p.* 99. Utcumque vero explorati bene non ſint, qui olim Metropolitis hiſce obnoxii Epiſcopi eſſent, indicantur tamen, ut in Notitiis veteribus habentur, quique num indubie ſubjacent *p.* 98, & *ſeqq.* Quorum plerique extra Europam poſiti ſunt *p.* 100. Juxta Provinciarum Civilem diſtributionem non inducta eſt ſaltim ſtatim Eccleſiarum diviſio *p.* 126, & *ſeq.* Diviſis ſubinde Eccleſiis illuſtrior præ aliis dignitate, juriſque amplitudine demum evaſit Toletanus Antiſtes *p.* 180, & *ſeqq.* Videſis V. *Toletanus.*

In Hiſpaniis Vicarius Apoſtolicus primus creatus reputari debet a S. Leone M. S. Turribius Aſturicenſis, quem perperam a Notario Apoſtolicæ Sedis diſtinxit Queſnellus *p.* 210. Poſt Hiſpalenſes conſtituti ſunt Zeno a S. Simplicio, Saluſtius a S. Hormiſda, qui & Johannem Illicitanum eiſdem adauxit vicibus: an etiam S. Leander a S. Gregorio M. dubium eſt. Porro Hiſpanicam Eccleſiam quis primus fundaverit, S. Paulus ne, an S. Jacobus, ingens lis eſt: quæ hac conciliari poſſe ratione videtur dicendo a S. Jacobo prædicatum ibidem Evangelium fuiſſe, Eccleſias vero ædificatas ab Epiſcopis eò miſſis a S. Petro, ac ſucceſſoribus Romanis Pontificibus *p.* 245, *& ſeq.* Viguit diu in Hiſpania Ritus tum Gothicus, tum deinde Mozarabicus, quem e divinis exulare Officiis voluere Alexander II, S. Gregorius VII, Urbanus II, & Eugenius III: retineri tamen nonnullis in Eccleſiis tandem indulſere Julius II, & Pius IV. *pag.* 493, *& ſeq.*

Hypoſtaſis an una, an tres in Divinis eſſent dicendæ, ingens olim Orientales inter, & Occidentales diſſidium exarſit, illis pro tribus adverſus Sabellium pugnantibus, iſtis

pro

pro una dimicantibus adverſus Arium *p.* 401, *& ſeqq.* Auctum eſt diſſidium in Eccleſia Antiochena: nam qui a Paulini ſtabant partibus, unam defendebant, qui vero partes adjuvabant Meletii, tres adſtruebant. Atqui de vocibus inter Orthodoxos lis erat, quam tamen componere fruſtra laboravit geminum hacce de re habitum Alexandriæ Concilium: cui proinde ut optatus imponeretur finis, Romani Pontificis deſiderata eſt ſententia, qua data tandem a S. Damaſo, & Johanne II, tres poſtinde Hypoſtaſes ad tres in Deo ſignificandas perſonas deinceps ſunt conſecratæ *p.* 403, *& ſeqq.*

I

Jacobitis, poſtquam conflato ſchiſma, te in proprium jus ſemet aſſeruerunt, ad Occidentem vergentibus præeſſe cœpit Patriarcha; poſitis ad Orientem præerat Primas, dictus *Maphrianus*. Patriarchæ Sedes non eodem loci ſtetit ſemper *pag.* 42, *& ſeq.* Ex his, & illis plerique ad frugem regreſſi, in Pontificis Romani fidem, ac clientelam ſe tranſcribere officio, religioniſque duxere *p.* 43, *& ſeq.* Jacobitas Syros inter, & Ægyptios non una, nec levis exarſit controverſia. Gravis primum excitata eſt circa Ritus Euchariſtiæ; altera de Sabellianiſmo; ac tertia demum circa quamdam Liturgiæ periocham, quæ in fractione Hoſtiæ uſurpari apud ipſos conſueverat *p.* 44, *& ſeq.* Gravius Jacobitas inter Ægyptios diſſidium emerſit circa Confeſſionis Auricularis neceſſitate m: de qua perinde conſultus, qui Patriarchæ nomine Jacobitis Syris præerat, ſententiam Catholico dogmati probe conſonam protulit *p.* 45, *& ſeq.* Quænam a Jacobitis Provinciæ, atque Metropoles occupatæ fuerint, obiter deſcribuntur *p.* 46, *& ſeq.*

Illiberitani Concilii veritas in dubium verti amplius nequit, poſtquam magno Eccleſiaſticæ Reipublicæ bono hoc anno 1757. ejuſdem Concilii acta Autographa litteris deſcripta Gothicis reperta ſunt. Ex quibus Actis fit evidens Concilium Illiberis prope Granatam re vera fuiſſe celebratum: celebratum anno 304, ac celebrationi adfuiſſe Epiſcopos 19, Presbyteros quoque 36. *p.* 232, *& ſeq.*

Illyricum Provincias 17. ſub ſe olim complectebatur, in quibus Metropoles aliæ ordine Civili, aliæ Eccleſiaſtico. In duas partes diſſectum eſt deinde, quarum una Prætorio Italiæ adjuncta, reliquis Provinciis 11. ſub Prætorio Orientis Præfecto remanentibus *p.* 22, *& ſeqq.* Metropoles diverſæ nedum erant in diſpoſitione Civili, & Eccleſiaſtica, ſed viciſſim in eadem diſpoſitione ſive Eccleſiaſtica, ſive Civili non ſemper eædem *p.* 23, *& ſeq.* Solidum Illyricum Romanæ Eccleſiæ Patriarchali juriſdictioni erat obnoxium, quod per vim poſtea in jus Patriarchæ Conſtantinopolitani tranſcriptum eſt *p.* 23, *& ſeq.* Porro Illyrici Metropolitis veteri in more poſitum erat appellare ad Romanum Pontificem, & ab eo Pallium accipere *p.* 24. Præterea ex Illyrici Epiſcopis plures, ac viri Principes, ejurato ſchiſmate, Romano Pontifici obedientia, fideque ſubmittere ſe ſe religionis habuerunt officio *p.* 25, *& ſeq.*

Illy-

Illyrici Occidentalia Provinciæ 6. erant, in quibus trea Pannoniæ, Dalmatia, & Noricum duplex. Pannoniæ 1, & 2. Metropolis Sirmium, quo ſubverſo, Metropoliti. ca jura in diverſos Metropolitas diſpertita ſunt: potiorem in eorum partem qua Aquilejenſis a Noriſio, qua Mediolanenſis a Sirmondo vocantur *p.* 76. In Noricum vero juris Metropolitici pars haud parva in Saltzburgenſem, & Laureacenſem, ac deinde in Patavienſem transfuſa eſt *p.* 77. Totiua Illyrici Primas a Romanis Pontificibus inſtitutus fuerat Theſſalonicenſis, cui ipſi Patriarchico jure præerant *ibid.*, *& ſeq.* Jam vero Illyrico Occidentali adnumeratæ ſunt olim Metropoles, aliæque Cathedræ Epiſcopalea Saxoniæ, Daniæ, Sueciæ, Norvegiæ, Slaviæ &c., Poloniæ, Bohemiæ, Moſcoviæ &c. *p.* 78, *& ſeq.*

Imperii diviſio Civilis in Præfecturas, ac Provincias quando, a quo, & quomodo facta, & perfecta fuerit *p.* 1, , *& ſeqq.* Enim vero alia ſub Auguſto, & deinceps, & alia ſub Adriano inducta Provinciarum forma eſt. Præfecturarum quoque diſtinctio alia a Domitiano, aut Commodo, alia a Conſtantino, aliaque ab aliis facta legitur *p.* 2, *& ſeqq.* Quænam, & quot ſingulis Prætorio Præfectis, qua in Oriente, qua in Occidente, Provinciæ ſubeſſent, intueri licet in veteribus Notitiis *p.* 4, *& ſeqq.* Videſis V. *Diœceſes*.

Indiia in Orientalibua, ſive in Aſia, Chriſtianæ rei ſacræ curandæ gratia, & procurandæ, a Romanis Pontificibus Metropoles Eccleſiaſticæ tres omnino, plurimæque Epiſcopales inferiores Cathedræ ſunt erectæ. In Indiis pariter Occidentalibus, ſive in America Metropolitæ 6. conſtituti ſunt, eiſdemque multi oppido ſuffraganei Epiſcopi ſubjecti *p.* 105, *& ſeq.*

5. Johannis Chryſoſtomi cauſſam, etſi in Synodis Orientis definitam, retractari tamen ſupremo Romani Pontificis judicio potuiſſe, atque, prout oportebat, Synodorum infringi ſententiam, omnibus rite ſentientibus fuit alte perſuaſum *p.* 410, & *ſeqq.*

Italiæ Diœceſis Provinciis 17. olim conſtabat: ex quibus 10. ab Urbis Vicario, reliquæ 7. ab Italiæ Vicario Mediolani demorante adminiſtrabantur. Italia olim intra Rubiconem, & Arnum continebatur: hinc ad Padum Gallia Ciſpadana; quæ a Pado ad Alpes, Gallia Tranſpadana denominari ſolebat. Jure Latii principio ſoli Itali donabantur, deinde pariter Galli inſigniti ſunt. Antehac Italia in Regiones 11. ab Auguſto diviſa fuerat; poſthac vero in duas partes diſſecta eſt ab Hadriano *p.* 66, *&ſeq.*

Italiæ Provinciæ in diſpoſitione Eccleſiaſtica, ideoque Metropolitæ deinde ad 36. excrevere; quarum brevis elenchua cum Suffraganeis Epiſcopis, atque epocha ſingularum Metropolum erectionis exhibetur *p.* 68, & *ſeqq.* Harum nonnullæ decurſu temporis a Græcis proprium in jus per vim tranſcriptæ fuere, quin etiam Metropolitica juriſdictione adauctæ *p.* 69. Ex his iterum pleræque Cathedræ qua Metropoliticæ, qua Epiſcopales ad Regiam præſentationem pertinent *ibid.*, & *ſeq.* Quæ, & quot ſive Metropoles, ſive Epiſcopales Cathedræ ſuffraganeæ in-

tra Provincias 10. ſub Vicario Urbis, ac intra Provincias 7. Vicario Italiæ obnoxias obtinerent, ex monumentis Eccleſiaſticis diſcere licet *p.* 68, & *ſeqq.*, 73, & *ſeqq.* Denique Italicarum Eccleſiarum originis, ac Epiſcopalium Sedium inſtitutio S. Petro, ejuſque ex aſſe ſucceſſoribus Romanis Pontificibus referri debent acceptæ; Romaque miſſorum ad eas inſtituendas Epiſcoporum brevis texitur elenchus *p.* 241, & *ſeq.*

L

Lapſi, ii videlicet, qui perſecutione deſæviente a fide deficiebant, generis diverſi erant, aliorumque pejores alii. Libellatici, qui oblato libello teſtabantur ſe aut Chriſto haud nomen dediſſe, aut dedito jam abdicaſſe, quamvis erant & Libellatici, qui numerata pecunia libellos emebant libertatis, ſive redemptionis a vexatione ob Religionis cauſſam. Negatores, aut Blaſphemi, qui Chriſtianam Religionem ejuraſſent, aut Chriſtiano nomini maledixiſſent. Qui vero Idolis thus adoleviſſent, aut cultum impendiſſent, Idololatræ, Thurificati, aut Sacrificati infami nomine nuncupabantur *pag.* 614.

Libros authenticos ab apocryphis, & Canonicos in Eccleſia receptos a ſpuriis ab eadem rejectis approbe diſcrevit, ordineque recenſuit S. Gelaſius *p.* 432, & *ſeq.* Decretum hoc non S. Damaſo, non S. Hormiſdæ, ſed S. Gelaſio tribuendum invicte commonſtrant Fontaninus, & Contantius *p.* 433. Ideoque Decretum iſtud perperam ex odio in pleroſque S. Scripturæ libros a Proteſtantibus inter figmenta Iſidori Mercatoris deputatur *p.* 434. Atqui SS. Scripturarum Catalogus eo loci deſcriptus a S. Gelaſio haud obſcure jampridem indicatus legitur a S. Clemente in Epiſtola ad Corinthios. Quid vero, quod eorumdem Librorum pulcherrimam ſpeciem paſſim expreſſam in S. Romanæ Eccleſiæ monumentis intueri licet? ita in Baſilica Liberiana a S. Sixto III. muſivis; ita a S. Leone M. in Baſilica S. Pauli picturis; ita in Diaconia S. Mariæ in Via lata imaginibus. Quin & eorumdem Librorum ſacrum depoſitum religioſe cuſtoditum in Titulo S. Clementis, Lapidi quoque illorum ſeries inſcalpta fuerat, alterique ſimiliter Marmori in Baſilica S. Mariæ in Coſmedin. In Charta etiam Cornutiana; nec non in venerandæ antiquitatis Codicibus Mſs. Eccleſiæ Veronenſis eorumdem librorum mentio habetur *p.* 434, & *ſeqq.*

Liguria aliter olim, atque nunc dividebatur. Ejuſdem Metropolis ab Innocentio II. conſtituta Janua eſt, a Mediolanenſis jugo ſubtracta *p.* 75.

Lugdunenſis Antiſtes Patriarchæ nomine aliquando legitur inſignitus, nomine tenus tamen, nam jure Patriarchico nunquam potitus eſt *p.* 179. In Gallia omnium prior æſtimari debet Primas *p.* 83. Quæ dignitas, quum in declivi poſita videretur, a S. Gregorio VII. in priſtinum decus eſt reſtituta, tributo jure in quatuor Provincias, quod ei jus perinde confirmavit Urbanus II. *p.* 200, & *ſeq.*

Lundenſis in Dania Metropolita poteſtate ampliſſima, Primatiali admodum

modum proxima, ſupra Epiſcopos Daniæ, Sueciæ, & Norvegiæ conſtitutus eſt ab Urbano II, & confirmatus ab Hadriano IV, Alexandro III, Lucio III, Urbano III, Clemente III, Cæleſtino III., Innocentio III, & Honorio III. *p.* 209.

M

MAgdeburgenſis Eccleſia in S. Alberto ad Primatus dignitatem in Germania, Moguntinæ, Colonienſi, ac Trevirenſi parem, cum poteſtate Crucis præferendæ, quin etiam faculiate, in ipſo tamen perſonali, novas Epiſcopales Cathedras erigendi, a Johanne XIII. exaltata eſt *pag.* 209.

Malabaros non Thamus Manichæorum hæreſi primus imbuit, veluti Tollius, & Veiſſerus imaginantur, bene vero Chriſtianæ fidei puris doctrinis erudivit S. Thomas Apoſtolus, a quo dicti proinde ſunt Chriſtiani S. Thomæ, ut oſtendit Cl. Aſſemanus *p.* 579.

Manichæis communes erant Perſarum tum errores, inter quos Palingeneſis Animarum, duoque Mundi principia, boni, & mali, Oromazanius, & Arimanius, tum ſuperſtitiones, quibus Mithram, ideſt Solem, velut inter illa principia medianum, colebant. Inter myſteria vero, quibus Mithræ cultores initiabantur, locum habebat jejunium, quod aliquando Romæ in Chriſtifidelium jejunantium calumniam verſum egregie ultus eſt S. Melchiades *p.* 396, & *ſeq.*

S. Marcus Alexandriam miſſus a S. Petro, diverſus a Marco Barnabæ conſobrino, & a Johanne cognomento Marco, eam fundavit Eccleſiam. De epocha ejus adventus in Ægyptum non concordant viri Eruditi, nec magis de epocha ejuſdem Martyrii. Illum in annum Chriſti 40, iſtud in annum 62. conjicit Sollerius. Vetuſtiſſima S. Marci acta Græca egregie vindicat Mazochius, qui perinde ex actis Græcis apud Eutychium nihil extundi poſſe demonſtrat, quo traditioni de Reliquiis S. Evangeliſtæ Venetiis aſſervatis, detrahere liceat *p.* 138, & *ſeqq.* Miſſum revera S. Marcum in Ægyptum a S. Petro certa, & conſtans eſt traditio, cujus locupletes, ac liquidi teſtes accedunt Patres, Pontifices, & Scriptores, quorum teſtimonium confirmant vetuſtiſſima Eccleſiaſtica monumenta *p.* 140, & *ſeqq.* Poſt obitum S. Petri a S. Marco demum hanc profectionem fuiſſe adornatam mentientes Dodvvellus, & Cavæus profligantur *p.* 141, & *ſeq.* Præter Alexandrinam pleraſque Eccleſias alias profecto ædificavit. Obſervatu vero illud dignum, quod genuina ejus acta Græca habent, videlicet a S. Marco inferiores etiam Clericos fuiſſe ordinatos: ex quo Minorum Ordinum vetuſtiſſima relegere veſtigia licet *p.* 142, & *ſeq.* Denique multis errare Eutychium circa narrationes S. Marci oſtendunt viri Eruditi *p.* 143, & *ſeq.*

Maronitis ex S. Marone nomen adhæſit, quem Monophyſitarum erroribus aſperſum imprudenter ab aliquibus tam pie, quam vere abſtergunt plerique alii *p.* 47, & *ſeqq.* Non ſemel autem Maronitæ orthodoxæ fidei ſtrenuos vindices ſe, aſſertoreſque dedere: quamquam, ex eis fuerint etiam aliquando, qui Monothelitica eſſent infecti labe

p.49, & ſeq. Patriarchas ſibi proprios a ſæculo VIII. præficere cœperunt, qui non uno ſemper, eodemque in loco Sedem habuere *p.* 50, *& ſeq.* Præter hos plures Metropolitæ, & Epiſcopi inter Maronitas numerabantur: pluries vero Patriarchæ obedientia, & obſequio Romano Pontifici ſe devincire religioni duxere *p.* 51, *& ſeqq.* Patriarchalis hæc demum Maronitarum dignitas Romanis Pontificibus accepta, probataque quammaxime evaſit *p.* 153.

Martyria olim dicebantur apud Græcos loca illa, in quibus pœnitentium Confeſſiones excipi a Sacerdotibus ſolebant. Ex quo grave adverſus Proteſtantes Confeſſioni auriculari detrahentes argumentum capere licet *p.* 25.

Martyrum, & Confeſſorum, qui nempe pro Chriſtianæ fidei confeſſione fortiter ſtetiſſent, diverſæ erant olim ſpecies. Extorres enim denominabantur, qui perſequutionis declinandæ gratia ſponte fugam capeſſiviſſent, aut a perſequutoribus in exilium fuiſſent expulſi. Libellatici, qui Chriſtum confeſſi, ſoluta pecunia libellos comparaſſent, quibus a perſequutione immunes evaderent. Profeſſores, qui ſponte ſe pro Chriſtiana fide Martyrii periculo obtuliſſent. Confeſſores, qui Chriſto illuſtre coram Judicibus teſtimonium reddidiſſent. Martyres denique, qui pro Chriſtianæ fidei defenſione inter tormenta occubuiſſent, aut poſt tormenta ex ſe mortem inferre valentia in pace quieviſſent. Martyres autem alii Deſignati, in quos mortis ſententia fuiſſet pronunciata: alii Conſumati, ſive Coronati, qui ex tormentorum vi mortalitatem expleſſent: alii Vindicati, quibus Eccleſia religioſum cultum decreviſſet *p.* 614.

Matrimoniis appoſita impedimenta reputanda non eſſe ex Laicis Juſtiniani, ſed ex legibus Canonicis ab Eccleſia ſancitis, declaravit Alexander II. *p.* 492. Impedimenta tollere Pontifex unus poteſt, quod ex parte vel invite faſſus eſt ipſe Blondellus e Calviniſtarum grege *p.* 501, & *ſeq.*

Mediolanum, Inſubriæ Metropolis antiquiſſima in diſpoſitione Civili, conditum eſt ante Chriſtum anno 596. Diverſum ſub diverſis Principatum ſubiit *p.* 74. S. Caroli Borromæi precibus inflexus Gregorius XIII. ibidem ſeptem erigi principes Eccleſias permiſit ad ſimilitudinem ſeptem celebriorum Urbis Romæ. Ejus Metropolitica jura intra 15. Urbium terminos nunc concluſa ſunt *p.* 75. Antiquiſſima Metropolis Eccleſiaſtica habetur, ſed a quo tempore hoc loco haberi debeat, liquido non conſtat. Poſt ætatem Conſtantini M. dejicit Thomaſſinus, contra ante Orleudius conjicit. Ampliſſimam ejuſdem juriſdictionem Metropoliticam fuiſſe non dubium eſt, in quas tamen, & quot ſe Provincias effunderet, lis eſt inter doctos: amplificat valde poſt Baronium Sirmondus; coarctare viciſſim nititur Noriſius *p.* 117, & *ſeqq.*

Metenſi in Antiſtite Galliarum Primatum cum S. Bonifacio Moguntino anno 755. extinctum, in Drogone ſcilicet excitavit anno 844. Sergius II. Wallæ Metenſi deinde Pallium utique contulit Johannes VIII, ſed Apoſtolicas vices Anſegiſo

giſo Senonenſi concredidit. Nihilominus Sigefridus Moguntinus poſt hac Galliarum Primatem ſe inſcribere non deſtitit *p.* 207.

Metropoles ſive Civiles, ſive Eccleſiaſticæ cum in Oriente, tum in Occidente illuſtriores quænam olim eſſent *p.* 4, &*ſeqq.* Ordine Civili aliæ, aliæque ordine Eccleſiaſtico erant tam in Oriente, quam in Occidente *p.* 10, & *ſeqq.*, 109, & *ſeqq.* Videſis V. *Diœceſes*. Metropoles Eccleſiaſticæ cum Imperii diviſione ſub Conſtantino M. inductæ non ſunt, ut excogitavit Dupinius, ſed ab Apoſtolis ipſis ſub Eccleſiæ exordia ſunt inſtitutæ, velut obſervat Petrus de Marca. Itaque diviſis inter Apoſtolos Eccleſiarum curis, curatum ab ipſis Eccleſiaſticas dividere Provincias, ſingulisque Metropolitas ſufficere ex S. Scriptura augurari pronum eſt *p.* 228, & *ſeq.* Neque ſane Eccleſiaſtica Monumenta deſunt, ac veterum teſtimonia deſiderare eſt, ex quibus antiquiſſima Metropolum inſtitutio adpareat *p.* 229, & *ſeqq.* In Occidente cœpere quidem ſerius, non adeo tamen ſero, quin vetuſtiſſima earumdem veſtigia detegere liceat. Ita in Africa perantiqua Metropolis erat Carthago: in Gallia Lugdunum; & in Hiſpania ſæculo III. Epiſcopus ordinatione Senior Metropolitico jure defungi ſolebat *p.* 232, & *ſeq.* Metropoles tamen, de quibus loquitur S. Athanaſius in litteris ad Solitarios, Civiles fuiſſe potius, quam Eccleſiaſticæ videntur *p.* 234.

Metropolitarum ordinatio, aut Ordinatorum confirmatio integra Romano Pontifici manere jubebatur, itanon tam ferente veteri diſciplina, quam Pontificis jure Patriarchico exigente: unde Metropolitis vetitum erat ante confirmationem Eccleſiarum adminiſtrationi ſe ingerere. Ob locorum deinde nimiam diſtantiam Metropolitis Illyrici, Africæ, Angliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, & Galliæ indultum eſt, ut dum confirmatio expectaretur, ſuas interea adminiſtrare liceret Eccleſias *p.* 262. Quin ſummum in Metropolitas, qui partibus deſint ſuis, diſtringi a Romano Pontifice jus poſſit, dubitare fas non eſt *p.* 280, & *ſeq.* Vetus eſt vero diſciplina, ut Metropolitæ per ſemet, ac per Metropolitas Epiſcopi Romano Pontifici Canonicæ obedientiæ juſta dependant obſequia, fideique ſacramento ſe obſtringant *p.* 347, & *ſeqq.*; cujuſce fidei, obedientiæque formulæ nonnullæ exhibentur *p.* 351, &*ſeqq.*

Militiam ſacram qui primus indixerit, refertur Silveſter II. apud Baronium, qui ab eo Magiæ calumniam a Bennone impactam prorſus removet: quin etiam a Simoniæ labe ipſi a Vielio afflata eumdem abſtergit ipſemet Brujus *p.* 483.

Miracula duplici generatim in differentia ſunt poſita: nam alia totius creatæ naturæ vires excedunt, atque dici abſoluta ſolent: alia virtutem dumtaxat naturæ corporeæ ſuperant, ac relativa dicuntur. Abſoluta rurſus trifariam diſtingui ſolent, ac debent, in ea, quæ primi generis denominantur, ac talia ſunt ex re ipſa, quæ fit; in ea quæ ſecundi generis ſunt, ac talia dicuntur ex ſubjecto, in quo fiunt; & in ea tandem, quæ ad tertium pertinent genus, ac talia nuncupantur ex modo, quo fiunt *p.* 664.

Miſſam ſecundam in Clero celebrari decrevit S. Deuſdedit: cujus decreti ea ratio doctiſſ. Baldino viſa eſt, quod uſque ad S. Deuſdedit mos obtinuerit, ut in unaquaque Eccleſia una dumtaxat Miſſa celebraretur, ad inſtar Græcorum, ideoque Decretum fuerit a S. Deuſdedit, ut præter ſolemnem privata altera deinceps Miſſa celebraretur. Contra Card. Bona multo ante S. Deuſdedit inductum morem iterandi in eadem Eccleſia, eademque die Miſſam ex Decreto S. Leonis M. contendit. Ut ut ſit, veterem apud Monachos viguiſſe diſciplinam, ut eadem feſtiva die una dumtaxat Miſſa celebraretur, multis documentis fit manifeſtum p. 450, & *ſeq.*

Miſſionarios ad Eccleſias in Occidente univerſo inſtituendas, aut reſtituendas mittendi ſumma inceſſit jugiter ſollicitudo Romanos Pontifices, a quibus miſſi Sanctitate, doctrinaque præſtantiſſimi viri provincia iſta egregie perfuncti ſunt in Gallia *p.* 267; in Hiſpania *p.* 268; in Britanniis *ibid.*, & *ſeq.*; in Regionibus Aquilonaribus, & in Germania *p.* 269, & *ſeqq.*; in Polonia, & Hungaria *p.* 271. Ejuſdem curæ haud exiguam partem extenderunt poſtea in Africam *p.* 272, & *ſeqq.*; in Aſiam *p.* 274, & *ſeq.*; in Americam *p.* 275, & *ſeqq.* De Miſſione non adeunda a viris Apoſtolicis, Sede inconſulta Apoſtolica, egregia S. Bernardi, & Petri Cellenſis ſententia lectu digna *p.* 279, & *ſeq.*

Miſſionariis itaque miſſis Gentes univerſas ad Chriſtiana Sacra, ac in viam ſalutis perducere nullo non tempore procurarunt Romani Pontifices *p.* 556, & *ſeqq.* Quorum votis ſucceſſit demum, ſupremo auſpice Numine, operamque commodantibus ſuam mactis animo Athletis, ut Evangelicæ veritatis lumen Occidens univerſus adſpiceret, Chriſtianiſque imbuerentur ſacris Italia *p.* 560, *& ſeq.*; Africa, & Hiſpania *p.* 561, *& ſeq.*; Gallia *p.* 562, *& ſeq.*; Germania, Belgium, Helvetia, Bajoaria, finitimæque Regiones *p.* 563, *& ſeq.*; Saxonia, Boruſſia, Moravia, Bohemia, Provinciæque collimitaneæ *pag.* 565; Anglia, Scotia, & Hibernia *p.* 566, *& ſeq.*; Dania, Suecia, Norvegia, Finlandia, Livonia &c. *p.* 568; Slavia, Sarmatia, Vandalia, Polonia, Lithuania, Samogetia &c. *p.* 569, *& ſeq.*; Ruſſia cum Alba, tum Nigra *p.* 570, *& ſeqq.*; Illyricum, Croatia, Servia, Dacia, Scythia, Gothia &c. *p.* 573., *& ſeq.*; Bulgaria, Dioclia, Dalmatia, Tartaria Europæa, Boſnia, Raſcia, Valachia, Hungaria &c. *p.* 574, *& ſeq.*, novis ubique erectis Epiſcopatibus, Eccleſiiſque ædificatis *p.* 576. Converſa in Orientem cura Miſſionariorum opera ubique Evangelium inlatum, Chriſtiana invecta Religio, Eccleſiaſticaque inducta Hierarchia, in Armeniam *p.* 577, *& ſeq.*; in Perſidem *p.* 578, *& ſeq.*; in Malabariam, Indiamque, ſive Mogorem *p.* 579; in Tartariam Aſiaticam, & in Sinas *p.* 580; in Japponiam, ac Philippinas Inſulas, aliaſque Orientalis Oceani *ibid.*, *& ſeq.* In Africam quoque, in Canarias, ac Inſulas S. Thomæ, & Azores *p.* 581; in Guineam, Angolam, Congum, ac Æthiopiam *p.* 582. In Americam, ubi primum Minoritarum opera longe,

longe, lateque propagata Religio eſt *p.* 582, *& ſeqq.*

Moguntina Eccleſia in S. Bonifacio Primatu Galliarum, qui cum ſtirpe Clodovei ab anno 660. uſque ad annum 743. per annos 80. exciderat, S. Zachariæ P. M. beneficio, exornata eſt: eidem Bonifacio vicibus Apoſtolicis demandatis, cum facultate Epiſcopatus novos erigendi, & Epiſcopos ordinandi, Concilia indicendi, & cauſſas Eccleſiaſticas dirimendi *p.* 205, *& ſeq.* Cum S. Bonifacio extinctus Primatus anno 755, in Drogone Metenſi anno 844. inſtauratus eſt *p.* 207. Tametſi Moguntini eamdem retinere dignitatem non deſtiterint *ibidem*.

Monaſteriis oblatos pueros in Monaſtico inſtituto ex parentum voto manere olim, ac permanere oportebat, nec eis ad propria regrediendi jura libertas, aut ad conjugia adſpirandi licentia inerat. Ita vetus ferebat diſciplina, legibus firmata Civilibus, & Canonicis. Quamquam diſciplina hæc nec ubique eadem, nec omni ſub ævo obtinuit; ſed diverſa pro diverſis Eccleſiis, ac pro diverſis ætatibus. Diſciplinam hanc demum tam ſeveram, in patria poteſtate fundatam, velut oſtendit Menardus, qua Romano quondam, Græcoque jure Parentes ampliſſima potiebantur in Filios, moderati ſunt primo Concilii Moguntini, & Wormatienſis Patres, ac deinde abrogarunt Pontifices Summi Cæleſtinus III, & Innocentius III, ac tandem delevit Concilium Tridentinum *p.* 461, *& ſeqq.*

Monaſteria multoties ab Epiſcopi juriſdictione exempta fuiſſe, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjugata negabit nemo, niſi in hiſtoria Monaſtica valde ſit hoſpes *p.* 485. Monachi nomine bifarium olim hominum genus deſignari ſolebat, eorum, qui ſui compotes eſſent juris, qui & Aſcetæ, ſive Anachoretæ; & eorum, qui certæ ſe Regulæ mancipabantur, unde denominati Cœnobitæ *p.* 506, *& ſeq.* Videſis V. *Religioſos Ordines*. Erat & tertium genus ſolius nominis Monachorum, qui Remebothæ, ſive Sarabaitæ dicebantur, qui bini, ternique, aut plures ſimul degentes, nulli Regulæ, nulli Præpoſito obnoxii, ex opere manuum in communem uſum collato vivebant *ibidem*.

Moſchoviæ Patriarcha a Græcis conſtitutus Metropolitis 4, & Archiepiſcopis 8. imperabat, quo a Petro Imper. abolito, nunc Metropolitæ 6, Archiepiſcopi 5, & Epiſcopi 15. Schiſmatici omnes dinumerantur *p.* 79. A Moſchorum qua Ducibus, qua Antiſtitibus de ineunda cum Romana Eccleſia concordia tractatus ſæpius inſtauratus, fruſtra tandem ipſorum culpa ceſſit *p.* 571, *& ſeqq.*

N

NAtalis dies Chriſti D. ſtato defixus diei medio ſæculo III. nondum in Eccleſia celebrabatur. S Julius primus fertur, qui S. Cyrilli Hieroſolym. votis ſollicitatus, diſtincta ab Epiphania die, ac die 25. Decemb. celebrandum illum demum indixerit *pag.* 397, *& ſeqq.* Etſi vero tam S. Julii epiſtola ad S. Cyrillum, quam Johannis Nicæni hac de re epiſtolaris narratio viris doctis ſuſpecta viſa ſit, certum

tum eſt tamen ab Eccleſia Romana in ceteras Orientis Eccleſias Ritum hunc dimanaſſe *p.* 398, *& ſeqq.* Liquidum eſt, ac locuples hacce de re teſtimonium S. Jo: Chryſoſtomi, cujus locum a Gretzeri Critica vindicant ſane Combefiſius, & Caſaubonus *p.* 399, *& ſeq.*

Negotiatio omnis ſuo, vel alieno etiam nomine, exercenda, Clericis interdicta ſemper fuit, cujus interdicti documenta innumera ſuppeditant Patrum ſcripta, & Conciliorum acta. Juxta legem iſtam ergo in Eccleſia veterem in Clericos quæſtuoſæ negotiationi implicatos diſtricte animadvertit S. Leo: eoſdem a miniſterio Eccleſiaſtico arcendos diſerte S. Gelaſius decrevit: ſub anathematis interminatione deterruit Alexander III: veterum denique Canonum pœnas in eoſdem nuper inſtauravit Benedictus XIV. *p.* 422, *& ſeq.*

Neſtoriani a Patriarcha Antiocheno ſeceſſione facta peculiarem ſibi Patriarcham imponere delectati ſunt: quæ dignitas inter ipſos deinde in plures eſt diſpertita *p.* 37, *& ſeq.* Eorum poſtea plerique ad frugem reduces, Romano Pontifici reconciliari officio, religionique duxere *ibid.* Plures per Orientem Provinciæ ab ipſis occupatæ ſunt uſque ad extremas partes Orientis *p.* 39, *& ſeqq.* Nomina propria ex cuilibet Eccleſiæ indictis aſſumendi mos novus apud ipſos inolevit *p.* 43. Edeſſæ, ubi Perſarum Chriſtianorum ſchola erat pridem erecta, ſuam Neſtoriani ſcholam conſtituerunt, ſive ſuos in ſcholam illam errores intruſere *p.* 151.

Nicæno Canone 12, nec non S. Siricii Decretali ad Himerium ſtatuitur, nemini poſt impletam pœnitentiam licere ad Militiam regredi. Porro circa Decretum iſtud in diverſas abeunt interpretationes viri docti. Propior ad veritatem accedere illa videtur, quæ ideo Militiam vetitam interpretatur, quod juxta edicta Licinii, ac Juliani Apoſtatæ nemo ad Militiam admitteretur, niſi antea Chriſtianam Religionem abdicaſſet *p.* 406, *& ſeq.*

Notarii dici olim ſolebant, non ſimpliciter ab arte ſcribendi, ſed a ratione ſcribendi ad celeritatem per Notas, ac ſcripturæ compendia *p.* 587, *& ſeq.* Duplex vero apud Veteres ſcribendi ratio vigebat, Scripturæ, & Notariæ. Quis Notarum primus inventor fuerit, definiri liquido nequit: Latinum Ennium facit S. Iſidorus; Græcum Xenophontem Lipſius. Erant vero Notæ variæ juxta varios uſus, Vulgares, Militares, & Juridicæ, quas poſtremas abrogavit poſtmodum Juſtinianus. Communi vero uſu Notæ venerant Hebræis, Ægyptiis, Græcis, & Latinis, apud quos multæ a multis adinventæ ſunt, & adauctæ *p.* 588.

O

Officia Divina, ac Miſſarum ſolemnia altera a Latina celebrari lingua juſtis ex cauſſis Romani Pontifices indulſerunt aliquando, & aliquando interdixere *pag.* 475, *& ſeq.*, 493, *& ſeq.*

Ordinatio Chorepiſcopi Sacerdotalis ut plurimum erat *p.* 321, *& ſeqq.*; fuiſſe perſæpe tamen Epiſcopalem negari nequit *p.* 326, *& ſeqq.* Epiſcopi ordinationem a duobus Epiſcopis ſaltem celebrari debere, adeo-

adeoque ut alioquin .b uno dumtaxat celebrata illicita nedum . ſed & invalida ſit, docent plerique. At longe probabilior, omninoque tenenda eorum opinio eſt, qui eamdem etſi ab uno celebratam, validam eſſe, quin etiam accedente Summi Pontificis licentia, licitam pronunciant *p.* 323, *& ſeq.* Ordinationem Romani Pontificis ab uno Epiſcopo, Oſtienſi ſcilicet, peragi conſueviſſe quibuſdam perſuaſum fuit. At falſo innititur fundamento perſuaſio iſta, ac Romanus Pontifex a tribus ſemper Epiſcopis ordinatus oſtenditur *p.* 324, *& ſeq.*

Ordines Presbyteratus, ac Diaconatus a ſimplici Presbytero ex diſpenſatione Pontificis conferri poſſe opinantur plerique *p.* 326, *& ſeq.* Quæ opinio quoad Presbyteratum tanquam improbabilis prorſus eſt rejicienda *p.* 329; quoad Diaconatum vero tanquam valde probabilis tuto poteſt teneri; atque confirmatur ex Diplomate Innocentii VIII. Abbatibus Ciſtercienſibus facultatem largientis conferendi ſui Ordinis Clericis Ordines Subdiaconatus, & Diaconatus: quo de privilegio tamen in partem utramque diſputatur a viris doctis *p.* 327, *& ſeqq.*

Ordinationes ab hæreticis factas, dum irritas dixere Romani Pontifices, illicitas dumtaxat, non etiam invalidas dicere voluerunt. Ita eos interpretandi ea graviſſima ſubeſt ratio, quod ab hæreticis ordinati ſimplici manuum impoſitione ſubinde in Clerum recipi, gradibuſque reſtitui ſolerent *p.* 415. & *ſeq.* Atque ita accipiendus S. Leo M. lucide oſtenditur *p.* 422. Ita ſimiliter intelligendus Stephanus III, ſive IV: quanquam hunc aliter quoque interpretandi commoda, planaque ſuppetat ratio *p.* 468. Ita pariter interpretari Formoſum fas eſt, dum ordinationes a Photio peractas infregit *p.* 479. Porro Ordinationes Epiſcoporum die Dominica, aliorum vero Clericorum die Sabati celebrari debebant: quas ultimas deinde ad tempora ſolemnium jejuniorum S. Gelaſius revocavit *p.* 432.

Oſculum pacis in publico Eccleſiæ Conventu ante impertiri, quam conficerentur Myſteria, juſſit S. Innocentius I. Ritus iſte diverſis in Eccleſiis diverſus erat: ita inducendi in cauſſa Pontifici fuere ſive Manichæi, percepta vix Euchariſtia ante pacis oſculum abſcedere ſoliti; ſive Priſcillianiſtæ, a pacis oſculo impura Sacrificia ſua inchoantes *p.* 418.

P

PAllio qui exornabantur olim, Epiſcopi nec eopſe vicibus ſemper Apoſtolicis induebantur, nec Metropoliticis adaugebantur juribus: nam ſicut Apoſtolicæ vices plus vice ſimplici ſimplicibus Epiſcopis commendatæ leguntur, ſic eiſdem Pallii honor pariter collatus, ullo abſque jure ampliori, monſtratur *pag.* 219., & *ſeq.* Porro quid ex Pallii collatione in Metropolitis adaugeretur juris, & quid exinde honoris accederet in Epiſcopis explicatur *p.* 220.

Paſchatis celebrandi diem Eccleſiis denuntiare Pontificis officio cedebat: quo egregie defuncti leguntur SS. Innocentius I, & Leo M. Inquirendi diligenter in hunc diem ſparta:

ſparta Patriarchis Alexandrinis demandata fuerat, repertumque indicandi Romano Pontifici: ſed hanc poſtea ad ſe retraxere Pontifices, aliiſque perficiendam pro arbitratu imponere perrexerunt *p.* 419, & *ſeq.*

Patriarchalia jura non eadem apud Latinos, poſtquam ab his occupatæ Patriarchales Orientis Sedes ſunt, quæ olim apud Græcos obtinuerant; neque pariter eædem Provinciæ obnoxiæ manſerunt, quæ Græcis olim Patriarchis ſuberant. Ea jura definivere Innocentius III, & Bonifacius VIII; Provincias vero illas deſcribunt Doxopatrius, & Lequiennius *p.* 58, & *ſeq.* Patriarchatus Romanus longe, lateque per Occidentem diffunditur omnem *p.* 59, & *ſeqq.* Videſis V. *Pontifex Romanus.* Patriarchæ nomen apud Judæos ſæculo integro ante Urbis, Templique everſionem invaluiſſe ipſi affirmant: at verius non niſi poſt Judæorum exciſionem inductum eſt, atque quidem ad ejus dignitatem exprimendam, qui ad alia officia alios deſtinabat: quod demum anno 420. circiter abrogatum liquet ex Codice Theod. *p.* 130, & *ſeq.* A Montaniſtis Patriarchæ ambitioſum nomen pariter uſurpatum teſtatur S. Hieronymus *p.* 131. Apud Chriſtianos non niſi ab exitu Sæculi IV. uſurpari cœpit hoc nomen, quod a Romano Pontifice ortum duxiſſe, & ab ipſo in alios poſtmodum dimanaſſe, veri ſit admodum ſimile: quo perinde nomine paſſim apud Orientales nedum, ſed & apud Occidentales plerique inſignes Præſules cohoneſtati leguntur *p.* 132, & *ſeq.*

Patriarchales Cathedras inſtitutas fuiſſe a S. Petro, ita tamen ut, omnibus præemineret Romana, dubitare nefas eſt: qui dubium movere non ſunt veriti, næ ii maximo in errore verſantur *p.* 133, & *ſeqq.* Patriarchalium Sedium pulcherrima ſpecies in S. Romanæ Eccleſiæ principalibus quinque Baſilicis exprimitur *p.* 134. Concurrunt ſane in hanc ſententiam de inſtitutis a S. Petro Cathedris Patriarchalibus unanimes Pontifices, Patres, & Doctores *p.* 135, & *ſeqq.* Nec id inficiari auſus eſt ipſemet Balſamon, niſi quod perperam ab ipſo S. Petro Eccleſiæ cum Hieroſolymitanæ peræque, atque Conſtantinopolitanæ Patriarchicam dignitatem repetit, æqualeſque Romanæ omnes poteſtate impudentiſſime facit *p.* 137, & *ſeq.* Demonſtratur ſingillatim de Alexandrina *p.* 138, & *ſeqq.*, & de Antiochena *p.* 146. & *ſeqq.* Diſputatur vero de Conſtantinopolitana *p.* 154, & *ſeqq.*, & de Hieroſolymitana *p.* 161, & *ſeqq.* Patriarchis Orientis porro recens ordinatis religioni, officioque cedebat extemplo ad Romanum Pontificem fidei profeſſionem mittere, ab eoque gradus confirmationem petere *p.* 165, & *ſeqq.*; ita Conſtantinopolitano *p.* 166; ita Alexandrino *p.* 167; ita Antiocheno, & Hieroſolymitano *ibid.*, & *ſeqq.* Romano itaque Pontifici pro ſuprema poteſtate ſua in Patriarchas Orientis juris diſtringendi facultas pleniſſima competit, neque ipſa vice plus ſimplici diſtrictum eſt in Antiochenum *p.* 281, 284, & 289. In Alexandrinum *p.* 282, 284, & 289. In Conſtantinopolitanum *p.* 282, 283, 285,

285, 287, & *ſeqq.* In Hieroſolymitanum *p.* 284, & 288.

Patriarchæ in Occidente tum primum occepere, quum ſchiſmate a Romana Eccleſiæ nonnullæ divulſæ ſunt. Ita in Africa Patriarcham Ariana hæreſis peperit. Ita in Italiam a Gothis Patriarchæ inducti ſunt. Aquilejenſis Arianæ hæreſi, ac Schiſmati ob tria Capitula initium, & incrementum debet *p.* 170, & *ſeqq.* Gradenſi dein ipſe obſtetricatus eſt *ibid.* Videſis V. *Aquilejenſis*. In Occidente Patriarchæ nomine abuti, delectarique pleroſque alios Præſules toleravere Romani Pontifices, ut in Bulgaria Trinovitanum *p.* 177, & *ſeqq.*; ut in Galliis Lugdunenſem, Bituricenſem, & Viennenſem p. 179, & *ſeqq.*; ut in Hiſpania Toletanum *p.* 180, & *ſeqq.*; ut in Anglia Cantuarienſem *p.* 183. Ulyſſiponenſem vero in Luſitania creavit revera Clemens XI. *p.* 182. Atqui præter unum Romanum Pontificem alter in toto Occidente juſtis Patriarchæ juribus potitus eſt nunquam, ſed Primatis tantummodo *ibid.* Patriarcharum jura porro hæc erant, Metropolitas ordinare, Synodos Nationales cogere, graviores cauſſas in Synodis definire, appellationes recipere, Chriſma per Diœceſim diſtribuere, Pallio a Romano Pontifice accepto, illud ſubjectis Metropolitis conferre, Crucem ante ſe deferre, non Romæ tamen, nec ubi Pontifex, aut ejus Legatus degeret, Crucis defixione Monaſteria proprium in jus proxime tranſcribere, de quo vide V. *Stauropegium*, *p.* 184, & *ſeq.* Patriarchas obtinuiſſe primum in Concilio Conſtantinopolitano anno 382. ſcribens Socrates erroris coarguitur a Thomaſſino; ſed benigna interpretatione rectius a Valeſio excuſatur *p.* 186, & *ſeq.*

S. Petrus ampliſſima poteſtate a Chriſto Dacepta gentium ubique Eccleſias fundavit, eiſque præfecit Epiſcopos. Quamquam ab Apoſtolis quoque aliis, atque a S. Paulo quammaxime Eccleſias per Orbem pleraſque ædificatas, earumque adminiſtrationi Epiſcopos admotos, non abſque tamen dependentia a S. Petro, non eſt negandum *p.* 236, & *ſeqq.* Porro a S. Petro Epiſcopi ordinati ſunt Romæ SS. Linus, Cletus, & Clemens, non ita ut in ſocietatem Epiſcopalis officii fuerint aſſumpti, nec ita ut Epiſcopatus ipſi partes implerent, dum ille Apoſtolatus defungeretur muneribus, nec ita ut Chorepiſcopi ii dumtaxat eſſent, ordinationeque Presbyteri, nec ita ut Petri, aut Circumciſionis unus Epiſcopus eſſet, alter Pauli, aut Præputii, unus Græcorum, Latinorum alter; ſed ita ut S. Petro, prout opus aſſuiſſet, in Eccleſiaſticis rebus agendis opera adeſſent, parteſque adjuvarent *p.* 277, & *ſeqq.* Egregie denique officio defunctus S. Petrus Gentium omnium ſalutem curaſſe, ac procuraſſe, Eccleſiis ubique ædificatis, & creatis Epiſcopis oſtenditur *p.* 557, & *ſeq.*

Piſanus Antiſtes vicibus Apoſtolicis in Corſicam adauctus eſt a S. Gregorio VII; Metropolitico jure in ejuſdem Inſulæ Epiſcopos indutus ab Urbano II; Primatis deinde juriſdictione donatus in Corſicam, & Turritanam Provinciam, Apoſtoliciſque vicibus in Sardiniam ab Innocentio II, aliiſque Pontificibus,

bus. Quæ jura tamen modo amplicsta ei fuere, modo reſtricta magis, magiſque *p.* 70, 198, *& ſeqq.*

Pœnitentiæ publicæ, quatuor primis Eccleſiæ ævis, peccata non omnia, ſed graviora quædam dumtaxat, puta Idololatriam, homicidium, adulterium &c., ſupponi ſolebant *p.* 390, *& ſeq.* Pœnitentia functis nunquam, ac nullibi ab Eccleſia abſolutio Sacramentalis denegata eſt: pœnitentiæ tamen locus Idololatris, homicidis, & adulteris nullus olim fiebat in Africa, quin etiam abſolutio in exitu aliquando denegabatur. Cui adeo ſeveræ diſciplinæ offendens S. Zephyrinus adulteris dandam pœnitentiam, pœnitentiaque defunctis abſolutionem non denegandam decrevit. Tertullianus ideo eum redarguens ſemet reprehenſione dignum exhibuit *p.* 391, *& ſeq.* Simile pro Lapſis ad pœnitentiam recipiendis decretum edidit deinde S. Cornelius *p.* 392, *& ſeq.* Viciſſim pœnitentiæ leges Lapſis impoſitas a calumniis Heraclii unius e Lapſis ea cauſari non veriti egregie vindicavit S. Euſebius P. M. *p.* 395. Clericos majores, Subdiaconos, Diaconos, & Presbyteros publicæ pœnitentiæ legibus ſubjici noluit S. Leo M. *p.* 422; qui de pœnitentiæ, ut eſt Sacramentum, neceſſitate, & efficacia præclare diſſerit *p.* 427; perinde vero peccatorum confeſſionem publicam laudabiliter fieri quidem fatetur, ab Eccleſia tamen nunquam fuiſſe præceptam liquido affirmat *p.* 429.

Polonia in Illyrici Occidentalis partem olim veniebat: ubi poſtea Epiſcopales Cathedræ plures erectæ ſunt, ac duo Metropoles conſtitutæ. Præter quas aliis quibuſdam Græcanici ritus, ſive Ruthenici Epiſcopis locus eſt factus *p.* 79. Gneſnenſi Metropolitæ Primatus ſpeciem quamdam cum privilegio Crucis præferendæ contulere Innocentius III, & Gregorius IX. *p.* 209.

Pontifex Romanus triplicem perſonam gerit, pro triplici dignitate, poteſtateque diſtincta in Orbem, in Occidentem, & in Urbem, Primatis, Patriarchæ, & Metropolitæ: quam diſtinctionem vel invitus agnovit Salmaſius ipſe *p.* 59, *& ſeq.* Patriarchalis ejuſdem dignitas, ac poteſtas ſpeciatim probata oſtenditur Græcis Patribus, ac Latinis *ibid.* Patriarchatum Romanum non in totum Occidentem diffuſum fuiſſe, ſed intra Regiones Suburbicarias definitum, quo nomine juxta Rufinum, deſignatum fuiſſe Territorium Præfecti Urbis, pugnant ex Proteſtantibus, atque ex Catholicis plerique *p.* 61, *& ſeq.*; a quibus perinde, aliiſque diſputatur quid Pontificii juris Canone Nicæno 6. importatum fuerit, an Metropolitæ, an Patriarchæ, an Primatis *p.* 62, *& ſeqq.* Atqui Regiones Suburbicariæ longe plures Romani Pontificis juri Metropolitico erant obnoxiæ, quam juri Civili Vicarii Urbis *p.* 63, *& ſeq.* Per Suburbicarias accipi debere Regiones nedum, quæ referebantur ad Territorium Municipale Urbis, ſed etiam quæ comprehenſæ erant in Territorio Imperiali, interpretatur Perronius *p.* 64, *& ſeq.* Quo plane ſenſu totum Orbem Suburbicarium rite olim fuiſſe pariter obſervant Valeſius, Morinus, Lupus, & Sirmondus *p.* 65, *& ſeq.* Romano ergo Pontifici

tifici tanquam Patriarchæ obnoxiæ erant Occidentis Diœceſes omnes *p.* 66, *& ſeqq.* Epiſcopi nomine idem præeſt in Urbe quinque Patriarchalibus Eccleſiis. Extra Urbem vero ceu Metropolita præerat olim Epiſcopis 69, aut etiam 71; nunc a Capua ad Piſas *p.* 67, *& ſeq.* Eodem Metropolitæ nomine præfuit uſque ad Sæculum V. totius Italiæ 17. Provinciis, ac poſtquam etiam Provinciæ eædem in duos Vicarios Urbis, cui 10. aſſignatæ ſunt, & Mediolani, cui reliquæ 7. ſubjectæ, ſunt diſpertitæ *p.* 115, *& ſeqq.* Quin imo Sæculo VIII. adhuc Italiæ decem Provinciis eodem Metropolitæ jure præerat *ibidem*.

Pontificis Romani jus eſt ampliſſimum inſtituere Patriarchas, Exarchos, Primates, Metropolitas, & Epiſcopos *p.* 130, & *ſeqq.*, 168, & *ſeqq.* Vide ſub horum ſingulorum Vocabulis. Pro auctoritatis plenitudine transferre Patriarchalia jura poteſt: quam auctoritatem in ipſo venerati Orientis Patriarchæ, ſtatim atque inaugurati fuiſſent, nihil habebant antiquius, quam ad ipſum fidei ſuæ profeſſionem conſcribere, ac loci petere confirmationem *p.* 165, & *ſeqq.* Summi Pontificis nomen primo in Diptychis loco recenſere, & ad Altare inter Sacra ex ambone recitare ſolemne in Eccleſia ſemper fuit *p.* 169, *& ſeqq.* Quoties vero tractatus eſt initus de redintegrando Orientalis Eccleſiæ cum Romana fœdere, toties reſtaurata lex eſt de reſtituendo Pontificis nomine in Diptycha. Occidentali autem Eccleſiæ religioni ſemper ceſſit Pontificis M. nomen in Diptychis retinere, ac recitare *p.* 170, & *ſeqq.* Patriarchæ nomine in univerſo Occidente unus Pontifex tandiu audivit, quandiu Occidens univerſus eidem paruit *p.* 178, de quo vide V. *Patriarchæ in Occidente*. Stauropegii ſimiliter jure in Patriarchatu Conſtantinopolitano potiebatur, ac Conſtantinopoli Templa, & Monaſteria erant Romano Pontifici immediate ſubjecta *p.* 185. Quatenus Patriarchæ Occidentis perſonam induit, ad ipſum pertinet Metropolitas ordinare, & Concilia Nationalia indicere: quamquam Metropolitarum ordinationes Conciliis Provincialibus aliquando permiſit, confirmatione ſibi reſervata, Epiſcoporum vero ordinationibus ipſis Metropolitis commendatis. In Illyrico tamen Vicario Theſſalonicenſi Metropolitarum ordinationes integræ erant, nec ejus abſque conſcientia ordinari Epiſcopi poterant, quamvis poſtea Metropolitis Suffraganeorum ordinationes liberæ dimiſſæ ſunt *p.* 217, & *ſeq.* Concilia pariter cogendi facultas Vicariis Apoſtolicis paſſim facta eſt, perſæpe vero adempta *p.* 219.

Pontifici Romano Vicarios Apoſtolicos ubique conſtituere tam fas ſemper fuit, quam factum id perquam ſæpe p. 221, *& ſeqq.* Videſis V. *Vicarius Apoſtolicæ Sedis*. Poteſtatis ejuſdem particula eſt inſignis Metropoles inſtituere *p.* 232, *& ſeqq.*, Epiſcopos conſtituere, erigereque Cathedras Epiſcopales *p.* 234, *& ſeqq.* Videſis V. *Epiſcopi*. Prædicandi Evangelii gentium ubique provinciam imponere Pontificis quoque partibus cedit *p.* 238, *& ſeq.*; atque viros Apoſtolicos deſtinare, qui vices adimpleant ſuas, ubi ipſi præſentia adeſſe non poſ-

ſunt, ac ubi opus ſit, Eccleſias qua inſtituere, qua reſtituere ſtudeant *p.* 267, *& ſeqq.* Videſis V. *Miſſionarii.* In perſonas Eccleſiaſticas cujuſque gradus jurisdicundi, exercendique pleniſſima gaudet ipſe poteſtate, cujus multiplex profertur ſpecimen *p.* 280. *& ſeqq.* Videſis V. *Patriarchæ*. A Pontifice in Epiſcopos proxime juriſdictio profluit *p.* 302, *& ſeqq.*; quorum poteſtati certos eripere poteſt caſus, ſibique ſoli abſolvendos reſervare *p.* 320. Romani Pontificis ordinatio nunquam ab uno ſolo, ſed a tribus ſemper Epiſcopis celebrari conſuevit *p.* 324, *& ſeq.* Non uniuſmodi in Epiſcopos jus Pontifici ineſt, ſed enim ipſis formulas præſcribere fidei in ejus pleniſſima poſitum eſt facultate *p.* 351, *& ſeqq.* Eccleſiaſticæ diſciplinæ Canones decernere, cauſſaſque Eccleſiarum graviores dirimere *p.* 389, *& ſeqq.* Epiſcoporum conſultationibus reſponſa reddere *p.* 400, *& ſeq.* Eorum judicia, etiam in Synodis peracta, retractare, ac prout oporteat, reſcindere *p.* 410, *& ſeqq.* Ligatos ab ſe, vel a Synodis abſolvere ſolus poteſt *p.* 416. Solus diſpenſare circa Lapſos Epiſcopos in ſententiis latis a Synodis *p.* 426. Ad ipſum dubiæ res, ac difficiles reſolvendæ deferri debent *p.* 459. Ab ipſo ſolo cauſſæ majores cognoſci *p.* 482, *& ſeq.*, ac Matrimoniorum impedimenta auferri poſſunt *p.* 483. In Diœceſi qualibet Epiſcopalia munia exercere, aliiſque exercenda mandari *p.* 484, *& ſeq.*, quin in Epiſcopos ubique judicia diſtringere ipſi datum eſt deſuper *p.* 499. Interdicta a Synodis jaculata ſolvere ipſe poteſt *p.* 503, *& ſeq.*, Jaculata viciſſim ab ipſo ſolvere vel Synodus non poteſt *ibid.* Pontificis eſt præterea Religioſos Ordines approbare, ad Eccleſiaſticos gradus reddere idoneos, & ab Ordinariorum juriſdictione abſolvere *p.* 506, *& ſeqq.* Videſis V. *Religioſi*. Officium ſpeciale, onuſque Pontifici incumbit procurandæ Gentium omnium ſalutis *p.* 556, *& ſeqq.* Videſis V. *Miſſiones*. Dei Servos denique catalogo Beatorum, ac Beatos catalogo Sanctorum adſcribere privative ad unum Pontificem pertinet *p.* 585, *& ſeqq.* Videſis V. *Canonizatio*

Primatis nomine deſignari conſuevit is, cujus juriſdictio plures in Provincias effundebatur. Antiquiſſimus, juxtaque celeberrimus audivit ſemper in Africa Primas Carthaginenſis *p.* 192, *& ſeq.*, de quo videſis V. *Carthaginenſis*. Eodem nomine inſignitus ne fuerit, ac jure potitus in Italia Ticinenſis, ſive Papienſis, dubitatur *p.* 197, *& ſeq.*, de quo videſis V. *Ticinenſis*. At potitus revera eſt Piſanus *p.* 198; quo pariter jure adaucti fuere Lugdunenſis *p.* 200, *& ſeq.*; Senonenſis *p.* 201; Arelatenſis *ibid. & ſeq.*, ac Remenſis *p.* 204. Primatus omnis in Gallia ab anno 660. circiter uſque ad annum 743. per annos 80. exciſus in S. Bonifacio Moguntino eſt inſtauratus, cum quo pariter extinctus per annos 90. circiter, in Drogone Metenſi demum excitatus eſt *p.* 205, *& ſeq.* Moguntino reſtitutus eſt ab Innocentio II, adjectis vicibus Apoſtolicis, quæ perinde in Saltzburgenſem transfuſæ ſunt a Leone III. Primatis jura diviſit aliquando Saltzburgenſem inter, & Laureacenſem

Aga-

Agapetus II; integra Salizburgenſi reddidit Alexander II. Ad hæc Primatis quamdam ſpeciem Colonienſi idem Agapetus contulit; quin eum Archicancellarii S. Rom. Eccleſiæ, & Cardinalis S. Johannis ante portam Latinam dignitate adauxit S. Leo IX; ac Pontifici Romano proxime obnoxium declaravit Eugenius III. Ampliorem Eccleſiæ Hamburgenſi in S. Anſcharío Primatum in Sueciam, Daniam, Norvegiam &c. detulere Gregorius IV, & S. Nicolaus I, & in S. Adalberto Alexander II. *p.* 207, *& ſeqq.* Primatus Magdeburgenſis præterea in S. Alberto inſtitutus eſt a Johanne XIII; & Lundenſis alter in Dania ab Urbano II, confirmatus ab ejuſdem Succeſſoribus *p.* 209. Primatibus hiſce proximi haberi potuere Gneſnenſis in Polonia, & Strigonienſis in Hungaria *ibid.* Illuſtris tandem in Hiſpania Primas Toletanus non tam inſtitutus, quam inſtauratus eſt ab Urbano II. *p.* 212. Porro inſtituendi Primates cauſſa Pontificibus eadem fuit, quæ Chriſtianæ Religionis aut inferendæ, ubi eſſet extorris, aut reparandæ, ubi fuiſſet collapſa *p.* 213, *& ſeqq.* Poſtremo inter Primatum jura recenſebantur Concilia indicere; Epiſcopos, & Metropolitas in Conciliis electos confirmare; cauſſas Eccleſiaſticas in Conciliis exagitare, gravioribus ad Apoſtolicam Sedem dimiſſis; Clericis Ordinis tam ſuperioris, quam inferioris litteras formatas concedere &c.; quæ nunc ad duo ferme rediguntur, nempe ad cauſſas appellationis, & devolutionis *p.* 215, *& ſeq.*

Purgatio Canonica quid olim rei præſeferret, ac quotuplici fieri modo conſueſceret. Porro fieri dicebatur quinta, ſeptima, duodecima, ac decimaquarta manu, quatenus nempe quinque, aut ſeptem, aut duodecim, aut quatuordecim adhiberi Compurgatores, dicti etiam Sacramentales, ſolerent ad fidem faciendam, prout majori, minorive ſuſpicione, aut infamia quis laboraret *p.* 501.

Q

QUartadecimanorum error Scotis, Pictis, ac Britonibus aliquando adhæſit, eoſque tum ab invicem dire, tum ab Eccleſia Romana turpiter diſcerpſit, atque divulſit. Quo tempore inlatus eò hic error fuerit, difficile poteſt definiri. Ab anno 449. Inſulis ab Anglo-Saxonibus occupatis uſque ad annum circiter 597, quo S. Auguſtini opera Romanæ Eccleſiæ reconciliatæ ſunt, per annos 150. ferme ritum ibidem obtinuiſſe celebrandi Paſcha Luna 14, in quamcumque incideret diem, veri ſit valde ſimile. Quamquam ii a ſuperſtitioſo Quartadecimanorum ritu diſtabant quammaxime *pag.* 452, *& ſeq.* A S. Auguſtino prorſus exterminari, profligarique error nequivit, quin imo magis in Synodo Lenienſi anno 630. confirmatus eſt. Attamen ex iis ſapientiores, ac prudentiores in veteri Romanæ Eccleſiæ ritu, de quo a S. Auguſtino edocti approbe fuerant, manendum ſibi, ac permanendum deliberarunt *p.* 453, *& ſeq.* Honorii I. perinde opera ab errore multi oppido abſtracti ſunt, ſed non omnes, qui nec a Severino ſe ad veritatem inflecti paſſi ſunt: donec tandem victas

ctas dare manus in Collatione Vitbienſi anno 664. coacti ſunt, paucis admodum obſirmato in errore animo perſeverantibus. Denique Theodori Cantuarienſis opera errorem radicitus extirpare viribus omnibus S. Vitalianus obnixus eſt, ejuſdem in ſtudia Angliæ Epiſcopis undique conſpirantibus, donec tandem, ut Superis placuit, anno 800. penitus ab Inſula profligatus eſt *p.* 454, *& ſeqq.*

R

RAvenna a Langobardis redempta, ac Romanæ Eccleſiæ reſtituta occaſionem præbuit Carolo M., cur Provinciæ Flaminiæ veteri abolito nomine, Romandiola deinceps denominaretur *pag.* 74. Non eo in Metropolim Eccleſiaſticam aſſurexit, quo Civilis eſſe cœperat: Primus, qui hac dignitate fuerit exornatus, facile habendus eſt S. Petrus Chryſologus *p.* 120. Mediolano Ravennam Imperii Sedem tranſtulit Honorius *p.* 85 ubi poſtea Valentinianus eam defixit *p.* 121. Ante Mediolanenſem, & Aquilejenſem Ravennas poſt Romanum Metropolita recenſitus aliquando legitur; quin in Romana Synodo anno 1047. ſub Clemente II. conſedit, ab eodem Pontifice aſſignato loco Aquilejenſi ſecundo, ac Mediolanenſi tertio *p.* 121.

Religioſos Ordines approbandi, eiſdem ad Eccleſiaſticos gradus aditum aperiendi, eoſque ab Ordinariorum juriſdictione abſolvendi poteſtas apud Romanum Pontificem integra reſidet *p.* 506, *& ſeqq.* Quo tempore cogi in cœtum Religioſi, conſtruique Cœnobia cœperint, difficile eſt definire. Atque quidem tribus prioribus ævis non defuiſſe utriuſque ſexus homines, qui ſe Deo votis dedicarent, multa ſuadent vetera Monumenta, quæ tamen eò demum collineare videntur, ut evincant tum utique Aſcetas extitiſſe, non etiam Cœnobitas *p.* 507, & *ſeqq.* Cæterum enim non niſi tertio cadente ſæculo in cœtum Aſcetas coaluiſſe veriſimilior videtur opinio, de qua multa *p.* 510, *& ſeq.* Juxta opinionem hanc igitur prima Sanctimonialium Fundatrix haberi facile S. Sincletica poteſt, quam proxime aliæ ſunt imitatæ *p.* 511, *& ſeq.* Religioſorum vero S. Antonius primus inſtitutor reputandus erit, poſtque alii plurimi *p.* 512, *& ſeq.* Quæ inde illuſtriora, ac vetuſtiora ſive in Oriente, ſive in Occidente Cœnobia ſunt conſtructa, obiter memorantur *ibid.*, *& ſeq.* Atque Romæ prius, quam Mediolani ædificata Monaſteria rite arguit Baronius, contrarium minus recte cenſet Muratorius *p.* 513. Religioſos porro Ordines ſuis olim in Diœceſibus exortos non tam approbandi facultas, quam amplificandi religio Epiſcopis inerat donec ab Innocentio III, ac deinde a B. Gregorio X. Apoſtolicæ Sedi eorum approbatio reſervata eſt. Quin antehac complures a Summis Pontificibus approbati leguntur; poſthac vero nullus ſubſtitit, niſi approbatus ab ipſis *p.* 514, *& ſeqq.*

Religioſis viris ab initio ſui Inſtituti ſuus in Eccleſiaſtica hierarchia illuſtris erat locus, iiſque hierarchico ſive ordine, ſive officio defungi licebat *p.* 517, *& ſeqq.* Inter Religioſos itaque proprii erant Presbyteri, qui

qui rem divinam peragerent, erant & Diaconi, qui illis administrarent: quod obiter per varia, ac pervetusta loca, ubi illustriora ædificata fuerant Monasteria, discurrendo ad oculum demonstratur *p.* 519, & *seqq.* Religiosi quin imo eo gradu, Pontificum beneficio, in Ecclesia positi sunt, quo habebantur Ordines minores, ac etiam Subdiaconatus, ac probatioribus ex his patere ad superiores Ordines aditum Pontifices volebant *p.* 522 & *seqq.* Vetera Ecclesiastica, & Monastica historiæ lustranti monumenta intueri licebit ex Religiosis Clericos adlectos ad officia sacra in Ecclesiis exercenda; Clericis adscitos Religiosos, sive Clericatus officiis in Ecclesiis obeundis Religiosos admotos *p.* 523, *& seqq.* Ecclesiæ certe Romanæ præ ceteris purioris disciplinæ, reique divinæ studio ferventioris semper religioni cessit, ac sollicitudini Religiosis agminibus Urbem implere, ac vicinia nedum, sed ad Clericalia adimplenda munia in præcipuis Basilicis Religiosos admovere: cujus rei documento sunt, quæ litteris mandata sunt monumenta, quæque vetera adhuc supersunt Monasteriorum ædificia a S. Leone M. usque ad Sæculum X. excitata *p.* 525, *& seqq.* Quid quod Religiosos inter, & Clericos ex æquo dividebantur olim alicubi officia, atque in eadem Ecclesia ex ambobus coalescebant Capitula; quin etiam alicubi ex Religiosis dumtaxat Ecclesiarum Clerus constabat? Parochialium imo Ecclesiarum, & Cathedralium vacantium administratio Religiosis sæpe commendabatur: Quamquam ii postea circa Parochialia jura variam subiere sortem: quin imo Clericis expulsis Cathedrales, & Collegiatæ sæpius Religiosis administrandæ leguntur commendatæ *p.* 527, *& seqq.* Ad hæc vetus est disciplina, ut qui Religiosis Cœtibus præerant, ad Synodicos Conventus advocarentur, in quibus modo infra, modo supra Presbyteros consedere consuebant, quibus tandem præ his locus honoratior ritu fixo est factus *p.* 529, *& seq.* Porro insigni prærogativa altera potiuntur Abbates Religiosis sibi subjectis conferendi Ordines minores *p.* 530. Atqui e Monasteriis passim viros probos, doctrinaque præstantes ad Cathedrales, ac Patriarchales etiam regendas Ecclesias accersiri pervetusto in more positum erat *p.* 531, & *seqq.* Quin erant Cathedrales, quibus alternatim e Clericis, & Religiosis assumpti debebant admoveri: erant, & aliæ, quæ Religiosis dumtaxat regendæ tradebantur: erant, & Monasteria, quibus non infrequenter Episcopali dignitate insigniti erant, qui præerant. Et certe Græcis jamdiu solemne evasit, ut Episcopali nemo defungatur officio, nisi professioni Religiosæ pariter semet addixerit *p.* 532, & *seqq.*

Religiosos olim Episcoporum jurisdictioni obnoxios fuisse non dubium est. Ideo ne Religiosæ domus absque Diœcesani licentia construantur, lex vetus est in Ecclesia Civilibus sanctionibus, sacrisque Canonibus communita: nunc lege firmata nullibi erigere Monasteria licet absque Sedis Apostolicæ facultate. Ideo Synodis Diœcesanis interveniendi Religiosorum Superioribus onus incumbebat, quo

nunc

nunc haud leviter Concilii Tridentini beneficio levantur. Neque vero leges devexiori adhuc ſub ætate latæ deſunt ſive a Synodis, ſive a Summis Pontificibus, quibus Religioſi Epiſcopis ſubjacere coguntur. Ideo ab Epiſcopis ipſis exemptionis privilegia accipere Religioſis non infrequens erat, quæ eo libentius impertiebantur, quo liberius uni Deo vacare per ipſos Religioſis liceret *p.* 536, *& ſeqq.* Nihilotamen minus vetuſtiſſima detegere fas eſt documenta, quibus fiat evidens jam diu Religioſos ab Epiſcoporum juriſdictione modo quoad pauciora, modo quoad plura fuiſſe exemptos. In Græcia Patriarchæ Conſtantinopolitano, & in Africa Primati Carthaginenſi Monaſteria immediate ſubjacebant *p.* 538, & *ſeqq.* Ab Epiſcopia ſponte, ac ſæpe Monaſteriis exemptionis pagina conſcripta legitur *p.* 540, & *ſeq.* Donec tandem Apoſtolicæ Sedis gratia ab Epiſcoporum poteſtate in jus proprium aſſerta ſunt, ac proxime eidem Sedi ſubjugata. Atque quidem a S. Gregorio M. exordiendo, Monaſteria oppido multa indicantur a Pontificibus exemptionis privilegio exornata; quo loci Cl. Thomaſſini conjectura de non altius repetendis, quam a S. Zacharia ejuſmodi exemptionum exemplis, everitur, necnon Muratorii cunctatio de veritate complurium Diplomatum hujuſmodi exemptionis. Graves porro cauſſas, quibus permoti Romani Pontifices Religioſos ab immediata Epiſcoporum juriſdictione exemerint, regerunt paſſim S. Gregorius VII, Gregorius IX, & Clemens V. Quamquam hodie dum quoad plerſque capita Epiſcopis ſubjacere Religioſi non deſinant, de quibus adeundi Fagnanus, & Thomaſſinus *p.* 550, & *ſeq.* Defenſioni, tuitionique denique Religioſorum ipſiſque Collatorum privilegiorum defuere nunquam Summi Pontifices, uti S. Gregorius M., uti Bonifacius IV, uti Urbanus II, uti Gregorius IX, uti Clemens V. *p.* 551, *& ſeq.* Inter hæc nominatim privilegium excipiendi tempore Paſchali Sæcularium Confeſſiones, de quo frequentiſſime a Parochis iis ipſis intentata fuit, ſartum, tectumque voluere Pontifices a Gregorio IX. plerique ad Benedictum XIV. *p.* 552, *& ſeqq.*; quorum poſt definitiones laterem profecto lavant, qui poſt Launojum privilegio huic detrahere pergunt *p.* 555, *& ſeq.*

Reliquias SS. auferre, aut transferre nulli omnino, nulloque obtentu licere abſque Sedis Apoſtolicæ licentia denuntiavit Bzetislao Bohemiæ Duci Benedictus IX. *p.* 486.

Remenſis Epiſcopus S. Remigius Apoſtolicis vicibus adauctus a S. Symmacho, Primatis jure per Clodovæi Regnum potitus eſt. At perſonale fuiſſe privilegium iſtud plerique volunt, perduraſſe uſque ad Hincmarum, qui imo ſupra Trevirenſem aſſurgere tentavit, aliis viſum eſt: defecit tandem hic Primatus, quo Manaſſem induere detrectavit S. Gregorius VII. *p.* 204.

Romana in Eccleſia, ad exprimendam pulcherrimam Romani Pontificis in Eccleſiam omnem Primatu defungentis ſpeciem, quinque Patriarchales Eccleſiæ conſpiciuntur, quarum ſingulis ordine adfixi ſunt Cardinales Epiſcopi, Presbyteri, & Dia-

& Diaconi *p.* 67. Eximiæ ei laudi cedit magna diligentia, maturitas, ac ponderatio, qua ſolet ante procedere, quam in definitivas prorumpat ſententias *p.* 479. Vetus, & nova eſt in eadem Eccleſia diſciplina benignitatis, & diſcretionis, qua lapſis, & imbecillibus erigendis, & lucrifaciendis a ſeveritate Canonum temperare ſolet *p.* 480.

Rufini interpretationem Canonis Nicæni 6. de Patriarchatu Romano, pro diverſo bono, maloque ingenio, alii rejiciunt, alii ſubloſte intorquent, benigne alii interpretantur, & accipiunt *p.* 62, *& ſeqq.*

S

SAlmaſii, & Gothofredi ſiniſtras conjecturas de Regionibus Suburbicariis elevant, & elidunt Petrus de Marca, & Sirmondus, oſtendentes decem earumdem dumtaxat Urbis Vicario paruiſſe, reliquis ſeptem Vicario Italiæ ſubjectis: longe vero plures juri Metropolitico Romani Pontificis fuiſſe obnoxias *pag.* 63, *& ſeq.*

Sardiniæ Metropolis vetuſtiſſima Calaris ordine Civili, an etiam Eccleſiaſtico fuerit, diſputant Eruditi. Sub S. Gregorio M. certe Metrolis Eccleſiaſtica erat; cui deinde adjunctæ duæ aliæ Turritana, & Arborenſis: quibus quot ſuffraganei ſubſint Epiſcopi obiter indicantur *p.* 72, & *ſeq.*

Senonenſis Antiſtes a Lugdunenſis jugo abſolutus, nedum Metropolitica dignitate adauctus eſt, ſed Primatis juriſdictione plus vice ſimplici a Romanis Pontificibus adornatus: ſed ea nunc caret, titulo tenus contentus *p.* 84, & 201.

Sicilia olim Sicania, ac deinde Trinacria dicta, ordine Civili Metropolim olim habebat Syracuſas, non etiam diſpoſitione Eccleſiaſtica, ut opinatur Petrus de Marca, qua dignitate indutus Syracuſanus Antiſtes non eſt, niſi vel a S. Gregorio M., ut quidam volunt, vel imo tardius a Græcis, ut verius aliis viſum eſt: qua deinde, in tres alios transfuſa, exſpoliatus fuit, ipſeque Montiregalenſi ſubjectus *p.* 71, & *ſeq.*

Sinas Evangelii lucem, ſed erroribus contaminatam, adſpexiſſe illuc a Neſtorianis invectam, e celebri Lapide in Urbe Siganfu adinvento liquido eruitur *p.* 42. Hujus ex Lapidis fide comperitur tres olim in Sinas pro Chriſtiana fide expeditiones fuiſſe ſuſceptas, 1. circa annum 636; 2. circa an. 757; & 3. circa an. 781, in quo Lapis hiſtoriam claudit annorum 144: quas ſane expeditiones a Neſtoriana hæreſi aſperſis hominibus fuiſſe adornatas ex eodem Lapide augurari licet *p.* 580.

Spiritus S. proceſſio tam a Patre, quam a Filio contra Monachos Græcos ſtrenue defenſa a Latinis Monachis legitur, e Gallia ad incolendum montem Oliveti a Carolo M. miſſis. Cujuſce diſputationis occaſione Concilium Aquiſgranenſe habitum eſt anno 809, in quo de ipſa proceſſione Spiritus S. a Filio tractatum eſt, non de additione particulæ *Filioque* Symbolo facienda: qua de additione poſtea diſputatum eſt coram Leone III, qui ne Græcos abalienaret, eam fieri additionem noluit *p.* 469, & *ſeqq.*

Stauropegium Græce, Latine Crucis

defixio, jus erat Patriarchis peculiare Crucis defigendæ in loco, ubi Monaſterium, aut Templum exſtruendum eſſet: quo ritu peracto, locus ille extemplo ab Ordinarii juriſdictione exemptus, in jus Patriarchæ immediatum tranſibat *p.* 184, *& ſeq.* Stauropegio porro etiam in Oriente potiebantur Romani Pontifices, atque Conſtantinopoli Templa erant, & Monaſteria Romano Pontifici abſque medio obnoxia *p.* 185.

Subdiaconatus inter minores Ordines a Latinis computatus eſt uſque ad ſæculum XI, a Græcis etiam num habetur. Ab eo autem tempore inter Sacros recenſeri cœpit, non ea ratione, quod tum legibus continentiæ obligati Subdiaconi fuerint, (nam lex iſta vetus eſt in Eccleſia, eaque jamdiu tenebantur indicta a Pontificibus, & Conciliis), ſed quod Urbanus II. in Epiſcopos eligi tum primum Subdiaconos permiſerit an. 1091. *p.* 442, & 498.

Suburbicariæ Regiones Romano Patriarchatui obnoxiæ in ſenſu Rufini quænam venirent, inter Doctos non convenit. Videſis V. *Pontifex*. Suburbicarius rite olim dici poterat Orbis univerſus, quo ferme modo Canon Frumentarius dici etiam ſolebat *Orbicarius*. Suburbicarius deinde evaſit ſolus Occidens reſpectu Imperatoris Occidentis, non reſpectu Romani Pontificis *p.* 64, & *ſeqq.*

T

Tarantaſia Alpium Grajarum, & Penninarum antiqua Metropolis a S. Leone M. olim Viennenſi juſta de cauſſa ſubjugata, in Metropoliticum jus juſta perinde de cauſſa eſt reſtituta *pag.* 87, & *ſeq.*

Taurinum Galliæ Subalpinæ Metropolis celeberrima jamdiu evaſit. Ibi anno 397, aut 401. celebre habitum Concilium eſt, non utique ab Epiſcopis Galliæ Narbonenſis, ſed ad horum preces ab Italiæ Epiſcopis. Nec ad Narbonenſis, ſed ad Mediolanenſis jus Metropoliticum olim pertinuit, a quo poſtea abſolutum eſt a Sixto IV, & ad Metropolis Eccleſiaſticæ dignitatem a Leone X. anno 1515. elevatum *p.* 75.

Theſſalonicenſis Vicarius Metropolitas ordinandi, & ordinationes Epiſcoporum confirmandi jure gaudebat, quo deinde valdequam diminutus eſt *p.* 218. Primus hoc nomine, ac Pontificia vice Illyrico præfectus a S. Damaſo legitur S. Acholius, aliique poſt ab aliis: errant proinde, qui Vicariatus iſtius primum auctorem faciunt aut S. Bonifacium I, aut S. Cæleſtinum: erravit autem magis Tillemontius de faculeate dubitans, qua demum id facere S. Damaſus potuerit *p.* 222, & *ſeq.* Manſit Vicariatus hic in Theſſalonicenſi uſque ad S. Gelaſium; a S. Hormiſda reſtitutus, ſubinde eſt ſublatus. Redintegratus denuo ab Innocentio III, paullo poſt extinctus eſt *p.* 224. Sub Juſtiniano translatus eſt Acridam, ſed intra Illyricum Orientale reſtrictus *p.* 225.

Ticinenſis Antiſtes jure cogendi ad Synodum Archiepiſcopos Mediolanenſem, & Ravennatem indutus legitur a Johanne VIII, de cujus Diplomate dubitans Muratorius corripitur a Manſio *p.* 197, & *ſeq.* In Syno-

Synodorum celebratione jus ſedendi proxime ad ſiniſtrum Pontificis latus Ticinenſi contulit Honorius III. Eumdem Pallio jampridem inſignitum, ac præferendæ Crucis inſigni exornatum, perpetuo demum Archiepiſcopi Amaſeni titulo adauxit Benedictus XIV. *p.* 198. Ticinenſi viciſſim Epiſcopi ordinationem ad ſe trahere Mediolanenſis aliquando tentavit, cujus utique prætenſo juri nonnulla ſuffragantur vetera monumenta. Verum Ticinenſis ordinationem ab antiquo ſpectare ad Apoſtolicam Sedem in Romana Synodo ſub Conſtantino Papa declaratum eſt: atque quidem antiquum revera jus iſtud contra Maſejum oſtenditur *p.* 458, & *ſeq.*

Toletanus Antiſtes ad Metropoliticam ante dignitatem aſcendit, quam Toleti Regni Sedes a Leovigildo conſtitueretur, ideſt ante annum circiter 577; ſiquidem in Toletana Synodo II. an. 531. hoc jam nomine audiret. Non tamen ante annum 589, hoc eſt ante Toletanam III, reliquis Hiſpaniæ Metropolitis dignitate anteivit. Anno 589. Reges inaugurandi jure a Recearedo eſt inſignitus: anno 610. Gundemari Regis decreto Carthaginenſis Metropolita declaratus eſt: non niſi tamen poſt Synodum Toletanam VIII. anno 653. Primatis jure eſt adauctus. Primatus hic magis explicuit ſeſe in Toletana XII. anno 681, eique confirmatus eſt a Toletana XIII. anno 683. *p.* 180, & *ſeq.* Sub Mauris ab anno 711. uſque ad annum 1085. per annos 370. circiter Primatus hic veluti obliteratus videri potuit: donec Rom. Pontificum beneficio ab Urbano II. uſque ad Innocentium III. priſtinum in ſplendorem reſtauratus eſt, & Apoſtolicis præterea vicibus adauctus *p.* 181, & *ſeq.* Attributus ei quoque Patriarchæ titulus aliquando legitur *p.* 182; eique tanquam Primati Metropolitas quidem Ovetenſem, & Legionenſem, & Palentinum ſubjugavit Calliſtus II, Emeritenſem tamen, & Bracaren ſem ab ipſius juriſdictione ſubductos Compoſtellano ſubjecit. Quamquam paullo poſt Bracarenſem, Hadriano IV. jubente, ad Toletani obedientiam regredi oportuit *p.* 212, *& ſeq.*

Treugam Domini, ſive inducias dierum aliquot, quibus ab armis, ædibus, incendiis, rapiniſque Chriſtifideles abſtinere debebant, efficaeius remedium temporum iniquitate tum non ferente, indixit primus Alexander II, aliique poſt ipſum plures oppido Pontifices *p.* 494, *& ſeqq.*

Treviris Prætorio Galliarum Præfecti Sedes conſtituta fuerat: qua a Francis everſa, circa an. 402, quo pariter Mediolano Sedem Imperii Ravennam tranſtulit, Arelatem Sedes translata eſt, non a Valentiniano, uti Queſnellus vult, ſed ab Honorio, velut oſtendit Pagius *p.* 8, & 85. A Trevirenſi Eccleſia, non abſque injuria, nec abſque invidia, Eccleſias pleraſque in gratiam S. Bonifacii Moguntini abſtractas fuiſſe a S. Zacharia Papa impudenter effutiunt Amelotus, & Brujus *p.* 206. Trevirenſem denique primariam Galliæ totius Belgicæ Sedem declaravit S. Leo IX. *p.* 487.

Trigamia apud Græcos lege tam Civili, quam Eccleſiaſtica prohibita erat: quin etiam Græcorum pleri-

que eò audaciæ progreſſi ſunt ſummæ, ut tertias, quartaſque Nuptias nedum illicitas, ſed, & invalidas aſſererent. At vero Romana Eccleſia contradicente, lex utraque illa robore omnino caruit; teterrimum vero hunc errorem duabus Conſtitutionibus exploſit Benedictus XIV. *p.* 480, *& ſeq.*

Turritani in Sardinia Metroplitæ ordinatio Apoſtolicæ Sedi reſervata erat, quam uſurpare auſus Calaritanus Antiſtes juſtas Johannis V. expertus eſt iras, affirmantis a S. Martino I. Apoſtolicæ Sedi jamdiu reſervatum id juris *p.* 200.

V

Vicarius Apoſtolicæ Sedis in Hiſpaniis creatus primus cenſeri debet a S. Leone M. S. Turribius Aſturicenſis, poſtquem eædem vices concreditæ leguntur a S. Simplicio Zenoni Hiſpalenſi, & a S. Hormiſda tum Saluſtio Hiſpal. in Bœticam, & Luſitaniam, tum Johanni Illicitano in reliquas Hiſpaniarum Provincias *pag.* 210, *& ſeq.* An a S. Gregorio M. una cum Pallio vices pariter Apoſtolicæ, ac Primatis dignitas S. Leandro Hiſpalenſi delatæ fuerint, dubitare licet *p.* 211, *& ſeq.* Porro Vicariatus Apoſtolici, ac Primatus jura eadem eſſe, ideoque eoſdem fuiſſe olim Primates, qui Vicarii erant Apoſtolici, exiſtimant Morinus, Thomaſſinus, & Cabaſſutius. Atqui Vicarios Apoſtolicos inter, ac Primates longum intercedit, latumque diſcrimen, aliaque longe diverſa a Primatis juribus, ac dignitate Vicarii Apoſtolici dignitas, ac juriſdictio, nec ſane Vicariatus eadem ubique ſpecies erat, nec eadem, ac par Occidentis Vicariis conferri ſolebat, quæ Orientis Vicariis poteſtas conferebatur. Vicariis univerſim duplex tribuebatur facultas, cauſſas minoris momenti definiendi, atque decreta Apoſtolica executioni demandandi; duoque viciſſim expreſſe ſolebant excipi, ne præſumerent in cauſſas difficiliores, ac fidei introſpicere; nec in jura Metropolitarum irrumpere. Quoad vero Conciliorum indictiones, & ordinationes Epiſcoporum, quæ modo aliquibus conferebatur poteſtas, aliis, prout ere judicabant Pontifices, denegabatur *p.* 216, *& ſeq.*

Vicarius Apoſtolicus in Illyrico primum inſtitutus eſt a S. Damaſo S. Acholius Theſſalonicenſis *p.* 221, de quo videſis V. *Theſſalonicenſis*. Vices eaſdem S. Cyrillo Alexandrino cum facultate loco detrudendi Neſtorium, eique alterum ſubrogandi, concredidit S. Cæleſtinus. Eaſdem in Africa cum pari facultate Potentio S. Leo M. Eaſdem per Ægyptum Acacio Conſtantinopolitano S. Gelaſius. Eaſdem in Palæſtina Stephano Dorenſi Theodorus. Eaſdem per Orientem Johanni Philadelphienſi S. Martinus I. Eaſdem in Galliis Arelatenſi S. Zoſimus, aliique, quæ in Virgilio defecere demum; & Remenſi S. Symmachus. In Hiſpaniis his, de quibus pſullo ſuperius eſt dictum. Moguntino in Germania S. Zacharias; ac Metenſi Sergius II. Cantuarienſi in Anglia S. Gregorius M. In Regionibus Aquilonaribus Hamburgenſi Gregorius IV. In Pannoniis Salisburgenſi Agapetus II. *p.* 225, *& ſeqq.*

Vien-

Viennenſem inter, & Arelatenſem Antiſtites diu, multumque de Metropolitico jure digladiatum eſt de quo actum in Concilio Taurinenſi, circa cujus tamen Canones varia eſt doctorum non abſque contentione interpretatio *p.* 88, *& ſeq.* Litem demum S. Leo diremit, Metropolitica jura diſpeſcens inter utrumque *p.* 89, *& ſeqq.* Burgundiæ Regni Metropolis Vienna quum evaſiſſet, cjus Epiſcopus ordine tum Civili, tum Eccleſiaſtico ad magnam dignitatem aſſurrexit, Primatu adauctus, ac vicibus Apoſtolicis in ſeptem Provincias *p.* 91, & 202.

VirgiliusPresbyter, qui a S. Bonifacio Moguntino delatus ad Romanæ Curiæ Tribunal, a Zacharia legitur Sacerdotio exſpoliatus, ob errorem, quo alterum Mundum extare docebat, revera damnatus eſt, utque probant Cointius, & Pagius contra Baronium, alter fuit a S. Virgilio Salisburgenſi. Nec ideo damnatus eſt, quod terram inhabitatam in gyro aſſereret, ut ominatur Keplerus; neque Pontifici fucus eſt factus, uti comminiſcuntur Marcus Velſerus, & Thomas le Blanc; neque turpis ignorantiæ labes Pontifici eſt affricanda, quaſi de Antipodis nihil penitus ſciverit, veluti calumniantur Baylius, & Bruyus: ſed ideo, riteque damnatus eſt, quod alterum Mundum contra S. Scripturæ veritatem adſtruere non vereretur *p.* 466, *& ſeq.*

Ulyſſiponenſem Epiſcopum ad Patriarchæ eminentem dignitatem extulit Clemens XI, inſigni perinde altera prærogativa adjuncta Luſitaniæ Reges inaugurandi: quam prærogativam quidem ab Eugenio IV. jam pridem Bracarenſi Epiſcopo collatam quam licite, tam legitime in Ulyſſiponenſem transferri potuiſſe liquido, ac luculenter demonſtravit Benedictus XIV. *p.* 182, *& ſeq.*

			ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 31	Lin.	24	forme	ferme
60	12		ejudem	ejuſdem
78	9		Hildeſimenſis	Hildesheimenſis
81	17		Africa	Africa univerſa
124	5		Sirici	Imperatoris
224	22		Imperatorem	Siricii
228	16		æate	ætate
232	10		Africas	Africa
249	35		Varrennins	Varrennius
285	26		vetitus	veritus
289	27		ixiſſe	dixiſſe
294	1		Gallias	Gallia
316	10		hunc	hoc
339	26		derivatur	non derivatur
380	11		ephigraphe	epigraphe
398	10		ſolmne	ſolemne
410	23		rieque	neque
ibid.	24		pœnitennia	pœnitentia
423	35		temporum	tempora
500	34		interrogatas	interrogatus
516	24		Anguſtiniani	Auguſtiniani
547	marg.		547	545
556	22		Dominium	Dominicum
571	33		anno	annum
583	15		Frabricium	Fabricium
598	24		Innonentius	Innocentius
602	25		Eccleſia	Eccleſiæ
606	20		Martyrum	Martyrum, vel Confeſſorum
612	2		tranſitu	tranſitu
641	36		Epiſcop,	Epiſcopis
657	5		impendi	impendii

MAC 714

Digitized by Google